A — 196
N. 83

# NATVRAE HISTORIA,

[redacted]

PRIMA IN MAGNI OPERIS CORPORE PARS,

Benedicto Aria Montano deſcriptore.

REGI SECVLOR. IMMORTALI ET INVISIBILI SOLI DEO SAC.




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃcI.

# SMÆ ROM. ECCLESIÆ MATRI
## BENED. ARIAS MONTANVS
### EX DEO FELICITATEM ET
#### AMPLIFICATIONEM SVMMAM.

PROMISSI olim nobis magni operis partem primam, quam vocari placuit ANIMAM, nuper Deus abſolutam édendamq́ue propitius præſtitit, cuius numini ac muneri, quidquid veram publicæ ac priuatæ vtilitatis meretur laudem, ſingulariter debemus, nihil prorſus noſtro vel ingenij vel induſtriæ arrogantes nomini. Eiuſdem verò ſecundam partem operis quoniam breui abſoluere non poſſumus, & poſtulari imò flagitari à pietatis amatoribus audimus, citra vllam vel inuidiam vel cunctationem exhibere conamur, idq́; ſedulò ac ſeriò agimus, aſſiduis dierum etiam feſtorum (quos in ſacris curandis & agendis gratis ponere nulla vetat religio) impendendis operis, perpetuo quidem & contento ſtudio, non tamen continuato vt optaremus labore, ſed eo variis ætatis, valetudinis, itinerum ærumnis, alienorumq́ue negotiorum interpellationibus & curis interrupto; ex quibus magna pars nobis vel inuitis præter votum & inſtitutum inopinatò plerumque ſolent accidere, eæq́ue in iis præſertim

regionibus, quæ rariſſimam amicorum iiſdem ſtudiis deditorũ ſuppetere poſſunt copiam, quorum diligentia in promouendo opere iuuari cuperemus. Huius verò dum cetera formantur membra, quod erudiri & vtcumque poliri potuit, caput iam nunc exhibemus, ita comparatum vt ſeorſum etiam ſpecie & contemplatione ſui eruditorum in his artibus oculos animumq; detinere poſſe non dubitemus: quorum varia futura vti non ambigimus iudicia, ita nec moramur quominus ceteras proſequamur parteis, quas, vt ſummo, vero, & vnico auctore Deo præſente & promouente ponere & concinnare contingat, piorum & ſimplicium cãdidorumque, quos plurimos iſto ſacro in gremio Eccleſia Mater alis & foues, precibus ac votis multum nos adiutum iri confidimus: cumprimisq; tuam exoptamus gratiam, cuius vnius obſequiis & ſeruituti noſmet iampridem citra vllam vel augendæ rei, vel comparandæ gloriæ auiditatem aut ſpem dicauimus. illud ſatis ſuperque nobis operarũ, ſumptus & laboris per omnem vitam ponendi præmium ducentes, vt ſi non pretio & elegantia, artisq; laude, animi tamen pietate & ſtudio donaria noſtra tibi commendata probarentur: atque hoc pacto maiora & cultiora ingenia ad vberrimas & pulcherrimas fruges, eaſdemque ex abundantis largiſſimique fontis, hoc eſt, ſacri verbi ac ſcripti quatergeminis

geminis fluminibus irrigatas & alitas, fundendum excitarentur; ea tantùm communicandas cauſa, vt qui vel adhuc per ætatis teneritudinem lacte paſcuntur, vel per adultæ iam mentis ac ſenſuum validiorum vires ſolidiore vtuntur cibo, cuncti, quamquam non pariter, pari tamen ſtudio vnicam illam communionem votis omnibus optent, curent, & poſcant, quæ idem ſcire, idem velle, idemq́ue poſſe eſt in Sponſo tuo Chriſto Ieſu, ſapientia ac virtute Dei, cuius æterna apud ſuperos inferosq́ue maieſtas & conſtat laus. Hiſpali, ex conuentu equeſtris ordinis D. Iacobi, ipſis Calendis Ianuariis cIↄ Iↄ xciiii.



# NATVRAE HISTORIAE
## SIVE
## PRIMÆ IN CORPORE PARTIS
## ARGVMENTVM.

### ELEGIA VOTIVA.

NVNC proprias mundi cauſas ortuſque recentis,
Et faciem & vires diſſerere incipiam.
Atque ea quæ quondam iuuenem condiſcere multis
Et memini è variis lecta referre libris;
Et memini, & magnæ curæ longique laboris
Pœnitet, incertas dum ſequor vſque vias.
Nondum ter quinos ætas mea iunxerat annos,
Naturæ cùm non dicerer eſſe rudis.
Aſtrorum & cæli motus, didicique figuras
Lunæ, & inæqualis tempora ſolſtitij:
Æquales luci ac tenebris communiter horas
Bina dies terris omnibus vt faceret.
Multa mihi de principiis, de fine, modisque,
Multaque de formis dicere, ludus erat.
Ludus erat certè, nunc ſentio, damnaque tanti
Temporis elapſi nunc doleo atque fleo.
Et pudet inuidiæ ac laudis: nam vtramque ſubimus,
Dum docti famam, dum petimus pretium:
Dum noſtra aut placita, aut tumidi dictata magiſtri
Clamoſo fruſtra proſequimur ſtudio:
Nec tamen heu propius rebus diſtamus ab ipſis,
Quàm vel pura dies diſſidet à tenebris.
Vos moneo, ingenui queis grata ſcientia veri eſt,
Quos iuuat in ſolido ponere poſſe gradum:
Heu fugite exiguam vitæ diffundere ſummam,
Atque hominum incertas ire cauete vias.
Magnum iter ingreſſis quoniam contingere finem
Non datur, aut propriis figere limitibus:
Quid mirum? ipſa etiam queis primum ſiſtere greſſum
Conueniat, non eſt cernere principia.
Hic antiqua canit rerum primordia caſum
Diſcuſſiſſe vagis conſocianda modis.

Primam

Primam hic materiam reperit, facit iſte ſecundam;
Auctori incerto cætera contribuunt.
Fingit at ille Chaos, nec quidquam protinus omnes
Scilicet eſſe volunt, quod fuit ante nihil.
Quiſque ſui metitur enim res primaque rerum
Fundamenta modo & viribus ingenij.
Hæc ſibi dum fingunt, & inania condere verba
Soliciti intendunt, nil niſi verba ſerunt.
Quidam laudat aquam, præfert contrarius ignem,
Materiam primam qui ſupereſſe negant.
Quid memorem quanto cœpta eſt Priuatio plauſu,
In parteis expers vtque vocata venit?
Victor ouans, palmam viſusque apicemque mereri,
Quique elementa prior quique quaterna dabat,
Infeſtas idem pugnas & prælia plura
Intulit, & nullas, bella per, inducias:
Nec tantum inter aquam atque ignem terramque polumque eſt,
Quantum animos inter cernere diſſidium.
Pars formas elementa ſuas confundere mixtis
Rebus ait, ſed pars viribus illa ligat.
Nec ſolam hæc fallunt læduntque pericula mentem,
Humana antecapit vita ſed exitium.
Iudicium ſæpe hinc adeò medicina requirit;
Hinc ſpes paſtorem ludit & agricolam:
Hinc, Deus & quas homini prodeſſe benignus
Artes inſtituit, concipiunt vitium.
Moribus humanis præceps miſerandaque multum
Iactura ex tanto turbine ſæpe venit.
Quippe vbi cæca praeit ductrix inſcitia veri,
Decipit hîc pulchri dedecus in ſpeciem.
Ipſe ego non ſemel illuſus perſæpe querebar
Hæc mecum, atque bonis contuleram ſociis.
Illi nil noſtro viſi ſentire dolore
Mitius. hoc nobis triſte leuamen erat.
Alme parens doctorque Deus rectorque animorum,
Queis verum ſimplex queis pietasque placet;
Quas mea mens & quàm multas tibi dicere laudes
Debeat, haud tempus continet aut numerus.
Tu me turbatum, per totque incerta vagantem
Excipis à proprio conſilio ac reuocas.
Indulgere meo ingenio renuisque vetasque, &
Qui iam tum vir eram me puerum eſſe iubes.

Tuque

Tuque volens miſeranſque tui ſacra in atria templi
  Ducis communi non adeunda pede.
Hic vbi miratus faciem veriq́ue boniq́ue
  Ad viuum pictis intueor tabulis:
Credite mortales, quamquam depicta figura,
  Aſpirare mihi & viuere viſa tamen;
Atque loqui audita eſt contemplatumq́ue monere;
  Omne puer, ſapias, hinc pete principium.
Parce puer, iam parce hominum te tradere vanis
  Vocibus, & vanis credere pollicitis.
Hæc tibi lux prima eſt, hæc ianua prima petenti
  Panditur, ediſcas hinc rudimenta puer.
Sis puer attentus, neu cures quòd tibi barba
  Candidior iam ſub forcipe tonſa cadit.
Poſt vbi teq́ue diu meditantem prima tenebunt
  Atria, duceris per loca ſacra magis.
Duceris, ne curre puer, neu tu tibi tantum
  Strenuus adproperes vlteriora ſequi.
Neu lucem tu præuenias, aurora quieſq́ue
  Ante auctore Deo ſunt capienda tibi.
Interea, quæ contingent partire libenter
  Exiguo atque auido diſcere vera gregi.
His Deus explebit mentem, lumenq́ue beatum
  Porriget, vt quæ tu videris, & videant.
Hinc ſitis atque fames veniet maiora videndi,
  Crede modò, & iuſſis obſequere imperiis.
Nam niſi deficias credens deſiſq́ue petendo,
  Iam dabit ipſe Deus quò ſatur eſſe queas.
Inde minora mihi ſunt cetera, friuola ſordent,
  Diuinum cordi eſt inde mihi ſtudium.
Ergo pater Deus, ipſe bonus felicia vota
  Atque mihi, atque gregi perficias humili.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SEVILLA ·

BENED.

# BENED. ARIÆ MONTANI IN PRÆFATIONEM HISTORIÆ GENERIS HVMANI ANNOTATIONES.

SINGVLIS animantium generibus ſuum opus 1.
propoſitum ad exercendum] *vt boui labor & ad*
*agrorum culturam idoneæ cum obſequio vires. Vbi* Prou.14
*apparent plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo* "
*bouis. equo vero velocitas, ad ferendumq́; ſeſſorem* "
*patientia tribuitur. Equus paratur ad diem belli. Ac* Prou.21.
*non in maioribus animantium generibus tãtùm do-*
*ctrina hæc firmatur, ſed in minimis etiam atq; adeò*
*in abiectiſsimis (qualia quæ dicuntur inſecta ſunt)*
*mirandis exemplis adſtruitur. Namq; cuniculo cau-*
*tionem, formicæ prouidentiam cum diligentia coniunctam, locuſtis ordinem,*
*araneis induſtriam adſcriptam legimus. Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa* Prou.30.
*ſunt ſapientiora ſapientibus. Formicæ populus infirmus, qui præparat in meſſe* "
*cibum ſuum. Lepuſculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum. Regem* "
*locuſta nõ habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas. Stellio ſiue aranea ma-* "
*nibus nititur, & moratur in ædibus regis. Tria ſunt quæ bene gradiuntur. Leo* "
*fortiſsimus beſtiarũ ad nullius pauebit occurſum. Gallus ſuccinctus lumbos ſuos,* "
*& aries, neque eſt rex qui reſiſtat ei. Quamobrem ad humanæ vitæ inſtitutio-*
*nem multa ex animantium ceterarum ingenio, natura & exercitatione diſci*
*cognoſciq́; poſſe Iob prædicabat: Nimirum interroga iumenta & docebunt te, &* Iob 12.
*volatilia cæli & indicabunt tibi. Cetera quæ ad animalium notitiam referun-* "
*tur, paulo pòſt, vbi de creatione ſermo incidet, exponemus.*

Hominem animantium omnium principem] *Præſtantiſsimum ani-* 6.
*mantium omnium hominem eſſe factum ſacra ſcripta abundè docent, vtpote à*
*Deo ſingulari conſilio conſtitutum materia præ ceteris excellente, & opera at-*
*tentionéque ſingulari. Ceteræ animalia à terra prodita cognoſcuntur non ſpon-*
*te, ſed verbo Dei iubente, virtutémque terræ ad creandum addente. S. S. E. Et* Gen.1.
*creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei* "
*creauit illum. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpi-* Gen.2.
*rauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* "
*Et Sapiens, Deus, inquit, creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem* Sap.2.
*ſimilitudinis ſuæ fecit illum. & rurſum, Eduxit illum de limo terræ, & dedit illi* Sap.10.
*virtutem continendi omnia. & Eccleſiaſticus, Deus creauit de terra hominem,* Eccleſ.17.
*& ſecundùm imaginem ſuam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipſam, &* "
*ſecundùm ſe veſtiuit illum virtute. Numerum dierum & tempus vitæ dedit illi,* "
*poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram, poſuit timorem eius ſuper omnem car-* "
*nem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium. Quamobrem diuinus ille can-* "
*tor admiratus aiebat: Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quo-* Pſal.8.

» *niam viſitas eum, minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coro-*
» *naſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubiecisti ſub*
» *pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cæli &*
» *piſces maris qui perambulant ſemitas maris.*

7. Non otioſum in vita eſſe poſſe] *Nihil in terra ſine cauſa fit, inquit Iob,*
Iob 5. *& de humo non naſcitur dolor. Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.*
» *Ideo imprimis humanæ felicitatis commendationibus labor, diligentia atque ſo-*
Pſal. 127. *lertia homini adſcribitur. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in*
» *viis eius: labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.*
Prou. 12. *contrà verò, otium in hominibus cùm priuatè, tum publicè damnatur. Qui ope-*
» *ratur terram, ſatiabitur panibus: qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus. vnde*
» *otium ac deſidia vnum ex criminum ac vitiorum capitibus declaratur quamob-*
Ezech. 16. *rem Sodomorũ vrbes & reſpub. perierint. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſoro-*
» *ris tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarũ eius.*

8. Quidquid cuiuſcunque vitæ particeps eſt] *Plantarum genera omnia*
*non decoris modò terris, ſed ſui ſingula vſus cum animantibus ceteris tum cul-*
Pſal. 128. *toribus eſſe, ex ſimilitudinibus & comparationibus aptè probantur: vt, Vxor tua*
» *ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui ſicut nouellæ oliuarum in*
Pſal. 1. *circuitu menſæ tuæ. Et erit tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aqua-*
» *rum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet, & om-*
Matth. 6. *nia quæcunque faciet proſperabuntur. &, Conſiderate lilia agri quomodo cre-*
» *ſcunt, non laborant neque nent: Amen dico vobis, nec Salomon in omni gloria*
Matth. 3. *ſua indutus eſt ſicut vnum ex iſtis. &, Omnem arborem non facientem fructum*
» *exſcindent, & in ignem mittent.*

10. Nullum verò hominis natura magis proprium] *Ita Eccleſiaſtici libri*
Eccli. 17. *auctor de homine ait: Conſilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit il-*
» *lis excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos. Creauit & illis ſcientiam*
» *ſpiritus, & ſenſu impleuit cor illorum, & mala & bona oſtendit illis. Adeò ve-*
*rò propria & congener hominis naturæ mentis agitatio atque ſolertia, vt eadem*
*qui non vtuntur, vel qui abutuntur, degenerare omnino & bruteſcere dicantur.*
Pſal. 31. *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.*

Eccli. 17. Vel omnium ſi concedatur] *Sicut ſcriptum eſt: Poſuit oculum ipſorum*
» *ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſancti-*
» *ficationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent*
» *operum eius.*

Cui non ſolùm animus] *Qua parte ad imaginem & ſimilitudinem Dei*
Gen. 1. *factus homo eſt, idq. certo ac ſingulari conſtitit conſilio. S.S.E. Faciamus homi-*
» *nem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et creauit Deus hominem ad ima-*
» *ginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum.*

Quamquam vt prima ſui contemplatione videtur] *Non eadem om-*
*nino materia, nec eadem aut ſimili cæteris animantibus opera & ſorte huma-*
*num conſtat corpus, ſed electis terræ pulueribus atque vitæ ſingularis capaci-*
*bus, necnon & ſingulari diuinæ ſapientiæ arte compoſitis aptatisq. membris.*
Gen. 2. *de altero ſcriptum eſt. Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpi-*
» *rauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Limum Latinus interpres pro* GHAPHAR
*vertit. Eſt autem* GHAPHAR *viuacior & calidior atque adeò ignea quædam,*
*atque*

*atque minimum corruptibilis terræ pars. Cuius cognatum ſulphur eſt, ex eo-
dem verbo dictum* GHOPHRITH *&* GHOPHERETH *plumbum, quod om-
nium metallorum facillimè liquatur, & in quaſlibet formas ducitur. ex quibus
rebus ac nominibus qui de humana carne philoſophari ſtuduerit, mira producet
ad animantis huius naturam, & præſtantiam adſtruendam argumenta. Hunc
vero ſingulari Dei intentione, vt ita loquamur, & arte factum non tantum exi-
ſtere iuſſum, vt animalia cetera Iob cumprimis declarat: Nonne ſicut lac mul-* Iob 10.
*ſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus &* "
*neruis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi. Membrorum* "
*verò præſtantiam vel vna oris ac linguæ fabrica docet, quæ pars ad ſermonis
vſum homini præcipuè data declaratur, quam nulla alia animalium natura ob-
tinuit, nec vlla vnquam imitari potuit ars. Sicut de ſimulacrorum effictis mem-
bris negatum legimus. Os habent, & non loquentur. Quamobrem Dauid, Mi-
rabilis, inquit, eſt facta ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.
& rurſus, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos
tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem, hoc eſt, eum qui diuinam prouidentiam* Psal. 8.
***hominum generi conſulere inficias it.***

Cùm varia & multiplex cognoſcendorum] *Poſuit, inquit, Sirach ocu-* 15.
*lum ipſorum ſuper corda eorum oſtendere illis magnalia operum ſuorum.*

Quidnam potiſſimùm optari, qua via iniri] *Quam rem Salomon ſtu-
dioſè atque anxiè poſtulans, dicebat: Tecum ſapientia tua quæ nouit opera tua,* Sap. 9.
*quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, & ſciebat quid eſſet placitum in* "
*oculis tuis, & quid rectum in præceptis tuis. Mitte illam de cælis ſanctis tuis,* "
*& dè ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit & mecum laboret, & ſciam quid ac-* "
*ceptum ſit apud te. Scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus* "
***meis ſobriè, & cuſtodiet me in tua potentia.*** "

Nullum verò vel melius vel commodius] *Ignoratio enim propriæ na-* 19.
*turæ in dementiam, dementia in arrogantiam, arrogantia in feritatem & inſo-
lentiam, atque adeò in crudelitatem traducit; demum vero in Dei contemptio-
nem impietatemq́ue detrudit. S.S.E. Exurge Domine, non confortetur homo, Iu-* Psal. 9.
*dicentur gentes in conſpectu tuo. Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt* "
*ſciant gentes quoniam homines ſunt. Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſe-* Isaiæ 5.
*ctandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara, & lyra,* "
*& tympanum, & tibia in conuiuiis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec* "
*opera manuum eius conſideratis. Opus autem Domini id ſingulariter hoc loco* "
*intelligimus, quo humanæ naturæ veritas atque ſalus continetur. id qui non re-
ctè attendit, brutis atque pecoribus non diſſimilis euadit. Hi quæcunque quidem* Iudæ.
*ignorant, blaſphemant; quæcunque autem naturaliter tanquam bruta animalia* "
*nerunt, in his corrumpuntur. & paulò inferiùs: Hi, inquit, ſunt qui ſegregant* "
***ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.*** "

Quæ tametſi maximè cognoſcerentur] *Quædam tantùm cognoſci poſ-* 20.
*ſunt, nihil præterea hominibus ex ſe permittunt: vt cælorum ſtellarumq́ue curſus
& efficacitates quæcunque illæ fuerint. Quædam verò & ſciri & à cognoſcente
agi, gubernari, & corrigi, vt quæ hominũ curæ & induſtriæ patent: qualis agro-
rum cultus, animalium tractatio & agitatio, atque præcipuè omnium, ſui ipſius
inſtitutio, & animi morumq́ue formatio. quod ſcientiæ genus in humanis vt ho-*

 *mini*

*mihi ipſi proximum atque affine maximè, ita commodiſsimum eſt. De priori re-*
Iob 38. *rum genere multa in hanc ſententiam apud ſacros ſcriptores legimus. Nunquid*
„ *coniungere valebis micantes ſtellas, pleiades aut gyrum arcturi poteris diſſipa-*
„ *re? Nunquid produces Luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper fines terræ*
„ *conſurgere facies? Nunquid noſti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?*
„ *Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? Nun-*
„ *quid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi: adſumus? De poſterio-*
*re, hoc eſt, rerum ad ſe pertinentium, atq; ſui ipſius cũprimis cognitione & cura,*
*innumerabiles attendentibus occurrent affirmationes ac præceptiones. Venite*
Pſal. 33. *filij audite me, timorem Domini docebo vos. Quis eſt homo qui vult vitam? di-*
„ *ligit dies videre bonos. Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur*
„ *dolum. Declina à malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam.*

24. Namque homines minimè doctos, minimeq; eruditos naſci] *Quip-*
*pe & ſapientiſsimus hominũ Salomon infantibus ceteris doctiorem, aut præſtan-*
Sap. 7. *tiorem natum ſe eſſe negat. Et ego natus accepi communem aërem, & ſimiliter*
„ *decidi in terram factam, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans, in*
„ *inuolumentis nutritus ſum & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit*
„ *natiuitatis initium. Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam. Propter quod op-*
„ *taui, & datus eſt mihi ſenſus; & inuocaui, & venit in me ſpiritus Sapientiæ. At-*
*que ideo rudes & indoctos homines, nondumq; recta diſciplina inſtitutos, abla-*
Iſaiæ 28. *ctatos à lacte, auulſos ab vberibus Iſaias appellat.*

25. Vel ea tantùm agnoſcere, quibus ex paterna diſciplina] *Ita Ioſue anti-*
*quam, & à maioribus acceptam conditionem cum præſenti comparandam Iſraë-*
Ioſue 24. *litis referens obiiciebat. Trans flumen habitauerunt patres veſtri, Thare pater*
„ *Abraham & Nachor, ſeruierúntque diis alienis.*

26. Vt enim agrorum nouale] *Hac ſimilitudine ſapientiæ veræ ſtudium & cu-*
Ierem. 4. *ram cõmendare vates ſolent. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.*

27. Longis laborioſiſque erroribus compleri] *Ita Pſaltes affirmans docet:*
Pſal. 118. *Spreuiſti omnes diſcedentes à iudiciis tuis, quia iniuſta cogitatio eorum. Omnia*
„ *mandata tua veritas. &, Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intelle-*
„ *ctum dat paruulis. &, Sapientia ſtultitiæ palantis errores, & miſeros exitus re-*
Sap. 5. *ferens ait, Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias*
„ *difficiles, viam autem Domini ignorauimus.*

28. Cùm manifeſtum ſit iſtorum nemini] *De hac re Pſaltes, Narrauerunt,*
„ *inquit, mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.*

Sed hic ex anteactis temporibus] *Opinionum ac doctrinarum diuerſitas*
*ex humani ingenij arrogantia dimanans notata fuit apertè à Paulo & Barnaba*
Act. 14. *apud Athenienſes verba facientibus, Viri hæc facitis? & nos mortales ſumus ſi-*
„ *miles vobis homines, annunciantes vobis, ab his vanis conuerti ad Deum vi-*
„ *uum qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt. Qui in præ-*
„ *teritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. & quidem non*
„ *ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens, de cælo dans pluuias & tempo-*
„ *ra fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum.*

32. Pro ſapientibus inſanos dimiſerunt] *Scriptum eſt enim, Perdam ſapien-*
1. Cor. 1. *tiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcri-*
„ *ba? vbi inquiſitor huius ſeculi? Nónne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius*
*mundi?*

mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, “
placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. “

Talem verò ac tantum gubernatorem] Sanè vates diuinæ doctrinæ ab 33.
ipſo Deo explicatæ veritatem præſtantiámque cognoſcens, anxiè poſtulabat. Ad
te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam, neque Psal. 24.
irrideant me inimici mei. Etenim vniuerſi qui ſuſtinent te non confundentur. “
Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè. Vias tuas Domine demonſtra “
mihi, & ſemitas tuas edoce me. “

Atque adeò eiuſmodi præſtigiis] Quas fabulas doctas Petrus Apoſtolus 35.
vocat. Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu 2 Petr. 1.
Chriſti præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. “

Acceptam à parētibus & magiſtris de pietate diuiniq; numinis cultu] 41.
Quam rem ita Iſraëlitis Ieremias exprobrans obiiciebat. Tranſite ad inſulas Ierem. 2.
Cethim & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer & videte, Si “
factum eſt huiuſcemodi. Si mutauit gens deos ſuos; & certè ipſi non ſunt dij. “

Permixtam nimirum parti eius quæ ex Ægyptiorum conſuetudine] 44.
Ita confuſam quondam & contaminatam veræ pietatis rationem cum Aegyptio-
rum ſuperſtitione Iſraëlitis fuiſſe indicat Ezechiel, Vbera tua intumuerunt, & Ezech. 16.
pilus tuus germinauit, & eras nuda, & confuſione plena. “

Demum vulgum ipſum] Quem duræ ceruicis, id eſt, malè fidentem, indo-
mitum & obſtinatum identidem Deus Deiq; vates vocant. Nec enim propter Deut. 9.
iuſtitias tuas & æquitatem cordis tui ingrederis vt poſſideas terram. Scito ergo “
quòd non propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc “
optimam in poſſeſſionem, cùm duræ ceruicis ſis populus. “

Et ipſa de rebus à Moſe geſtis narratio] Sæpiùs repetita in hanc ſenten- 45.
tiam. Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per Exodi 7.
incantationes Aegyptias & arcana quædam ſimiliter. “

Et miracula apud varios ſcriptores ſparſa] Vana, conficta, ſimulata par-
tim, partim verò reapſe oſtenſa, mendacia tamen atque mendacium inſinuantia
in orbe terrarum viſa atq; viſenda iis qui verum inquirere ſanè cupiunt moni-
tores Apoſtoli prædixerunt. Et tunc reuelabitur ille iniquus quem interficiet 2. Theſſ. 2.
Dominus Ieſus ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum, cuius “
eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute & ſignis & prodi- “
giis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis. Qua de re & Chriſtus ita “
monere ſolet: Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna Matth. 24.
magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi. Vos “
autem cauete. Ecce prædixi omnia vobis. Atque de hoc miraculorum genere “
quæ legendo obſeruauimus, proprio referemus loco.

Nam quæ de Prophetico ſpiritu & impulſu] Prophetarum veritatem &
auctoritatem non temerè excipi, ſed certo iudicio examinatam cognoſci & pro-
bari Deus voluit. idq; ſingulariter cautum piis mandauit hominibus. Rogamus 2. Theſſ. 2.
autem vos, fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congre- “
gationis in ipſum, vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, ne- “
que per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam. &, Chariſſimi, noli 1. Ioan. 4.
te omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint. q verò quemadmo- “
dum probandi ſint, commodè aliàs diſſeretur. “

# IN SVMMAM AC BREVEM DE VETERIS TESTAMENTI AVCTORITATE RESPONSIONEM.

4. PRæterea quæ per Moſem edita fuere] *Beneficiorum nomine miracula illa præcipuè facta quæ ductorem, tutorem, ſingularémque populo conſulem Deum probarent, obſeruata temporum opportunitatumq; ratio docet. Atq; ita ſcriptum legimus, Et obliti ſunt benefactorum eius,* (Pſal. 77.)
„ *& mirabilium eius quæ oſtendit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia in*
„ *terra Aegypti, in campo Taneos, interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit*
„ *aquas quaſi in vtre. Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione*
„ *ignis. Interrupit petram in heremo, & adaquauit eos velut in abyſſo multa. Et*
„ *eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas. Et appoſuerunt*
„ *adhuc peccare ei, in iram concitauerunt excelſum in inaquoſo. Et tentauerunt*
„ *Deum in cordibus ſuis vt peterent eſcas animabus ſuis, &c.*

5. Verum enimuero attributæ & conceſſæ viro illi dignitatis] *Doctor populo ac genti allocutione Dei declaratus Moſes aſſeritur, idq; Stephano docente adſtruitur. Hic eſt Moſes, qui dixit filiis Iſraël, Prophetam ſuſcitabit vobis* (Actor. 7.)
„ *Dominus de fratribus veſtris tanquam me, ipſum audietis: Hic eſt qui fuit in*
„ *Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina & cum pa-*
„ *tribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare nobis.*

7. Atque illius nationis diſciplinarum] *Aegyptios mathematicis ac diuinationum generibus variis ſapientiæ ſtudium præcipuè profeſſos hiſtoria ſacra indicat. Euigilans Pharao poſt quietem, & facto manè pauore perterritus miſit ad* (Gen. 41.)
„ *omnes coniectores Aegypti, cunctoſq; ſapientes, & accerſitis narrauit ſomnium,*
*nec erat qui interpretaretur. Huc illud quoque pertinet: Scyphus quem furati* (Gen. 44.)
„ *eſtis, eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.*

Verumtamen Ieſu Nazareno longè minorem] *Non modò profeſſione ac declaratione manifeſta Dei ipſius dicentis, Hic eſt Filius meus dilectus, in* (Lucæ 9.)
„ *quo mihi bene complacui, ipſum audite: verùm etiam Moſis atque Eliæ præſtantium vatum conceſſione: qui coram tribus teſtibus loquebantur cum illo viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius quem completurus erat in Ieruſalem, & dum fieret vox, inuentus eſt Ieſus ſolus.*

8. Manifeſtis in vtramque partem euentis] *Diuinæ doctrinæ auctoritas ac ſanctitas triplici rerum teſtimonio atque exemplo declarata perpetuò conſtitit. Signis primùm ac prodigiis, deinde beneficiis in pios obtemperantéſque homines ponendis, vel etiam pœnis & animaduerſionibus in improbos edendis.*

## DE VERITATE DEI.

### CAPVT I.

(Aptandum libri primi animæ cap. 1.) SApientiæ omnis quæ hominibus contingere poteſt] *Sapientia ea cauſa expetitur præcipuè, vt ſui poſſeſſorē felicem reddat. Felicitas humana iuſtitiam ſibi arrogat, ſine qua eſſe non poteſt, Iuſtitia vero abſque cognitione Dei contingit nemini. quamobrem hoc primum caput, hic*

fons

*fons à ſapientia ipſa indicatur. Noſſe enim te, conſummata iuſtitia eſt, & ſcire* Sap. 15.
*iuſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.* "

*Duo autem ſumma capita ſunt, ad quæ ea referuntur, quæ de Deo ſciri cognoſciq; ab hominibus poſſunt. Alterum eſt, Dei ipſius veritas, alterum verò Prouidentia. Vtrunq; caput, quia nemo homo Deum vidit vnquā, fide præcipuè percipitur. Neque enim qui cauſa caret, ex cauſa & origine ſciri cognoſciq; poteſt, ſed vel ex rerum, quæ factæ ſunt, quæq; fiunt & gubernantur obſeruatione & collatione, vel ex ipſius Dei verbo atque doctrina, vel ex vtraque parte ſimul. Nos verò hoc in commentario doctrinæ ſacræ veſtigiis præcipuè inſiſtentes, quæ de Deo multis in locis didicimus, in ſummā redigimus, Epitheta nonnulla differentes, ad quæ cetera quæ inueſtigando atq; colligendo componi poſſunt, referuntur.*

*Principio Deum eſſe, eúmque ex naturæ contemplatione cognoſci poſſe, ita aſſertum legimus, Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat* Pſal. 18.
*firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Non* "
*ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorū. In omnem ter-* "
*ram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In ſole poſuit ta-* "
*bernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo. Exultauit* "
*vt gygas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque* "
*ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Itaque eſſe Id quod eſt, hoc* "
*eſt, Deum qui rectè ſapiunt confitentur. Priuſquam montes fierent aut formare-* "
*tur terra & orbis à ſeculo & vſque in ſeculum tu es Deus. Id quod ſignificanter* "
*ſibi adſcribens, Deiq; Filium ac Deum verum ſeſe eſſe inſinuans Chriſtus pro-*
*nunciauit. Amen dico vobis, antè quàm Abraham fieret,* ego ſum. *quo ſermo-* Ioan. 8.
*ne Abraham & ceteris quæ gignuntur, verbum* fieri *tribuit, ſibi verò illud Deo proprium* Ego ſum *aſſeruit. cuius interpretationem ſermonis non ignorantes Iudæi tulerunt lapides vt iacerent in eum.*

*Atque hac ratione Deum gentibus quæ rationis vſu mundi fabricam ſpectantes conſiderauerant, notum fuiſſe accepimus, eundemq; cognomento* GHALION, *id eſt, ſupernum, obſeruatum & adoratum. Ad hoc verò argumentum complu-*
*ra ſacrorum ſcriptorum loca referuntur. Melchiſedech rex Salem proferens pa-* Geneſ. 14.
*nem & vinum, erat enim ſacerdos Dei* GHALION, *benedixit ei, & ait: Bene-* "
*dictus Abraham Deo excelſo qui creauit cælum & terram. &, Leuo manus meas* "
*ad Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ.* "

## DE NATVRA DEI.

### CAPVT. II.

HVNC verò Deum natura vnicum eſſe, nec eadem diuinitatis veritate in plures diſtingui atque diuidi, itaque nec plures Deos vel æquales, vel diſpares eſſe poſſe, ſed vnum vnicum ſolum oportere & credi, & cognoſci, innumera adſtruunt profeſſionum, confeſſionum, & laudum teſtimonia. *(Cum anime lib. 1. c. 2. & cap. 3.)*
*Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante te ex die qua creauit Deus* Deut. 4.
*hominem ſuper terram à ſummo cælo vſque ad ſummū eius, ſi facta eſt aliquando* "
*huiuſmodi res aut vnquam cognitum eſt, vt audiret populus vocem Domini Dei* "
*loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti & vidiſti. Si fecit Deus, vt ingredere-* "
*tur & tolleret ſibi gentem de medio nationum per tentationes, ſigna atque por-* "
*tenta*

„ tenta per pugnam & robuſtam manum extentumq́ brachium & horribiles vi-
„ ſiones, iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus veſter in Aegypto vi-
Deut.6. dentibus oculis tuis, vt ſcires quoniam Dominus ipſe eſt Deus & non eſt alius
„ præter eum. Audi Iſraël Dominus Deus noſter Deus vnus eſt. Et Ezechias li-
teras quas de manu nunciorum Aſſyriorum acceperat ac legerat, aſcendit in do-
mum Domini, expandit coram Domino, & orauit in conſpectu eius, dicens: Do-
2.Reg.19. mine Deus Iſraël qui ſedes ſuper cherubim, tu es Deus ſolus regum omnium ter-
„ ræ, tu feciſti cælum & terram: inclina aurem tuam & audi, aperi oculos tuos, &
„ vide, & audi omnia verba Sancherib, qui miſit vt exprobraret Deum viuētem.
„ Verè Domine diſsipauerunt reges Aſſyriorum gentes & terras, & miſerunt
„ Deos eorum in ignem, non enim erant Dij, ſed opera manuum hominum ex ligno
„ & lapide, & perdiderunt eos. Nunc igitur Domine Deus noſter ſaluos nos fac
„ de manu eius, vt ſciant omnia regna terræ quia tu es Dominus ſolus. Et apud
Iſaiæ 45. Iſaiam Deus ipſe diuinitatē, decus atque ius ſibi vendicans ait: Ego Dominus &
„ non eſt amplius, extra me non eſt Deus. Accinxi te & nō cognouiſti me, vt ſciant
„ hi qui ab ortu ſolis & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt Deus. Ego
Habac.2. Dominus & nō eſt alter. & Habacuc, Quid prodeſt ſculptile, inquit, quia ſculpſit
„ illud fictor ſuus conflatile & imaginem falſam? quia ſperauit in figmento fictor
„ eius vt faceret ſimulacra muta. Væ qui dicit ligno, expergiſcere, ſurge, lapidi ta-
„ centi, nunquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro & argento, & om-
„ nis ſpiritus non eſt in viſceribus eius. Dominus autem in templo ſancto ſuo, ſi-
„ leat à facie eius omnis terra.

Hanc eandem ſingularitatis diuinæ veritatem frequentibus carminibus aſſe-
Pſal.85. rere ſolet Pſaltes: Non eſt ſimilis tui in Diis Domine, & non eſt ſecundùm opera
„ tua. Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient & adorabunt coram te Domine,
1.Paral.16. & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia, tu
„ es Deus ſolus. Narrate in gentibus gloriam eius, in cūctis populis mirabilia eius.
„ Quia magnus Dominus & laudabilis nimis, horribilis ſuper omnes Deos. Om-
„ nes Dij populorum idola, Dominus autem cælos fecit. Scimus, ait Apoſtolus,
1.Cor 8. quod nullum eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus niſi vnus. Nam & ſi
ſint qui dicantur Dij ſiue in cælo ſiue in terra (ſiquidem ſunt Dij multi & Do-
mini multi) Nobis autem vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum.

Spiritus. Atque Deum hunc non corpore aut materia alia quæ corporis vicem refe-
rat, conſtantem accepimus, ſed à corporis natura, hoc eſt, ab omni fine, menſura
atque figura longiſſimè alienum. Cuius generis vocabulis cùm humanus careat
ſermo, iis vtitur, quæ quanquam corpora præcipuè ſignificent, tamen propter ce-
leritatis efficacitatisq́ imitationem ad celerrimam & efficaciſsimam naturam
ſignificandam transferuntur. Nempe Ignis & Spiritus. Sed nomen hoc poſte-
rius vſurpatur frequentius ad diuinam ſignificandam naturam, quòd carni, quæ
nihil infirmius ac ſegnius eſt, ſpiritus velocitas dexteritasq́ opponatur, & quòd
ex rebus omnibus quæ ſenſu percipiuntur, ſolus ſpiritus coloris & figuræ expers
Ioan.3. omnino viſus aciem ac vim omnem fugit & latet. S.S. E. Spiritus vbi vult ſpi-
„ rat, & audis vocem eius, & neſcis vnde veniat aut quo vadat. &, Aegyptus ho-
„ mo eſt & non Deus, & equi eorum caro & non ſpiritus. Hanc adeò rem ab ipſo
Iſaiæ 31. Deo edoctus populus didicit. Locutusq́ eſt Dominus ad vos de medio ignis, vo-
Deut.4. cem verborum eius audiſtis & formam penitus non vidiſtis. Cuſtodite igitur
ſolicitè

*ſolicitè animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus
eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis ſcul-
ptam ſimilitudinem aut imaginem maſculi vel feminæ, ſimilitudinem omnium
iumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel auium ſub cælo volantium, atq; piſcium
quæ ſub terra morantur in aquis. Ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas So-
lem & Lunam & omnia aſtra cæli, & deceptus adores ea & colas. Caue ne quan-
do obliuiſcaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, & facias tibi ſculptam
ſimilitudinem eorum quæ fieri Deus prohibuit, quia Dominus Deus tuus ignis
conſumens eſt Deus æmulator. Venit hora (ait Præceptor) & nunc eſt, quando ve-* Ioan. 4.
*ri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quæ-
rit qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & ve-
ritate oportet adorare.*

*Non modo autem corpus corporisq; menſuram & modum omnem natura hæc
diuina (cui ſpiritus nomen, vti dicebamus, tribuitur) reiicit, ſed principium fi-
némque vel temporis, vel æui, vel vitæ, vel cuiuſquam earum rationum quæ de
ipſa verè affirmantur, prorſus à ſe reiicit, æternitatisq; immenſam & nulli mẽti
ſuperabilem infinitudinem ſibi vni vendicat, nec vlli alij naturæ eodem ſecum
pacto communicat. Nam cùm cetera omnia ipſius virtute & efficientia extite-
rint, ex quibus quædam terminum habere & ortus & interitus, quædam verò
vbi ſemel conſtiterunt, nullum poſteà finem habitura dicantur, ille ipſe ſolus ſi-
bi ipſi abſque vlla mutationis vice conſtans ceterarum omnium quæ fuerint,
quæ ſunt, quæq; fore expectentur principium & ſingulorum etiam ratione finis
& ſcopus eſt: ab omni tamen initio, ab omniq; æui termino infinito diſtans in-
teruallo, atque æternitatis vnicè compos ac princeps manet. quam ipſe ſibi glo-
riam & laudem multis ac variis vatum atque ſanctorum virorum præconiis
vendicat. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Audi me Iacob* Iſaiæ 43.
*& Iſraël quem ego voco, Ego ipſe, ego primus & ego nouiſſimus, manus quoque* 48.
*mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos, Ego vocabo eos, ſtabunt
ſimul. Hæc dicit excelſus & ſublimis habitans æternitatem & ſanctum nomen* Idem 57.
*eius in excelſo & in ſancto habitans. Nunquid non tu à principio Domine Deus* Habac. 1.
*meus, priuſquam montes fierent aut formaretur terra & orbis à ſeculo & vſque* Pſal. 90.
*in ſeculum tu es Deus. Parata ſedes tua Deus ex tunc à ſeculo tu es. Initio tu Do-* Pſal. 92.
*mine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt, tu au-
tem permanes, & omnes ſicut veſtimẽtum veteraſcent, & ſicut opertorium mu-
tabis eos & mutabuntur, tu autẽ idem ipſe es, & anni tui non deficient. Regnum* Pſal. 144.
*tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & ge-
neratione. Inuiſibilia Dei à creatura mũdi per ea quæ facta ſunt intellecta con-* Rom. 1.
*ſpiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.*

*Æternitati verò Dei firmitudinis atque conſtantiæ nulla mutatione va-
riandæ adiungitur præconium. Diſtat enim prorſusq; diſſentit ab æternitatis
pura ac ſimplici ratione quidquid ad varietatem inſtabilitatemq; referri poſſit.
Didici, inquit Sapiens, quod omnia opera quæ fecit Deus perſeuerent in perpe-* Eccleſ. 3.
*tuum. non poſſumus eis quicquam addere nec auferre, quæ fecit Deus vt timea-
tur. Quod factum eſt ipſum permanet, quæ futura ſunt, iam fuerunt, & Deus
inſtaurat quod abiit. Nonne Dominus fecit ſanctos enarrare omnia mirabilia* Eccli. 42.
*ſua quæ confirmauit Dominus Omnipotens ſtabilis in gloria ſua. Abyſſum & cor*

„ hominis inueſtigauit, & aſtutia eorum excogitauit. Cognouit enim Dominus
„ omnem ſcientiam, & inſpexit in ſignum æui, annuntians quæ præterierunt, &
„ quæ ſuperuentura ſunt reuelans veſtigia occultorum. Non præterit illum omnis
„ cogitatus, & non abſcondit ſe ab illo vllus ſermo. Magnalia ſapientiæ ſuæ de-
„ corauit, quæ eſt ante ſeculum & vſque in ſeculum. neque adiectum eſt neque
Thren. 5. minuetur, & non eget alicuius conſilio. Tu autem Domine in æternum perma-
Iacobi 1. nebis, ſolium tuum in generatione & generationem. Apud quem non eſt tranſ-
Apoc. 1. mutatio nec viciſsitudinis obumbratio. Ipſi gloria & imperiũ in ſecula ſeculorũ.

Infinitum verò Deum nec vllo contentum ambitumq́ loco, nec vllo nomine
finem admittentem, finitóve ſimilem ſapientiſsimi hominum diuino ſpiritu edo-
2. Paral. 2. cti confitentur. Magnus eſt Deus noſter ſuper omnes Deos: quis ergo poterit præ-
„ ualere vt ædificet ei dignam domum. Si cælum & cæli cælorum capere eum ne-
„ queunt, quantus ego ſum vt poſsim ædificare ei domum? Quamobrem frequenti
GHALION, id eſt, altiſsimi cognomento Deus & ab hominibus & ab Angelis
Pſal. 45. etiam celebratur. Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſsimus. Virtus Altiſsi-
Lucæ 1. mi obumbrabit tibi.

Propter ea verò quæ commemorauimus cognomina cognominumq́ myſteria
fit, vt eum quem Deum credimus & confitemur, non ſolùm hominum ſenſus vi-
dere contingeréque non poſsit, ſed nec humanus intellectus capere, nec ſermo vl-
Iob 9. lus definire aut enarrare queat. Qui facit magna & incomprehenſibilia, & mi-
Ioan. 1. rabilia quorum non eſt numerus. Deum nemo vidit vnquam. Nemo quis ſit Fi-
Lucæ 10. lius niſi Pater, & quis ſit Pater niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Deus
Eccli. 18. ſolus iuſtificabitur & manet inuictus rex in æternum. Quis ſufficit enarrare
„ opera illius? quis enim inueſtigabit magnalia eius? virtutem autem magnitudi-
„ nis eius quis enunciabit, aut quis adiiciet enarrare miſericordiam eius? Non eſt
„ minuere neque adiicere, neque eſt inuenire magnalia Dei.

Atqui naturam omnem vel viuere, vel vita carere didicimus. Viuentium
autem meliorem conditionem eſſe edocti ſumus. Quamobrem Deum cuius præ-
ſtantiſsima atq; infinita & ſanctiſsima natura eſt viuentem eſſe ac dici neceſſe
eſt, ac potius vitæ omnis fontem inexhauſtum vocari, illiusq́ vitæ vim & effi-
cientiam omnibus viuentum rationibus & exemplis infinito æternóque diſcri-
mine præferri vtpote ſolum vitæ ſolidè compotem, & ceteris (vt ſuo diſſeremus
loco) auctorem. Hinc eſt quod ſæpiſsimè viuens aſſeritur & prædicatur, atque
viuendi elogio in iuramenta appellatur.

Idem verò bonus, purus ac ſanctus nihil mali habens, nullius aut intra, aut
Pſal. 18. extra ſe indigens reuerenter ſalutatur. Bonus es tu Domine, & in bonitate tua
„ doce me iuſtificationes tuas. Magnus Dominus, & magna virtus eius. Et æter-
Matth. 19. næ vitæ præceptor boni titulo aliquando conuentus reſpondit. Quid me inter-
„ rogas de bono? vnus eſt bonus Deus. Et illud ex comparatione contentionéque
Matth. 7. deductum Deum bonum vnicè aſſeuerat. Si ergo vos cùm ſitis mali noſtis bona
„ data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter qui eſt in cælis, dabit bona pe-
Iob 22. tentibus? Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris, aut quid conferes ei ſi immaculata
„ fuerit vita tua? Conſerua me Domine quoniã ſperaui in te. Dixi Domino, Deus
„ meus es tu, quoniã bonorum meorũ non eges. Nec verò hic de Dei benignitate &
liberalitate (quæ & ipſa bonitas dicitur) ſed de naturæ præſtãtia & amplitudine
perfectioneq́ agimus, modò perfectionis verbũ in virtutis infinitæ laude vſur-
pare phas fuerit. Iam

*Iam verò eandem naturam ſapientiſsimam efficaciſsimam atque etiam opti-
mam & benigniſsimam eſſe adeo ex ſacris folijs declaratum conſtat, vt omnis
fere qui de Deo ſuſcipitur ſermo ad ſapientiæ, virtutis & miſericordiæ infinitæ
terna velut argumenta referatur. Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos pal-* Iſaiæ 40.
*mo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pon-* “
*dere montes, & colles in ſtatera? Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſi-* “
*liarius eius fuit, & oſtendit illi? cum quo iniit conſilium & quis inſtruxit eum?* “
*Recordamini prioris ſeculi, quoniam ego ſum Deus, & non eſt vltra me Deus,* Iſaiæ 46.
*nec eſt ſimilis mei, annuncians ab exordio nouiſsimum, & ab initio quæ nedum* “
*facta ſunt, dicens: Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ* Iſaiæ 55.
*meæ viæ veſtræ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ* “
*ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Ma-* Pſal. 146.
*gnus Deus noſter & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.* “
*Quia Dominus dat ſapientiam ex ore eius ſcientia & prudentia. Et benedixit* Prou. 2.
*Daniel Deum cæli, & locutus ait: Sit nomen Dei benedictum à ſeculo & vſque* Dan. 2.
*in ſeculum: quia ſapientia & fortitudo eius ſunt, & ipſe mutat tempora & æta-* “
*tes; transfert regna atque conſtituit, dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam* “
*intelligentibus diſciplinam; ipſe reuelat profunda & abſcondita, & nouit in te-* “
*nebris conſtituta, & lux cum eo eſt. Omnium artifex docuit me ſapientia: eſt* Sap. 7.
*enim illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, multiplex, vnicus, ſubtilis, modeſtus, di-* “
*ſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, acutus, qui nihil* “
*vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens* “
*virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundus,* “
*ſubtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia. Attingit autem vbi-* “
*que propter ſuam munditiam. Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio eſt cla-* “
*ritatis omnipotentis Dei ſincera, & ideo nihil coinquinatum in ea incurrit.* “
*Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago* “
*bonitatis illius; & cùm ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia inno-* “
*uat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert amicos Dei, & Prophetas* “
*conſtituit. Neminem enim diligit Deus niſi eum qui cum Sapientia inhabitat.* “
*Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci compa-* “
*rata inuenitur prior, illi enim ſuccedit nox. Oculi Domini multo plus lucidiores* Eccli. 23.
*ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum & profundum abyſſi, &* “
*hominum corda intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo antequam* “
*crearentur omnia ſunt agnita, ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.*

*Atque cum Sapientia efficacitatem Deo omnibus in rebus tributam, quam* Virtus & efficacitas infinita.
*neque numerus, neque menſura vlla definire poſſit, aut vllus cohibere terminus
lectio ſacra omnis confitetur ac tribuit. Namque factarũ, editarum, creatarúm-
que ab illo rerum de mundi origine atque temporum ſerie hiſtoriæ plenæ ſunt, &
ſanctorum omnium obſeruatio atque teſtimonia valde multa recoluntur. Dixít-* Gen. 17.
*que Dominus ad Abraham, Ego ſum Deus omnipotens. Domine exercituum* Iſaiæ 37.
*Deus Iſraël, qui ſedes ſuper cherubim, Tu es Deus ſolus omnium regnorum ter-* “
*ræ. tu feciſti cælum & terram. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet &* Iſaiæ 40.
*brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.* Iſaiæ 46.
*Recordamini prioris ſeculi quoniam ego ſum Deus, & non eſt vltra me Deus, nec* “
*eſt ſimilis mei annuncians ab exordio nouiſsimum, ab initio quæ necdum facta* “

 *ſunt,*

„ ſunt, dicens, conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Numquid ab-
„ breuiata aut paruula facta eſt manus mea vt non poſſim redimere? aut non eſt
„ in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare,
„ & ponam flumina in ſiccum, computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti,
Ierem. 10. induam cælos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum. Non eſt ſimilis
„ tui in Diis Domine, magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Ab
„ indignatione eius commouebitur terra, & non ſuſtinebunt gentes comminatio-
„ nem eius. Qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua,
Ierem. 32. & prudentia ſua extendit cælos. Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum
„ in cælo, & eleuat nubes ab extremitatibus terræ. Fulgura in pluuiam facit, &
„ educit ventos de theſauris ſuis. Ecce tu feciſti cælum & terram, & in fortitudi-
„ ne tua magna, & in brachio tuo extento non erit tibi difficile omne verbum.
Pſal. 104. Quoniam Deus magnus Dominus & rex magnus ſuper omnes Deos: quia in
„ manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Quo-
Iob 11. niam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & ſiccam manus eius formauerunt. For-
„ ſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotētem reperies:
„ Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? longior
„ terra menſura eius, & latior mari. Si ſubuerterit omnia vel in vnum coarctarit,
„ quis contradicet ei? Et Aſa rex aiebat, perinde eſſe Deo facilimum quidquid
2. Paral. 14. factu parui vel magni apud homines æſtimaretur negotij. Domine non eſt apud
Lucæ 18. te vlla diſtantia vtrum in paucis auxilieris, aut in pluribus. Quia non erit im-
Lucæ 18. poſſibile apud Deum omne verbum. &, Quæ impoſſibilia ſunt apud homines,
Sap. 11. poſſibilia ſunt apud Deum. Multum enim ualere tibi ſoli ſupererat ſemper, &
„ virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tanquam momentum ſtateræ ſic eſt
„ apud te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, qui deſcendit in ter-
„ ram. Quomodo autem poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes? aut quod à te
„ vocatum eſſet conſeruaretur.

Maieſtas. Quantam autem quamq; adorandam Deus Maieſtatem habeat, quantoq;
decore exhibere ſpectandam atque tremendam ſoleat, magnificis quidem verbis
ſacri auctores exprimere cùm ſtudeant, adumbrant magis quàm ad viuum de-
Exodi 24. pingunt. Aſcenderuntq; Moyſes & Aharon, Nadab & Abihu, & ſeptuaginta
„ de ſenioribus Iſraël, & viderunt Deum Iſraël, ſub pedibus eius quaſi opus lapi-
Leuit. 9. dis ſaphirini, & quaſi cælum cùm ſerenum eſt. Ingreſſi autem Moyſes & Aharon
„ in tabernaculum teſtimonij, & deinceps egreſſi benedixerunt populo. Appa-
„ ruitq; gloria Domini omni multitudini, & ecce egreſſus ignis à Domino deuora-
„ uit holocauſtum, & adipes quæ erant ſuper altare. Quod cùm vidiſſent turbæ
2. Sam. 22. laudauerunt Dominum, ruentes in facies ſuas. Commota eſt & contremuit ter-
„ ra, fundamenta montium concuſſa ſunt & conquaſſata, quoniam iratus eſt.
„ Aſcendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorauit, carbones ſuccenſi
„ ſunt ab eo, & inclinauit cælos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius, & aſcen-
„ dit ſuper cherubim & volauit, & lapſus eſt ſuper pennas venti. Poſuit tenebras
„ in circuitu ſuo latibulum cribrans aquas de nubibus cælorum. Præ fulgore in
„ conſpectu eius ſuccenſi ſunt carbones ignis. Tonabat de cælo Dominus, & excel-
Iſaiæ 6. ſus dabat vocem ſuam. In anno quo mortuus eſt rex Ozias, vidit Iſaias Domi-
„ num ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & ea quæ ſub ipſo erant, re-
„ plebant templum. Seraphim aſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri,
duabus

*duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus vola-* “
*bant, & clamabant alterum ad alterum, & dicebant: Sanctus ſanctus ſanctus* “
*Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. & commota ſunt* “
*ſuperluminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta eſt fumo. Num-* Iſaiæ 40.
*quid non ſcietis? numquid non audietis? numquid non annunciatum eſt vobis* “
*ab initio? Numquid non intellexiſtis fundamenta terræ? Qui ſedet ſuper gyrum* “
*terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ. Qui extendit velut nihilum cælos,* “
*& expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum. Hæc dicit Dominus: Cæ-* Iſaiæ 66.
*lum ſedes mea; & terra ſcabellum pedum meorum. Ecce Dominus in igne veniet,* “
*& quaſi turbo quadrigæ eius. Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pha-* “
*ran. Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra. Splendor eius vt lux* Habac. 3.
*erit. Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Ante faciem eius* “
*ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius. Stetit & menſus eſt terram.* “
*Aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi. Incuruati ſunt col-* “
*les mundi ab itineribus æternitatis eius. Quoniam Dominus excelſus, terribilis,* Pſal. 47.
*rex magnus ſuper omnem terram. Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non* Pſal. 49.
*ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida.* “
*Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, &* Pſal. 104.
*præcinxit ſe. Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Parata ſedes* “
*tua Deus ex tunc, à ſeculo tu es. Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flu-* Pſal. 106.
*mina fluctus ſuos, à vocibus aquarum multarum: mirabiles elationes maris, mi-* “
*rabilis in altis Dominus. Nubes & caligo in circuitu eius, iuſtitia & iudicium* “
*correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimi-* “
*cos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Montes* “
*ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Aſpiciebam* Dan. 7.
*donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Veſtimentum eius candidum* “
*quaſi nix, & capilli eius quaſi lana munda, Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius* “
*ignis accenſus. Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius. Millia mil-* “
*lium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* “

*His autem nominibus, & aliis quæ in hanc adferuntur ſiluam Deum natura ſponteq; ſua maximũ, immortalem, adorandum, prædicandum, gloriæ & laudis æternæ compotem atque vndique* Benedictum *eſſe intelleximus: & quamquam qui laudaret ac benediceret nemo vnquam eſſet, illum tamen apud ſe laudum omnium prærogatiuam habere. Quamobrem priſcis iam ſeculis benedictionis adiuncto nominatum aſſiduè legimus. Cuius adhuc in Euangelio exſtat exemplum: Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti. atque huc illa ſpectant: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confeſſionem & decorem induiſti amictus lu- mine ſicut veſtimento.* [Benedictus. Matci 17. Pſal. 104.]

*Quoniam verò non ſolùm in ſe ipſo, ſed in iis quæ ab ipſo facta ſunt, ſeſe cognoſcendum & adorandum, atque adeò accipiendum præbere Deus voluit, ea commodiſſimum ratione in omnibus ſacrorum voluminum monumentis prædicari ſe dignatus eſt. Atque hoc pacto naturæ ſuæ ſimplicitatem maximè vnicam cum perſonarum trium diſtinctione indicatam voluit, tribus in ſumma nominibus prolatis, ad quæ, quaſi ad capita cetera referantur, quæ de ſe cognoſcenda atque dicenda mandauerit. Videlicet ſapientiæ, potentiæ, ſiue efficacitatis ac bonitatis, ſiue miſericordiæ & benignitatis, quæ in rerum aliarum quæ natura ſua diuina*

*non ſunt, creatione, conſeruatione, reſtitutione, & amplificatione obſeruantur, pro ratione vniuſcuiuſque generis ac formæ.*

*Principio namque Deus mundi omnis, & earum quæ in mundo ſunt & fuerunt rerum creatorem fide magiſtra didicimus, In principio creauit Deus cælum & terram. atque hanc narrationem omni ex parte abſolutam, multis eiuſdem libri carminibus accepimus, & à diuinis vatibus audiuimus decantatam.* (Pſal. 103.) *Benedic anima mea Domino. Domine Deus meus magnificatus es vehementer. ac paulò poſt: Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Abyſſus ſuper veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſtabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti quem nõ præteribunt, neque conuertentur operire terram. Qui emittis fontes in conuallibus, & cetera quæ & pleniſsimè & elegantiſsimè deſcribuntur.*

*Atque hiſtoria hæc omnis, quamquam nihil Deus extra ſe agat quod vlli ex tribus diuinis perſonis factum non tribuatur; tamen ob Sapientiæ ſingularem obſeruationem verbo Dei, quem Filium appellamus, adſcribitur. qui idem principium & caput atque exemplar in omni creandorum genere nuncupatur. In principio creauit Deus cælum & terram.* RESITH *temporum atque rerum caput, & primum optimumq́ exemplum Sapientiam quoque ſignificat. quamobrem antiqui interpretes Chaldæi pro* RESITH *alij* KADMIN, *hoc eſt, ſeculorum ac temporum initia: alij verò* HHOCHMA, *id eſt, Sapientiam reddiderunt. Et* (Pſal. 32.) *Cantor ille ſacer, Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* (Ioan. 1.) *Omnia per ipſum facta ſunt, inquit Iohannes.* (Heb. 2.) *& Paulus: Decebat enim eum per quem omnia, & in quo omnia.* (Heb. 1.) *Qui cùm ſit ſplendor Patris & figura ſubſtantiæ eius, portanſq́ omnia verbo virtutis ſuæ.* (1. Cor. 8.) *Nobis vnus eſt Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.*

*Ab eiuſdem etiam diuinæ naturæ tertia perſona, quem Spiritum ſanctum dicimus, amoriſq́ mutui maieſtate attributa veneramur, omnia creata atq; facta foueri & gubernari, & Patri atque Filio commendata, pro ſingulorum ratione conſeruari intelleximus. Ita poſt creatum hominem omnia in ordinem vſumq́ relata, & certis legibus tractanda accepimus.* (Gen. 1.) *Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos. Benedixitq́ illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram. Dixitq́ Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terrã, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſemẽtem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omniq́ volucri in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendũ. & factum eſt ita. Viditq́ Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Hoc autem poſtremò verſu omnia à Deo facta, agnita, & ſuis locis, temporibus atq; rerum oportunitatibus diſtincta, ſocietatibus etiam & vſibus colligata, ac demùm curæ commendata & ſuſcepta cognoſcere eſt. cuius etiam rationis & contemplationis multa alia in ſacris lectionibus argumenta ſuccurrunt, quorũ partem ceterorum veluti indicem adiungere non pigebit. Dixit Dominus ad Noë,*

*Ingre-*

*Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam. te enim vidi iuſtum coram me in* Gen. 7.
*generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena, maſ-*
*culum & feminam; de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum &*
*feminam: ſed & de volatilibus cæli ſeptena & ſeptena, maſculum & feminam,*
*vt ſaluetur ſemen ſuper faciem vniuerſæ terræ. Adhuc enim poſt dies ſeptem*
*ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & delebo*
*omnem ſubſtantiam quam feci de ſuperficie terræ. Cumq́; tranſiſſent ſeptē dies,*
*aquæ diluuij inundauerunt ſuper terram. Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe*
*ſecundo, ſeptimodecimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & ca-*
*taractæ cæli apertæ ſunt, & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus,*
*& quadraginta noctibus. Ita vt non res modò, ſed rerum quoque tempora ac mo-*
*menta notitiæ voluntati gubernationiq́; Dei ſubiecta deducendaq́; ſemper cog-*
*noſcimus. Loquens locutus ſum vt domus tua & domus patris tui miniſtraret in* 1. Reg. 2.
*conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem, dicit Dominus, abſit hoc à*
*me, ſed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnūt me,*
*erunt ignobiles. Ecce dies veniunt & præcidam brachium tuum, & brachium*
*domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua, & videbis æmulum tuum in tem-*
*plo in vniuerſis proſperis Iſraël, & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus.*
*Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo, ſed vt deficiant*
*oculi tui, & tabeſcat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur cùm ad vi-*
*rilem ætatem venerit. Cumq́; ſtetiſſet Ioſaphat in medio cœtu Iudæ & Ieruſalem* 2. Par. 20.
*in domo Domini ante atrium nouum, ait: Domine Deus patrum noſtrorum tu es*
*Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis gentium, in manu tua eſt fortitudo &*
*potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere. Quàm magnificata ſunt opera tua* Pſal. 104.
*Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua. Hoc mare*
*magnum & ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus, animalia*
*puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt. Draco iſte quem formaſti ad illu-*
*dendum ei, omnia à te expectant vt des illis eſcā in tempore. Dante te illis, colli-*
*gent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem*
*te faciem, turbabūtur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum*
*reuertentur. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*
*Sit gloria Domini in ſeculum ſeculi, lætabitur Dominus in operibus ſuis. Qui*
*reſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes & fumigant. Didici (in-*
*quit Salomon) quod omnia opera quæ fecit Deus perſeuerent in perpetuum. non* Eccleſ. 3.
*poſſumus eis quicquam addere vel auferre, quæ fecit Deus vt timeatur. Quod*
*factum eſt, ipſum permanet; quæ futura ſunt, iam fuerunt: & Deus inſtaurat*
*quod abiit. Nec verò in natura tantùm rerum conſeruanda & fouenda, atq; pro*
*temporum ratione & vſu inſtauranda, ſed in hominum genere tum piorum, tum*
*impiorum curando, atque pro miſericordiæ ac iudicij rationibus tractando diui-*
*nam Prouidentiam celebratam accepimus. Deus æmulator & vlciſcens Domi-* Nahum 1.
*nus, vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis. Dominus*
*patiens & magnus fortitudine, & mundans, non faciens innocentem. Dominus*
*in tempeſtate & turbine viæ eius, & nebulæ puluis pedum eius. Increpans mare*
*& exſiccans illud, & omnia flumina ad deſertum deducens. Infirmatus eſt Ba-*
*ſam, & Carmelus, & flos Libani elanguit, montes commoti ſunt ab eo, & colles*
*deſolati ſunt, & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in*
*eo.*

» eo. Ante faciem indignationis eius quis ſtabit? & quis reſiſtet in ira furoris eius?
» indignatio eius effuſa eſt vt ignis, & petræ diſſolutæ ſunt ab eo. Bonus Dominus,
» & confortãs in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe, & in diluuio præter-
» eunte conſumationem faciet loci eius, & inimicos eius perſequentur tenebræ.
Matth. 6. Reſpicite volatilia cæli quoniam non ſerunt neque metunt, neque congregant in
» horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa: Nónne vos magis pluris eſtis illis?
» Quis autem veſtrum cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitũ vnum?
» Et de veſtimentis quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt,
» non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni glo-
» ria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si ergo fœnum agri quod hodie eſt, &
» cras in clibanum mittitur Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei.

Maturator. Atqui Dei prouidentiam cum ſapientia etiam diuina coniunctam (omnia
enim in Deo & ſumma, & infinita, & ſimul ſunt, imò ipſemet Deus omnia) res
omnes quæ intra mundum agendæ, gerendæ, & conficiendæ ſunt pro ſapientis
conſilij ratione maturare atque opportunè expedire ſolere innumeris exemplis
ac teſtimoniis obſeruauimus. Nam quamquam Dei voluntatem & efficacitatem
nullum tempus ad agendum impellere, differre, aut arctare, nullum omnino te-
nere poſſit, in cuius oculis mille anni tamquam dies heſterna quæ præteriit, ſunt,
tamen ex rerum ipſarum vſu, atque ex miſericordiæ ac iuſtitiæ decore euenit, vt
non minus ea quæ ad humani generis gubernationem, quàm ea quæ naturæ at-
Eccleſ. 3. que orbis vicem ſpectant, ſuis temporibus diuiſa ac diducta cõſtent. Omnia tem-
» pus habent, & ſuis ſpaciis tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Tempus naſcendi, &
» tempus moriendi, tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt.
» Tempus occidendi, & tempus ſanandi. Tempus deſtruendi & tempus ædificandi.
» Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus ſaltandi. Tem-
» pus ſpargendi lapides, & tempus colligendi, &c. Cuncta fecit bona in tempore
Matth. 2. ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum. Ecce Angelus Domini apparuit
» in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegy-
» ptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Defuncto autem Herode, ecce Angelus
» Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum
» & matrem eius, & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebãt ani-
Pſal. 112. mam pueri. &, Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia
» reſpicit in cælo & in terra: Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pau-
» perem: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui, Qui habita-
Matth. 10. re facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Nónne duo paſſeres aſſe
» veneunt? & vnus ex illis non cadit in terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem
1. Cor. 9. capilli omnes numerati ſunt. Scriptum eſt in lege Moyſi: Non alligabis os boui
» trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtique hæc dicit?
Nam propter nos vtique ſcripta ſunt.

Huius porrò gubernationi & voluntati omnia viuunt, etiam quæ vitæ ac
Ioſue 24. ſenſus habentur expertia. Tulit Ioſue lapidem grandem, poſuítque eum ſubter
» quercum quæ erat in ſanctuario Domini, & dixit ad omnem populum: En lapis
» iſte erit vobis in teſtimonium quòd audieritis omnia verba Domini quæ locu-
Haiæ 1. tus eſt Dominus. &, Audite cæli, & auribus percipe terra, quia Dominus
» locutus eſt.

Atqui nominibus his quæ Deus ſibi præſtantiſſima vendicat, hominum ge-
neri

*neri cognoſci dignatur, cognoſcendúſque vltrò occurrit. Non temerè tamen neq;*
*impurè, aut ſuperbè prophanéque ſeſe cognoſcendum peti adiriq; permittit. Va-*
*de ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, lauentq; veſtimenta ſua. Et ſint* Exodi 19.
*parati in diem tertium: in die enim tertio deſcendet Dominus coram omni plebe* “
*ſuper montem Sinai. Conſtituéſque terminos populo per circuitum, & dices ad* “
*eos: Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit* “
*montem, morte morietur. Manus non tangat eum, ſed lapidibus opprimetur,* “
*aut confodietur iaculis: ſiue iumentum fuerit, ſiue homo, non viuet. & paulò in-* “
*feriùs: Ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſſima* “
*operire montem, clangorq; buccinæ vehementius perſtrepebat: & timuit populus* “
*qui erat in caſtris. Cumq; eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorũ,* “
*ſteterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat: eo quòd deſcen-* “
*diſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace:* “
*eratq; omnis mons terribilis, Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, &* “
*prolixius tendebatur: Moyſes loquebatur, & Dominus reſpondebat ei. Deſcen-* “
*ditq; Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocauit Moyſen* “
*in cacumen eius. Quo cùm aſcendiſſet, dixit ad eum: Deſcende, & conteſtare po-* “
*pulum: ne forte velit tranſcendere terminos ad videndum Deum, & pereat ex* “
*eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctifi-* “
*centur, ne percutiat eos. Dixitq; Moyſes ad Dominum: Non poterit vulgus* “
*aſcendere in montem Sinai: tu enim teſtificatus es & iuſſiſti, dicens: Pone termi-* “
*nos circa montem, & ſanctifica illum. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël* Iſaiæ 45.
*ſaluator. Confuſi ſunt & erubuerunt omnes ſimul, abierunt in confuſionem fa-* “
*bricatores errorum. Ego Dominus, & non eſt alius, non in abſcondito locutus* “
*ſum, in loco terræ tenebroſo. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen* Malach. 1.
*meum in gentibus. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum* Pſal. 8.
*in vniuerſa terra. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos. Ex ore* “
*infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas* “
*inimicũm & vltorem. Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lu-* “
*nam & ſtellas quæ tu fundaſti. Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomi-* Pſal. 65.
*ni eius, date gloriã laudi eius. Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua, in mul-* “
*titudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te, & pſal-* “
*lat tibi: pſalmum dicat nomini tuo. Venite, & videte opera Dei, terribilis in con-* “
*ſiliis ſuper filios hominum. & quæ per totum pſalmum hunc exponuntur de ma-*
*nifeſta prouidentia Dei, vniuerſo orbi, & ſingulis etiam proſpicientis homini-*
*bus. cuius etiam argumenti ille eſt. Cantate Domino canticum nouum: cantate* Pſal. 95.
*Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate* “
*de die in diem ſalutare eius. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus* “
*populis mirabilia eius. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terri-* “
*bilis eſt ſuper omnes deos. Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus au-* “
*tem cælos fecit. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius: ſanctimonia & ma-* “
*gnificentia in ſanctificatione eius. Quæ omnia & innumerabilia loca alia ve-* “
*ritatem, virtutem, prouidentiamq; Dei etiam gentibus probatam docent. Bene-* Exodi 18.
*dictus Dominus qui liberauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pha-* “
*raonis, qui eruit populum ſuum de manu Aegypti. Nunc cognoui (aiebat Iethro)* “
*quia magnus Dominus ſuper omnes deos, eò quòd ſuperbè egerint contra illos.* “

Iob 12. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: volatilia cæli, & indicabunt tibi.
» Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabũt piſces maris. Quis ignorat quòd
» omnia hæc manus Domini fecerit? in cuius manu anima omnis viuentis, & ſpi-
» ritus vniuerſæ carnis hominis. Nónne auris verba diiudicat, & fauces comeden-
» tis ſaporẽ? In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. Apud ipſum
» eſt ſapientia & fortitudo, & ipſe habet conſilium & intelligentiam. Si deſtruxe-
» rit, nemo eſt qui ædificet: ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat. Si conti-
» nuerit aquas, omnia ſiccabuntur: ſi emiſerit eas, ſubuertent terram. Apud ipſum
» eſt fortitudo & ſapientia: ipſe nouit decipientem, & eum qui decipitur. Adducit
» conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. Baltheum regum diſſoluit,
» & præcingit fune renes eorum. Ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſup-
» plantat. Commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens. Effundit
» deſpectionem ſuper principes, & eos qui oppreſſi fuerant, releuat. Qui releuat
» profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. Qui multiplicat
Iob 26. gentes & perdit eas, & ſubuerſas in integrum reſtituit. Qui extendit Aquilo-
» nem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Qui ligat aquas in
» nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum. Qui tenet vultum ſolij ſui, &
» expandit ſuper illum nebulam ſuam. Terminum circundedit aquis, vſque dum
» finiatur lux & tenebræ. Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.
» In fortitudine illius repentè maria congregata ſunt, & prudentia eius percuſſit
» ſuperbum. Spiritus eius ornauit cælos: & obſtetricante manu eius, eductus eſt co-
» luber tortuoſus. Ecce, hæc ex parte dicta ſunt viarum eius: & cùm vix paruam
» ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius in-
Iob 34. tueri? Opus manuũ eius ſunt vniuerſi. Subito morientur, & in media nocte tur-
» babuntur populi, & pertranſibunt, & auferent violentum abſque manu. Oculi
» eius ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebræ,
» & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem. Ne-
» que enim vltrà in hominis poteſtate eſt, vt veniat ad eum in iudicium. Conteret
» multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Nouit enim opera eorum,
Sap. 13. & iccirco inducet noctem, & conterentur. Vani autem ſunt omnes homines, in
» quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de iis quæ videntur bona, non poterunt intel-
» ligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex.
Multus quoque apud Eccleſiaſticum de cognoſcenda Dei prouidentia, ac perpe-
Eccli. 43. tuus fere ſermo eſt, cuius partem aliquam referre hoc loco non pigeat. Qui na-
» uigant mare, enarrant pericula eius: & audientes auribus noſtris, admira-
» bimur. Præclara opera, & mirabilia: varia beſtiarum genera, & omnium pe-
» corum & creatura belluarum. Propter ipſum confirmatus eſt itineris finis, &
» in ſermone eius compoſita ſunt omnia. Multa dicimus & deficimus in ver-
» bis, conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in omnibus. Gloriantes, ad quid
» valebimus? Ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua. Terribilis Domi-
» nus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius. Glorificantes Do-
» minum quantumcunque potueritis, ſuperualebit adhuc, & admirabilis ma-
» gnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis, ma-
» ior eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute. Ne laboretis, non
» enim comprehendetis. Quis videbit eum & enarrabit? aut quis glorificabit
» eum ſicut eſt ab initio? Multa abſcondita ſunt maiora his: pauca enim vidimus
operum

*operum eius. Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit ſapientiam.*

*Hanc verò Sapientiam diuinorum arcanorum notitiam dicimus, quæ non* Sapientia ſanctorum.
*omnibus hominibus neque humano ingenio, ſtudio, aut labore vllo, aut conatu*
*percipi poteſt, nec vllo comparari diuitiarum & opum pretio, ſed ſingulari Dei*
*dono iis tantùm contingit, qui ſeſe fide atque pietate pura docendos modeſtè præ-*
*buerint. Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt in quo* Iob 28.
*conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs reuertitur. Tem-*
*pus poſuit tenebris, & vniuerſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque cali-*
*ginis, & vmbram mortis. Diuidit torrens à populo peregrinante, eos quos obli-*
*tus eſt pes egentis hominis & inuios. Terra de qua oriebatur panis in loco ſuo*
*igni ſubuerſa eſt. Locus ſapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum. Semitam*
*ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij*
*ſtruthionum, nec pertranſiuit per eam leæna. Ad ſilicem extendit manum ſuam,*
*ſubuertit à radicibus montes. In petris riuos excîdit, & omne pretioſum vidit*
*oculus eius. Profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita produxit in*
*lucem. Omnia hæc omnium diligentia, induſtria & perſeuerantia, laboreq; im-*
*probo tentata & obtenta concedit Iob: de diuinæ verò ſapientiæ difficillima ve-*
*ſtigatione atque negata humanis ſtudiis inuentione, ſubiungit: Sapientia verò*
*vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pretium eius, nec inue-*
*nitur in terra ſuauiter viuentiũ. Abyſſus dicit, Non eſt in me: & mare loquitur,*
*Non eſt mecũ. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in*
*commutatione eius. Non conferetur tinctis in India coloribus, nec lapidi ſardo-*
*nico pretioſiſſimo, vel ſapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrũ, nec com-*
*mutabuntur pro ea vaſa auri. Excelſa & eminentia non commemorabuntur in*
*comparatione eius: trahitur autem ſapientia de occultis. Non adæquabitur ei to-*
*paſius de Aethiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componentur. Vnde ergo ſapien-*
*tia venit, & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium vi-*
*uentium, volucres quoque cæli latet. Perditio & mors dixerunt, Auribus noſtris*
*audiuimus famam eius. Deus intelligit vias eius, & ipſe nouit locum illius. Ipſe*
*enim fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cælo ſunt reſpicit. Qui fecit ven-*
*tis pondus, & aquas appendit in menſura. Quando ponebat pluuiis legem, &*
*viam procellis ſonantibus: tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit, & in-*
*ueſtigauit. Et dixit homini, Ecce timor Domini, ipſa ſapientia: & recedere à*
*malo, intelligentia. Sapientiam itaque purgatis & præparatis à Deo hominibus*
*communicari atque concedi, quæ non huius mundi, nec ſecundùm elemẽta mun-*
*di eſt, ſed diuina planè, atque omnem humanum ſermonem longè ſuperans. Væ*
*mihi (inquit Iſaias) quia tacui, quia pollutus labiis ego ſum, & in medio populi* Iſaiæ 6.
*polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis*
*meis. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem for-*
*cipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit, Ecce tetigi hoc labia tua, &*
*auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Et audiui vocem Do-*
*mini dicentis, Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et*
*dixit, Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere: & vi-*
*dete viſionem, & nolite cognoſcere. Si quis autem indiget ſapientia, poſtulet, in-* Iacobi 1.
*quit Apoſtolus, à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabi-*
*tur ei. Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Propter hoc optaui (ait Salomon) &*

Sap. 7. datus eſt mihi ſenſus; inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui
» illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius. Nec
» comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius,
» arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.
» Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & poſui pro luce habere illam: quo-
» niam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt mihi omnia bona pariter cum il-
» la, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus: quo-
» niam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam bonorum omnium
» mater eſt. Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem
» illius non abſcondo. Infinitus enim eſt theſaurus hominibus: quo qui vſi ſunt,
» participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati. Sapien-
» tiam (inquit Paulus) loquimur inter perfectos, ſapientiam autē non huius mun-
» di, neque ſecundùm elemēta ſeculi huius. Raptus ſum, ait idem, vſque in tertium
» cælum, & vidi arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Animalis enim homo non
» poteſt capere ea quæ ſunt ſapientiæ ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi.

Singulorum iudex & inſpector. Quamquam verò Deum cognoſcentem perſpicientemq́ omnia mundi, atque hominum rebus prouidentem, ex ſuperioribus didicerimus, eundem ſingulorum hominum dicta & facta, atque adeò cogitata callentem & iudicantem, intelligere operæpretium fuerit, nonnullis ex innumerabili teſtimoniorum copia in me-
Gen. 18. dium productis. Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit fi-
» lium Saraa vxor tua. Quo audito Saraa riſit poſt oſtium tabernaculi. Erant au-
» tem ambo ſenes, prouectæq́ ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria. Quæ riſit,
» occultè dicens: Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati ope-
» ram dabo? Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Saraa vxor tua,
» dicens: Num verè paritura ſum anus? Numquid Deo quicquam eſt difficile? Iu-
» xta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Saraa
» filium. Negauit Saraa, dicens: Non riſi, timore perterrita. Dominus autem, Non
3. Reg. 8. eſt, inquit, ita: ſed riſiſti. Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit
» manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cælo, in domo habitationis tuæ. Et repro-
» pitiaberis, & facies vt des vnicuique ſecundùm omnes vias ſuas, ſicut videris
» cor eius: quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum, vt timeant te cun-
» ctis diebus quibus viuunt ſuper faciem terræ. Ecce gaudium & lætitia occidere
» vitulos, & iugulare arietes: comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, &
» bibamus, cras enim moriemur. Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exer-
» cituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus ex-
Iſaiæ 37. ercituum Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum ego cogno-
» ui, & inſaniam tuam contra me. Cùm fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcen-
Pſal. 138. dit in aures meas. Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem
» meam, & reſurrectionem meam: intellexiſti cogitationes meas, de longè ſemitam
» meam, & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti: quia
Iob 34. non eſt ſermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & an-
» tiqua: tu formaſti me & poſuiſti ſupra me manū tuā. Oculi enim eius ſuper vias
» hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebræ, & non eſt vm-
» bra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem. Neque enim vltrà
» in hominis poteſtate eſt vt veniat ad Deum in iudicium. Conteret multos, & in-
» numerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Nouit enim opera eorum, iccirco in-

*ducet noctem & conterentur. Benignus enim eſt ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledictum à labiis ſuis: quoniam renum illius teſtis eſt. Nónne Dominus fecit ſanctos enarrare omnia mirabilia ſua, quæ confirmauit Dominus omnipotens, ſtabilis in gloria ſua. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagúmque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis: & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius.* Sap. 2. Eccli 42. Heb. 4.

*Vltra communem illam Dei omnibus mundi partibus & ornamentis, atque rerum generibus conſulentem prouidentiam, ſingulari vitæ atque lucis nomine erga hominum ſalutem & felicitatem efficacitas & bonitas diuina prædicatur: ita vt Deus non ſolùm creandis hominibus auctor & princeps, atque opifex: ſed cuſtodiendis etiam protector, & à mortis æternæ tenebroſa miſeria redimendis, & ad felicitatis veræ vſum traducendis, vita & lux hominum appelletur. Ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis. Quoniam tu illuminas lucernã meam, Deus meus illumina tenebras meas. Quam rationem breui verborum ſumma, ſed magna myſteria continente, Iohannes Euangeliſta indicabat. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Vita & lux hominum. Deut. 30. Pſal. 17. Ioan. 1.

*Neque ſolùm vitæ atque lucis hominibus auctorem ſeſe Deus præſtat, ſed omnium etiam virtutum, facultatumq́ omnium quæcumque vel ad ſingulos perficiendos, vel ad publicam & communem ſocietatem iuuandam, & adornandam pertinent, commodum diſtributorem agit. Quamobrem & ſpirituum Dominus apud vates ſanctosq́ ſcriptores audit. Quid habes, inquit Apoſtolus, quod non accepiſti? & ſi accepiſti, quare gloriaris quaſi non acceperis? Olim Moſes Aegyptius legatus deſtinatus, atque prouinciæ pondus veritus, ſuamq́ debilitatem ineptitudinemq́ excuſans, dicebat: Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri nec nudiuſtertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum impeditioris & tardioris linguæ ſum. Dicit Dominus ad eum, Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & ſecum? nónne ego? Perge igitur, & ero in ore tuo, doceboq́ te quid loquaris. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Et patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: Non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus? Quare omnibus iis quæ ſuperiùs commemorata ſunt, nominibus perpetuum ſibi ab omni conditarum, creatarumq́ rerum ordine laudis ac benedictionis ius ac præconium vendicat, quod aſſiduis carminibus commendare, ſacri non deſinũt vates. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, Laudate eum ſol & luna, & laudate eum omnes ſtellæ & lumen, &c.* Exodi 4. 1. Cor 12. Heb. 12.

*Quoniam verò humanas res à Deo curari docuimus quemadmodum id agatur, partitione atque expoſitione indicandum. Humanarum rerum duplex eſt*

*genus: Alterum earum quæ in hac mortali vita ſpectantur; alterum verò, quæ
ad alterius perpetuæ vitæ atque felicitatis finem & ratione͂ referuntur. vtrum-
que & in ſingulares ſiue priuatas, & communes ſiue publicas diducitur. Singu-
lares dicimus, quæ vnumquodpiam ſpectant caput: Communes, quæ ad plures,
vel ad omnes homines attinere poſſunt. Singulares interdum publicarum par-
tem vſurpant & adornant, quatenus ad ipſam hominum neceſſitudinem & con-
ſuetudinem reuocantur. Vtrumque autem rerum genus à Deo cognoſci, volui,
gubernari, & pro conſilij ſapientiſſimi ratione ac iure expediri, ſacra doctrina
oſtendit. Atque de externis priùs, quas temporales, ſiue terrenas, ſiue ſeculares
dici audimus; breuiter, quæ obſeruata nobis fuerint, expediemus: deinde verò
alias ſuccinctè indicabimus, quæ ſpirituales vel æternæ, atque ſanctæ appellan-
tur. Quamquam vt animo immortali, atque mortali corpore idem conſtat homo,
perſæpe fit vt res ipſæ, ad animum & corpus pertinentes, diſputando & referen-
do, atque tractando miſceantur. Hominum autem rationis & ſermonis compo-
tum ſectio & factio duplex eſt: Altera bonorum ac proborum, hoc eſt, qui huma-
nitatem ipſam vita exprimu͂t; Altera improborum ſiue malorum, qui ab huma-
nitatis via, non vi coacti, ſed voluntate atque libidine propria declinant. Cùm
homines dicimus, doctrinæ cauſa vtramque complectimur partem, cùm partes
ipſas diuidimus, adiunctis probitatis aut improbitatis cognominibus diſtingui-
mus. Omnium igitur eorum quibus hominis nomen atque definitio congruit, ſiue
ratione iam valentium, ſiue nondum valentium, patrem, paſtorem, & agricolam
Matth. 23. Deum ſacræ literæ celebrant & ſalutant. Nolite vobis patrem vocare in terris,
Matth. 6. vnus enim eſt Pater veſter Deus. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum
» tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus qui videt in
» abſcondito, reddet tibi. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cælis, ſanctifi-
» cetur nomen tuum. Ac ſecundùm hanc rationem omnes homines fratres appel-
lantur, & ſunt, id eſt, vnum generis atque vitæ auctorem & patrem in cælis ha-
bentes. Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos &
» iniuſtos. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Homo
» quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie ope-
» rare in vinea mea. Ille autem reſpondens, ait: Nolo; Poſtea autem, pœnitentia
» motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. Qua imagine gentium
omnium Patrem Deum Chriſtus aſſerebat, tam earum quæ legem non habuerant
1. Cor. 8. diuinitus ſcriptam, quàm earum quæ habuere. Nam & ſi ſunt qui dicantur dij,
» ſiue in cælo ſiue in terra; ſiquidem ſunt dij multi & domini multi, nobis tamen
Epheſ. 4. vnus eſt Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo. Vnus Dominus, vna fides,
» vnum baptiſma: vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia,
» & in omnibus nobis. Hunc eundem Patrem, & dominatorem vitæ ſuæ Eccleſia-
Eccli. 23. ſticus inuocabat. Videns autem Ieſus turbas, miſeratus eſt eis, quia erant vexati,
» & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem. Tunc dixit diſcipulis ſuis: Meſſis
» quidem multa eſt, operarij autem pauci: Rogate ergo dominum meſſis vt mittat
Pſal. 144. operarios in meſſem ſuam. Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo
» in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.*

*Hic verò Pater, Paſtor, Agricola, Dominus ac Rex, homines pro ſtudij ac mo-
rum ratione excipit ac tractat. Nam cum iis quos animo probo & candido, men-
téque ſana cognoſcit, ſimpliciter ac familiariter, & blandè agit, cum iis verò
qui*

*qui inſolentiores verſati ſunt, aut proterui & contentioſi, oportunis verſat &*
*exagitat artibus, cùm ſapientiſſimus ipſe ſit, & quid in vnūquemque expediat,*
*nouerit, atque efficere poſſit. Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eò quòd dixiſ-* 1. Reg. 8.
*ſent, Da nobis regem vt iudicet nos: & orauit Samuel ad Dominum. Dixit au-*
*tem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquentur ti-*
*bi: non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Iuxta omnia opera ſua,*
*quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto vſque ad diem hanc: ſicut dereli-*
*querunt me, & ſeruierunt diis alienis, ſic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem*
*eorum audi: verumtamen conteſtare eis, & prædic eis ius regis qui regnaturus*
*eſt ſuper eos. Hanc autem rationem diſertè atque appoſitè Pſaltes explicans, ait:*
*Ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi* Pſal. 17.
*Dominus ſecundùm iuſtitiam meam: & ſecundùm puritatem manuum mearum*
*in conſpectu oculorum eius. Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente in-*
*nocens eris. Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris. Quoniam tu*
*populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.*

*Quod verò ad mentem, conſilium, voluntatemq́; Dei erga homines attinet,*
*nihil magis affirmare poſſumus, quàm miſericordiæ, pacis, ac felicitatis cogita-*
*tionem & promptitudinem. Quippe cùm ſpiritus ille ſit natura benignus, benefi-*
*cus, & miſericors: qui & beneficia vltrò polliceri & offerre, & iis quibus promi-*
*ſerit credentibus, & oportunè atque ritè exſpectantibus, præſtare ſolet. Ac de*
*bonitate beneficientiaq́; ſua Deus ipſe, Ioſua interprete, veriſſimum & grauiſſi-*
*mum ſermonem habuit. Trans flumen habitauerūt patres veſtri ab initio, Tha-* Ioſue 24.
*re pater Abraham, & Nachôr: ſeruieruntq́; diis alienis. Tuli ergo patrem ve-*
*ſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaam,*
*multiplicauiq́; ſemen eius, &c. Et apud Iſaiam: Egeni, & pauperes quærunt* Iſaiæ 41.
*aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus*
*Iſraël non derelinquam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio*
*camporum fontes. Ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in ri-*
*uos aquarum. Dabo in ſolitudine cedrum & pinum, & myrtum, & lignum oli-*
*uæ. Ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul: vt videant, & ſciant,*
*& recogitent, & intelligant pariter: quia manus Domini fecit hæc. Ac Ieremias*
*orans, dicebat: Heu, heu, heu, Domine Deus, Ecce tu feciſti cælum & terram in* Ierem. 32.
*fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne*
*verbum: Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in*
*ſinum filiorum eorū poſt eos: Fortiſſime, magne, & potens, Dominus exercituum*
*nomen tibi. Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu: cuius oculi aperti*
*ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam: vt reddas vnicuique ſecundùm vias*
*ſuas, & ſecundùm fructum adinuentionum eius. Beatus cuius Deus Iacob adiu-* Pſal. 145.
*tor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius: qui fecit cælum & terram, mare & om-*
*nia quæ in eis ſunt. Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit iudicium iniuriam*
*patientibus, dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos, Dominus il-*
*luminat cæcos. Dominus erigit eliſos, Dominus diligit iuſtos. Dominus cuſto-*
*dit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet. Con-*
*firmauit Dominus ſermonem ſuum quem locutus eſt, ſtetíque pro Dauid patre*
*meo, & ſedi ſuper thronū Iſraël, ſicut locutus eſt Dominus, & ædificaui domum*
*nomini Domini Dei Iſraël. Dixit quoque Dominus ad Abraham; Sarai vxorem*

tuam

» tuam non vocabis Sarai, ſed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium
» cui benedicturus ſum: eritq́, in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Mi-
Pſal.88. ſericordia & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui ſcit iubilatio-
» nem. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in iuſtitia tua exaltabun-
Epheſ.3. tur: quia gloria virtutis eorum tu es. Ei autem qui poteſt omnia facere ſuperab-
» undanter quàm petimus aut intelligimus, ſecundùm virtutem quæ operatur in
» nobis, ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſeculi
» ſeculorum amen.

Inter plurima & maxima beneficia quibus Deus humanum genus proſecutus eſt, vatum creatio & delegatio cenſetur: quorum miniſterio & opera virtutem voluntatemq́, ſuam, & officiorum etiam rationem doceret. ideo autem multis in locis diuina cura hæc magnis celebratur laudibus. Ita Enoſum quondam & Noham, & Abrahamum, & ex antiquiſſimis alios conſilij ſui notitia inſtruxit. de-
» inde verò Moſem allocutus, ait: Clamor filiorum Iſraël venit ad me. Sed veni,
» mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Iſraël de Aegypto.
» Dixitq́, Moyſes ad Deum: Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam
» filios Iſraël de Aegypto. Qui dixit ei: Ego ero tecum. Et dixit Dominus ad
3.Reg.19. Eliam: Vade, & reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cúmque
» perueneris illuc, vnges Hazael regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges
» regem ſuper Iſraël, Eliſeum autem filium Saphath, qui eſt de Abelmehola vnges
Apoc.1. Prophetam pro te. Huc illa etiam pertinet Apocalypſis Ieſu Chriſti quam dedit
» illi Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò: Et ſignificauit, mittens
» per Angelum ſuum, ſeruo ſuo Iohanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei,
» & teſtimonium Ieſu Chriſti quæcunque vidit.

Vindex. Fraudum & peccatorum quæ ab hominibus ſuſcipiuntur, obſeruator, inſpector, & vindex pluribus ſacrorum ſcriptorũ teſtimoniis declaratur Deus, idémque monitor hominum ante ſcelus admiſſum, patiens, magnanimus, diſſimulans peccata propter pœnitentiam. Inſolentium demum & obſtinatorum ſeuerus Iu-
Deut.7. dex & punitor. Scies quia Dominus Deus tuus ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cu-
» ſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe, & iis qui cuſtodiunt præcepta
» eius, in mille generationes: & reddens odientibus ſe ſtatim ita vt diſperdat eos,
» & vltrà non differat, protinus eis reſtituens quod merentur. Dixitq́, Ioſue ad
Ioſue 24. populum: Non poteritis ſeruire Domino: Deus enim ſanctus & fortis æmulator
» eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris atque peccatis: Si dimiſeritis Dominum, & ſer-
» uieritis diis alienis, conuertet ſe, & affliget vos atque ſubuertet, poſtquam vobis
2.Sam.12. præſtiterit bona. Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxo-
» res tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in
» oculis ſolis huius. Tu enim feciſti abſconditè, ego autem faciam verbum iſtud
4 Reg.17. in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis huius. Et teſtificatus eſt Domi-
» nus in Iſrael, & in Iuda per manum omnium prophetarum & videntium, di-
» cens: Reuertimini à viis veſtris peſſimis, & cuſtodite præcepta mea & ceremo-
» nias iuxta omnem legem quam præcepi patribus veſtris: & ſicut miſi ad vos in
4 Reg 20. manu ſeruorum meorum prophetarum. Dixit itaque Iſaias Ezechiæ, Audi ſer-
» monem Domini, Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ ſunt in domo tua,
» & quæ condiderunt patres tui vſque in diem hanc, in Babylonem: Non remane-
» bit quicquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos ge-

nera-

*neri cognoſci dignatur, cognoſcendúſque vltrò occurrit. Non temerè tamen neq́; impurè, aut ſuperbè prophanéque ſeſe cognoſcendum peti adiriq́; permittit. Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, lauentq́; veſtimenta ſua. Et ſint* Exodi 19.
*parati in diem tertium: in die enim tertio deſcendet Dominus coram omni plebe* “
*ſuper montem Sinai. Conſtituéſque terminos populo per circuitum, & dices ad* “
*eos: Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit* “
*montem, morte morietur. Manus non tangat eum, ſed lapidibus opprimetur,* “
*aut confodietur iaculis: ſiue iumentum fuerit, ſiue homo, non viuet. & paulò in-* “
*feriùs: Ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſsima* “
*operire montem, clangorq́; buccinæ vehementius perſtrepebat: & timuit populus* “
*qui erat in caſtris. Cumq́; eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorū,* “
*ſteterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat: eo quòd deſcen-* “
*diſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace:* “
*eratq́; omnis mons terribilis, Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, &* “
*prolixius tendebatur: Moyſes loquebatur, & Dominus reſpondebat ei. Deſcen-* “
*ditq́; Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocauit Moyſen* “
*in cacumen eius. Quo cùm aſcendiſſet, dixit ad eum: Deſcende, & conteſtare po-* “
*pulum: ne forte velit tranſcendere terminos ad videndum Deum, & pereat ex* “
*eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctifi-* “
*centur, ne percutiat eos. Dixitq́; Moyſes ad Dominum: Non poterit vulgus* “
*aſcendere in montem Sinai: tu enim teſtificatus es & iuſsiſti, dicens: Pone termi-* “
*nos circa montem, & ſanctifica illum. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël* Iſaiæ 45.
*ſaluator. Confuſi ſunt & erubuerunt omnes ſimul, abierunt in confuſionem fa-* “
*bricatores errorum. Ego Dominus, & non eſt alius; non in abſcondito locutus* “
*ſum, in loco terræ tenebroſo. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen* Malach. 1.
*meum in gentibus. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum* Pſal. 8.
*in vniuerſa terra. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos. Ex ore* “
*infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas* “
*inimicum & vltorem. Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lu-* “
*nam & ſtellas quæ tu fundaſti. Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomi-* Pſal. 65.
*ni eius, date gloriā laudi eius. Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua, in mul-* “
*titudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te, & pſal-* “
*lat tibi: pſalmum dicat nomini tuo. Venite, & videte opera Dei, terribilis in con-* “
*ſiliis ſuper filios hominum. & quæ per totum pſalmum hunc exponuntur de ma-*
*nifeſta prouidentia Dei, vniuerſo orbi, & ſingulis etiam proſpicientis homini-*
*bus. cuius etiam argumenti ille eſt. Cantate Domino canticum nouum: cantate* Pſal. 95.
*Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate* “
*de die in diem ſalutare eius. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus* “
*populis mirabilia eius. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terri-* “
*bilis eſt ſuper omnes deos. Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus au-* “
*tem cælos fecit. Confeſsio & pulchritudo in conſpectu eius: ſanctimonia & ma-* “
*gnificentia in ſanctificatione eius. Quæ omnia & innumerabilia loca alia ve-* “
*ritatem, virtutem, prouidentiamq́; Dei etiam gentibus probatam docent. Bene-* Exodi 18.
*dictus Dominus qui liberauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pha-* “
*raonis, qui eruit populum ſuum de manu Aegypti. Nunc cognoui (aiebat Iethro)* “
*quia magnus Dominus ſuper omnes deos, eò quòd ſuperbè egerint contra illos.* “

Iob 12. *Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabũt piſces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit? in cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis. Nónne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporē? In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo, & ipſe habet conſilium & intelligentiam. Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet: ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: ſi emiſerit eas, ſubuertent terram. Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia: ipſe nouit decipientem, & eum qui decipitur. Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. Baltheum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat. Commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens. Effundit deſpectionem ſuper principes, & eos qui oppreſſi fuerant, releuat. Qui releuat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. Qui multiplicat*
Iob 26. *gentes & perdit eas, & ſubuerſas in integrum reſtituit. Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum. Qui tenet vultum ſolij ſui, & expandit ſuper illum nebulam ſuam. Terminum circundedit aquis, vſque dum finiatur lux & tenebræ. Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius. In fortitudine illius repentè maria congregata ſunt, & prudentia eius percuſsit ſuperbum. Spiritus eius ornauit cælos: & obſtetricante manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus. Ecce, hæc ex parte dicta ſunt viarum eius: & cùm vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius in-*
Iob 34. *tueri? Opus manuũ eius ſunt vniuerſi. Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertranſibunt, & auferent violentum abſque manu. Oculi eius ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem. Neque enim vltrà in hominis poteſtate eſt, vt veniat ad eum in iudicium. Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Nouit enim opera eorum,*
Sap. 13. *& iccirco inducet noctem, & conterentur. Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de iis quæ videntur bona, non poterunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex. Multus quoque apud Eccleſiaſticum de cognoſcenda Dei prouidentia, ac perpe-*
Eccli. 43. *tuus fere ſermo eſt, cuius partem aliquam referre hoc loco non pigeat. Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: & audientes auribus noſtris, admirabimur. Præclara opera, & mirabilia: varia beſtiarum genera, & omnium pecorum & creatura belluarum. Propter ipſum confirmatus eſt itineris finis, & in ſermone eius compoſita ſunt omnia. Multa dicimus & deficimus in verbis, conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in omnibus. Gloriantes, ad quid valebimus? Ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius. Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute. Ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum & enarrabit? aut quis glorificabit eum ſicut eſt ab initio? Multa abſcondita ſunt maiora his: pauca enim vidimus*

operum eius. Omnia autem Dominus fecit, & pie agentibus dedit ſapientiam.

Hanc verò Sapientiam diuinorum arcanorum notitiam dicimus, quæ non omnibus hominibus neque humano ingenio, ſtudio, aut labore vllo, aut conatu percipi poteſt, nec vllo comparari diuitiarum & opum pretio, ſed ſingulari Dei dono iis tantùm contingit, qui ſeſe fide atque pietate pura docendos modeſtè præbuerint. *Sapientia ſanctorum* Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt in quo conflctur. *Iob 28.* Ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs reuertitur. Tempus poſuit tenebris, & vniuerſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis. Diuidit torrens à populo peregrinante, eos quos oblitus eſt pes egentis hominis & inuios. Terra de qua oriebatur panis in loco ſuo igni ſubuerſa eſt. Locus ſapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum. Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij ſtruthionum, nec pertranſiuit per eam leæna. Ad ſilicem extendit manum ſuam, ſubuertit à radicibus montes. In petris riuos excidit, & omne pretioſum vidit oculus eius. Profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita produxit in lucem. Omnia hæc omnium diligentia, induſtria & perſeuerantia, laboreq; improbo tentata & obtenta concedit Iob: de diuinæ verò ſapientiæ difficillima veſtigatione atque negata humanis ſtudiis inuentione, ſubiungit: Sapientia verò vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentiũ. Abyſſus dicit, Non eſt in me: & mare loquitur, Non eſt mecũ. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis in India coloribus, nec lapidi ſardonico pretioſiſſimo, vel ſapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrũ, nec commutabuntur pro ea vaſa auri. Excelſa & eminentia non commemorabuntur in comparatione eius: trahitur autem ſapientia de occultis. Non adæquabitur ei topaſius de Aethiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componentur. Vnde ergo ſapientia venit, & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet. Perditio & mors dixerunt, Auribus noſtris audiuimus famam eius. Deus intelligit vias eius, & ipſe nouit locum illius. Ipſe enim fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cælo ſunt reſpicit. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura. Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis ſonantibus: tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit, & inueſtigauit. Et dixit homini, Ecce timor Domini, ipſa ſapientia: & recedere à malo, intelligentia. Sapientiam itaque purgatis & præparatis à Deo hominibus communicari atque concedi, quæ non huius mundi, nec ſecundùm elemẽta mundi eſt, ſed diuina planè, atque omnem humanum ſermonem longè ſuperans. Væ mihi (inquit Iſaias) quia tacui, quia pollutus labiis ego ſum, & in medio populi *Iſaiæ 6.* polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit, Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Et audiui vocem Domini dicentis, Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixit, Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Si quis autem indiget ſapientia, poſtulet, inquit *Iacobi 1.* Apoſtolus, à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Propter hoc optaui (ait Salomon) &

Sap.7. *datus eſt mihi ſenſus, inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui*
» *illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius. Nec*
» *comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius,*
» *arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.*
» *Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & poſui pro luce habere illam: quo-*
» *niam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt mihi omnia bona pariter cum il-*
» *la, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus: quo-*
» *niam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam bonorum omnium*
» *mater eſt. Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem*
» *illius non abſcondo. Infinitus enim eſt theſaurus hominibus: quo qui vſi ſunt,*
» *participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati. Sapien-*
» *tiam (inquit Paulus) loquimur inter perfectos, ſapientiam autē non huius mun-*
» *di, neque ſecundùm elemēta ſeculi huius. Raptus ſum, ait idem, vſque in tertium*
» *cælum, & vidi arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Animalis enim homo non*
» *poteſt capere ea quæ ſunt ſapientiæ ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi.*

Singulorum iudex & inſpector. *Quamquam vero Deum cognoſcentem perſpicientemq́; omnia mundi, atque hominum rebus prouidentem, ex ſuperioribus didicerimus, eundem ſingulorum hominum dicta & facta, atque adeò cogitata callentem & iudicantem, intelligere operæpretium fuerit, nonnullis ex innumerabili teſtimoniorum copia in me-*
Gen.18. *dium productis. Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit fi-*
» *lium Saraa vxor tua. Quo audito Saraa riſit poſt oſtium tabernaculi. Erant au-*
» *tem ambo ſenes, prouectiq́; ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria. Quæ riſit,*
» *occultè dicens: Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati ope-*
» *ram dabo? Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Saraa vxor tua,*
» *dicens: Num verè paritura ſum anus? Numquid Deo quicquam eſt difficile? Iu-*
» *xta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Saraa*
» *filium. Negauit Saraa, dicens: Non riſi, timore perterrita. Dominus autem, Non*
3.Reg.8. *eſt, inquit, ita: ſed riſiſti. Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit*
» *manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cælo, in domo habitationis tuæ. Et repro-*
» *pitiaberis, & facies vt des vnicuique ſecundùm omnes vias ſuas, ſicut videris*
» *cor eius: quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum, vt timeant te cun-*
» *ctis diebus quibus viuunt ſuper faciem terræ. Ecce gaudium & lætitia occidere*
» *vitulos, & iugulare arietes: comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, &*
» *bibamus, cras enim moriemur. Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exer-*
» *cituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus ex-*
Iſaiæ 37. *ercituum. Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum ego cogno-*
» *ui, & inſaniam tuam contra me. Cùm fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcen-*
Pſal.138. *dit in aures meas. Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem*
» *meam, & reſurrectionem meam: intellexiſti cogitationes meas, de longè ſemitam*
» *meam, & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti: quia*
Iob 34. *non eſt ſermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & an-*
» *tiqua: tu formaſti me & poſuiſti ſupra me manū tuā. Oculi enim eius ſuper vias*
» *hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebræ, & non eſt vm-*
» *bra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem. Neque enim vltrà*
» *in hominis poteſtate eſt vt veniat ad Deum in iudicium. Conteret multos, & in-*
» *numerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Nouit enim opera eorum, iccirco in-*

*ducet*

*ducet noctem & conterentur. Benignus enim eſt ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledictum à labiis ſuis: quoniam renum illius teſtis eſt. Nónne Dominus fecit ſanctos enarrare omnia mirabilia ſua, quæ confirmauit Dominus omnipotens, ſtabilis in gloria ſua. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagúmque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis: & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius.* Sap. 1. Eccli 42. Heb. 4.

*Vltra communem illam Dei omnibus mundi partibus & ornamentis, atque rerum generibus conſulentem prouidentiam, ſingulari vitæ atque lucis nomine erga hominum ſalutem & felicitatem efficacitas & bonitas diuina prædicatur: ita vt Deus non ſolùm creandis hominibus auctor & princeps, atque opifex: ſed cuſtodiendis etiam protector, & à mortis æternæ tenebroſa miſeria redimendis, & ad felicitatis veræ vſum traducendis, vita & lux hominum appelletur. Ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis. Quoniam tu illuminas lucernā meam, Deus meus illumina tenebras meas. Quam rationem breui verborum ſumma, ſed magna myſteria continente, Iohannes Euangeliſta indicabat. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Vita & lux hominum. Deut. 30. Pſal. 17. Ioan. 1.

*Neque ſolùm vitæ atque lucis hominibus auctorem ſeſe Deus præſtat, ſed omnium etiam virtutum, facultatumq́ omnium quæcumque vel ad ſingulos perficiendos, vel ad publicam & communem ſocietatem iuuandam, & adornandam pertinent, commodum diſtributorem agit. Quamobrem & ſpirituum Dominus apud vates ſanctosq́ ſcriptores audit. Quid habes, inquit Apoſtolus, quod non accepiſti? & ſi accepiſti, quare gloriaris quaſi non acceperis? Olim Moſes Aegyptius legatus deſtinatus, atque prouinciæ pondus veritus, ſuamq́ debilitatem ineptitudinemq́ excuſans, dicebat: Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri nec nudiuſtertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum impeditioris & tardioris linguæ ſum. Dicit Dominus ad eum, Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? nónne ego? Perge igitur, & ero in ore tuo, doceboq́ te quid loquaris. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Et patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: Non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus? Quare omnibus iis quæ ſuperiùs commemorata ſunt, nominibus perpetuum ſibi ab omni conditarum, creatarumq́ rerum ordine laudis ac benedictionis ius ac præconium vendicat, quod aſsiduis carminibus commendare, ſacri non deſinūt vates. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum ſol & luna, & laudate eum omnes ſtellæ & lumen, &c.* Exodi 4. 1. Cor 12. Heb. 12.

*Quoniam verò humanas res à Deo curari docuimus quemadmodum id agatur, partitione atque expoſitione indicandum. Humanarum rerum duplex eſt*

genus: Alterum earum quæ in hac mortali vita ſpectantur; alterum verò, quæ ad alterius perpetuæ vitæ atque felicitatis finem & rationē referuntur. vtrumque & in ſingulares ſiue priuatas, & communes ſiue publicas diducitur. Singulares dicimus, quæ vnumquodpiam ſpectant caput: Communes, quæ ad plures, vel ad omnes homines attinere poſſunt. Singulares interdum publicarum partem vſurpant & adornant, quatenus ad ipſam hominum neceſſitudinem & conſuetudinem reuocantur. Vtrumque autem rerum genus à Deo cognoſci, volui, gubernari, & pro conſilij ſapientiſſimi ratione ac iure expediri, ſacra doctrina oſtendit. Atque de externis priùs, quas temporales, ſiue terrenas, ſiue ſeculares dici audimus, breuiter, quæ obſeruata nobis fuerint, expediemus: deinde verò alias ſuccinctè indicabimus, quæ ſpirituales vel æternæ, atque ſanctæ appellantur. Quamquam vt animo immortali, atque mortali corpore idem conſtat homo, perſæpe fit vt res ipſæ, ad animum & corpus pertinentes, diſputando & referendo, atque tractando miſceantur. Hominum autem rationis & ſermonis compotum ſectio & factio duplex eſt: Altera bonorum ac proborum, hoc eſt, qui humanitatem ipſam vita exprimūt; Altera improborum ſiue malorum, qui ab humanitatis via, non vi coacti, ſed voluntate atque libidine propria declinant. Cùm homines dicimus, doctrinæ cauſa vtramque complectimur partem, cùm partes ipſas diuidimus, adiunctis probitatis aut improbitatis cognominibus diſtinguimus. Omnium igitur eorum quibus hominis nomen atque definitio congruit, ſiue ratione iam valentium, ſiue nondum valentium, patrem, paſtorem, & agricolam

Matth.23. Deum ſacræ literæ celebrant & ſalutant. Nolite vobis patrem vocare in terris,

Matth.6. vnus enim eſt Pater veſter Deus. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum

» tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus qui videt in

» abſcondito, reddet tibi. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cælis, ſanctifi-

» cetur nomen tuum. Ac ſecundùm hanc rationem omnes homines fratres appellantur, & ſunt, id eſt, vnum generis atque vitæ auctorem & patrem in cælis habentes. Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos &

» iniuſtos. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Homo

» quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie ope-

» rare in vinea mea. Ille autem reſpondens, ait: Nolo; Poſtea autem, pœnitentia

» motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. Qua imagine gentium omnium Patrem Deum Chriſtus aſſerebat, tam earum quæ legem non habuerant

1.Cor.8. diuinitus ſcriptam, quàm earum quæ habuere. Nam & ſi ſunt qui dicantur dij,

» ſiue in cælo ſiue in terra; ſiquidem ſunt dij multi & domini multi, nobis tamen

Ephes.4. vnus eſt Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo. Vnus Dominus, vna fides,

» vnum baptiſma: vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia,

» & in omnibus nobis. Hunc eundem Patrem, & dominatorem vitæ ſuæ Eccleſia-

Eccli.23. ſticus inuocabat. Videns autem Ieſus turbas, miſeratus eſt eis, quia erant vexati,

» & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem. Tunc dixit diſcipulis ſuis: Meſſis

» quidem multa eſt, operarij autem pauci: Rogate ergo dominum meſſis vt mittat

Psal.144. operarios in meſſem ſuam. Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo

» in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Hic verò Pater, Paſtor, Agricola, Dominus ac Rex, homines pro ſtudij ac morum ratione excipit ac tractat. Nam cum iis quos animo probo & candido, menteque ſana cognoſcit, ſimpliciter ac familiariter, & blandè agit; cum iis verò

qui inſolentiores verſuti ſunt, aut proterui & contentioſi, oportunis verſat &
exagitat artibus, cùm ſapientiſsimus ipſe ſit, & quid in vnũquemque expediat,
nouerit, atque efficere poſsit. Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eò quòd dixiſ- 1. Reg. 8.
ſent, Da nobis regem vt iudicet nos: & orauit Samuel ad Dominum. Dixit au- “
tem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquentur ti- “
bi: non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Iuxta omnia opera ſua, “
quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto vſque ad diem hanc: ſicut dereli- “
querunt me, & ſeruierunt diis alienis, ſic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem “
eorum audi: verumtamen conteſtare eis, & prædic eis ius regis qui regnaturus “
eſt ſuper eos. Hanc autem rationem diſertè atque appoſitè Pſaltes explicans, ait: “
Ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi Pſal. 17.
Dominus ſecundùm iuſtitiam meam: & ſecundùm puritatem manuum mearum “
in conſpectu oculorum eius. Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente in- “
nocens eris. Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris. Quoniam tu “
populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis. “

Quod verò ad mentem, conſilium, voluntatemq́; Dei erga homines attinet,
nihil magis affirmare poſſumus, quàm miſericordiæ, pacis, ac felicitatis cogita-
tionem & promptitudinem. Quippe cùm ſpiritus ille ſit natura benignus, benefi-
cus, & miſericors: qui & beneficia vltrò polliceri & offerre, & iis quibus promi-
ſerit credentibus, & oportunè atque ritè exſpectantibus, præſtare ſolet. Ac de
bonitate beneficientiaq́; ſua Deus ipſe, Ioſua interprete, veriſsimum & grauiſsi-
mum ſermonem habuit. Trans flumen habitauerũt patres veſtri ab initio, Tha- Ioſue 24.
re pater Abraham, & Nachor: ſeruieruntq́; diis alienis. Tuli ergo patrem ve- “
ſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaam, “
multiplicauiq́; ſemen eius, &c. Et apud Iſaiam: Egeni, & pauperes quærunt Iſaiæ 41.
aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus “
Iſraël non derelinquam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio “
camporum fontes. Ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in ri- “
uos aquarum. Dabo in ſolitudine cedrum & pinum, & myrtum, & lignum oli- “
uæ. Ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul: vt videant, & ſciant, “
& recogitent, & intelligant pariter: quia manus Domini fecit hæc. Ac Ieremias “
orans, dicebat: Heu, heu, heu, Domine Deus, Ecce tu feciſti cælum & terram in Ierem. 32.
fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne “
verbum: Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in “
ſinum filiorum eorũ poſt eos: Fortiſsime, magne, & potens, Dominus exercituum “
nomen tibi. Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu: cuius oculi aperti “
ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam: vt reddas vnicuique ſecundùm vias “
ſuas, & ſecundùm fructum adinuentionum eius. Beatus cuius Deus Iacob adiu- Pſal. 145.
tor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius: qui fecit cælum & terram, mare & om- “
nia quæ in eis ſunt. Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit iudicium iniuriam “
patientibus, dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos, Dominus il- “
luminat cæcos. Dominus erigit eliſos, Dominus diligit iuſtos. Dominus cuſto- “
dit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet. Con- “
firmauit Dominus ſermonem ſuum quem locutus eſt, ſtetíque pro Dauid patre “
meo, & ſedi ſuper thronũ Iſraël, ſicut locutus eſt Dominus, & ædificaui domum “
nomini Domini Dei Iſraël. Dixit quoque Dominus ad Abraham; Sarai vxorem “

„ tuam non vocabis Sarai, ſed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium
„ cui benedicturus ſum: eritq́; in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Mi-
Pſal. 88. ſericordia & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui ſcit iubilatio-
„ nem. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in iuſtitia tua exaltabun-
Epheſ. 3. tur: quia gloria virtutis eorum tu es. Ei autem qui poteſt omnia facere ſuperab-
„ undanter quàm petimus aut intelligimus, ſecundùm virtutem quæ operatur in
„ nobis, ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſeculi
„ ſeculorum amen.

Inter plurima & maxima beneficia quibus Deus humanum genus proſecutus
eſt, vatum creatio & delegatio cenſetur: quorum miniſterio & opera virtutem
voluntatemq́; ſuam, & officiorum etiam rationem doceret. ideo autem multis in
locis diuina cura hæc magnis celebratur laudibus. Ita Enoſum quondam & No-
hem, & Abrahamum, & ex antiquiſſimis alios conſilij ſui notitia inſtruxit. de-
„ inde verò Moſem allocutus, ait: Clamor filiorum Iſraël venit ad me. Sed veni,
„ mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Iſraël de Aegypto.
„ Dixitq́; Moyſes ad Deum: Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam
„ filios Iſraël de Aegypto. Qui dixit ei: Ego ero tecum. Et dixit Dominus ad
3. Reg. 19. Eliam: Vade, & reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cúmque
„ perueneris illuc, vnges Hazael regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges
„ regem ſuper Iſraël. Eliſeum autem filium Saphath, qui eſt de Abelmehola vnges
Apoc. 1. Prophetam pro te. Huc illa etiam pertinet Apocalypſis Ieſu Chriſti quam dedit
„ illi Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò: Et ſignificauit, mittens
„ per Angelum ſuum, ſeruo ſuo Iohanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei,
„ & teſtimonium Ieſu Chriſti quæcunque vidit.

Vindex. Fraudum & peccatorum quæ ab hominibus ſuſcipiuntur, obſeruator, inſpe-
ctor, & vindex pluribus ſacrorum ſcriptorũ teſtimoniis declaratur Deus, idém-
que monitor hominum ante ſcelus admiſſum, patiens, magnanimus, diſſimulans
peccata propter pœnitentiam. Inſolentium demum & obſtinatorum ſeuerus Iu-
Deut. 7. dex & punitor. Scies quia Dominus Deus tuus ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cu-
„ ſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe, & iis qui cuſtodiunt præcepta
„ eius, in mille generationes: & reddens odientibus ſe ſtatim ita vt diſperdat eos,
„ & vltrà non differat, protinus eis reſtituens quod merentur. Dixitq́; Ioſue ad
Ioſue 24. populum: Non poteritis ſeruire Domino: Deus enim ſanctus & fortis æmulator
„ eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris atque peccatis: Si dimiſeritis Dominum, & ſer-
„ uieritis diis alienis, conuertet ſe, & affliget vos atque ſubuertet, poſtquam vobis
2. Sam. 12. præſtiterit bona. Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxo-
„ res tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in
„ oculis ſolis huius. Tu enim feciſti abſconditè, ego autem faciam verbum iſtud
4 Reg. 17. in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis huius. Et teſtificatus eſt Domi-
„ nus in Iſrael, & in Iuda per manum omnium prophetarum & videntium, di-
„ cens: Reuertimini à viis veſtris peſſimis, & cuſtodite præcepta mea & ceremo-
„ nias iuxta omnem legem quam præcepi patribus veſtris: & ſicut miſi ad vos in
4 Reg. 20. manu ſeruorum meorum prophetarum. Dixit itaque Iſaias Ezechiæ, Audi ſer-
„ monem Domini, Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ ſunt in domo tua,
„ & quæ condiderunt patres tui vſque in diem hanc, in Babylonem: Non remane-
„ bit quicquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos ge-
nera-

*nerabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Diſsimulatorem*
*& patientem, pœnitentiamq́; expectantem agnoſcunt & admirantur, adorantq́;*
*ſancti Deum. Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta* Gen. 6.
*cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd homi-* “
*nem feciſſet in terra. Et præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſe-* “
*cus, Delebo, inquit, hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vſque ad ani-* “
*mantia: à reptili vſque ad volucres cæli. pœnitet enim me feciſſe eos. Ad hanc* “
*etiam rationem exemplum illud pertinet in gentes externas editum. Aggrauata* 1. Sam. 5.
*eſt manus Domini ſuper Azothios, & demolitus eſt eos: & percuſsit in ſecretiore* “
*parte natium Azothum, & fines eius. Videntes autem viri Azothij huiuſcemodi* “
*plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Iſraël apud vos, quoniam dura eſt ma-* “
*nus eius ſuper nos, & ſuper Dagon deum noſtrum. Hæc dicit Dominus Deus Iſ-* “
*raël: Maledictus vir qui non audierit verba pacti huius, quod præcepi patribus* Ierem. 11.
*veſtris in die qua eduxi eos de Aegypto, de fornace ferrea, dicens: Audite vo-* “
*cem meam, & facite omnia quæ præcepi vobis: & eritis mihi in populum, & ego* “
*ero vobis in Deum: Vt ſuſcitem iuramentum quod iuraui patribus veſtris datu-* “
*rum me eis terram fluentem lac & mel, ſicut eſt dies hæc. Et reſpondi, & dixi,* “
*Amen Domine. Et dixit Dominus ad me, Vociferare omnia verba hæc in ciui-* “
*tatibus Iuda, & foris Ieruſalem, dicens: Audite verba pacti huius, & facite* Monitor.
*illa: quia conteſtans conteſtatus ſum patres veſtros in die qua eduxi eos de ter-* “
*ra Aegypti vſque ad diem hanc: manè conſurgens conteſtatus ſum, & dixi: Au-* “
*dite vocem meam. & non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam: ſed abierũt* “
*vnuſquiſque in prauitate cordis ſui mali. & paulò inferiùs: Quamobrem hæc* “
*dicit Dominus: Ecce, ego inducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt:* “
*& clamabunt ad me, & non exaudiam eos. Vidi Dominum ſtantem ſuper altare,* Amos 9.
*& dixit mihi: Percute cardinem, & commoueantur ſuperliminaria: Auaritia* “
*enim in capite omnium, & nouiſsimum eorũ in gladio interficiam. Non erit fuga* “
*eis, & qui fugerit ex eis, non ſaluabitur. Si deſcenderint vſque in infernum, in-* “
*de manus mea educet eos: & ſi aſcenderint vſque in cælum, inde detraham eos.* “
*Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos. Et ſi ce-* “
*lauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit* “
*eos. Et ſi abierint in captiuitate coram inimicis ſuis, ibi mandabo gladio, & oc-* “
*cidet eos: & ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum. Et Domi-* “
*nus Deus exercituum qui tangit terram, & tabeſcit, & lugebunt omnes habi-* “
*tantes in ea. Et aſcendet ſicut riuus omnis, & defluet ſicut fluuius Aegypti. Qui* “
*ædificat in cælo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit.* “
*Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen* “
*eius. Qui, vti in Apparatu Sacro diſſerebamus, qua ratione vindicem, vltorém-*
*que iniuriarum ac fraudum agit. Exercituum Deus, audit à Nahum etiam vate*
*illis appellatur cognomentis. Dominus æmulator & vlciſcens, vlciſcens Domi-* Nahum 1.
*nus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis. Dominus patiens, & magnani-* “
*mus fortitudine, & mundans non faciet innocentem. Dominus in tempeſtate* “
*& turbine viæ eius, & nebulæ puluis pedum eius. Increpans mare, & exſiccans* “
*illud: & omnia flumina ad deſertum deducens. Et Paulus: Dominus eſt in cælis,* Ephes. 6.
*& perſonarum acceptio non eſt apud eum. Quod quidam errantes colebant mu-* Sap. 11.
*tos ſerpentes, & beſtias ſuperuacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorum ani-*

» malium in vindictam: vt ſcirent quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.
» Non enim impoſsibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum
» ex materia inuiſa, immittere illis multitudinem vrſorum, aut audaces leones,
» aut noui generis ira plenas, & ignotas beſtias, aut vaporem ignium ſpirantes,
» aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas emittentes: qua-
» rum non ſolùm læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem oc-
» cidere. Nam & ſine his vno ſpiritu poterant occidi perſecutionem paſsi ab ipſis
» factis ſuis, & diſpergi per ſpiritum virtutis tuæ: ſed omnia in menſura, & nu-
» mero, & pondere diſpoſuiſti. Multum enim valere, tibi ſoli ſupererat ſemper, &
» virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt
» ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, qui deſcendit ſuper
» terram. Et miſereris omnium, quia omnia potes: & diſsimulas peccata hominum
Eccli. 18. » propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ
» feciſti. Numerus dierum hominum, vt multum centum anni: quaſi guttæ aquæ
» maris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui. Propter
» hoc patiens eſt Deus illis, & effundet ſuper eos miſericordiam ſuam. Vidit præ-
» ſumptionem cordis eorum, quoniam mala eſt, & cognouit ſubuerſionem eorum,
» quoniam nequam eſt. ideò adimpleuit propitiationem ſuam in illis, & oſtendit
» eis viam æquitatis. Miſeratio hominis circa proximum ſuum: miſericordia
» autem Dei ſuper omnem carnem.

Iudicij verò diuini ſeueritatem cum multa alia, tum illa teſtimonia & exem-
Ioſue. 5. pla apertè indicant. Poſtquam audierunt omnes reges Amorrhæorum qui ha-
» bitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan qui
» propinqua poſsidebant magni maris loca, quòd ſiccaſſet Dominus fluenta Iorda-
» nis coram filiis Iſrael donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit
» in eis ſpiritus timentium introitum filiorum Iſraël. Ad Idumæam hæc dicit
Ierem. 49. » Dominus exercituum: Nunquid non vltrà eſt ſapientia in Theman? Periit con-
» ſilium à filiis, inutilis facta eſt ſapientia eorum. Fugite, & terga vertite: deſcen-
» dite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Eſau adduxi ſu-
» per eum, tempus viſitationis eius. Si vindemiatores veniſſent ſuper te, non reli-
» quiſſent racemum: ſi fures in nocte, rapuiſſent quod ſufficeret ſibi. Ego verò diſ-
» cooperui Eſau, reuelaui abſcondita eius, & celari non potuit: vaſtatum eſt ſemen
» eius, & fratres eius, & vicini eius, & non erit. Relinque pupillos tuos, & ego fa-
» ciam eos viuere, & viduæ tuæ in me ſperabunt. Quia hæc dicit Dominus: Ecce,
» quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu quaſi inno-
» cens relinqueris. Non eris innocens, ſed bibens bibes. Quia per memetipſum iu-
» raui, dicit Dominus, quòd in ſolitudinem, & in opprobrium, & in deſertum, &
» in maledictionem erit Boſra: & omnes ciuitates eius erunt in ſolitudines ſempi-
Ierem. 51. ternas. Et, hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël, Filia Babylonis quaſi
» area tempus trituræ eius. Adhuc modicum, & veniet tempus meſsionis eius.
» Comedit me, deuorauit me Nabuchodonoſor rex Babylonis: reddidit me quaſi
» vas inane: abſorbuit me quaſi draco, repleuit ventrem ſuum teneritudine mea,
» & eiecit me. Iniquitas aduerſum me, & caro mea ſuper Babylonem, dicit habita-
» tio Sion: & ſanguis meus ſuper habitatores Chaldææ, dicit Ieruſalem. Propterea
» hæc dicit Dominus, Ecce ego iudicabo cauſam tuam, & vlciſcar vltionem tuam:
» & deſertum faciam mare eius, & ſiccabo venam eius. Et erit Babylon in tumu-

los,

los, habitatio draconum, ſtupor & ſibilus, eò quòd non ſit habitator. Audite Mich. 1.
populi omnes, attendat terra, & plenitudo eius, & ſit Dominus Deus vobis in "
teſtem, Dominus de templo ſancto ſuo. Quia ecce Dominus egredietur de loco "
ſuo: & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ. Et conſumentur montes ſubtus "
eum, & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis: ſicut aquæ quæ decurrunt in "
præceps. In ſcelere Iacob omne iſtud, & in peccatis domus Iſraël. "

Multa præterea alia, ſacros legentibus libros, occurrunt loca in quibus Deus humanarum cognitorem, curatorem, vindicem atque iudicem ſeſe rerum declarat, & ne quid aduerſum atque calamitoſum publicè in homines caſu aut fortuito exſtare putetur, ſed omnia ex certo iudicio, deliberatoq; conſilio euenire intelligantur, antequam eueniant vnà cum euentuum cauſis ſanctis hominibus, atq; ad eam rem delectis vatibus vel prædicanda, vel obſeruanda, & exſpectanda indicantur. Cùm ſurrexiſſent viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abra- Geneſ. 18.
ham ſimul gradiebatur, deducens eos. Dixítque Dominus: Num celare potero "
Abraham quæ facturus ſum: cùm futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſi- "
mam, & benedicendæ ſint in eo omnes nationes terræ? Scio enim quòd præceptu- "
rus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodian viam Domini, & faciant iu- "
dicium & iuſtitiam: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus "
eſt ad eum. Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorũ mul- "
tiplicatus eſt, & peccatum eius aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo "
vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam. Amos 3.
Nunquid ambulabunt duo pariter, niſi conuenerit eis? Nunquid rugiet leo in "
ſaltu, niſi habuerit prædam? Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, "
niſi aliquid apprehenderit? Nunquid cadet auis in laqueum terræ, abſque aucu- "
pe? Nunquid auferetur laqueus de terra, antequam quicquam cæperit? Si clanget "
buccina in ciuitate, & populus non expaueſcet? Si erit malum in ciuitate, quod "
Dominus non fecerit? Quia non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit "
ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas. "

Præterea vt mundi humanarumq; rerum curatorem, ita publicarum etiam arbitrum ac regnorum, & regum cenſorem, promotorem, expoliatoremq; Deum, veriſſima doctrina aſſertum accepimus & credidimus. Non eſt ſimilis tui Domi-
ne: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te "
ô rex gentium? Tuum eſt enim decus: inter cunctos ſapientes gentium, & in vni- "
uerſis regnis eorum nullus eſt ſimilis tui. Pariter inſipientes & fatui probantur, "
doctrina vanitatis eorum lignum eſt. Argentum inuolutum de Tharſis affer- "
tur, & aurum de Ophir: opus artificis & manus ærarÿ: hyacinthus & purpura "
indumentum eorum. opus autem artificum vniuerſa hæc. Dominus autem Deus "
verus eſt: ipſe Deus viuens, & rex ſempiternus. ab indignatione eius commoue- "
bitur terra: & non ſuſtinebunt gentes comminationem eius. In anno primo Cyri Eſdr. 1.
regis Perſarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, Suſcitauit Do- "
minus ſpiritum Cyri regis Perſarũ, & traduxit vocem in omni regno ſuo, etiam "
per ſcripturã, dicẽs: Hæc dicit Cyrus rex Perſarum, Omnia regna terræ dedit mi- "
hi Dominus Deus cæli. &, Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehẽdi Iſaiæ 45.
dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes: & dorſa regum vertam, & ape- "
riam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego autem ibo, & glorioſos ter- "
ræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. "

*Nihil autem in actionibus quæ publicè ab hominibus ſuſcipiuntur, Dei pro-*
*uidentiam latere aut fugere cum multis teſtimoniis docuerimus, ſingulari quo-*
*que capite explicandum eſt bellorum vim, potentiam, tempeſtates, victorias, &*
*euenta omnia Dei vnius nutũ ſpectare: vtpote qui iis quos vincere ſuperioréſq;*
Gen.10. *eſſe pro loco ac tempore, proq; belli cauſis ducem victoremq; ſeſe præbeat. Chus*
" *genuit Nemrod, ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram*
" *Domino. Ab hoc exiuit prouerbium: Quaſi Nimrod robuſtus venator coram*
1. Sam.17. *Domino. & illud: Dixit autem Dauid ad Philiſtheum: Tu venis ad me cum gla-*
" *dio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum,*
" *Dei agminum Iſraël, quibus exprobraſti hodie: Et dabit te Dominus in manu*
" *mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te. Et dabo cadauera caſtrorum*
" *Philiſthiim hodie volatilibus cæli, & beſtiis terræ: vt ſciat omnis terra, quia eſt*
" *Dominus Deus in Iſraël, & nouerit vniuerſa Eccleſia hæc, quia non in haſta*
" *ſaluat Dominus. Ipſius enim eſt bellum, & tradet vos in manus noſtras. Et rur-*
Zach.9. *ſus, Conuertimini ad munitionem vincti ſpei. Hodie quoque annuncians dupli-*
" *cia reddam tibi: quoniam extendi mihi Iudam quaſi arcum, impleui Ephraim,*
" *& ſuſcitabo filios tuos Sion ſuper filios tuos Græcia: & ponam te quaſi gladium*
" *fortium: & Dominus Deus ſuper te videbitur. Et exiuit vt fulgur iaculum eius,*
" *& Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine auſtri, Dominus exerci-*
" *tuum proteget eos, & deuorabunt, & ſubiicient lapidibus fundæ: & bibentes in-*
Pſal.23. *ebriabuntur quaſi à vino, & replebuntur vt phialæ, & quaſi cornu altaris. At-*
" *tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex*
" *gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in*
" *prælio. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & in-*
" *troibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt rex glo-*
Pſal.67. *riæ. Deus cùm egredereris in cõſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto: ter-*
" *ra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël. Diſ-*
" *ſipa gentes quæ bella volunt: venient legati ex Aegypto: Aethiopia præueniet*
" *manus eius Deo. Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino qui aſcendit ſuper*
" *cælum cæli, ad Orientem. Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo,*
Pſal.75. *ſuper Iſraël: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. Tu terribilis es, &*
" *quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua. De cælo auditum feciſti iudicium: terra tre-*
" *muit & quieuit. Cùm exurgeret in iudicium Deus, vt ſaluos faceret omnes man-*
" *ſuetos terræ. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogita-*
" *tionis diem feſtum agent tibi. Vouete, & reddite Domino Deo veſtro: omnes qui*
" *in circuitu eius affertis munera. Terribili & ei qui aufert ſpiritum principum,*
Sap.6. *terribili apud omnes reges terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudi-*
" *nes, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt vobis poteſtas à Do-*
" *mino, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcru-*
Pſal.19. *tabitur. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini ſperabimus.*
" *Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Domi-*
Exodi 15. *nus quaſi vir pugnator, Omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis & exerci-*
" *tum eius proiecit in mare: electi principes eius ſubmerſi ſunt in Mari rubro.*
" *Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis. Dextera tua Do-*
" *mine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua percuſſit inimicum. In multitu-*
" *dine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. Miſiſti iram tuam quæ deuorauit eos*

*ſicut*

*ſicut ſtipulam,& in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ. Stetit vnda fluens,* “
*congregatæ ſunt abyſſi in medio mari. Dixit inimicus: Perſequar & comprehen-* “
*dam, diuidam ſpolia, & implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, &* “
*interficiet eos manus mea. Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt* “
*quaſi plumbum in aquis vehementibus. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? * “
*quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate, terribilis, & faciens mirabilia.* “

*Miraculorum demum auctoritatem huic vni Deo non illi modo quibus doctrina diuina atque lex edita ſcriptoq; tradita eſt: verum & ij etiam quibus inter nationes veræ ſapientiæ lux aliqua illuxit, tribuerunt. Sapiens corde eſt &* Iob 9.
*fortis robore, quis reſtitit ei, & pacem habuit? Qui tranſtulit montes, & neſcie-* “
*runt ij quos ſubuertit in furore ſuo. Qui commouet terram de loco ſuo, & colum-* “
*næ eius concutiuntur. Qui præcipit Soli, & non oritur: & Stellas claudit quaſi* “
*ſub ſignaculo. Qui extendit cælos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris. Qui* “
*facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri. Qui facit magna,* “
*& incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Si venerit ad me,* “
*non videbo eum: ſi abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis reſponde-* “
*bit ei? vel quis dicere poteſt ei, Cur ita facis?* “

ATQVE *hactenus partem doctrinæ eius quæ Dei veritatem, naturam, ſapientiam, efficientiam, & auctoritatem in omnes mundi huius partes probat, quæq; etiam gentium ſapientibus quadamtenus conſtitit notiorq; eſſe potuit, ſummam certis locis ac nomimibus indicatam exhibuimus. Nunc verò deinceps alteram perſtringemus partem, quam hominis non ignorare perplurimum intereſt, eam videlicet, quæ ſingularis Dei erga humanam ſalutem propoſiti curæ, conſilij, & promiſſi, & veritatis rationes ac monumenta continet. Namque mundum omnem, atque adeò hominem Dei voluntate, virtute, & iuſſu, & ſapientia conditum: non ſatis ad felicitatis diſciplinam fuerit cognouiſſe, niſi perditi propria culpa hominis redemptionem, & ſalutem eiuſdem Dei miſericordia comparata & cognouerimus, & quemadmodum quærere vnumquemque & impetrare, ſibiq; ex Dei beneficio communicandam curare oporteat, edocti quoque fuerimus. Quod quidem argumentum in huius operis hiſtoria, quam animam vocamus, & generationis Adami nomine inſcribimus, ordine ac ſerie proſecuti, in hanc Syluam, ſiue operis illius corpus, certis locis & nominibus commentationis lege exponimus.*

*Igitur hominum ruinam miſeratus Deus, in ſalutem denuò conuertere decernens, eam rem à ſe promiſſam, certis ex hominū genere delectis viris cognitam, teſtatam, & confirmatam voluit, Adamo ipſi primum humani generis Satori, & huius filio Setho, & Henocho ſeptimo nepoti: deinde Noacho, atque poſt certa tempora Abramo, quem ex mortalium ceterorum turba delectum primum eorum qui beneficium hoc maximum crederent, ſperarent, & expectatum tandem acciperent, parentem eſſe diciq; voluit. Faciam te in gentem magnam, & bene-* Gen. 12.
*dicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Benedicam benedi-* “
*centibus tibi,* ATQVE IN TE BENEDICENTVR VNIVERSÆ COGNA- “
TIONES TERRÆ. *Poſtquam verò nonaginta & nouem annorum eſſe cæpe-* “
*rat Abram, Apparuit ei Dominus, dixitq; ad eum: Ego Dominus Omnipotens,* “
*Ambula coram me, & eſto perfectus: Ponamq; fœdus meum inter me & te, &* Gen. 17.
*multiplicabo te vehementer nimis. Ceciditque Abraham pronus in faciem.* “

» Dixitq́; ei Deus: Ego ſum, & ponam pactum meum tecum, erisq́; pater multa-
» rum gentium, nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abra-
» ham: quia patrem multarum gentium conſtitui te. Faciámque te creſcere vehe-
» mentiſſimè, & ponam te in gentibus, regéſque ex te egredientur. Et ſtatuam pa-
» ctum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis
» fœdere ſempiterno: vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Huiuſmodi verò
fœderis à ſe initi, conſortes quamuis multis peregrinationibus, in hac mortali
vita exercitatos, quamuis vicinorum & aliorum hominum inuidia, aut inſi-
diis, aut fraudibus, atque vi etiam tentatos: tamen tutor & aſſertor ipſe, omni
Pſal.104. periculo immunes incolumesq́; ſeruare ſolet. Cùm pertranſirent de gente in gen-
» tem, & de regno ad populũ alterum. Non reliquit hominẽ nocere eis, & corripuit
» pro eis reges. Nolite tãgere chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.

Pacto autem confirmato cum huius vnico filio, ex geminis nepotibus alterum
eligit, cui ſalutis promiſſæ, arcanum promiſſum repetat, & rurſus conſtabiliat,
& benedictionis atque felicitatis illius magnæ viuenti, & ſentienti vmbram
felicem ipſam quoque, & ſuo in genere beatam communicet duodecim liberorum
ſobolem cum numeroſa nepotum & pronepotum caterua. Atque huic Iacobo an-
tea dicto, valituri Deo nomen mutandum decernat, perpetuumq́; eſſe iubeat: ſi-
bíque dicatum cum tota gente declaret: & omni ex parte, omni in loco, omni pe-
Iſaiæ 10. riculo tutum ſecurumq́; ſiſtat. Quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe,
» & exaltetur baculus qui vtique lignum eſt. Propter hoc mittet dominator Do-
» minus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: & ſubtus gloriam eius ſuccen-
» ſa ardebit quaſi combuſtio ignis. Et erit lumen Iſraël in igne, & Sanctus eius in
» flamma: & ſuccendetur, & deuorabitur ſpina eius, & vepres in die vna. Et glo-
Iſaiæ 44. ria ſaltus eius, & carmeli ab anima vſque ad carnem conſumetur. Noli timere
» ſerue meus Iacob, & rectiſſimè quem elegi. Effundam enim aquas ſuper ſitien-
» tem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & be-
» nedictionem meam ſuper ſtirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quaſi ſali-
» ces iuxta præterfluentes aquas. Iſte dicet, Domini ego ſum, & ille vocabit in no-
Deut.23. mine Iacob. Dominus Deus tuus ambulat in medio caſtrorum vt eruat te, & tra-
» dat tibi inimicos tuos, & ſint caſtra tua ſancta, & nihil appareat in eis fœdita-
2.Sam.7. tis, ne derelinquat te. Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quia ad-
» duxiſti me hucuſque? Sed & hoc parum viſum eſt in cõſpectu tuo Domine Deus,
» niſi & loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum: Iſta enim eſt lex Adam
» Domine Deus. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? Tu
» enim ſcis ſeruum tuum Domine Deus. Propter verbum tuum, & ſecundùm cor
» tuum feciſti omnia magnalia hæc, ita vt notum faceres ſeruo tuo. Iccirco magni-
» ficatus es Domine Deus, quia non eſt ſimilis tui: neque eſt aliquis extra te in om-
» nibus quæ audiuimus auribus noſtris. Quæ eſt autem vt populus Iſraël gens in
» terra, propter quam iuit Deus vt redimeret eam ſibi in populum, & poneret ſibi
» nomen, faceretque eis magnalia & horribilia ſuper terram à facie populi tui,
» quem redemiſti tibi ex Aegypto, gente, & Deo eius? Firmaſti enim tibi populum
» tuum Iſraël in populum ſempiternũ, & tu Domine Deus factus es eis in Deum.

Idem omnium qui Iſraëlis fidem ac virtutem imitati ſunt, vindex, liberator,
Dan.6. aſſertorq́; perpetuus etiam ab exteris principibus ac ſapientibus laudatur. Tunc
» Darius rex ſcripſit vniuerſis populis, tribubus & linguis habitantibus in vni-
uerſa

*uerſa terra, Pax vobis multiplicetur. A me ergo conſtitutum eſt decretum, vt* “
*in vniuerſo imperio & regno meo tremiſcant & paueant Deum Danielis: ipſe* “
*enim eſt Deus viuens & æternus in ſecula, & regnum eius non diſsipabitur, &* “
*poteſtas eius vſque in æternum, & ipſe liberator eſt atque ſaluator, faciens ſigna* “
*& mirabilia in cælo & in terra: qui liberauit Danielem de lacu leonum. In pace* Pſal. 3.
*in idipſum, ait Dauid, dormiam & requieſcam. Et lætentur omnes qui ſperant* Pſal. 5.
*in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis: & gloriabuntur omnes qui di-* “
*ligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iuſto. Domine vt ſcuto bonæ volun-* “
*tatis tuæ coronaſti nos. Sanctis qui ſunt in terra eius mirificaui omnes volun-* Pſal. 15.
*tates meas in eis. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à* “
*dexteris eſt mihi, ne commouear. Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis* Pſal. 58.
*eorum: quoniam quis audiuit? Et tu Domine deridebis eos, & ad nihilum dedu-* “
*ces omnes gentes. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia tu Deus ſuſceptor* “
*meus es: Deus meus miſericordia eius præueniet me. Turris fortiſsima nomen* Prou. 18.
*Domini: ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur.*

*Hunc verò Iſraëlis Deum ne quis cultus prætextu offendat prouideri curarí-*
*que, atque ex ſua ipſius doctrina & norma coli oportere, illuſtria oracula & ex-*
*empla demonſtrant, quale illud eſt: Quid interrogas me, cùm Dominus receſſe-* 1. Sam. 28.
*rit à te, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus* “
*eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo* “
*tuo Dauid: quia non obediſti voci Domini: neque feciſti iram furoris eius in* “
*Amalech. Iccirco quæ pateris, fecit tibi Dominus hodie. Et dabit Dominus etiam* “
*Iſraël hodie tecum in manu Philiſthiim. & illud: Tunc acceſſerunt ad Ieſum ab* Matth. 15.
*Ieroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur* “
*traditiones ſeniorum: non enim lauant manus cùm panem manducant. Ipſe au-* “
*tem reſpondens, ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter* “
*traditionem veſtram.*

*Ad fidei verò atque conſtantiæ exemplum orbi edendum, electos ac dilectos*
*ſibi viros tentare interdum ſolet Deus, eoſdémque præſentis prouidentiæ ope, ex*
*tentationibus incolumes reddere, ſiue eiuſmodi pericula proprio iuſſu aut man-*
*dato, ſiue hominum opera aut inſidiis fiant. Tentauit Deus Abraham, & dixit* Gen. 22.
*ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi: Tolle filium* “
*tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi of-* “
*fer eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem ego monſtrauero tibi. Igi-* “
*tur Abraham de nocte conſurgens, ſtrauit aſinum ſuum: ducens ſecum duos iu-* “
*uenes, & Iſaac filium ſuum. Et poſt factum fidei periculum. Ecce Angelus Do-* “
*mini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit, Adſum. Di-* “
*xitq́ ei, Non extendas manum tuam ſuper puerum, nec facias illi quicquam.* “
*Nunc cognoui quòd timeas Deum, & non peperciſti vnigenito tuo propter me.* “
*Tentat vos Dominus Deus veſter (inquit Moyſes) vt palam fiat vtrum diliga-* Deut. 13.
*tis eum an non, in toto corde & in tota anima veſtra. Dominum Deum veſtrum* “
*ſequimini, & ipſum timete, & mandata eius cuſtodite, & audite vocem eius: ipſi* “
*ſeruietis, & ipſi adhærebitis. Nouit verò Deus de tentatione pios eripere. Fidelis* 2. Pet. 2.
*enim eſt, inquit Paulus, qui non patietur vos tentari vltra id quod poteſtis: ſed* “
*faciet etiam cum tentatione prouentum. adeò vt ipſemet iis qui tentationis im-* “
*petum fidei virtute ſuſtinent, & victoriam, & victoriæ decus atque præmium* “

Iacobi 1. *liberaliſsimè concedat, nominis etiam amplificatione denotans. Beatus vir qui*
» *ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam*
» *repromiſit Deus diligentibus ſe.*

*Atqui* CORONA *hæc* VITAE *cuius mentionem Apoſtolus fecit ab ipſa vſque mundi conſtitutione decreta fuit, & promiſſa hominibus qui ex propriæ infirmitudinis cognitione Deum ſibi vnicè ſalutarem crediderint, eundémque inuocantes, coluerint. Idq́, per omnes temporum ætates per certos pietatis miniſtros prædictum ac declaratum conſtitit ab Adamo vſque ad Noahhum, ab hoc ad Abrahamum, atque inde per continuam poſteritatem quadringentis ac triginta annis traditum: verùm longè apertiùs ac plenius à promulgata Moſe miniſtro lege republicaq́, apud Iſraëlitas conſtituta, ad vſque* IESV CHRISTI *Filij Dei legationem, cui* Euangelij *nomen eſt diuinitus impoſitum. Tota autem hæc re-*
Matth.20. *rum ac rationum ſeries illuſtri ſimilitudinis narratione contexitur. Simile eſt*
» *regnum cælorum homini patrifamiliâs qui exiit primo mane conducere opera-*
» *rios in vineam ſuam. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diur-*
» *no, miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtan-*
» *tes in foro otioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam: & quod iuſtum fuerit,*
» *dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa ſextam & nonam ho-*
» *ram, & fecit ſimiliter. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios ſtantes, &*
» *dicit illis, Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit.*
» *Dicit illis, Ite & vos in vineam meam. Similitudinis huius membris articulisq́, omnibus Dei erga humani generis felicitatem, cura & prouidentia perpetua deſcribitur, quæ ad finem vſque ſeculorum producta eſt cum eodem filio boni nuntij legato, & ſalutis publicæ Pontifice è cælis in terras miſſo, atque hominum quibus ſeruandis aderat, naturam aſſumente, promiſſum præſtitit vltrà omnem, non expectationem modò, ſed & cogitationem omnem cumulatiſsimum. Quam-*
Eccli. 39. *obrem Sapientia vaticinata, eleganti celebrat carmine. Obaudite me diuini*
» *fructus, & quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate. Quaſi Libanus*
» *odorem ſuauitatis habete. Florete flores quaſi lilium, & date odorem, & fronde-*
» *te in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis.*
» *Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum veſtro-*
» *rum, & in canticis labiorũ, & in cytharis, & ſic dicetis in confeſsione. Opera Do-*
» *mini vniuerſa bona valde. In verbo enim eius ſtetit aqua ſicut congeries: & in*
» *ſermone oris illius ſicut exceptoria aquarum. Quoniam in præcepto illius placor*
» *fit, & non eſt minoratio in ſalute ipſius. Opera omnis carnis coram illo, & non*
» *eſt quicquam abſconditum ab oculis eius. A ſeculo vſque in ſeculum reſpicit, &*
» *nihil eſt mirabile in conſpectu eius. Non eſt dicere, Quid eſt hoc, aut quid eſt*
Rom.8. *iſtud? Omnia enim in tempore ſuo quærentur. Nam quos præſciuit & prædeſti-*
» *nauit conformes fieri imagini Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratri-*
» *bus: quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtifica-*
» *uit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.*

*Ita omnibus nominibus ipſe ſolus vnicusq́, Deus hominum ſalutem decreuiſſe, inſtituiſſe, & præſtitiſſe cognitus, animorum, vitæ, & corporum quoque reſur-*
2.Cor.1. *rectionis auctor celebratur. Vt non ſimus (inquit Paulus) fidentes in nobis, ſed in*
» *Deo qui ſuſcitat mortuos. Hoc autem pacto, hisq́, admirandis argumentis ac ſignis cognoſcendum piis omnibus, ſeſeq́, expectantibus præſtiturum, pollicitum*

apud

*apud vates legimus: & cognitum ab Apoſtolis teſtatumq; legimus. Stans autem* Act.or.2.
*Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis, Viri Iudæi, & qui* "
*habitatis Ieruſalem vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba* "
*mea. Non enim, ſicut vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia. Sed* "
*& hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Ioël: Et erit in nouiſſimis diebus (dicit* "
*Dominus) effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij* "
*veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri* "
*ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſeruos meos, & ancillas meas in diebus il-* "
*lis effundam de ſpiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo ſurſum,* "
*& ſigna in terra deorſum ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuerte-* "
*tur in tenebras, & luna in ſanguinē, antequam veniat dies Domini magnus &* "
*manifeſtus. Et erit omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Viri* "
*Iſraëlitæ audite verba hæc. Ieſum Nazarenum virum approbatum à Deo in vo-* "
*bis, virtutibus & prodigiis & ſignis quæ fecit Deus per illum in medio veſtri,* "
*ſicut ſcitis: hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus ini-* "
*quorum affigētes, interemiſtis. quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni,* "
*iuxta quod impoſſibile erat teneri eum ab eo. Dauid enim dicit in eum, Prouide-* "
*bam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dexteris eſt mihi ne com-* "
*mouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper &* "
*caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in infer-* "
*no, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Notas feciſti mihi vias vitæ:* "
*replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos* "
*de patriarcha Dauid, quoniam defunctus eſt, & ſepultus eſt: & ſepulchrum eius* "
*eſt apud nos vſque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret quia* "
*iureiurando iuraſſet illi Deus de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius: pro-* "
*uidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia nec derelictus eſt in inferno, nec* "
*caro eius vidit corruptionem. Hunc Ieſum reſuſcitauit Deus, cuius omnes nos* "
*teſtes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti acce-* "
*pta à Patre, effudit hoc donum quod vos videtis & auditis. Non enim Dauid* "
*aſcendit in cælos: Dicit autem ipſe, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris* "
*meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Certiſſimè ſciat ergo* "
*omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Ie-* "
*ſum, quem vos crucifixiſtis. Et ego, ait Paulus, cùm veniſſem ad vos fratres,* 1.Cor.2.
*veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium* "
*Chriſti. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum, &* "
*hunc crucifixum.* "

*Vltra hæc verò quæ ſuperius enumerata ſunt, à Deo præſtita & præſtanda munera, atque ſufficienda nomina, duo illa etiam celeberrima ſunt quibus iudicium in homines poſtremum exercendum, atque præmia piis æterna donanda, impiis verò ſupplicia decernenda definiuntur, integrum iudicem agente, & ſcelerum vindicibus, pœnis bonorum ac malorum finem & diſcrimen ſtatuente: ita vt quæ aliquando permixtæ viſæ ſunt, proborum atque improborum vices, & horum interdum fortaſſis beatiores, iudicio illo proprios atque perpetuos excipiant euentus. Id verò eiuſdem verbi miniſterio atque opera & auctoritate ab-* Act.10. *ſoluendum, cuius virtute omnia condita, ſeruata, ac reparata, inſtaurataq; fue-* " *rant. Cùm autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli* Matth.25.

» *cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum*
» *omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis: &*
» *ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet rex his*
» *qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis*
» *regnum à conſtitutione mundi. eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſiti-*
» *ui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis*
» *me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc di-*
» *cet & his qui à ſiniſtris erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui*
» *paratus eſt diabolo & angelis eius: Eſuriui enim, & non dediſtis mihi mandu-*
» *care: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nu-*
» *dus, & non operuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Et ibunt*
» *hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam. Cùm venerit Deus*
*iudicare viuos & mortuos, & admirabilis fieri in his qui crediderunt ſecundùm*
*Euangelium meum per Ieſum Chriſtum, ait Paulus.*

*Hactenus rationis de Deo tenendæ præcipua capita adnotata ſunt: quorum*
*ſubducta ſumma, duos conficit articulos Deum eſſe, & ſeſe inquirentibus eſſe re-*
Heb. 11. *muneratorem. quod omnibus hominibus, propriæ ſalutis non oblitis, aut negli-*
*gentibus, exploratum conſtansq́ eſſe oportuerit, aliàs è vitæ libro, niſi hoc ipſum*
*credatur, abradendis. Omnis autem humani ſceleris peruerſitas duobus profa-*
*nis inſipientiæ initiis profecta, in magnam mentium partem peruadit, quas à re-*
*cta diductas pietatis via in præceps demum, atque in exitium agit. Alterum eſt*
*eorum qui Deum vel non eſſe, vel humana ac terreſtria non curare putant. Al-*
*terum verò eorum qui quanquam eſſe credant, aliter tamen coli & adiri poſſe,*
*quàm ipſe præſcripſerit, opinantur. & qua mente ipſi ſunt, ſibi Deum fore con-*
Psal. 13. *fingunt. Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abomina-*
» *biles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.*
» *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut*
» *requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui fa-*
Psal. 35. *ciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo,*
» *non eſt timor Dei ante oculos eorum. Quoniam doloſè egit in conſpectu eius: vt*
» *inueniatur iniquitas eius ad odium. Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit*
» *intelligere vt bene ageret. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: aſtitit omni*
» *viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.*

*Huiuſmodi verò ſtultorum, inſipientium, & inſanorum hominum ſententiam*
Psal. 41. *piis omnibus auditu grauiſsimam eſſe deprehendimus. Fuerunt mihi lachrymæ*
» *meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus? Non nobis*
» *Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Super miſericordia tua & veri-*
» *tate tua: nequando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cæ-*
Psal. 7. *lo, &c. Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.*
» *Exurge Domine in præcepto quod mandaſti: & ſynagoga populorum circumda-*
» *bit te. Et propter hanc in altū regredere: Dominus iudicat populos. Cognoſcetur*
» *Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarū comprehenſus eſt peccator.*

*Cùm verò caritatem dilectionémque Dei in vera humanæ felicitatis defini-*
Psal. 72. *tione Sapientia ponat. S. S. E. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in*
» *Domino ſpem meam. Nihil contra miſerum eſſe magis cenſendum, quàm aliena-*
*tionem à Deo. Eam verò vnumquemque ſibi ſuis ſceleribus vltrò moliri ſacra*
omnis

*omnis doctrina aſſirmat. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum,* Gen.6.
*quia caro eſt. Vocauitq́; Dominus Moyſen de monte, & ait: Hæc dices domui Ia-* “
*cob, & annunciabis filiis Iſraël: Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Aegyptiis, quo-* “
*modo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Si ergo au-* “
*dieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de* “
*cunctis populis. In ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram: quia veni, & non* Iſaiæ 50
*erat vir: vocaui, & non erat qui audiret. Et Ieſus mane in ciuitatem reuertens,* Matth.21.
*eſuriit. Et videns fici arborem vnam ſecus viam, venit ad eam: & nihil inuenit* “
*in ea niſi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempi-* “
*ternum. Et arefacta eſt continuo ficulnea. Et videntes diſcipuli, mirati ſunt, di-* “
*centes: Quomodo cõtinuò aruit? Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, quia non* Eccli.15.
*eſt à Domino miſſus: quoniam à Deo profecta eſt ſapientia. Sapientiæ enim Dei* “
*adſtabit laus, & in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi. Non dixe-* “
*ris, Per Deum abeſt, quæ enim odit ne feceris. Non dicas, Ille me implanauit: non* “
*enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Domi-* “
*nus, & non erit amabile timentibus Deum. Deus ab initio conſtituit hominem,* “
*& reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua. Si vo-* “
*lueris mandata conſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitã ſer-* “
*uare. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam.* “
*Ante hominem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* “
*Quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine inter-* “
*miſſione. Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit omnem operã hominis.* “
*Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpacium peccãdi. Non enim con-* “
*cupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium. Obſtupeſcite cæli ſuper* Ierem.2.
*hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit* “
*populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas:* “
*ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Nunquid ſeruus eſt Iſraël,* “
*aut vernaculus: quare ergo factus eſt in prædam? Super eum rugierũt leones, &* “
*dederunt vocẽ ſuam, poſuerunt terram eius in ſolitudinẽ: ciuitates eius exuſtæ* “
*ſunt, & non eſt qui habitet in eis. Filij quoque Mempheos & Taphnes conſtu-* “
*prauerunt te vſque ad verticem. Nunquid non iſtud factum eſt tibi quia dereli-* “
*quiſti Dominum Deum tuum eo tempore quo ducebat te per viam. Et nunc quid* “
*tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidã? & quid tibi cum via Aſſyrio-* “
*rum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit* “
*te. Scito & vide quia malum & amarũ eſt reliquiſſe Dominum Deum tuum, &* “
*non eſſe timorẽ eius apud te: dicit Dominus exercituũ. Adulteri & adulteræ ne-* Iac.4.
*ſcitis quia amicitia huius mũdi inimica eſt Deo? Quicunq; ergo voluerit amicus* “
*eſſe ſeculi huius, inimicus Deo conſtituitur. An putatis quòd inaniter ſcriptura* “
*dicat: Ad inuidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis, maiorem autem* “
*dat gratiam.*

*Verùm enimuerò quamquam nunquam peccare præſtiterit, optimúmque ac potiſſimum fuerat à diuinæ legis via non declinare; tamen ea Dei miſericordia eſt: ea ad ſalutem hominum efficiendam voluntas: vt, quamuis ſceleribus & flagitiis offenſi iram peccator ad ſanam mentem rediens, & fide inſtructus, pœnitentia flectat, & mitiget: ac demùm placet propitiúmq; reddat: vt qui vtriuſque ſimul virtutis fidei inquam & pœnitentiæ, magnam ad ſeſe reconciliandum volue-*

Ezech. 18. *voluerit eſſe prærogatiuam. Conuertimini, inquit, ad me: & quare moriemini*
" *domus Iſraël. Nolo mortem morientis, ſed vt conuertatur impius à via ſua ma-*
Iſaiæ 1. *la, & viuat. Lauamini, mundi eſtote, auferte malũ cogitationum veſtrarum ab*
" *oculis meis: quieſcite peruerſè agere, diſcite bene facere. Quærite iudicium, ſub-*
" *uenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite arguite me, dicit*
" *Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi*
" *fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana erũt. Si volueritis, & audieritis me,*
" *bona terræ comedetis: quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis:*
Matth. 3. *gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt. Venit Ioannes Baptiſta præ-*
" *dicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim re-*
" *gnum cælorum. Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Vox*
Mat. 4. *clamantis in deſerto, Parate vias Domini, rectas facite ſemitas eius. Et Ieſus cœ-*
" *pit prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælo-*
*rum. Idem etiam ſe non veniſſe ad vocandos iuſtos ſed peccatores ad pœnitẽtiam*
*aiebat. Miſericordiam autem Dei in eos quos delictorum verè ac legitimè pœni-*
*tuerit, innumeris teſtimoniis apud ſacros ſcriptores commendatam adoramus.*
Pſal. 144. *Miſerator & miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors. Suauis Do-*
Lucæ 1. *minus vniuerſis: & miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Et miſericordia*
Ephes. 2. *eius à progenie, & in progeniem timentibus eum. Dico Chriſtum Ieſum mini-*
" *ſtrum fuiſſe circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſsiones*
" *patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum. Qui diues eſt in mi-*
" *ſericordia, & propter nimiam caritatem ſuam qua dilexit nos, & cùm eſſemus*
" *mortui in peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati: & conre-*
" *ſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſeculis*
" *ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chri-*
" *ſto Ieſu. Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumti: quia non defecerũt mi-*
*ſerationes eius. Nullam porrò eſſe poſſe ſine Deo felicitatem, aut veram homini*
*beatitatẽ, pij ſanctiq́ omnes viri intelligentes, vnicam ſibi optauerunt, & poſtu-*
Pſal. 72. *lauerũt. Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terrã. Et, Mihi au-*
Pſal. 3. *tem adhærere Deo bonũ eſt: ponere in Domino ſpem meã. A fructu frumẽti, vini,*
" *& olei ſui multiplicati ſunt, in pace in idipſum dormiam & requieſcã. Quoniam*
" *tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Manifeſta autem celebrisq́ hiſto-*
*ria eſt arcæ fœderis à Deo Palæſtinis traditæ, quæ Deum, à populo abalienatum,*
*ſignificabat: eamq́ abalienationem publica & communis conſecuta calamitas,*
*nihil felix fauſtumq́ hominibus ſine numinis præſidio eſſe poſſe docet. Atq́ hanc*
*rem nurus Heli ſacerdotis parturiens, iamq́ moribunda, ſuprema voce teſtata,*
1. Sam. 4. *legitur: Audito nuncio quod capta eſſet arca Dei, & mortuus ſocer ſuus, & vir*
" *ſuus, Incuruauit ſe, & peperit: irruerant enim in eam dolores ſubiti. In ipſo au-*
" *tem momento mortis eius dixerunt ei qui ſtabant iuxta eam: Ne timeas, quia fi-*
" *lium peperiſti. Quæ non reſpondit ei, neque animaduertit, & vocauit puerum*
" *Icabod, Tranſlata eſt gloria Dei Iſraël, quia capta eſt arca Dei. Atque de Deo*
*diuinaq́ natura cùm dicendi ac diſſerendi plenè nullum homini initium capi,*
*nullus reperiri finis poſſet, quæ ſatis ad inſtruendam fidem mentemq́ informan-*
*dam, & incendendam cupiditate, plura atque vberiora ipſo eodem docente, di-*
*ſcendi in hanc ſyluam contuliſſe videmur.*

DE

# DE NOMINIBVS DIVINIS QVAEDAM BREVITER.

*IN eo volumine cui Ioſeph nomen fecimus, ſecundumq́; locum in Sacri* Concordan. lib. 1. cap. 4.
*apparatus inſtructione tribuimus, multa, & cognitu digna de diuinis*
*diſſerebamus nominibus: iis videlicet, quæ celebriora & frequentiora*
*apud ſacros vates memorantur. Idem etiam in noſtris meditabamur ſecundùm*
*Pſalterium hymnis. Nunc verò quædam adnotare operæpretium duximus, quæ*
*illorum explicationem iuuare poſſint.*

*Nomen illud quod diuinos libros legentibus primum occurrit* ELOHIM, *ad*
*cæli ac terræ creationem, mundiq́; omnis gubernationem plerumque relatum ob-*
*ſeruare eſt, quamobrem ſæpe cum cæli nomine adiuncto commemoratur. Magnus* 2. Paral. 2.
*enim eſt Deus noſter ſuper omnes deos, ait Salomon. Quis ergo poterit præualere* "
*vt ædificet ei dignam domum? Hæc dicit Cyrus rex Perſarum: Omnia regna ter-* "
*ræ dedit mihi Deus cæli, & ipſe præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ieru-* "
*ſalem, quæ eſt in Iudæa. &, Dixit autem Hiram per literas quas miſerat Salo-* Eſdr. 1.
*moni: Quia dilexit Dominus populum ſuum, iccirco te regnare fecit ſuper eum.*
*& addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui fecit celum & terram:* "
*qui dedit Dauid regi filium ſapientem, & eruditum: ſenſatum atque prudentem,* "
*vt ædificaret domum Domino, & palatium ſibi.* "

*Illud verò ſingulare arcanumq́; nomen Dei, quod quatuor characteribus de-*
*ſcriptum, ineffabile nonnullis dicitur: non Iſraëlitis modò, ſed aliis etiam natio-*
*nibus notum & celebratum eſt: iis videlicet, quibus Iſraëliticarum rerum noti-*
*tia publica, vel communis vicinitas vſusq́; erat. Surrexit Elias, & abiit in Sa-* 1 Reg. 17.
*reptam Sidoniorum: cumq́; veniſſet ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vi-* "
*dua, colligens ligna, & vocauit eam. Dixitq́; ei: Da mihi paululum aquæ in va-* "
*ſe, vt bibam. Cumque illa pergeret vt afferret, clamauit poſt tergum eius, dicens:* "
*Affer mihi, obſecro, & buccellam panis in manu tua. Quæ reſpondit: Viuit Do-* "
*minus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt fa-* "
*rinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. Illud verò diſertè indicat nomen Dei* "
*Iſraëlis fuiſſe apud alias gentes cognitum, quod à Salomone, templum dedican-*
*te, petebatur. Externum quoque qui non eſt de populo tuo Iſraël, ſi venerit de* 2. Paral. 6.
*terra longinqua propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robu-* "
*ſtam, & brachium tuum extenſum, & adorauerit in loco iſto, tu exaudies de cæ-* "
*lo firmiſſimo habitaculo tuo, & facies cuncta pro quibus inuocauerit te ille pere-* "
*grinus: vt ſciant omnes populi terræ nomen tuum: & timeant te ſicut populus* "
*tuus Iſraël, & cognoſcant quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper domum hanc,* "
*quam ædificaui. Sed & antiquiſſimis temporibus, iis qui diluuij tempeſtatē præ-*
*ceſſerant populis diuini huius nominis maieſtas & ratio, Enoſo vate ac miniſtro*
*declarata, & celebrata fuit. Sed & Seth natus eſt filius quem vocauit Enos. Iſte* Geneſ. 4.
*cœpit inuocare nomen Domini. Quin & Aegyptius tyrannus, qui ſibi notum* "
*nomen hoc inficiatus fuerat: tandem & maximum, ac planè diuinum & ado-*
*randum, metuendum, atque inuocandum confeſſus eſt. Quamobrem feſtinus*
*Pharao vocauit Moyſen & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum* Exodi 10.
*veſtrum, & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & ro-* "

» *gate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam.*

*Atque nomen hoc diuinum quamquam ſacroſanctum, in arcanisq́ habitum & cultum: & à quibuſdam ineffabile nuncupatum; non ita tamen in arcanis interdictíſve habitum, quin pronunciari, vocari, & audiri fas fuerit non ſacerdotibus modò ſacra factitantibus ac vatibus: ſed cantoribus & miniſtris. Nonnunquam etiam vulgo atque plebi omni ſeminis pariter atque viris, cùm id pietatis atque laudis & religionis poſtularet ratio. Quod in vanorum deorum periculo*
» *faciendo, ac veri Dei oſtendendo experimento, celebratum legimus. Cecidit au-*
» *tem ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides: puluerem quo-*
» *que & aquam quæ erat in aquæductu, lambens. Quod cùm vidiſſet omnis popu-*
» *lus, cecidit in faciem ſuam, & ait:* DOMINVS *ipſe eſt Deus,* DOMINVS *ipſe*
» *eſt Deus. Tempeſtatis atque rei de qua agebatur, ſingularis ratio indicat nomen illud ſanctum, quod quatuor ſcribitur elementis* יהוה IHVH *fuiſſe ab illis publicè ac palàm vna omnium voce prolatum. Cuius vera ac legitima pronunciatio, quamquam in ſcriptis quæ extant exemplaribus non reperiatur propter numinis ipſius venerationem; tamen à nobis ex literarum ratione obſeruata, & aliàs promiſſa hoc loco exponitur. Verbum* HAIAH *in ſacra lingua Græcorum, & Latinorum ſubſtantiuis* EINAI, & ESSE *reſpondet: cuius futurum tempus eſt* IEHIEH, *iuxta exactam literarum legem. Verùm pronunciationis vſus & elegantia obtinuit vt pro ſecundo* IOD *ſubſtituatur* VAV, *cui coniunctionis propria ineſt vis. Alias verò in noſtris ſcriptis non ſemel adnotabamus verbi futuri vocem æternitatis in ſe continere ſignificationem; æternitatis, inquam, rei ſiue efficacitatis, ſiue paſſionis, vel etiam naturæ illius, quàm verbi, ſimplex & germana indicat vis. Nominum verò propriorum, quæ vel perſonis, vel naturis certis imponuntur, variæ in ſacra lingua formæ ſunt, quas diſtinctè explicare noſtri nunc inſtituti non eſt; tantùm verò dicimus Futuri verbi tertiam perſonam à* IOD *inchoari ſemper, & nomina propria ab eadem litera initium ducentia, futuri formam perpetuò ſeruare: & illam æternitatem ſignificati obtinere, quam vni futuro tempori Chananæa lingua arrogari perſæpe retulimus. Huius documenti exempla fuerint Iiſzahhak, Iiſmaghel, Iaghacob, Ioſiagh, Irmiah, Ieſaghia, Ierihho, Ioram, quibus Latinè vtcunque redditis, ſi vel temporis adnotationem detrahas, vel perpetuitatem cogitando adiungas, ita ſonabunt. Ridebit, Audiet Fortis, Supplantabit, Seruauit, Extollet, Seruauit Deus, Fragrabit, Attollet. Igitur ad hanc pronunciationis atque interpretationis normam ſacroſanctum illud nomen vocatum ſonabit* IEHVEH, *& id quod eſt* ESSE *vni Deo proprium æternúmque affirmabit. Quantum verò myſterij, quantùm ſapientiæ ex nominis tum totius, tum partium atque elementorum, nec non etiam characterum explicatione peti poſſit dicere, alterius loci & argumenti eſt longiſſimi, quod à multis ſuſceptum, à nemine tamen plenè explicatum legimus.*

*Verùm enimuero illud ſilentio prætereundum non duximus, quod magnam nominis huius religionem & ſanctitatem probat, videlicet falſos & fallaces vates, qui populo aliquando regibusq́ imponebant, de futuris euentibus conſultos reſpondiſſe quidem: idque ambiguè, nomen tamen hoc Dei, quamquam rogati fuiſſent, minimè pronunciare fuiſſe auſos: idq́ vanitatis illorum cordatis & prudentibus viris argumentum ac ſuſpicionem feciſſe. Hoc adnotamento locum*

illum

illum explicaturi videmur, quem in Regum hiſtoriis reperire eſt. Dixítque Io- 1.Reg 22.
ſaphat ad regem Iſraël, Quære, oro te, hodie ſermonem IEHVEH. Congregauit “
ergo rex Iſraël Prophetas quadringentos circiter viros. Et ait ad eos: Ire debeo “
in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Qui reſponderunt [ex verbo ita “
vertimus] Aſcende, & dabit ADONAI in manu HAMELECH. Nomen hoc “
poſtremum, & poſſeßiuo & accuſatiuo caſu verti Latinè poteſt: atque ita ambi-
guum etiam in ſua lingua ſenſum conſtituit. Cuiuſmodi fallacium reſponſorum
eſſe ſolet ſermo. Dixit autem Ioſaphat: Non eſt hîc propheta IEHVEH quiſpiam. “
Intellexerat nimirum illos vanorum numinum ſacrificulos & prophetas eſſe,
cùm ex obſcuritate reſponſi, tum verò ex mutato nomine IEHVEH, quo roga-
tos audierat, in ADONAI, quod commune dominis omnibus eſſet, nec ſacram
ſignificationem ex inſtituto primo ſortitum.

Nominis autem huius arcani IEHVEH documenta, ſiue rudimenta po-
tius, vſu atque exemplo manifeſto primus Moſes, Deo inſtitutore & inter-
prete, excepit: excitatus initio ad diſcendum nouo & admirando rerum ſpecta-
culo, cuius penitius quidē cognoſcendi ſtudium admiſerat, probaueràtque Deus:
modum verò tantæ maieſtati indignum ineptúmque pronunciauit. Nam cùm
ille propter ſummam naturæ verique cognitionem rerum quæ videntur, quæq;
fiunt, cauſas rationéſque teneret, atque huiuſmodi meditationibus animū etiam
in illa ſolitudine paſceret, oblectarétque: noui ignis, nouiq; incendij veritatem,
experimento propius ac certius capiendo & expendendo, re ipſa & ratione ex-
quirere parabat. Nouerat enim nullam lignorum ac ſiluæ omnis materiam faci-
liorem igni pabulum præbere; nec incendiorum initiis fomenta aptiora ſuppedi-
tare, quàm ſentes rubos & ſpinarum genus omne, quod vel breuiſsimo tempore
flammis correptum vehementi ſtridore abſumi ſolet. S.S.E. Et exarſerunt ſicut Pſal. 117.
ignis in ſpinis, & ſicut flamma comburens ſiluam. Hanc & ignis & ſpinarum ra- “
tionem vt ſi quis maximè ille cùm teneret, rubum ingenti ignis flamma incen-
ſum ardere, ac diu illæſum, virentem, & integrū perſeuerare, cum inſoliti exem-
pli, ac ſibi prorſus noui cognoſceret: nec tamen naturæ vim excedere arbitrare-
tur, num ex ſingulari ſoli, atque aëris vel arbuſti ingenio id effectum eſſet, cog-
noſcere auebat. quamobrem grege relicto, maioreq; explendæ mentis amore, ſtu-
dio, & cura quam pecoris impulſus: Vadam, inquit, & videbo viſionem hanc
magnam, quare non comburatur rubus. Namque hebenum diutius igni ob-
ſiſtere, qui rerum callent naturas, affirmant. laricem flammas non metuere
quibuſdam etiam doctis, quamquam falsò perſuaſum fuit, rubum verò ab igne
non pati, nemini hominum affirmatur. quare non comburatur rubus. Ve-
rùm enimuerò exemplum illud quod acuti & ingenioſi viri oculis ac ſenſui ob-
iiciebatur ab omni vel naturæ efficacitate, vel humani ingenij ſagacitate pror-
ſus diſtare, diuerſumq; eſſe, ac non niſi diuinam tantùm virtutem laudare ſacro-
ſancto reſponſo quamprimum declaratum eſt: nihilque in illo loco pro temporis
& ſpectaculi ratione definiendum aut cogitandum, quod à ſanctitate & maie-
ſtate Dei differret. Cernens autem Deus quod pergeret ad videndum, vo-
cauit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes? Qui reſpōdit, Adſum.
At ille, Ne appropinques, inquit, hūc, Solue calceamentum de pedibus
tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Nec exemplum vulgare, com-
mune, aut naturæ vſibus conferendum; nec externæ humanæq; induſtriæ, vel

dili-

*diligentiæ momentis pen ſandum, aut exprimentis curis ac ſtudiis non modò tractandum, ſed nec tentandum quidem reſponſi oratio ſignificabat, ſed quod prorſus ad ſingularem præſentis Dei voluntatem, prouidentiam, & efficacitatem re-* מקום
*ferri oporteret.* Locus ſanctus, & terra ſancta. *Hæc ſumma rerum deſcriptio* ארץ
*fuit nominibus expoſita arcanis, quorum ſignificatio breuiter paulò inferius indicabitur. Huiuſmodi verò exordio excitatus Moſes, diuinum deinde oraculum ex miſericordia ac benignitate fuſum, ex ordine audit de voluntate Dei erga Iſraëlitarum libertatem & ſalutem, déque nouo vitæ atque commodorum omnium vſu, de felicitate conſtituendæ illis publicæ ac priuatæ rei, déque horum omnium fine ſummo, hoc eſt, communi humani generis redemtione ac vita, & beatitate.*

*Sunt præterea alia nomina, ſiue potius prænomina, aut etiam cognomenta, quæ huic nomini ſancto vel ſubſtituuntur, vel ad certam adiunguntur ſignificationẽ, vt* ADON. *quod ſingulare eſt illius alterius* ADONAI, *vt apud Iſaiam.*
Iſaiæ 1. *Propterea ait* ADON IEHVEH TSEBAOTH *Fortis Iſraël, Heu conſolabor*
» *ſuper hoſtibus meis. quo in loco vni nomini tria adſcripta legimus.* ADON *Dominus,* TSEBAOTH *exercituum.* ABIR ISRAEL *Fortis propugnator Iſraël. Cognomentum verò* TSEBAOTH *ad potentiam indicandam citari iam*
Lib. Ioſeph. *declarauimus. In eandem ſententiam à D. Iacobo citatum:* *Ecce merces opera-*
» *riorum, qui meſſuerunt regiones veſtras: quæ fraudata eſt à vobis, clamat; & cla-*
» *mor eorum introiuit in aures Domini Dei exercituum.*

*Illud porrò* SADAI *quod ſufficientiſſimum & beatiſſimum interpretari poſſumus, & longè maius quàm Græcorum* αὐταρκὴς *indicat, maieſtatis amplitu-*
Ruth 1. *diniſque diuinæ exemplis apponitur. Ne vocetis me Noghami, ſed vocate me*
» *Mara, quia amaritudine valde repleuit me* SADAI, *Egreſſa ſum plena, &*
» *vacuam reduxit me Dominus: Cur ergo vocatis me Noëmi, quam Dominus*
» *humiliauit, & afflixit* SADAI. *Quæ oratio ex antitheto, ſiue contrario explicanda venit.*

# DE PROPHETIA ET PROPHETIS

## LIBER VNICVS, PARAGR. PRIMVS.

1. Cum anim. lib. 1. cap. 5.

MAXIMA *eorum quæ in omni opere, quod commentamur, continentur, tum argumentorum, tum ſermonum pars vel ex Prophetarum dictis & ſcriptis petita eſt, vel certè deriuata ex eiuſdem ſpiritus doctrina & inſtitutis, qui verus atque vnicus Prophetiarum auctor, & Prophetarum inſtructor fuit. Quamobrem quæ de omni generis huius ratione & forma in ſacris lectionibus Dei beneficio obſeruauimus, in certa redacta capita oportunam diſſerentibus copiam allatura exponemus, initio à rei definitione facto, cuius rectè cognitæ facultatem magnum in omnem cognoſcendorum partem vſum afferre poſſe intelleximus.*

2. Vaticinium quid?

*Eſt autem prophetia quæ eadem apud Latinos vaticinatio ſiue vaticinium dicitur, Dei ſolius reſponſum ad vtilitatem hominum homini creditum & mandatum. Huius verò definitionis partes cùm ſigillatim explicuerimus, munus officiumq; noſtrum pro ingenij tenuitate exegiſſe videbimur.*

*Prin-*

*Principio Deum vaticiniorum auctorem eſſe, vtpote ſolum temporum om-* 3.
*nium compotem, & futurorum indicem vnicum & certiſsimum veraciſsimumq́,* Auctor Deus.
*& à futuri expectatione alieniſsimum: cuiq́, omnia præterita ac futura non mi-*
*nus atque præſentia conſtent, ſanctorum ſcriptorum teſtimoniis illis accepimus.*
*Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia propria interpretatione non* 2. Pet. 1.
*fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſan-* “
*cto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines. Et ait Dominus ad Eliam, Vade,* 1. Reg. 19.
*& reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cúmque perueneris il-* “
*luc, vnges Hazael regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges regem ſuper* “
*Iſraël. Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abel Meula, vnges Prophe-* “
*tam pro te. Profectus ergo Elias, repperit Eliſæum filium Saphat arantem in* “
*duodecim iugis boum, & ipſe in duodecim arantibus vnus erat. Cumq́, veniſſet* “
*Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum [quo videlicet ritu & geſtu illum* “
*vmbra diuina velatum, & Spiritu Dei inuaſum ſignificabat, ſignificationem*
*verò res ipſa extemplo ſubſecuta eſt. Nam] ſtatim, relictis bobus, cucurrit poſt* “
*eum, & ait: Oſculer oro patrem meum, & matrem meam, & ſic ſequar te. Dixitq́,* “
*ei, Vade & reuertere, quod enim meum erat, feci tibi. Reuerſus autem ab eo, tulit* “
*par boum, & mactauit: & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & com-* “
*ederunt: conſurgénſque abiit, & ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei. Et tunc vir* “
*quidam de filiis prophetarum dixit ad ſocium ſuum* IN SERMONE DOMINI, “
*percute me. At ille noluit percutere. Cui ait: Quia noluiſti audire vocem Domi-* “
*ni, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumq́, paulùm receſsiſſet ab eo, inuenit* “
*eum leo atque percuſsit. & illud, Ierunt itaque Helchias ſacerdos & Ahicham,* 2. Reg 22.
*& Achobor, & Saphan, & Aſaia ad Holdam prophetidem vxorem Selum filij* “
*Thecuæ, filij Araas cuſtodis veſtium, quæ habitabat in Ieruſalem, in ſecunda.* “
*Locutiq́, ſunt ad eam. At illa reſpondit eis. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Di-* “
*cite viro qui miſit vos ad me, Ecce ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſu-* “
*per habitatores eius omnia verba legis, quæ legit rex Iuda, quia dereliquerunt* “
*me, & ſacrificauerunt Diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum* “
*ſuarum, & ſuccendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. Regi au-* “
*tem Iuda qui miſit vos vt* CONSVLERETIS DOMINVM, *ſic dicetis:* HÆC “
DICIT DOMINVS DEVS ISRAEL, *&c. Atque ex hac ratione factum eſt* “
*vt frequentiſsimum illud à vatibus reſponſum inchoantibus vſurpetur:* HÆC “
DICIT DOMINVS. *Prope facite iudicium veſtrum* DICIT DOMINVS, *af-* Iſaiæ 66.
*ferte ſiquid fortè habetis* DIXIT REX IAACOB. *Accedant & nuncient no-* “
*bis quæcunque ventura ſunt,* PRIORA QVAE FVERVNT NVNCIATE, “
*& ponemus cor noſtrum, & ſciemus nouiſsima eorum,* ET QVAE VENTV- “
RA SVNT INDICATE NOBIS, *Annunciate quæ ventura ſunt in futu-* “
*rum, & ſciemus quia Dij eſtis. Quis annunciauit ab exordio vt ſciamus, & à* “
*principio vt dicamus, Iuſtus es? Non eſt neque annuncians, neque prædicens, ne-* “
*que audiens ſermones veſtros. Primus ad Sion dicet, Ecce adſum, & Ieruſalem* “
*euangeliſtam dabo. & vidi, & non erat: neque ex iſtis quiſquam qui iniret con-* “
*ſilium, & interrogatus reſponderet verbum. Ecce omnes iniuſti, vana opera eo-* “
*rum, ventus & inane ſimulacra eorum. Ita verò Deus vera & certa vatibus* “
*ſuis referenda dictare ſolet, vt etiam antequam contingat, iuramento aſſeueret.*
*Annunciate & venite, & conſiliamini ſimul: quis auditum fecit hoc ab initio,* Iſaiæ 41.

» ex tunc prædixit illud? Nunquid non ego Dominus, & non eſt vltrà Deus abſ-
» que me. Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ, quia ego Dominus
Iſaiæ 46. & non eſt alius. In memetipſo iuraui, egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, &
» non reuertetur. Recordamini prioris ſeculi, quoniam ego ſum Deus, & non eſt
» vltrà Deus, neque eſt ſimilis mei. Annuncians ab exordio nouiſſimum, & ab
» initio quæ necdum facta ſunt, dicens: Conſilium meum ſtabit, & voluntas mea
fiet. Quæcunque verò à Deo prædictionis cauſa dictata fuerint, ex certa conſilij
diuini ſententia cùm proficiſcantur, certiſſima & conſtantiſſima ex conſequenti
Ierem. 4. fore vates affirmant. Hæc enim dicit Dominus: Deſerta erit omnis terra, ſed ta-
» men conſummationem non faciam. Lugebit terra, & mærebunt cæli deſuper, eò
» quòd locutus ſum, COGITAVI ET NON POENITVIT ME: nec auerſus
» ſum ab eo. Et Spiritum ſanctum ſiue afflantem & inſpirantem, ſiue aliàs mo-
nentem ac docentem, prophetiarum ac prophetarum auctorem eſſe intelligimus.
Et tamen vbi adlocutio colloquiúmque incidit, non à Deo ipſo, ſed ab Ange-
lo quopiam cum Dei mandatis miſſo, vates fuiſſe conuentos legimus. Sic Zacha-
Zach. 1. rias de ſe confeſſus, ait: Et dixi, Qui ſunt iſti Domine mi? & dixit ad me Ange-
Heb. 1. lus Domini, Ego oſtendam tibi quid ſint hæc. & Paulus, Si enim, inquit, qui per
Act. 7. Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus. Et Moſi Angelum in flamma rubi
viſum, affirmat Stephanus.

4. Atque reſponſa hæc quæ oracula, ſiue vaticinia dicimus, quanquam diuina
planè ſint, auctorémque Deum ſolum agnoſcant: non tamen à Deo ipſo ſine vllo
medio aut internuncio reddita quondam fuerunt: imò neque ab Angelo quo-
piam palàm ac publicè pronunciata, præterquam ſemel in Sina monte: ſed An-
geli miniſterio homini alicui ad eam rem inſtructo dictata: ſiue is vnicus, ſiue
plures fuerint qui mādatum exciperent. Id quod Paulus ſingulari beneficio Dei
adſcribit, qui ex ipſo hominum genere voluntatis ſuæ aliis declarandæ homini-
» bus interpretes & nuncios, ac legatos creauerit. Quoſdam quidem dedit Apo-
» ſtolos, quoſdam Prophetas, alios Doctores.

5. Nec quiſquam Angelorum, quamquam publicè aliquando verba feciſſe lega-
Iudic. 2. tur, vel Vates, vel Propheta dicitur. Prophetam autem ipſum Angelum, hoc eſt,
nuncium Domini vocari nihil prohibet. Atque ita Angelum Domini de Galga-
lis ad locum flentium aſcendiſſe dicitur. Atque hac eadem ratione Ioannes Ba-
» ptiſta Angeli nomine & officio mittendus prædicitur. Ecce ego mitto Angelum
Malach. 3. meum, & præparabit viam ante faciem meam.

6. Numerum autem eorum quibus huiuſmodi munus demandatum eſt pro ſecu-
Numerus. lorum ac temporum, agendarumq́; rerum ratione non ſemper eundem, ſed ex di-
uino conſilio aliàs alium obſeruauimus. Interdum vnus qui publicè rem ageret,
miſſus, vel vnius, vel plurium mandatorum interpres ac denunciator. Nonnun-
quam verò plures eodem tempore ac loco, vel de eodem, vel de variis argumentis
acturi miſſi ſunt. quo plures verò miſſos legimus, eò reiectos eſſe & contemptos
2 Reg. 2. maioris populo culpæ & criminis fuit. Namque de Eliæ & Eliſæi temporibus
» ſcriptum eſt: Et egreſſi ſunt filij Prophetarum qui erant in Bethel ad Eliſæum,
» & dixerunt ei: Nunquid noſti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te?
Ierem. 25. Qui reſpondit: Et ego noui, Silete. Et locutus eſt Ieremias Propheta ad omnem
» populum Iuda, & ad vniuerſos habitatores Ieruſalem, dicens. A tertio decimo
» anno Ioſiæ filij Amon regis Iuda vſque ad diem hanc (iſte tertius & vigeſimus
annus)

*annus) factum eſt verbum Domini ad me, & locutus ſum ad vos de nocte con- "*
*ſurgens & loquens, & non audiſtis. Et miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos "*
*Prophetas, conſurgens diluculo, mittenſque, & non audiſtis. Tametſi verò non "*
*omnium ad nos vſque peruenerint nomina, qui plures eodem tempore fuerint: tamen ita rem habere, illorum catalogus, diligenter petitus, docebit. Certè noui Teſtamenti iam firmati initio complures exſtitiſſe Prophetas & Prophetides accepimus, & Moſe poſtulante, ſeptuaginta duos ex Iſraële viros, partim ante ſacri tentorij atrium, partim verò in ipſis caſtris diuino correptos ſpiritu, & vaticinatos nouimus.*

*Quàm verò antiquum hoc munus fuerit, facilè intelliget, qui primum hominum parentem Adamum in vatum numero conſcriptum adnotauerit, in cuius familia ac domo illud editum fuit vaticinium. Iſte conſolabitur nos ab operibus manuum noſtrarum in terra cui maledixit Dominus. A quo ad Noahhum vſque per omnes ætates diuinum myſterium, quod prophetiarum omnium præcipuum argumentum eſt, certis hominibus creditum legimus, & à Noahho etiam ad Abrahamum, quanquam non ita vel frequens, vel clarum ab Abrahamo ad Moſem iam diſtinctius traditum: à Moſe autem ad Samuelem vates, quanquam raros, tamen non prorſus defuiſſe. Poſteris autem temporibus ad Zachariæ vſque ætatem complures interdum ſimul, nonnunquam binos aut ternos, non ſæpe ſingulares vaticinatos accepimus. Eorum autem quorum extant nomina, ſuo loco recenſenda relinquimus. Certè qui regnorum ac terrarum viciſsitudines, mutationes, bella & pacem, aut calamitates alias prædicerent, multos quondam legatos Ieremias publicè teſtatus eſt. Verumtamen audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus vniuerſi populi. Prophetæ qui fuerunt ante me, & ante te ab initio, & prophetauerunt ſuper terras multas, & ſuper regna magna, de prælio, de afflictione, & de fame. Plurimos autem poſt latam legem vates, & monitores Iſraëlis genti miſſos apud Hoſeam Deus ait. Ego Dominus Deus tuus ex terra Aegypti adhuc ſedere te faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis. Et locutus ſum ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manu Prophetarum aſsimilatus ſum.* 7. Gen. 5. Ierem. 28. Oſeæ 12.

*Quales verò, quáve conditione homines huic obeundo muneri delecti ac præfecti fuerint, indicare proximum eſt. nempe quod ordinem ſpectat, nec pauperes, nec diuites, nec reges, nec ſeruos, nec ſacerdotes, nec ex plebe, nullum denique in republica gradum excluſum notauimus. Quippe & Moſem & Amoſum paſtores è gregibusq; aſſumtos conſtat. Dauidem Dauidisq; hærede Salomonem in ipſa regni ſede vaticinatos, & Saulem iam vnctum inter Prophetas numeratum publico prouerbio diuulgatum fuit, Ieremiam iuuenem ex ſacerdotum, Iſaiam ex regum familiis prognatos, id officij Dei mandato præſtitiſſe ſcimus. Moribus autem integros candida ac ſimplici mente præditos plerunque delectos, præter paucos admodum quos pro temporis ac loci opportunitate vt Balamum, vel pro muneris publici dignitate, vt Caiapham; vel ſemel, vel iterum tantùm vaticinari coactos, ex ſacris accepimus hiſtoriis. Nam de Bilghamo ſcriptum eſt: Dominus poſuit verbum in ore eius, & ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris. Reuerſus inuenit ſtantem Balac iuxta holocauſtum ſuum, & omnes principes Moabitarum. Aſſumptaq; parabola ſua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus orientis veni, inquit, & maledic Iacob, propera & dete-* 8. Conditio vatum. Num. 23.

» ſtare Iſraël. *Quomodo maledicam cui non maledixit Deus? Qua ratione dete-*
» *ſter, quem Dominus non deteſtatur?* & paulò pòſt: *Dixítque Balac ad Balaam.*
» *Quid eſt hoc quod agis? vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu è contra-*
» *riò benedicis eis. Cui ille reſpondit, Num aliud poſſum loqui niſi quod iuſſerit*
» *Dominus?* & nonnihil inferius: *Ad maledicendum adductus ſum, benedictio-*
» *nem prohibere non valeo.* &, *Nónne dixi tibi quod quidquid Deus mihi impe-*
» *raret, hoc facerem?*

9. Tempus. *Tempora verò & opportunitates vaticiniorum ad Dei conſilium & arbitrium ſunt referenda, quippe qui vnus & humanis proſpiciat rebus, & nullam ipſis vtilem prætermittat commoditatem, adeò vt ſingulis etiam diebus ſummo manè conſurgere, & vates ſuos mittere dicatur. Sed quod aliquando Prophetarum inopia laboret, populus ipſe ſibi meretur dum propter praua ſtudia à veritate alienum ſe præbet, & admonitiones, increpationes, obiurgationéſque diuinas contemnit, vel odit.* Iſaiæ 6. *Quem docebit ſcientiam, aut quem intelligere faciet*
» *ſermonem? Ablactatos à lacte, depulſos ab vberibus, & erit illis verbum Domini*
» *Manda remanda, Expecta reexpecta, Modicum ibi, modicum ibi. In loquela*
» *enim labij & lingua altera loquetur ad populum iſtum.* Hinc illud eſt quod de
1. Sam. 3. *Heli ſacerdotis tempeſtate legimus. In diebus illis non erat viſio manifeſta.* &,
» *Carum etiam verbum Domini fuiſſe eadem refertur hiſtoria.*

10. Modus. *Sed quemadmodum vis illa prophetica homines inuadat, arripiat, & afficiat, ipſis tantùm quibus contingit, intelligi & cognoſci poteſt: aliis autem non minus quàm cetera diuina difficillimum cognitu eſt, quanquam variis imaginibus atque admirandis verbis à vatibus ipſis id narretur, ac deſcribatur. Illud tamen verum eſt, vatum mentes in ſublimem contemplationem & cognitionem raptas videri fortaſſe mortalium ceterorum iudicio inſanire: tamen tunc & ſibi rectiſſimè conſtare, & multa cognoſcere cum humana tum diuina, eorumq́ partem pro ſpiritus cæleſtis voluntate & iuſſu vel canendo, vel clamando, vel aliàs eloquendo prædicere, docere, monere, polliceri aut minari, qualicunque corporis habitu, geſtu, qualíve ſitu ſpectetur. quo in genere mira viſitur varietas. Verumtamen nullum deſipere, ſed omnes optimè ſapere, animóque in id quod iubentur, intento agere didicimus. Spiritusq́ Prophetarum Prophetis ſubiectos eſſe, ex Apoſtolis, atque ex ipſorum met dictis & factis nouimus. Mutari illos quidem, & ab humili, vulgari, & communi ceterorum hominum ſenſu & cogitatione plurimum diſtare: nec tamen propterea amentes, quin potiùs mentis atque animi maximè eſſe compotes Sauli à Samuele prædictum.* 1. Sam. 10. *Poſthac venies in collem*
» *Dei, vbi eſt ſtatio Philiſtinorum. Et cùm ingreſſus fueris ibi vrbem, obuium ha-*
» *bebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium &*
» *tympanum, & tibiam, & cytharam, ipſosq́ prophetantes, & inſiliet in te ſpiritus*
» *Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Id quod non
» multo pòſt effectum narratur. *Veneruntq́ ad prædictum collem, & ecce cuneus*
» *Prophetarum obuius ei. Et inſiluit ſuper eum ſpiritus Domini, & prophetauit*
» *in medio eorum. Videntes autem eum omnes qui nouerant eum heri & nudiuſ-*
» *tertius, quòd eſſet cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: Quæ-*
» *nam res accidit filio Cis, Num & Saul inter Prophetas? Reſpondítque alius ad*
» *alterum, & Cis pater eius. Propterea verſum eſt in prouerbium, Num & Saul*
» *inter Prophetas?*

*Non*

*Non eſt autem vnum genus, nec modus vnus quo in vatibus inſtruendis vtitur Deus: namque alios viſis per quietem oſtenſis, vel ſermonibus & mandatis traditis inſtituit, docet, atque miniſterium exercere iubet: qui, quamquam oculis ac ſenſu dormiant, rem tamen non minus certam & cognitam referunt, quàm ſi vigiles edocerentur. Alios verò vigilantes ſpectra & ſigna ſimulacráque rerum mente & animo contemplari, & quæ aliis videri non poſſunt, ipſos cernere facit ſpiritus; nec viſis tantùm rerum imaginibus, verùm ſermonis & eloquiorum argumentis ac verbis auget. Illud verò magis ceteris familiare genus eſt cùm aperta voce, & præſenti ſermone vates alloquitur Deus: quod tamen exemplum rarum admodum, hoc eſt, apud paucos vates obſeruatum eſt, ſiquidem vni legiſlatori Moſi hoc frequens fuit, Samueli aliquando etiam conceſſum puero adhuc, & in Heli ſacerdotis diſciplina & miniſterio verſanti. Atque horum trium generum in vatibus informandis diſtinctionem ab ipſo accepimus Deo. Erat autem Moyſes mitiſſimus omnium hominum qui morabantur in terra. Statim locutus eſt Dominus ad eum, & ad Aaron, & Mariam, Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis. Quumq́; fuiſſent egreſſi, deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam. Qui cùm iiſſent, dixit ad eos: Audite ſermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquar ei: palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Et apud Ioëlem promiſſio prophetici ſpiritus in hanc ſententiam facta eſt. Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Daniel verò ſe ab Angelo tactum, & continuo viſionis rationem edoctum ait: Ecce vir Gabriel quem videram in viſione à principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me, & locutus eſt mihi. Ad Semeiam verò hominem Dei, factum eſt verbum Domini, dicens: Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad vniuerſum Iſraelem qui eſt in Iuda & Beniamin. Philippo in animi aurem dictū: Accede, adiungere currui. Azarias verò filius Obed diuino ſpiritu afflatus narratur. Verùm hæc, quamquam humano ſenſu audiantur quemadmodum fiant & exſtent: ne cogitando quidem ab homine percipiuntur: imò ſtultitia mera videntur, nec intelligi poſſunt, quia ſpiritualiter examinantur. Quis autem cognouit ſenſum Domini, aut quis inſtruxit eum, ait Paulus. Quocunque verò ex his modis affecti fuerint vates, tamen conſtante mente certóque ſenſu ſunt. Sic enim Balaam eleuans oculos, vidit Iſraëlem in tentoriis commorantem per tribus ſuas, & irruente in ſe ſpiritu Dei, aſſumpta parabola, ait: Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus eſt oculus. Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt. Qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius. Abramo factus eſt ſermo Domini per viſionem, dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Et profectus Iſraël cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum: & mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac, audiuit eum per viſionem dicentem ſibi: Iacob, Iacob: Cui reſpondit, Ecce adſum. Et ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: Noli timere, ſed deſcende in Aegyptum: quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego deducam te reuertentem. Id quod poſt per-*

II. Num. 12. Ioel. 3. Dan. 9. 2. Paral. 11. Act. 8. 2. Paral. 15. 1. Cor 2. Num. 24. Geneſ. 46.

actum ritè, ſacrum ille accepiſſe reſponſum narratur. Familiaris verò colloquij
Exodi 5. cum Moſe habiti complura exempla ſunt. vt illud: Reuerſúſque eſt Moyſes ad
» Dominum,& ait: Domine cur afflixiſti populum iſtum? quare miſiſti me? Ex eo
» enim quo ingreſſus ſum ad Pharaonem vt loquerer ex nomine tuo, afflixit po-
Exodi 6. pulum tuum,& non liberaſti eos. Dixítque Dominus ad Moyſen: Nunc videbis
» quæ facturus ſum Pharaoni, per manum enim fortem dimittet vos: & in manu
» robuſta eiiciet eos de terra ſua. Et dixit Dominus ad Moyſen: Aſcende in mon-
» tem, & eſto ibi: dabóque tibi tabulas lapideas, & legem, atque mandata quæ
» ſcripſi, vt doceas ea filios Iſraël. Cum Samuele verò hoc aliquando inſtauratum
legimus aliàs viſione aut monitu affecto ſæpius vate. Dixitq́; Dominus ad Sa-
1.Sam.16. muel, Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael?
» Imple cornu tuum oleo,& veni,& ego mittam te ad Iſai Bethleemiten. Prouidi
» enim in filiis eius mihi regem. Et ait Samuel: Quomodo vadam, audiet enim
» Saul,& interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua,
» & dices, Ad immolandum Domino veni, & vocabis Iſai ad victimam, & ego
» oſtendam tibi quid facias, & vnges quemcunque monſtrauero tibi.

12. Tempus. Nec verò vis illa ita vatem afficit, vt perpetuò vaticinari cogat, aut in naturalem abeat facultatem, aut habitum firmet vaticinandi pro arbitrio proprio ſicut facultates & virtutes aliæ hominibus diuino ac ſingulari dono conceſſæ: quarum aliqua in natura ſimilitudo eſt. Bezalaelem Spiritus ſanctus ad omnem artem quæ animi intentione,& manuum opera exercetur, ita ſemel inſtructum reddidit, vt omni quo iuuaret tempore, agere, inuenire, & conficere nihil prohiberet. Salomoni ſapientiæ quod ex diuino beneficio contigerat dono, vti ex animi ſententia licuit: adeò vt in media ſapientia ſtultitiam admittere aliquando
» libuerit,& in ſtultitia ſapientiam repetere placuerit. Dedi (ait ille) cor meum,
» vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroréſq; & ſtultitiam: & cognoui quod
» in his quoque eſſet labor & afflictio ſpiritus. Verùm enimuerò vaticinij vis & munus nihil huiuſmodi habet, quippe quod tam diu durat & exercetur, quam diu ſpirituum Dominus, hoc eſt, diuinus voluerit ſpiritus. Vnde nonnullis id muneris ad horam, aliis ad longum tempus, quibuſdam ad ſupremum vſque diem conſtitiſſe narratur. Huius poſtremi ordinis Moſes fuit, quem Domini ſeruum
Deut. 34. vita exceſſiſſe legimus. Mortuuſq́; eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab,
» iubente Domino. Et factum eſt poſt mortem Moyſi ſerui Domini, vt loqueretur
Ioſue 1. Dominus ad Ioſue filium Nun, dicens: Moyſes ſeruus meus mortuus eſt. Elias
» etiam & Eliſæus & vita pariter, & munere ſunt perfuncti. Ieremias ante Babylonicam tranſmigrationem ita apud populum de ſe, officióque ſuo agebat.
Ierem. 25. A tertio decimo anno Ioſiæ filij Amon regis Iuda vſque ad diem hanc (iſte ter-
» tius & vigeſimus annus) factum eſt verbum Domini ad me, & locutus ſum de
» nocte conſurgens, & loquens, & non audiſtis. Qui poſtea etiam captiuus aliquando vaticinatus dicitur. Amoſus duobus annis ante terræ tremorem officium abſoluit ſuum. Abdias vna actione vaticinatus eſt. Ezechiel certis tempo-
» ribus Dei mandatũ populo referendum ſe recepiſſe indicat. Et factum eſt in anno
» ſeptimo, in quinto vndecima menſis venerũt viri de ſenioribus Iſrael, vt inter-
» rogarent Dominũ,& ſederunt corã me, & factus eſt ſermo Domini ad me, dicẽs:
» Fili hominis loquere ſenioribus Iſrael,& dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus:
» Nũquid ad interrogandũ me vos veniſtis? Viuo ego, quia non reſpondebo vobis,
ait Dominus.

Iam

Iam verò quiſnam & quàm multiplex vatum & vaticiniorum vſus fuerit, 13.
ſi ſingillatim diſſerendo perſequi libeat, immenſi temporis & otij, aut potius ne- Vſus.
gotij opus fuerit. Quippe nulla vitæ actionumq́; humanarum cùm priuatarum,
tum publicarum pars indicari poteſt, quam vaticinij vtilitas non ſpectet. Quid-
quid enim ad vaticiniorum genus referri poteſt, hominum cauſa diuinitus inſti-
tutum datumq́; eſt. Ac principio ipſa veri Dei notitia nullo ſtudio nullóve nego-
tio humano haberi æquè potuit, atque Dei ipſius doctrina & inſtitutione: cuius
cauſa antiquiſsimi primùm vates creati fuere, & Moſes poſtea locupletiſsimus
diuinæ diſciplinæ præceptor datus, qui principio altè repetito, præterita, præſen-
tia, & futura, quæ hominibus cognoſcere expediret, cum humana, tum diuina,
& præſens continuis actionibus docuit, & ad vſum poſteritatis, literis & libris
mandauit; idem promiſſa diuina de humani generis vera felicitate & ſalute de-
clarauit, idem de fide diuinis dictis & promiſsis præſtanda, de obſequio, déque
omni pietatis ratione præcepit, & quibus hæc ritè ac purè coleretur, leges, Deo
dictante, ſcripſit. Idem etiam veras temporum ac rerum hiſtorias à mundi exor-
dio ad ſuam vſque ætatem luculentiſsimè compoſuit, ac futurorum ſeculorum
ſummam vaticinatus præſcripſit. Idem conſilio & opera atque iudicijs exercen-
dis ſummum & præſtantiſsimum in bello ducem, in pace gubernatorē optimum,
prudentiſsimum, & innocentiſsimum egit, & ſocios quos optatos aſſumpſerat,
prophetico ſpiritu auctos videns gratulatione ſumma probauit. Adeò enim vir-
tutem illam commodiſsimam & vtiliſsimam intellexerat, vt miniſtro de qui-
buſdam extra caſtra prophetantibus, referenti reſponderit: Quid æmularis pro Num. 11.
me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritū ſuum. "
Scopus autem vatum vaticiniorumq́; omnium ad communem & ſingularem ho-
minum ædificationem pertinet. quod non modò ille, & qui illa tempeſtate fue-
runt Prophetæ omnes, verùm qui poſteà ad extremum vſque conſecuti ſunt dili-
gentiſsimè & ſtudioſiſsimè egerunt. Aedificationem autem dicimus hominum,
quorum animi ad excipiendum in ſe Deum, non vt hoſpitem, ſed vt regem, præ-
ſidem, patrem, & ſalutis atque veræ & æternæ felicitatis auctorem & principem
inſtruebātur, hæc enim vltima & abſolutiſsima totius huius muneris cauſa fuit,
vt ſuo indicabimus loco. De omni hoc, alijsq́; diuinorum donorum generibus ita
Paulus: Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: diuiſiones miniſtratio- 1. Cor. 12.
num ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò "
Deus qui operatur omnia in omnibus. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccle- "
ſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes. &, "
Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia: magis autem vt prophetetis. Qui 1 Cor. 14.
enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit. Spiri- "
tu autem loquitur myſteria. nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædifica- "
tionem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſeipſum ædi- "
ficat: qui autem prophetat, Eccleſiam ædificat. Eſt itaque prophetia vna ex præ- "
cipuis, ex vtiliſsimis miniſtrationum generibus: ideóque tam diu exercetur, quo-
ad auctor ipſe ſpiritus exercendum crediderit. Gratiarum quidem vſus & exer-
citatio liberior eſſe ſolet. At verò miniſtratio ædificatióque hæc multis iuuatur
modis. Nam & quæcunque conſtructionem impedire vitiaréve poſſunt, ad ædifi-
catoris artificisq́; curam pertinet eadem vel amouere, vel cauere, vel prorſus ab-
iicere & repudiare. Quamobrem non modo promiſſa in memoriam reuocare

& confirmare ſolent vates, verùm etiam virtutum ſtudia commendare & excitare, legis & beatæ vitæ præcepta explicare, non qui noua inſtituant, ſed qui vera & antiqua, legitimáque interpretentur: & quæ in mores irrepſerint, vitia notent, & reprehendant, pœnitentiæq́ ſeriæ poſtulatione expianda curent, vel pœnarum inſtantium denunciatione diſſuadeant. Quæ tamen denunciatio, non ad neceßitatem fit ſimpliciter, verùm ex miſericordia Dei nolentis aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Neceßitatem enim punitionis non ira Dei, ſed humana malitia, proteruia, & contumacia infert. Atque hæc in cauſa ſunt vt Prophetæ ſæpius repulſi & contempti tandem iudicium factum, ſententiam latam iam & obſignatam, moxq́ conſecutura pœna, perferendā recitent. Quam rerum & actionum diſtinctionem in promptu eſſe operæpretium fuerit iis qui in vatum hiſtoriis lectionibusq́ verſantur. idq́ à nobis breuiter indicatum, iunctis exemplis commonſtrabitur. Vocationes ac monitiones quamplurimas huiuſ-
Iſaiæ 51. modi audire eſt. Audite me qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum. Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis. Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Conſolabitur ergo Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius: & ponet deſertum eius quaſi delicias, & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis, &c.

14. Conſilia. Iſaiæ 1. Agendarum verò rerum ſtudiiq́ ſuſcipiendi conſiliarium & præceptorem, ſæpißimè vates agere ſolet. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite peruersè agere, diſcite bene facere. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinū, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis; gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt.
Prouidentię argumentū. Cuius prouidentiæ atque curæ erga humanas res argumentum certißimum vaticinia ſunt. Id quod Ieremias vaticinij ſui teſtatur initio. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Prius quam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te.

15. Oculi populi. Iſaiæ 29. Et quoniam iidem tempora omnia præſentia cernunt, præterita reſpiciunt, & futura præuident, & quid expediat perſpiciunt, populi lumina atque oculi dicuntur. Obſtupeſcite, & admiramini: fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non à vino: mouemini, & non ab ebrietate: quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros: Prophetas & principes veſtros qui vident viſionem, operiet. Internuncij quoque & populi, ac Dei procuratores vocatos,
Ierem 42. atque id muneris diligenter obeuntes obſeruare eſt. Et acceſſerunt omnes principes bellatorum, & Iohanan filius Charee, & Iezonias filius Oziæ, & reliquum vulgus à paruo vſque ad magnum: Dixeruntq́ ad Ieremiam Prophetam, Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo: & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum pro vniuerſis reliquiis iſtis, quia derelicti ſumus pauci de pluribus, ſicut oculi tui nos intuentur. Et annunciet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus, & verbum quod faciamus. Dixit autem ad eos Ieremias Propheta: Audiui, Ecce ego oro ad Dominum Deum veſtrum ſecundùm verba veſtra. Omne verbum

bum quodcumque reſponderit mihi, indicabo vobis: nec celabo vos quicquam. “
Et illi dixerunt ad Ieremiam: Sit Dominus inter nos teſtis veritatis & fidei, ſi “
non iuxta omne verbum in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic facie- “
mus. Siue bonum eſt, ſiue malum, voci Domini Dei noſtri, ad quem mittimus te, “
obediemus; vt bene ſit nobis cùm audierimus vocem Domini Dei noſtri. Cùm “
autem completi eſſent decem dies, factum eſt verbum Domini ad Ieremiam. Vo- “
cauítque Iohanan filium Caree, & omnes principes bellatorum qui erant cum “
eo, & vniuerſum populum à minimo vſque ad magnum. Dixitq́; ad eos: Hæc “
dicit Dominus Deus Iſraël, ad quem miſiſtis me, vt proſternerem preces meas in “
conſpectu eius. Si quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non de- “
ſtruam; plantabo, & non euellam: iam enim placatus ſum ſuper malo quod feci “
vobis. Nolite timere à facie regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis: nolite “
timere eum, dicit Dominus: quia vobiſcum ſum ego, vt ſaluos vos faciam, & “
eruam de manu eius. Et dabo vobis miſericordias, & miſerebor veſtri, & habi- “
tare vos faciam in terra veſtra. Quæ ex narratione non ſolùm internuncium, Deprecator,
ſed fautorem, ſed deprecatorem, & interceſſorem ſententiæ diuinæ, atque in ad- procurator.
uerſis temporibus procuratorem agere vatem intelleximus. Sic & Amos: Hæc Amos 7.
oſtendit mihi Dominus Deus, & ecce fictor locuſtæ in conſpectu germinantium “
ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſorem gregis. Et factum eſt, cùm con- “
ſummaſſet comedere herbã terræ, dixi: Domine Deus propitius eſto, obſecro: quis “
ſuſcitabit Iacob quia paruulus eſt? Miſertus eſt Dominus ſuper hoc: Non erit, “
dicit Dominus Deus. Hæc oſtendit mihi Dominus Deus, & ecce vocabat iudi- “
cium ad ignem Dominus Deus, & deuorauit abyſſum multam, & comedit ſimul “
partem. & dixi: Domine Deus, quieſce obſecro: Quis ſuſcitabit Iacob quia par- “
uulus eſt? Miſertus eſt Dominus ſuper hoc: Sed & iſtud non erit, dicit Do- “
minus Deus.

Miſericordiæ quoque diuinæ interpretem, atque pœnitentiæ ſuaſorem agere 16.
vatem, notius eſt quàm vt multis exemplis demõſtrari poſtulet: verùm ex com- Interpres, Suaſor.
pluribus nonnulla recenſebimus. Propterea exſpectat Dominus, vt miſereatur Iſaiæ 30.
veſtri: ideo exaltabitur parcens vobis; quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes “
qui exſpectant eũ. Et mittebat eis Prophetas vt reuerterentur ad Dominũ, quos 2 Par. 18.
proteſtantes illi audire nolebant. Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium “
Ioiadæ ſacerdotem: & ſtetit in conſpectu populi, & dixit eis: Hæc dicit Dominus “
Deus: Quare tranſgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit: & “
dereliquiſtis Dominum, vt derelinqueret vos? Quonam verò Ioëlis actio om- “
nis tantis minis & pœnarũ prædictionibus inſtructa euadat, attendamus. Nunc Ioel. 2.
ergo dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & in fle- “
tu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuer- “
timini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt, patiens, “
& multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Laua à malitia cor tuum Ierem. 4.
Ieruſalem, vt ſalua fias. Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ. Vox “
enim annunciantis & notum facientis de monte Ephraim, dicite gentibus: Ecce “
auditum eſt in Ieruſalem, Cuſtodes venite de terra longinqua, &c. In iniqui- Iſaiæ 50.
tatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtrã: quia “
veni, & non erat vir: clamaui, & non erat qui audiret. Ita Ionas ad Niniuitarũ “
vtilitatem pœnitentiæ, & correctionis vitæ legatus præco ac denũciator miſſus. Ionæ 3.

17. Vbi verò ſemel atque iterum, & ſæpius miſſis tantæ auctoritatis legatis & nunciis; tamen is qui monetur perſuaderi ſibi non paſſus, obſtinatè vitium vrget, & culpam contemnit: tum verò irritati atque in iram prouocati, numinis voce inſtructi, futuras pœnas tubarum inſtar denũciant. Illud perpetuò obteſtati, non ex neceſſitate, non ex iniqua voluntate eius qui ſe miſerit Dei: ſed ex eiuſdem iuſto de obſtinatorum proteruia & contemptione iudicio afferendas. Hanc verò poſtremam obnunciationem, quàm multæ aliquando actiones præeant, recenſere longiſſimum fuerit. Quippe interdum accuſantem inducunt Deum, ſe ipſos verò arbitros conſtitutos referunt. Interdum accuſant ipſi à Deo iuſſi, qui iudicium ſibi exercendum ſtatuit ac declarat. Nonnunquam contumaciæ populi impatientes pœnas ipſi vltrò poſtulant, ac tandem certas ob proteruiam prædicunt. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Et tu fili hominis

Ezech. 22.

» nónne iudicas, nónne iudicas ciuitatem ſanguinum? & oſtendis ei omnes abo-
» minationes ſuas? & dices: Hæc dicit Dominus Deus, Ciuitas effundens ſangui-
» nem in medio ſui, vt veniat tempus eius: & quæ fecit idola contra ſemetipſam,
» vt pollueretur. In ſanguine tuo, qui à te effuſus eſt, deliquiſti: & in idolis quæ
» feciſti, polluta es: & appropinquare feciſti dies tuos, & adduxiſti tempus anno-
» rum tuorum. Propterea dedi te opprobrium gentibus, & deriſionem vniuerſis
» terris. Quæ iuxta ſunt, & quæ procul à te, triumphabunt de te: ſordida, nobilis,
» grandis interitu. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis,
» verſa eſt mihi domus Iſraël in ſcoriam: omnes iſti æs, ſtannum, & ferrum, &
» plumbum in medio fornacis; ſcoria argenti facti ſunt. Propterea hæc dicit Do-
» minus Deus: Eò quòd verſi eſtis omnes in ſcoriam, propterea ecce ego congrega-
» bo vos in medio Ieruſalem, congregatione argenti, & æris, & ſtanni, & ferri, &
» plumbi in medio fornacis: vt ſuccendam in ea ignem ad conflandum. Sic con-
» gregabo in furore meo & in ira mea, & requieſcam, & conflabo vos. Et congre-
» gabo vos, & ſuccendam vos in igne furoris mei, & conflabimini in medio eius.
» Vt conflatur argentum in medio fornacis, ſic eritis vos in medio eius.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA • SEVILLA

18. Verendum tamen maximè ac metuendum cauendumq́; ſtudioſiſſimè diuinum ſupplicium, quod quanto lentius aduentare videtur, tanto grauius infertur, miſſo interea poſtremùm vate aliquo, qui & populi contumaciam arguat, & iuſtitiam diuinam obteſtatus prædicet ac denunciet: qualis demum ſuis in ſeculis Ieremias vltimus ante Babylonicam migrationem acceſſiſſe dictus eſt. Viginti

2 Par. 36.

» & vnius anni erat Sedechias cùm regnare cœpiſſet, & vndecim annis regnauit
» in Ieruſalem. Fecítque malum in oculis Domini Dei ſui: nec erubuit faciem Ie-
» remiæ Prophetæ loquentis ad ſe ex ore Domini. A rege quoque Nabuchodonoſor
» receſſit, qui adiurauerat eum per Deum. Et indurauit ceruicem ſuam & cor, vt
» non reuerteretur ad Dominum Deum Iſraël. Sed & vniuerſi principes ſacerdo-
» tum & populus præuaricati ſunt iniquè iuxta vniuerſas abominationes gen-
» tium: & polluerunt domum Domini, quam ſanctificauerat ſibi in Ieruſalem.
» Mittebat autem Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manus nunciorum
» ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie commonens: eò quòd parceret populo,
» & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuncios Dei, & paruipendebant ſermo-
» nes eius: illudebantq́; Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populũ eius,
» & eſſet nulla curatio. Adduxit enim ſuper eos regem Chaldæorum, & interfecit
» iuuenes eorum gladio in domo ſanctuarij. Non eſt miſertus adoleſcentis & vir-
ginis,

ginis, & ſenis, nec decrepiti quidem: ſed omnes tradidit in manibus eius, vniuerſaq́; vaſa domus Dei, tam maiora quàm minora, & theſauros templi, & regis, & principum tranſtulit in Babylonem. Incenderunt hoſtes domum Dei, incenderúntque murum Ieruſalem: vniuerſas turres combuſſerunt, & quidquid pretioſum erat demoliti ſunt. Si quis euaſerat gladium, ductus in Babylonem, ſeruiuit regi, & filiis eius: donec imperaret rex Perſarum, & compleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra ſabbatha ſua.

19. Pœnarum etiam vſus in bonum.

Nec verò ſola pœnarum & animaduerſionis prædictio, ſed illatio quoque ipſa ad eorum qui corripiuntur vſum, & bonum tendere à vatibus declaratur: vt patienter perlata, & animos ad meliorem cogitationem commoueat, & ab antiqua duritia obſtinationéque flexos, ad clementiam Dei implorandam ad miſericordiam precibus ac votis veris concitandam impellat. Et factum eſt in anno (Zachar. 7.) quarto Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Zachariam, in quarta menſis noni, qui eſt Caſleu. Et miſerunt ad domum Dei Saraſar & Rogomolech, & viri qui erant cum eis ad deprecandum faciem Domini: vt dicerent ſacerdotibus domus Domini exercituum & Prophetis, loquentes: Nunquid flendum eſt mihi in quinto menſe, vel ſanctificare me debeo, ſicut iam feci multis annis? Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens: Loquere ad omnem populum terræ, & ad ſacerdotes, dicens: Cùm ieiunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi? & cùm comediſtis & bibiſtis, nunquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis? Nunquid non hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Dominus in manu Prophetarum priorum, cùm adhuc Ieruſalem habitaretur, & eſſet opulenta, & ipſa, & vrbes eius in circuitu eius, & ad Auſtrum, & in campeſtribus habitaretur? Et factũ eſt verbum Domini ad Zachariam, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Iudicium verum iudicate: & miſericordiam & miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo. Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo. Et noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam recedentes, & aures ſuas aggrauauerunt ne audirent, & cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem & verba quæ miſit Dominus exercituum in ſpiritu ſancto per manum Prophetarum priorum: & facta eſt indignatio magna à Domino exercituum. Et factum eſt ſicut locutus eſt Dominus, & non audierunt: ſic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum. Et diſperſi eos per omnia regna quæ neſciunt: & terra deſolata eſt ab eis, eo quòd non eſſet tranſiens & reuertens, & poſuerunt terram deſiderabilem in deſertum. Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus ſum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus ſum eam. Hæc dicit Dominus exercituum, Reuerſus ſum ad Sion, & habitabo in medio Ieruſalem: & vocabitur Ieruſalem ciuitas veritatis, & Mons Domini exercituum, Mons ſanctificatus. Euenit etiam vt vatum officio, & animaduerſionis diuinæ ratio vera ac certa indicetur, & quemadmodum procuranda ſit oſtendatur, ſi non ad auertendum: quod iam ſententia lata, pronunciata, tranſactáque fuerit, ad pœnas vel minuendas tamen ac temperandas, patientiam eorum qui laturi ſunt firmandam, & pœnitentiam maioris ſupplicij, hoc eſt, æterni declinandi cauſa ſuadendam. Cumq́; roboratum fuiſſet regnum Ro- (2. Paral. 12.) boam & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Iſraël cum eo. Anno

 autem

„ autem quinto regni Roboam, aſcendit Seſac rex Aegypti in Ieruſalem, quia
„ peccauerunt Domino, cum mille & ducentis curribus, & ſexaginta millibus
„ equitum: nec erat numerus vulgi qui venerat cum eo ex Aegypto, Lybies ſcili-
„ cet, & Troglodite, & Aethiopes. Cepitq; ciuitates munitiſſimas in Iuda, & ve-
„ nit vſque in Ieruſalē. Semeias autem Propheta ingreſſus eſt ad Roboam, & prin-
„ cipes Iuda, qui congregati fuerant in Ieruſalem, fugientes Seſac. Dixitq; ad eos:
„ Hæc dicit Dominus: Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac. Con-
„ ſternatique principes Iſraël & rex, dixerunt: Iuſtus eſt Dominus. Cumq; vi-
„ diſſet Dominus quòd humiliati eſſent, factum eſt verbum Domini ad Semeiam,
„ dicens: Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos: dabóque eis pauxillum auxilij,
„ & non diſtillabit furor meus ſuper Ieruſalem per manum Seſac. Veruntamen
„ ſeruient ei: vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum.

20. Boni ac ſalubris conſilij non populis modò, ſed principibus ac priuatis etiam hominibus auctores vates eſſe variis ac frequentibus exemplis compertū. Quam-
Dan 4. obrem aiebat Daniel, Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis
„ redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Forſitan ignoſcet Deus de-
lictis tuis. Et Ioſias Haldam prophetidem de ratione expiandi populi, ac Domi-
2. Paral. 34. num placandi conſulens, huiuſmodi reſponſum tulit. Hæc dicit Dominus Deus
„ Iſraël: Dicite viro qui miſit vos ad me, Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam
„ mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, cunctáque maledicta quæ
„ ſcripta ſunt in libro hoc, quem legerunt coram rege Iuda: Quia dereliquerunt
„ me, & ſacrificauerunt diis alienis, vt me ad iracundiam prouocarent in cunctis
„ operibus manuum ſuarum: iccirco ſtillabit furor meus ſuper locum iſtum, & non
„ extinguetur. Ad regem autem Iuda, qui miſit vos pro Domino deprecando, ſic
„ loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Quoniam audiſti verba volumi-
„ nis, atque emollitum eſt cor tuum, & humiliatus es in conſpectu Dei ſuper his
„ quæ dicta ſunt contra locum hunc, & habitatores Ieruſalem, reueritúſq; faciem
„ meam, ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me: ego quoque exaudiui te, dicit
„ Dominus. Iam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in ſepulchrum tuum
„ in pace: nec videbunt oculi tui omne malum quod ego inducturus ſum ſuper lo-
„ cum iſtum, & ſuper habitatores eius. Quamobrem non ſolùm de his rebus quæ ad placandum Deum, ſed de iis etiam quæ ad pietatem promouendam facere poſſunt, monitores & conſiliarios exoptat vates Dauid rex, quamuis ſapientiſſi-
1. Paral. 17. mus vates ipſe fuerit. Cùm autem habitaret Dauid in domo ſua, dixit ad Na-
„ than Prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem fœderis Domini
„ ſub pellibus eſt. Et ait Nathan ad Dauid: Omnia quæ in corde tuo ſunt, fac,
„ Dominus enim tecum eſt.

21. Animaduerſione verò dignum eſt non ſemper idem eſſe vatis ac Dei con-
Vatis ac Dei non idem ſemper conſilium. ſilium: Fieri enim poteſt nonnunquam vt vates ex ſententia quæ probabilia atque honeſta in ſpeciem videntur, conſultus reſpondeat: cùm aliud maius, & ad rem magis pertinens Deus decreuerit: qui tamen nec hunc, nec ſana mente rogantes, quid facto ſit opus, quidve deceat, diu ignorare ac rogare permittat. quod vel hoc vno proximè citato exemplo manifeſtum eſt ex veris Dei reſponſis, an-
„ te ceptum opus correcto. Igitur nocte illa factus eſt ſermo Dei ad Nathan dicēs:
„ Vade, & loquere Dauid ſeruo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi
„ domum ad habitandum, &c. Priuatis etiam reſponſa dari à vatibus, & illud

Saulis

*Saulis hiſtoriæ initium apud Samuelem, & plura etiam loca in ſacris libris indicant. cuiuſmodi & illud eſt: In tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam,* 1. Reg. 14.
*dixitq́ue Ieroboam vxori ſuæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoſcaris quòd* "
*ſis vxor Ieroboam: & vade in Silo, vbi eſt Ahias Propheta qui locutus eſt mihi* "
*quòd regnaturus eſſem ſuper populum hunc. Tolle quoque in manu tua decem pa-* "
*nes, & cruſtulam, & vas mellis, & vade ad illum: ipſe enim indicabit tibi quid* "
*euenturum ſit puero huic. Fecit vt dixerat vxor eius Ieroboam: & conſurgens* "
*abiit in Silo, & venit in domum Ahiæ. At ille non poterat videre, quia caliga-* "
*uerant oculi eius præ ſenectute. Dixitq́ue Dominus ad Ahiam: Ecce vxor Iero-* "
*boam ingreditur, vt cōſulat te ſuper filio ſuo qui ægrotat. hæc & hæc loqueris ei.* "

*Denique quid in omnibus cùm priuatis tum publicis actionibus tenendum,* 22.
*quid fugiendum vitandumq́ue fuerit, vatum reſponſis ac ſermonibus didiciſſe imprimis ſapientiſſimum ac tutiſſimum fuerit. Congregauit Amaſias Iudam,* 2 Paral. 25.
*& conſtituit eos per familias, tribunóſque & centuriones in vniuerſo Iuda &* "
*Beniamin. Et recenſuit à viginti annis ſurſum, inuenitq́ue trecenta millia iuue-* "
*num qui egrederentur ad pugnam, & tenerent haſtam & clypeum. Mercede* "
*quoque conduxit de Iſraël centum millia robuſtorum, centum talentis argenti.* "
*Venit autem homo Dei ad illum, & ait: O rex, ne ingrediatur tecum exercitus* "
*Iſraël: Non eſt enim Dominus cum Iſraël, & cunctis filiis Ephraim. Quod ſi pu-* "
*tas in robore exercitus bella exiſtere, exſuperari te faciet Deus ab hoſtibus: Dei* "
*quippe eſt & adiuuare, & in fugam vertere. Dixitq́ue Amaſias ad hominē Dei,* "
*Quid ergo fiet de centum talentis quæ dedi militibus Iſraël? Et reſpondit ei ho-* "
*mo Dei, Habet Deus vnde tibi dare poſſit multo his plura. Separauit itaq́ue Ama-* "
*ſias exercitum qui venerat ad eum ex Ephraim, vt reuerteretur in locum ſuum.* "

*Magni verò iudicij & probandi atque proſperi conſilij eſſe in publicis ac pri-* 23.
*uatis rebus ea tenere, atque ſerio agere quæ ex vatum ſacrorum reſponſis & inſtitutis profecta noſcantur: idq́ue maximè in rebus iis, quæ pietatis ac religionis cultum ſpectent; ſiue ea in ſacrorum ritibus & celebrationibus, ſiue in morum, & communis conſuetudinis ratione cēſeantur. Nam quidquid à vatibus dictum declaratúmque ſeriò fuerit, ex diuino reſponſo petitum ac relatum credere digniſſimum eſt, ac pro lege, vel pro legis interpretatione haberi oportet.* S. S. E.
*Tunc obtulit Salomon holocauſta Domino ſuper altare Domini, quod extruxe-* 2 Paral. 8.
*rat ante porticum, vt per ſingulos dies offerretur in eo iuxta præceptum Moyſi,* "
*in ſabbathis & calendis, & in feſtis diebus ter per annum, id eſt, in ſolemnitate* "
*azymorum, & in ſolemnitate hebdomadarū, & in ſolemnitate tabernaculorum.* "
*Et conſtituit* IVXTA DISPOSITIONEM DAVID PATRIS SVI *officia ſa-* "
*cerdotum in miniſteriis ſuis: & Leuitas in ordine ſuo, vt laudarent & miniſtra-* "
*rent coram ſacerdotibus iuxta ritum vniuſcuiuſque diei: & ianitores in diui-* "
*ſionibus ſuis per portam & portam:* SIC ENIM PRAECEPERAT DAVID "
HOMO DEI. *Et Ezechias piiſſimus rex, poſt procuratam ſui atque populi totius expiationem. Conſtituit quoque Leuitas in domo Domini cum cymbalis &* 2 Par. 29.
*pſalteriis, & citharis* SECVNDVM *diſpoſitionem Dauid regis, & Gad Viden-* "
*tis, & Nathan Prophetæ: ſiquidem Domini præceptum fuit per manum Pro-* "
*phetarum eius. Huius autem rectè inſtitutæ actionis illuſtre illud argumentum fuerit geminæ victoriæ Achabo Iſraelis regi, de Syris partæ ex monitu & conſilio vatis cuiuſdam ipſi atque ſuis noti. Cuius tamen hiſtoria non indicat no-*

 *men.*

3 Reg. 20. *men. Ecce Propheta vnus accedens ad Achab regem Iſraël, ait ei. Hæc dicit Do-*
» *minus: Certè vidiſti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce ego tradam eam*
» *in manum tuam hodie, vt ſcias quia ego ſum Dominus. Et ait Achab, Per quem?*
» *Dixítque ei, Hæc dicit Dominus: Per pediſſequos principum prouinciarum. Et*
» *ait: Quis incipiet prælium? Et ille dixit, Tu. Ac de proximo ita narratur. Porrò*
» *filij Iſraël recenſiti ſunt, & acceptis cibariis profecti ex aduerſo, caſtráq́; metati*
» *ſunt contra eos [Syros] quaſi duo parui greges caprarum. Syri autem repleuerant*
» *terram. Et accedens vnus vir Dei, dixit ad regem Iſraël: Hæc dicit Dominus,*
» *Quia dixerunt Syri: Deus montium eſt Dominus, & non eſt Deus vallium: da-*
» *bo omnem multitudinem hanc grãdem in manu tua, & ſcietis quia ego ſum Do-*
» *minus. Dirigebantq́; ſeptem diebus ex aduerſo hi atque illi acies, Septima autem*
» *die commiſſum eſt bellum: percuſſerúntq́; filij Iſraël de Syris centum millia pedi-*
» *tum in die vna. Fugerúntque qui remanſerant in Aphec, in ciuitatem: & cecidit*
» *murus ſuper viginti ſeptem millia hominum qui remanſerant.*

24. *Solent etiam aliquando vates ipſis regibus atque exercitibus ſeſe ſocios &*
Societas & opera. *comites præbere, quorum ſocietate & conſilio nihil expeti poteſt oportunius &*
*commodius, quippe & gerendæ rei euentus percipiuntur, & diuini præſidij fides,*
4. Reg. 3. *quam vates præſens fecerit, magis firmatur. Perrexerunt igitur rex Iſraël, &*
» *rex Iuda, & rex Edom, & circumierunt per viam ſeptem dierum, nec erat aqua*
» *exercitui & iumentis quæ ſequebantur eos. Dixitq́; rex Iſraël, Heu, heu, congre-*
» *gauit nos Dominus tres reges vt traderet in manus Moab. Et ait Ioſaphat: Eſt*
» *ne hîc Propheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum? Et reſpondit vnus*
» *de ſeruis regis Iſraël: Eſt hîc Eliſeus filius Saphat, qui fundebat aquam ſuper*
» *manus Eliæ. Et ait Ioſaphat, Eſt apud eum ſermo Domini. Deſcenditq́; ad eum*
» *rex Iſraël, & Ioſaphat rex Iuda, & rex Edom. Dixit autem Eliſæus ad regem*
» *Iſrael: Quid mihi & tibi eſt? Vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait*
» *illi rex Iſrael: Quare congregauit Dominus tres reges hos, vt traderet eos in*
» *manu Moab? Dixitq́; ad eum Eliſeus: Viuit Dominus Deus exercituum, in cu-*
» *ius conſpectu ſto, quod ſi non vultum Ioſaphat regis Iudæ erubeſcerem, non at-*
» *tendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. Nunc autem adducite mihi pſaltem. Cúm-*
» *que caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Domi-*
» *nus, Facite alueum torrentis huius foſſas & foſſas. Hæc enim dicit Dominus:*
» *Non videbitis ventum neque pluuiam, & alueus iſte replebitur aquis, & bibe-*
» *tis vos, & familiæ veſtræ, & iumenta veſtra. Parúmq́; eſt hoc in conſpectu Do-*
» *mini: inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras. Et percutietis omnem ci-*
» *uitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuerſum lignum fructife-*
» *rum ſuccidetis, cunctóſque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egre-*
» *gium operietis lapidibus.*

25. *Quantum verò non ad pacis res componendas modò, ſed ad bellicas etiam*
*inſtituendas, & ad hoſtium inſidias, & artes cognoſcendas & præuertendas di-*
*uinorum vatum oportunitas & facultas conferat, manifeſtè etiam hoſtium te-*
» *ſtimonio & confeſſione declaratur. Rex autem Syriæ pugnabat contra Iſraël,*
» *conſiliumq́; iniit cum ſeruis ſuis, dicens: In loco illo & illo ponamus inſidias.*
» *Miſit itaque vir Dei ad regem Iſraël, dicens: Caue ne tranſeas locum illum:*
» *quia ibi Syri in inſidiis ſunt. Miſit itaque rex Iſrael ad locum quem dixerat ei*
» *vir Dei, & præoccupauit eum, & obſeruauit ſe ibi non ſemel neque bis. Contur-*
*batúmq́;*

*batumq́; eſt cor regis Syriæ pro hac re. Et conuocatis ſeruis ſuis, ait: Quare non* “
*indicatis mihi quis proditor mei ſit apud regem Iſrael? Dixitq́; vnus ſeruorum* “
*eius: Nequaquam Domine mi rex, ſed Eliſeus Propheta qui eſt in Iſrael, indicat* “
*regi Iſrael omnia verba quæcunque locutus fueris in conclaui tuo. & cetera quæ* “
*in hac lectione cognitu digniſſima ſunt.*

*Præterea calamitatibus atque difficultatibus aliis tam temporum quàm tem-* 26.
*peſtatum, quæ terris ac mari accidere poſſint, prædictione denunciandis, & con-*
*ſilio præcauendis & corrigendis, aut aliàs declinandis ac vitandis, quam vtilia*
*vatum vel quæſita, vel vltrò data reſponſa ſint: quis animaduertens non fatea-*
*tur? Ita enim Ioſephus ille ſomniorum interpres maximus, & ſumma ſapientia*
*ac prudentia vir ad ſalutem non Aegyptiis modò, ſed paternæ quoque familiæ*
*atque genti ſuæ in ſeruum venundatum ſeſe profeſſus declarauit. Nolite paue-* Gen.45.
*re, neque vobis durum videatur quòd vendidiſtis me in his regionibus: Pro ſa-* “
*lute enim veſtra miſit me Dominus ante vos in Aegyptum. Biennium eſt enim* “
*quòd cœpit fames eſſe in terra, & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arari* “
*poterit, nec meti. Præmiſit me Deus vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad vi-* “
*uendum habere poſſitis. Et Paulo apud Cæſaream hoſpiti, ſuperuenit quidam à* Actor.21.
*Iudæa Propheta, nomine Agabus, qui tulit zonam Pauli: & alligans ſibi pedes* “
*& manus, dixit: Hæc dicit Spiritus ſanctus: Virum cuius eſt zona hæc, ſic alliga-* “
*bunt in Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus gentium. Idem verò ipſe Antio-* “
*chiæ agens, famem magnam in vniuerſo terrarum orbe futuram prænunciauit:*
*quæ facta eſt ſub Claudio. Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſin-* Act.11.
*guli in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt,* “
*mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli. Quid quod huiuſmodi præ-* “
*dictionibus eorum animi, quorum hæc ſcire intererat, & paratiores, & fortiores*
*redduntur ad quemcumque laborem & periculum ſubeundum: quippe qui nec*
*improuiſo opprimantur, nec rem caſui cæco adſcribere, ſed ad Dei prouidentiam*
*referre diſcunt. Quamobrem Chriſtus eorum quæ ſua cauſa ferenda manebant,*
*diſcipulos ſuos identidem præmonitos voluit. Hæc locutus ſum vobis, vt non* Ioan.16.
*ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui in-* “
*terficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Et hæc facient vobis, quia* “
*non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus ſum vobis: vt cùm venerit ho-* “
*ra eorum, reminiſcamini quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non* “
*dixi, quia vobiſcum eram. Atqui Paulo futuram proximis diebus tempeſta-*
*tem prædicenti: ſi, vt dignum fuerat, nautæ atque ceteri crederent, vitare pro-*
*fectò potuiſſent, eiuſdem verò feliciorem exitum ſibi à Deo conceſſum, credentes*
*demum euaſere. Viri, inquit, video quoniam cum iniuria & multo damno non* Act.27.
*ſolùm oneris & nauis, ſed etiam animarum noſtrarum incipit eſſe nauigatio.* “
*Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm iis quæ à Paulo* “
*dicebantur. Et paulo poſt legimus: Validè autem nobis tempeſtate iactatis, ſe-* “
*quenti die iactum fecerunt. & tertia die ſuis manibus armamenta nauis proie-* “
*cerunt. Neque autem ſole neque ſideribus apparentibus per plures dies, & tem-* “
*peſtate non exigua imminente, iam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ. Et cùm* “
*multa ieiunatio fuiſſet, tunc ſtans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat qui-* “
*dem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucriq́; facere iniuriam hanc & iactu-* “
*ram. Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe, amiſſio enim nullius animæ erit ex* “

vobis,

» vobis, præterquam nauis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei cuius ſum
» ego, & cui deſeruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæſari oportet te aſſiſtere: & ecce
» donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Propter quod bono animo eſtote
» viri: credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi. In inſulam
» autem quandam oportet nos deuenire. & poſt pauca: Nautis verò quærentibus
» fugere de naui, cùm miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu quaſi inciperent à
» prora anchoras extendere. Dixit Paulus Centurioni & militibus: Niſi hi in na-
» ui manſerint, vos ſalui fieri non poteſtis. Tunc abſciderunt milites funes ſca-
» phæ: & paſſi ſunt eam excidere. Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus om-
» nes ſumere cibum, dicens: Quarta decima die hodie expectantes ieiuni perma-
» netis, nihil accipientes. Propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra:
» quia nullius veſtrum capillus de capite peribit. Et cùm hæc dixiſſet, ſumens pa-
» nem, gratias egit Deo in conſpectu omnium: & cùm fregiſſet, cœpit manducare.
» Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt cibum. Porrò nulla vitæ
humanarumq́ actionum pars eſt quæ vaticiniorum doctrina & ratione inſtru-
Pſal 118. cta, non fauſta atque felix euadat. S.S.E. Lucerna pedibus meis verbum tuum,
» & lumen ſemitis meis.

27. Materia. Quamquam verò in adminiſtrationis vtilitate & vſu definiri claudiq́ pote-
rant rerum genera omnia in quibus vaticinium verſatur: tamen nonnulla quo-
que de his proprio capite indicari cumprimis vtile exiſtimamus.

28. Eſt autem multiplex dicendarum à vatibus rerum materia duplici præcipuè
comprehenſa genere, altero diuinarum, humanarum altero. Namque vt homo
duabus conſtat partibus, ea quæ videtur, quæq́ corpus dicitur, & ea quæ ſub cor-
pore latet: quam animum ac mentem vocamus, & vtriuſque partis ratio omnis,
& vis non modò à Dei virtute profecta eſt, ſed eiuſdem etiam gubernatur: quæ
ad vtrumque pertinent genus, omnia vatum miniſterio tractanda conceſſerũt.
Quæ diuina ſunt, humanam ſalutem & felicitatem ſpectant, cuius cauſa præci-
puè vaticinium diuinitus eſt datum. Quæ verò humana vitæ huius mortalis
commoda vel incommoda continent, quæ cùm ad diuina diriguntur feliciter,
cùm verò ab illis deuiant, infeliciter eueniunt. Hæc ſub terreſtris hæreditatis
credentibus quondam promiſſæ vmbra, illa verò omnia ſub Meſſiæ ſiue Chriſti
veritate latent. Quare vaticinij materia omnis ad alterum ex his duobus no-
minibus referenda eſt. Poſterioris generis exempla quæ prima extitere tamquam
Gen. 49. futuræ lucis vmbra, huiuſmodi reperiuntur innumera. Vocauit autem Iaacob fi-
» lios ſuos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in
» diebus nouiſſimis. Congregamini, & audite filij Iaacob, audite Iſraël patrem ve-
» ſtrum. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei.
Et quæ ad finem vſque ſermonis illius recenſentur omnia. Et illud à Ioſepho
Gen. 50. etiam prædictum: Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet
» de terra iſta ad terram quam iurauit Abraham, Iſaac, & Iacob. Huius etiam
generis eſſe cenſentur tum promiſſa illa Moſe interprete diuinæ legis colendæ,
conditionibus prædicta, & contra quoque prædictiones & minæ eiuſdem legis
Deut. 28. contemptoribus denunciatæ. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias
» atque cuſtodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Domi-
» nus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur in terra. Ad finem
» vſque promiſſionum. Rurſus verò: Quòd ſi audire nolueris vocem Domini

Dei

*Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata eius & ceremonias quas ego præ- “
cipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te. “
Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, &c. Illa item: Si volueritis, & Iſaiæ 1.
& audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam “
prouocaueritis, gladius deuorabit vos: quia os Domini locutum eſt.* “

*Ad hanc rationem calamitates publicæ bellorum, peſtis & famæ referendæ:* 29.
*& contrà etiam pax, abundantia, & ſecuritas. Quæ omnia, quamquam ſenſu* Calamitates.
*ipſo atque experimento manifeſto in hac mortali vita conſtiterint, ad animo-
rum beatitatem vel infelicitatem & interitum arcanè pertinebant, & futura,
hoc eſt, noſtra ſecula erudienda inſtituendáque ſpectabant. Scripta ſunt, inquit
Apoſtolus, propter nos, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Verumtamen non* 1.Cor 10.
*eſt auerſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt furor eius contra* 2.Reg. 23.
*Iudam. Dixit itaque Dominus: Etiam Iudam auferam à facie mea, ſicut abſ-* “
*tuli Iſrael: & proiiciam ciuitatem hanc, quam elegi Ieruſalem, & domum de* “
*qua dixi, erit nomen meum ibi.*

*Victoriæ prædictæ in bellis multa quoque exempla ſunt. Ecce propheta vnus* 30.
*accedens ad Achab regem Iſrael, ait ei: Hæc dicit Dominus, Vidiſti omnem mul-* Victoriæ. 1.Reg.20.
*titudinem hanc nimiam, Ego tradam eam in manum tuam hodie, vt ſcias* “
*quia ego Dominus.*

*Sanitatis ex morbo, Ante quàm egrederetur Iſaias mediam partem atrij fa-* 31.
*ctus eſt ſermo Domini ad eum, dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei:* 2.Reg.20.
*Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi* “
*lachrymam tuam: Ecce ſanaui te, die tertio aſcendes templum Domini, & addam* “
*diebus tuis quindecim annos, ſed & de manu regis Aſſyriorũ liberabo te, & ciui-* “
*tatẽ hanc, & protegã vrbem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* “

*Nec verò omnia aut præuident, aut monentur Prophetæ, ſed ea tantùm quæ* 32.
*Dei conſilio monenda decernuntur: cetera quidem, vt prudentes ac ſapientes vi-* Non omnia nota Vati-
*ri cognoſcere poſſunt, præſentire autem ſine ſingulari ſpiritus diuini efficientia,* bus.
*& communicatione non ſolent. Strauit Sunamitis aſinam, & præcepit puero,* 2.Reg.4.
*Mina, & propera, ne mihi moram facias in eunde: & hoc age quod præcipio tibi.* “
*Profecta eſt igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: Cumq; vidiſſet* “
*eam vir Dei econtrà, ait ad Giezi puerum ſuum: Ecce Sunamitis illa. Vade ergo* “
*in occurſum eius, & dic ei, Recténe agitur circa te, & circa virum tuum, & circa* “
*filium tuum? Quæ reſpondit, Rectè. Cumq; veniſſet ad virum Dei in montem,* “
*apprehendit pedes eius: & acceſſit Giezi vt amoueret eam. Et ait homo Dei,* “
*Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me,* “
*& non indicauit mihi.*

*Pœnarum verò pro peccatis ac ſceleribus luendarum prædictio, denſiſſimam* 33.
*Prophetarum ſermonibus materiam ſuppeditat cum priuata tum publica cauſa.* Pœnæ.
*Surrexit itaque Dauid manè, & ſermo Domini factus eſt ad Gad Prophetam &* 2 Sam.24.
*videntem Dauid, dicens: Vade, & loquere ad Dauid, Hæc dicit Dominus: Trium* “
*tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cumq; veniſ-* “
*ſet Gad ad Dauid, nunciauit ei, dicens: Aut ſeptem annis veniet tibi fames in* “
*terra tua: aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur:* “
*aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide* “
*quem reſpondeam ei qui me miſit, ſermonem. Et dixit Elias Thesbites de habita-* 1.Reg.17.

„ toribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto:
„ ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. Idem tertio poſt anno
2 Reg. 17. puero ſuo mandatum dedit, Aſcende, & dic Achaab: Iunge currum tuum & de-
„ ſcende, ne occupet te pluuia. Et ambulauerunt filij Iſrael in vniuerſis peccatis
„ Ieroboam quæ fecerat, & non receſſerunt ab eis vſquequo Dominus auferret Iſ-
„ rael à facie ſua, ſicut locutus fuerat in manu omnium ſeruorum ſuorum Prophe-
„ tarum. Tranſlatúſque eſt Iſrael de terra ſua in Aſſyrios vſque ad diem hanc.
2 Reg. 21. Locutusq́; eſt Dominus in manu ſeruorum ſuorum Prophetarum, dicens: Quia
„ fecit Manaſſes rex Iuda abominationes iſtas peſſimas, ſuper omnia quæ fece-
„ runt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis ſuis:
„ Propterea hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Ecce ego inducam mala ſuper Ieruſa-
„ lem & Iudam: vt quicunque audierit, tinniant ambæ aures eius. Et extendam
„ ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab. Et delebo Ieru-
„ ſalem ſicut deleri ſolent tabulæ: Delens, vertam & ducam ſtylum crebrius ſuper
3 Reg. 13. faciem eius. Et ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Iero-
„ boam ſtante ſuper altare, & thus iaciente: & exclamauit contra altare in ſermo-
„ ne Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domui
„ Dauid Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in
„ te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet.

34. Pœnarum ac ſuppliciorum minitationes & prædictiones, accuſationesq́; de-
Iſaiæ 5. ſerti officij ac pietatis violatæ, prophanatæq́; religionis huc pertinent. Væ qui
„ coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum lo-
„ ci. Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? In auribus meis ſunt hæc, dicit
„ Dominus exercituum, Niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes & pulchræ,
„ abſque habitatore. Decem enim iugera vinearum facient lagunculam vnam, &
„ triginta modij ſementis facient modios tres. Væ qui conſurgitis manè ad ebrie-
„ tatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara,
„ & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris: & opus Domini
„ non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Propterea captiuus ductus eſt
„ populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame, &
„ multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & ape-
„ ruit os ſuum abſque vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populus eius, &
„ ſublimes glorioſiq́; eius ad eum. Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir, &
„ oculi ſublimium deprimentur. Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio,
„ & Deus ſanctus ſanctificabitur in iuſtitia.

35. Verbum quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, quando miſit ad eum rex
Ierem. 21. Sedechias Phaſſur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maaſiæ ſacerdotem,
„ dicẽs: Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonoſor rex Babylonis præ-
„ liatur aduerſum nos: ſi fortè faciat Dominus nobiſcum ſecundùm omnia mira-
„ bilia ſua, & recedat à nobis. Et dixit Ieremias ad eos, Sic dicetis Sedechiæ: Hæc
„ dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego conuertam vaſa belli quæ in manibus ve-
„ ſtris ſunt, & quibus vos pugnatis aduerſum regem Babylonis & Chaldæos, qui
„ obſident vos in circuitu murorum, & congregabo ea in medio ciuitatis huius.
„ Et debellabo ego vos in manu extenta, & in brachio forti, & in furore, & in
„ indignatione, & in ira grandi. Et percutiam habitatores ciuitatis huius: homi-
„ nes & beſtiæ peſtilentia magna morientur. Et poſt hoc, ait Dominus, dabo Sede-
chiam

*chiam regem Iuda, & ſeruos eius, & populum eius, & qui derelicti ſunt in ciuitate hac à peſte, & à gladio, & fame, in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & in manu quærentium animam eorum: & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur, neque parcet, nec miſerebitur.*

*Nec verò earum tantùm rerum quæ ad peculiarem populum Dei pertinent, rationes antecedentia cauſas, & euenta Vates à Deo docti præcinere iubentur: ſed aliorum etiam regnorum hiſtorias prius illi cognoſcendas accipiunt, quàm temporis explicet oportunitas. Ita Danieli Perſarum, Græcorum, ac Romanorum imperia præmonſtrata, ita etiam Ioëli, & aliis. Denique vt non eſt malum in ciuitate quod non faciat Dominus: ita non faciet Dominus verbum, niſi prius reuelet ſeruis ſuis Prophetis. &, Factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam contra gentes ad Aegyptum, aduerſus exercitum Pharaonis Nechao regis Aegypti, qui erat iuxta fluuium Euphratem in Charcamis, quem percuſsit Nabuchodonoſor rex Babylonis, in quarto anno Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda. Præparate ſcutum & clypeum, & procedite ad bellum. Iungite equos, & aſcendite equites: ſtate in galeis, & polite lanceas, induite vos loricis. Quid igitur? Vidi ipſos & terga vertentes, & fortes eorum cæſos. Et quod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam contra Palæſtinos, antequam percuteret Pharao Gazam. Et ad Moab hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Væ ſuper Nabo, quia vaſtata eſt & confuſa: capta eſt Cariathaim. confuſa eſt fortis, & tremuit. Non eſt vltrà exultatio in Moab contra Heſebon: cogitauerunt malum. Ad filios Amon hæc dicit Dominus: Numquid non filij ſunt Iſraël? aut hæres non eſt ei? Cur igitur hæreditate poſsidebit Melchom Gad, & populus eius in vrbibus eius habitauit? Iccirco dies veniunt, dicit Dominus, & auditum faciam ſuper Rabbath filiorum Amon fremitum prælij, & erit in tumultum diſsipata, filiæq́ eius igne ſuccendentur, & poſsidebit Iſrael poſſeſſores ſuos, ait Dominus. &, Verbum quod locutus eſt Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum in manu Ieremiæ Prophetæ. Annunciate in gentibus, & auditum facite, leuate ſignum, prædicate, & nolite celare: dicite, Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel.*

36. Externa. — Dan. 10, & 11. — Ioel. — Amos 3. — Ierem. 46. — Ierem. 47. — Ierem. 48. — Ierem. 49.

*Alterum verò genus quod ad animorum ſalutem veramq́ hominum felicitatem referebamus, nullus in vatibus fuit qui non tractarit, Iſaias cum primis, qui tantus in hoc argumento eſt, vt Euangelicus vates dici meruerit. Nam tum ſæpe aliàs, tum ab illa prædicatione: Conſolamini populum meum, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam, quoniam completa eſt militia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius: ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt. & Ieremias: Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulaſti, reuertere virgo Iſrael, reuertere ad ciuitates tuas iſtas. Vſquequo deliciis diſſolueris filia vaga? Quia creauit Dominus nouum ſuper terram: Femina circundabit virum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Adhuc dicent verbum iſtud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cùm conuertero captiuitatem eorum, Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus. Ezechiel, Daniel, Hoſeas & Amos, atque Ioël, & omnes denique*

37. Salus publica. — Iſaiæ 40. — Ierem. 31.

Act. 3. *Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos, inquit D. Petrus. Et omnes Prophetæ, & lex, vſque ad Ioannem prophetauerunt.* Matth. 11. *Namque à Ioannis legatione regni cælorum expugnatio cepta eſt. Huc pertinuit reſtitutio templi ab Haggæo prædicta, Seruatoris publici atque futuri ſeculi patris expectandi cauſa. Factum eſt verbum Domini in manu Haggæi Prophetæ,* Hagg. 1. *dicens: Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec ſacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens: Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita eſt quaſi non ſit in oculis veſtris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: Et cōfortare Ieſu fili Ioſedec ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum) verbum quod pepigi vobiſcum cùm egrederemini de terra Aegypti, & ſpiritus meus erit in medio veſtri: nolite timere. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes, Et veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Templum verò illud ab Ezechiele tantoperè deſcriptum, quod nemo vnquam hominum corporeis oculis factum vidit, hoc ipſum noui Teſtamenti continuit myſterium. Quidquid verò Iohannes Baptiſta prius, & qui hunc ornauit* IESVS *Nazarenus vir Propheta, potens in opere & ſermone, de cælorum regno vaticinati ſunt, hoc ipſum ſignificabat, & portendebat, quod idē* IESVS CHRISTVS *demum credentibus præſtitit.*

38. Semel futura. *Neque verò illud ſilentiō prætereundum, aut adnotatione omittendum, nonnumquam vates pœnarum, vel aliorum generum euenta prædicere, quæ non niſi ſemel futura ſint. Quondam Deus Noahho non amplius mittendum à ſe in terras publicum diluuium pollicitus eſt. Ioël calamitatem ſingularis in terra exem-* Ioel. 2. *pli denunciabat. Quia venit dies Domini, quia propè eſt dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quaſi manè expanſum ſuper montes populus multus & fortis: ſimilis ei non fuit à principio, & poſt eum non erit vſque in annos generationis & generationis. Denique nullum vel præteritorum, vel præſentium, vel futurorum temporū eſt quod Vatum officio & miniſterio non tractetur. His enim veras à mundi initio inchoatas hiſtorias, his futurarum rerum, earum maximè quæ bonorum ac malorum ſpectant fines, doctrinam præcognitionemq́; ſecundùm Deum debemus.*

39. Actio, habitus, geſtus. *Conſequens verò iis quæ diſſeruimus fuerit, actionum atque habituum quibus vates partes peragunt ſuas ſpectare formam, ídque in genere primùm relatum, ſingularibus explicare exemplis.*

*Maxima prophetici muneris pars oratione ac ſermone peragitur, qualem videlicet diuinus ſpiritus pro temporum ac perſonarum, & agentis, & earum apud quas agitur, opportunitate & ratione, & quidquid ab illis doctrinæ apud nos exſtat orationum, allocutionum, atq; ſermonis exemplis traditur. Verùm aliquando præter vultus geſtusq́; auctoritatem & ſeueritatem, certos quoſdam pro rei demandatæ ratione & vſu, à Deo iuſſi, Vates habitus ſumebant, quibus euento-*

rum

*rum expreſſas imagines auditorum, atque ſpectantium oculis ac ſenſibus repræſentarent, quos (niſi contumacia auerſaretur) permouerent. Nec vero huiuſmodi habitus viſione tantùm & ſpectro intra Vatum mentes indito, vt nonnulli interpretati ſunt, ſed reapſe atque externa ſpecie ac forma gerebantur. Aliàs enim non facilè homines, quibus cæleſtium rerum, & ſpiritus notitia non ita aperta eſſe ſolet, mouerentur enarratione eorum quæ in ipſis Vatum animis agebantur. Hæc enim contumaces homines vix credere vellent, nedum admirari curarent. Eliſæus victoriam Iſraelitis aduerſus Aſſyrios prædicens, actione ac repræſentatione huiuſmodi firmauit. Eliſæus autem ægrotabat infirmitate, qua mortuus* 2.Reg.13.
*eſt: deſcenditq́ ad eum Ioas rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebatq́: Pater mi, pa-* "
*ter mi, currus Iſrael & auriga eius. Et ait illi Eliſæus, Affer arcum & ſagittas.* "
*Cumq́ attuliſſet ad eum arcum & ſagittas, dixit ad regem Iſrael: Pone manum* "
*tuam ſuper arcum. Et cùm poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſæus manus* "
*ſuas manibus regis, & ait: Aperi feneſtram orientalem. Cumq́ aperuiſſet, dixit* "
*Eliſæus, Iace ſagittam. Et iecit. Et ait Eliſæus, Sagitta ſalutis Domini, & ſagit-* "
*ta ſalutis contra Syriam: percutiesq́ Syriam in Aphec, donec conſumas eam. Et* "
*ait, Tolle ſagittas. Qui cùm tuliſſet, rurſum dixit ei, Percute iaculo terram. Et* "
*cùm percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet, iratus eſt vir Dei contra eum, & ait:* "
*Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad con-* "
*ſummationem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* "

*In anno quo ingreſſus eſt Tarthan in Azotum, cùm miſiſſet eum Sargon rex* Iſaiæ 20.
*Aſſyriorum, & pugnaſſet contra Azotum, & cepiſſet eam: in tempore illo locu-* "
*tus eſt Dominus in manu Iſaiæ filij Amos, dicens: Vade & ſolue ſaccum de lum-* "
*bis tuis, & calceamēta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic vadens nudus, & diſ-* "
*calceatus. Et dixit Dominus: Sicut ambulauit ſeruus meus Iſaias nudus & diſ-* "
*calceatus, trium annorum ſignum & portentum erit ſuper Aegyptum, & ſuper* "
*Aethiopiam. Sic minabit rex Aſſyriorum captiuitatem Aegypti, & tranſmigra-* "
*tionem Aethiopiæ, iuuenem & ſenem, nudam & diſcalceatam, diſcoopertis na-* "
*tibus ad ignominiam Aegypti.* "

*Ieremias quoque ita narrat. Hæc dicit Dominus ad me: Vade, & poſside tibi* Ierem.13.
*lumbare lineum, & pones illud ſuper lumbos tuos, & in aquam non inferes illud.* "
*Et poſſedi lumbare iuxta verbum Domini, & poſui illud circa lumbos meos. Et* "
*factus eſt ſermo Domini ad me ſecundò, dicens: Tolle lumbare quod poſſediſti,* "
*quod eſt circa lumbos tuos, & ſurgens vade ad Euphratem, & abſconde ibi il-* "
*lud in foramine petræ. Et abij, & abſcondi illud in Euphrate, ſicut præceperat* "
*mihi Dominus. Et factum eſt poſt dies plurimos, dixit Dominus ad me: Surge, &* "
*vade ad Euphratem, & tolle lumbare quod præcepi tibi vt abſconderes illud ibi.* "
*Et abij ad Euphratem, & fodi, & tuli lumbare de loco vbi abſconderā illud. Et* "
*ecce computruerat lumbare: ita vt nulli vſui aptū eſſet. Et factum eſt verbū Do-* "
*mini ad me, dicens: Hæc dicit Dominus, Sic putreſcere faciam ſuperbiam Iuda &* "
*ſuperbiā Ieruſalem multā, populum iſtum peſſimū, qui nolūt audire verba mea,* "
*& ambulant in prauitate cordis ſui: abierunt poſt deos alienos, vt ſeruirent eis,* "
*& adorarent eos: & erunt ſicut lumbare iſtud quod nulli vſui aptum eſt. Sicut* "
*enim adhæret lumbare ad lumbos viri, ita agglutinaui mihi omnem domum Iſ-* "
*rael, & omnem domum Iuda, dicit Dominus: vt eſſent mihi in populum, & in* "
*nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt.* "

*Idem Ieremias à coniugio ſe abſtinere iuſſum refert, & quamobrem id factum*
Ierem. 16. *fuerit, indicat. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Non accipies vxo-*
„ *rem, & non erunt tibi filij & filiæ in loco iſto: quia hæc dicit Dominus ſuper fi-*
„ *lios & filias qui generantur in loco iſto, & ſuper matres eorum quæ genuerunt*
„ *eos: & ſuper patres eorũ de quorum ſtirpe ſunt nati in terra hac: Mortibus ægro-*
„ *tationum morientur: non plangentur, & non ſepelientur, in ſterquilinium ſuper*
„ *faciem terræ erunt: & gladio, & fame conſumentur: & erit cadauer eorum in*
„ *eſcam volatilibus cæli, & beſtiis terræ.*

*Hic idem Vates vaticinij ſui exemplum in teſtimonium cum præſentibus tum*
„ *poſteris conſcribere iuſſus eſt. Hoc verbum quod factum eſt ad Ieremiam à Do-*
„ *mino, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, dicens: Scribe tibi omnia verba*
„ *quæ locutus ſum ad te, in libro: Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, & con-*
„ *uertam conuerſionem populi mei Iſrael & Iuda, ait Dominus: & conuertam eos*
„ *ad terram quam dedi patribus eorum, & poſſidebunt eam.*

Ierem. 36. *Et factum eſt in anno quarto Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda: factum eſt verbum*
„ *hoc ad Ieremiam à Domino, dicens: Tolle volumen libri, & ſcribes in eo omnia*
„ *verba quæ locutus ſum tibi aduerſus Iſrael & Iudam, & aduerſus omnes gen-*
„ *tes: à die qua locutus ſum ad te ex diebus Ioſiæ vſque ad diem hanc: Si fortè au-*
„ *diente domo Iuda vniuerſa mala quæ ego cogito facere eis: reuertatur vnuſ-*
„ *quiſque à via ſua peſſima, & propitius ero iniquitati & peccato eorum. Vocauit*
„ *ergo Ieremias Baruc filium Neriæ: & ſcripſit Baruc ex ore Ieremiæ omnes ſer-*
„ *mones Domini, quos locutus eſt ad eum in volumine libri.*

Oseæ 1. *Hoſeas vxorem fornicationis monitus ducit in ſignum proteruiæ & adul-*
*terij ab Iſraelitis contra proprium Dominum admiſſi.*

*Iam de geſtu ac ſitu nonnihil dicendum. Ezechieli varia huiuſmodi actio*
Ezech. 6. *fuit. Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam*
„ *ad montes Iſrael: & prophetabis ad eos, & dices: Montes Iſrael audite ver-*
„ *bum Domini. &, Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, & allide*
„ *pedem tuum, & dic: Heu, heu, ad omnes abominationes malorum domus Iſrael.*

Ezech. 21. *Et tu fili hominis ingemiſce in contritione lumborum, & in amaritudinibus*
„ *ingemiſce coram eis. Cumq́; dixerint ad te: Quare tu gemis? Dices, pro auditu:*
„ *Quia venit, & tabeſcet omne cor, & diſſoluentur vniuerſæ manus, & infirma-*
„ *bitur omnis ſpiritus, & per cuncta genua fluent aquæ. Ecce venit, & fiet, ait Do-*
*minus Deus. Itaque Vatis lamentatio ac luctus grauiſſimi ſupplicij confirma-*
Mich. 1. *bant præſagium. Quo etiam affectu impulſus Micheas, aiebat: Super hoc plan-*
„ *gam & vlulabo: vadam ſpoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum,*
„ *& luctum quaſi ſtruthionum: quia deſperata eſt plaga eius, quia venit vſque ad*
„ *Iudam, tetigit portam populi mei vſque ad Ieruſalem. In Geth nolite annuntia-*
„ *re, lachrymis ne ploretis, in domo pulueris puluere vos conſpergite.*

40. *Quo verò affectu, quóve animi impulſu ſoleant à Vatibus teſtes appellari in-*
Animi impulſio. *terdum cælum ac terra, nonnunquam montes & colles, quis vt res poſtulat pote-*
*rit indicare? Vehementem enim eſſe cauſam oportet, quamobrem huiuſmodi, quæ*
*vita ac ſenſibus carere cenſentur, audire, videre, & ſentire, atque ſpiritum pro-*
Iſaiæ 1. *mere iubeantur: idq́; Dei, cui omnia viuunt, auctoritate & imperio. Audite*
„ *cæli, & auribus percipe terra: quia Dominus locutus eſt: Filios enutriui & exal-*
„ *taui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præ-*
*ſepe*

ſæpe domini ſui: Iſrael non cognouit, populus meus non intellexit. & Micheas:
Audite quæ Dominus loquitur: Surge, contende iudicio aduerſus montes, & Mich.6.
audiant colles vocem tuam. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fun-
damenta terræ: quia iudicium Domino cum populo ſuo, & cum Iſrael diiudica-
bitur. Idem verò Vates cauſæ magnitudine & grauitate coactus, in lachrymas
& lamenta rurſus erumpit. Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in au- Mich.7.
tumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum.

Deprecatoris quoque munus & officium non raro ſuſcipientes, Vates perſo- 41.
nam huiuſmodi ſtudioſè ac fortiter ſuſtinent, & valde ſedulò agunt. Numquid Deprecator. Habac.1.
non tu à principio Domine Deus meus, Sancte meus: & non moriemur? Domine
in iudicium poſuiſti eum, & fortem vt corriperes, fundaſti eum. Mundi ſunt
oculi tui, ne videas malum: & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare non
reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Et facies
homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem.

Proximum iis quæ iam diſſeruimus, fuerit de Vatum libertate, ſedulitate, & 42.
conſtantia paucis diſſerere. Quæ cùm vnumquemque alienas partes ſuſcipien- Libertas.
tem cumprimis deceant, ab iis maximè exiguntur qui diuina auctoritate impo-
ſitas ac demandatas gerunt. Nam ſi & iudicibus in minori etiam argumento
nullius vel perſonæ, vel conditionis rationem habere imperatum eſt: quid cen-
ſendum eſt de iis qui agenda, dicenda, & facienda omnia, nulla ex parte ſibi ar-
rogare, ſed Deo auctori ac dictatori, atque imperatori, præconum more & iure
adſcribere debent. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita paruum audietis vt ma- Deut.1.
gnum, neque accipietis cuiuſquam perſonam: quia iudicium Domini eſt. Nemo
ſanè Vatum quantum ſibi impoſitum fuerit onus non ſenſit: & quamquam non-
nulli initio excuſatione quauis etiam in ſpeciem honeſta, declinare curauerint:
tamen ſecundò iuſſi ac deliberato animo agentes præter vnum fortaſſe, ceteri
omnes intrepidè ac fortiter peregerunt. Quis enim terribili Dei mãdato ac ver-
bo humani anteponat quicquam? Leo rugit, ait Amos, & quis non timebit? Do- Amos 3.
minus locutus eſt, & quis non prophetabit? Noli dicere, puer ſum, Audit Iere- Ierem.1.
mias à Deo, Quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis: & quæcumque mandauero
tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego ſum, vt eruam te, dicit
Dominus. Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit ad me:
Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper re-
gna: vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Et 2 Reg.3.
ait Ioſaphath. Eſt ne hîc Propheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum?
Et reſpondit vnus de ſeruis regis Iſrael, Eſt hîc Eliſæus filius Saphat, qui fun-
debat aquam ſuper manus Eliæ. Et ait Ioſaphath. Eſt apud eum ſermo Domini.
Deſcenditq́; ad eum rex Iſrael, & Ioſaphath rex Iuda, & rex Edom. Dixit au-
tem Eliſæus ad regem Iſrael: Quid mihi & tibi eſt? Vade ad Prophetas patris
tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Iſrael, Quare congregauit Dominus tres reges
hos, vt traderet eos in manus Moab. Dixitq́; ad eum Eliſæus: Viuit Dominus
exercituum in cuius conſpectu ſto: quòd ſi non vultum Ioſaphath regis Iuda eru-
beſcerem, non attendiſſem te, nec reſpexiſſem. Et Ieremias quàm conſtans fidelis
Vatis libertas, & animi pertinacia ſit, ſatis luculenter docet. Quia iam olim lo- Ierem.20.
quor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo
Domini in opprobrium, & in deriſum tota die. Et dixi, Non recordabor eius,

neque

*neque loquar vltrà in nomine illius. Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſq́; in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens. Audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu. Perſequimini, & perſequamur eum: ab omnibus viris qui erant pacifici mei, & cuſtodientes latus meum: ſi quo modo decipiatur, & præualeamus aduerſus eum, & conſequamur vltionem ex eo. Dominus autem mecum eſt quaſi bellator fortis: iccirco qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erunt: & confundentur vehementer, quia non intellexerunt*

Ierem. 22. *opprobrium ſempiternum quod nunquam delebitur.* &, *Hæc dicit Dominus: Deſcende in domum regis Iuda, & loqueris ibi verbum hoc, & dices: Audi verbum Domini rex Iuda, qui ſedes ſuper ſoliũ Dauid: tu, & ſerui tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas iſtas. Hæc dicit Dominus: Facite iudicium & iuſtitiam: & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris: & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare, neque opprimatis iniquè: & ſanguinem innocentem ne effundatis in loco iſto. Si enim facientes feceritis verbum iſtud: ingredientur per portas domus huius reges ſedentes de genere Dauid ſuper thronum eius, & aſcendentes currus & equos, ipſi & ſerui, & populus eorum. Quod ſi non audieritis verba hæc, in memetipſo iuraui, dicit Dominus, quia in ſolitudinem erit domus hæc: quia hæc dicit Dominus ſuper domum regis Iuda. Galaad tu mihi caput Libani: ſi non poſuero te ſolitudinem, vrbes inhabitabiles, &c.*

43. Securitas. *Neque verò huiuſmodi libertate periculum vnquam ſibi creaſſe Vates dicuntur, quorum neque capillus vnus de capite peribit, niſi cùm id è publica piorum atque è priuata quoque ipſorum Vatum re opportunum commodúmque fuerit. Namque idem qui libertatem huiuſmodi in miniſtris exigit ſuis, cùm opus fuerit, multis modis defendere, tueri, & aſſerere nouit, & ſolet: contra verò miniſtrorum timiditatem & fugam nullius certæ ſalutis præſidio eſſe ſinit.* S. S. E.

Ierem. 26. *Et audierunt ſacerdotes & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini. Cumq́; compleſſet Ieremias loquens omnia quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuerſum populum: apprehenderunt eum ſacerdotes & prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. Quare prophetauit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc, & vrbs iſta deſolabitur, eò quòd non ſit habitator? Et congregatus eſt omnis populus aduerſus Ieremiam in domo Domini. Et audierunt principes Iuda verba hæc, & aſcenderunt de domo regis in domum Domini, & ſederunt in introitu portæ domus Domini nouæ. Et locuti ſunt ſacerdotes & prophetæ ad principes, & ad omnem populum, dicentes: Iudicium mortis eſt viro huic: quia prophetauit aduerſus ciuitatem iſtam, ſicut audiſtis auribus veſtris. Et ait Ieremias ad omnes principes, & ad vniuerſum populum, dicens: Dominus miſit me vt prophetarem ad domũ iſtam, & ad ciuitatem hanc omnia verba quæ audiſtis. Nunc ergo bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & audite vocem Domini Dei veſtri, & pœnitebit Dominum mali quod locutus eſt aduerſum vos. Ego autem ecce in manibus veſtris ſum, facite quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris. Verumtamen ſcitote & cognoſcite quòd ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis cõtra voſmetipſos, & contra ciuitatem iſtam, & habitatores eius. In veritate enim miſit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus veſtris omnia verba hæc. Et dixerunt principes & omnis populus ad ſacerdotes & ad Prophetas: Non eſt viro huic iudicium mortis: quia in nomine Domini Dei noſtri locutus eſt ad nos. Surrexerũt*

ergo

*ergo viri de ſenioribus terræ, & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes. " Michæas de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ regis Iuda, & ait ad " omnem populum Iudæ, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum. Sion quaſi ager " arabitur, & Ieruſalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelſa ſil- " uarum. Nunquid morte condemnauit eum Ezechias rex Iuda, & omnis Iuda? " Numquid non timuerunt Dominum, & deprecati ſunt faciem Domini, & pœ- " nituit Dominum mali quod locutus fuerat aduerſum eos? Itaque nos facimus " malum grande contra animas noſtras. Fuit quoque vir prophetans in nomine " Domini Vrias filius Semei de Cariath Iearim, & prophetauit aduerſus ciuitatem " iſtam, & aduerſus terram hanc iuxta omnia verba Ieremiæ. Et audiuit rex Ioa- " cim, & omnes potentes & principes eius verba hæc: & quæſiuit rex interficere " eum. Et audiuit Vrias, & timuit, fugítque, & ingreſſus eſt in Aegyptum. Et " miſit rex Ioacim viros in Aegyptum, Elnathan filium Achobor, & viros cum " eo in Aegyptum. Et eduxerunt eum de Aegypto, & adduxerunt eum ad re- " gem Ioacim, & percuſsit eum gladio: & proiecit cadauer eius in ſepulchris vulgi " ignobilis. Igitur manus Ahicam filÿ Saphan fuit cum Ieremia vt non tradere- " tur in manus populi, & interficerent eum. Atque hanc libertatem non ex odio, " ira, vel ambitione, ſed ex pietatis ſtudio, diuinóque iuſſu natam probat ipſa in " omnem ordinem hominum æqua & communis increpatio, qua Vates ad publi- " cam vtilitatem vtuntur, vt Oſeas: Audite hoc ſacerdotes, & attendite domus* Oſeæ 5. *Iſrael, & domus regis auſcultate: quia vobis iudicium eſt, quia laqueus facti " eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor. Et victimas declinaſtis in " profundum, & ego eruditor omnium eorum, &c. "*

*Terribilem ac verendam maximè Dei Vates inſtruentis ac mittentis auctori-* 44. *tatem eſſe, quam nulla hominum conditio effugere debeat, quocunque ex ordine,* Auctoritas. *quocunque loco ÿ qui mittuntur fuerint. Nemo rurſus eorum ad quos Vatum munus comparatur, non colere, & pie venerari, ſin minus autem formidare co- gatur. Quia non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum* Amos 3. *ad ſeruos ſuos Prophetas. Leo rugit, quis non timebit? Dominus Deus locutus eſt, " quis non prophetabit? Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Aegy- " pti, & dicite: Congregamini ſuper montes Samariæ, & videte inſanias multas " in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius. Et neſcierunt facere " rectum, dicit Dominus, theſaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus ſuis. " Propterea hæc dicit Dominus Deus, Tribulabitur & circuietur terra, & detra- " hetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ. In hanc ſententiam Daniel: " Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei: ſicut eſt hodie viro Iuda &* Dan. 9. *habitatoribus Ieruſalem & omni Iſrael, iis qui prope ſunt, & iis qui procul in " vniuerſis terris, ad quas eieciſti eos propter iniquitates eorum, in quibus pec- " cauerunt in te. Domine, nobis confuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, " & patribus noſtris qui peccauerunt. "*

*Vbi verò ſuſceptum munus purè atque ingenuè obierint Vates propter pro- priæ conſcientiæ in ea re integritatem, & propter ſummam qua ſunt pietatem, etiam aduerſus Deum libertate illa vtuntur, intrepidè intercedentes, atq; iram conſtante animo ac deprecatione lenientes, quod officium quantum Deo probent ex oppoſita in vanos ac mendaces fictosq; vates prædictione intelligimus. Et fa-* Ezech. 13. *ctum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis vaticinare ad Prophetas "*

» Iſrael qui prophetant, & dices prophetantibus de corde ſuo, Audite verbum Do-
» mini: Hæc dicit Dominus Deus, Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiri-
» tum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis, Prophetæ tui Iſrael erant.
» Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael: vt ſtare-
» tis in prœlio in die Domini. Iccirco quia & hoc partium ſuarũ eſſe ſciebat Amos,
Amos 7. calamitatis futuræ magnitudine præuiſa, Deum ad clementiam appellabat. Hæc
» oſtendit mihi Dominus, & ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſeroti-
» ni imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſorem gregis. Et factum eſt cùm conſummaſ-
» ſet comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus propitius eſto obſecro. Quis ſuſ-
» citabit Iacob, quia paruulus eſt? Miſertus eſt Dominus ſuper hoc, Non erit, di-
» cit Dominus.

45. Locus. De loco autem ad vaticinandi officium oportuno nihil ſingulare ſtatui poteſt, quippe cùm nullus locus vel publicus, vel priuatus, vel proximus, vel remotior ſit, ad quem diuinæ prouidentiæ auctoritas, & ex hac profectum vaticinandi munus non pertineat. Ita quidam ad templi portas, nonnulli in plateis, alij apud
Ierem 7. aulam, & in agris ac prædiis, ſecundumq́ flumina ſuas partes egere. Verbum
» quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens: Sta in porta domus Domini, &
» prædica ibi verbum iſtud, & dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui in-
Idem. 17. gredimini per portas has vt adoretis Dominum. Rurſus idem: Hæc dicit Domi-
» nus ad me: Vade, & ſta in porta filiorum populi per quam ingrediuntur reges Iu-
» da, & egrediuntur: & in cunctis portis Ieruſalem, & dices ad eos: Audite ver-
» bum Domini reges Iuda, & omnis Iuda, cunctiq́ habitatores Ieruſalem qui in-
Amos 7. gredimini per portas iſtas. Amos & Oſeas apud Bethelam agere iuſſi. Qui vi-
» des, gradere & fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi, &
» in Bethel non adiicies vltrà vt prophetes: quia ſanctificatio regis eſt, & domus
» regni eſt. Reſponditq́ Amos, & dixit ad Amaſiam: Non ſum Propheta, & non
» ſum filius Prophetæ: ſed armentarius ego ſum vellicans ſycomoros. Et tulit me
» Dominus cùm ſequerer gregem, & dixit ad me: Vade, & propheta ad populum
Ierem. 43. meum Iſrael. Et factus eſt ſermo Domini ſuper Ieremiam in Taphnis, dicens:
» Sume lapides grandes in manu tua, & abſcondes eos in crypta quæ eſt ſub muro
» lateritio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Iudæis, & di-
Ionæ 1. ces ad eos: Hæc dicit Dominus, &c. Ionas Ninam vrbem regiam miſſus eſt con-
Iudic. 3. cionator & vates. Et innominatus quidam in locum flentium Iſraelitas repre-
henſurus miſſus narratur. Ezechieli viſa & ſpectra apud fluuium Chobarem oſtenſa ſunt.

46. Fides. 2. Pet. 2. Quidquid autem vatibus agendum mandatur ac ſuſcipitur, id ſumma fide agitur; quippe non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto afflati, ac dictante locuti ſunt ſancti Dei viri. Vnde quamquam graue aliàs impoſitum ſibi ſentiant, onus tamen ſedulo tandem ac fortiter perferunt. Cuius rei exemplum vel puer ac tener adhuc Samuel probauit. Et Samuel
1. Sam. 3. timebat indicare viſionem Heli. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel
» fili mi, qui reſpõdens, ait, Præſto ſum. Et interrogauit eum, Quis eſt ſermo quem
» locutus eſt Dominus ad te? oro te ne celaueris me: Hæc faciat tibi Dominus, &
» hæc addat, ſi abſconderis à me ſermonem ex omnibus verbis quæ dicta ſunt tibi.
» Indicauit itaque ei Samuel vniuerſos ſermones, & non abſcondit ab eo. Namque huiuſmodi fidem graui minarum prædictione aſſertam Deus voluit. Si ſpecu-

lator

*lator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina: & populus ſe non* Ezech.33.
*cuſtodierit, veneritq́; gladius & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate* “
*ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram. Huius* “
*animaduerſionis exemplum in quendam ex prophetarum diſcipulis editum le-*
*gimus. Tunc vir quidam ex filiis prophetarum dixit ad ſocium ſuum in ſermo-* 1 Reg.20.
*ne Domini, Percute me. At ille noluit percutere. Cui ait, Quia noluiſti audire* “
*vocem Domini, Ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumq́; paululum receßiſ-* “
*ſet ab eo, inuenit eum leo, atque percuſsit. Propterea dixi, ait Iſaias, Recedite* Iſaiæ 22.
*à me, amarè flebo. Nolite incumbere vt conſolemini me ſuper contritione populi* “
*mei: Dies enim interfectionis, & conculcationis, & fletuum Domino Deo exer-* “
*cituum in valle viſionis. Et Ieremias: Ventrem meum, ventrem meum doleo,* Ierem. 4.
*ſenſus cordis mei turbati ſunt in me. Non tacebo, quoniam vocem buccinæ au-* “
*diuit anima mea, clamorem prælij. Idem: Quia iam olim loquor vociferans, &* Idem 20.
*vaſtitatem clamito, & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deri-* “
*ſum tota die, & dixi: Non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine illius:* “
*& factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans clauſúſque in oßibus meis, &* “
*defeci, ferre non ſuſtinens.*

*Atqui Prophetas veros, non ab hominibus creatos, nec ſua ſponte id muneris* 47.
*vltrò ſuſcipientes, verùm à Deo legatos cùm res & ratio ipſa doceat, atque di-* Examinatio
*uina ſcripta confirment quemadmodum examinari oporteat, operæpretium fue-*
*rit intelligere. Quod ſi homines ipſi ad quos illi legati demandantur ſpiritua-*
*lia propria virtute dignoſcere poſſent: nihil in ea re negotij eſſet, nihilq́; ambi-*
*guitatis accideret. Verùm animalis homo, niſi ſpiritu Dei inſtruatur, eiuſmodi*
*dignoſcendi facultatem non obtinet. S.S.E. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam pro-* “
*funda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis* “
*qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem* “
*non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus* “
*quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ* “
*verbis, ſed in doctrina ſpiritus ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis* “
*autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non* “
*poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinantur. Spiritualis autem iudicat om-* “
*nia, & ipſe à nemine iudicatur.*

*Verùm enimuerò cùm vaticinia plerumque non ſpiritualibus viris, quin po-*
*tiùs iis qui adhuc animalis hominis nomine cenſentur, mitti ſoleant: idq́; mune-*
*ris non modò veri Vates externa actione præſtare, verùm ficti ac ſimulati ho-*
*mines quadamtenus imitari, & ita imponere populo aliquando poßint, diuinæ*
*prouidentiæ atque doctrinæ fuit nonnullas conſtituere regulas ad quas huius*
*rei veritatem examinare liceat, atque etiam expediat: quas nobis alias explica-*
*tas, nunc breuiter indicaſſe fuerit ſatis.*

*Duplex in genere periculi faciendi modus à Spiritu ſancto fuit præſcriptus,*
*vt ſi non à principiis ipſis demoſtrari res poſſet, à ſignis verò & conſequentibus*
*certa duceretur coniectura, quæ eos, à quibus petebatur, à negligentia vindica-*
*tos, vel inducere ad credendum, vel à credulitatis vitio & crimine liberaret.*
*Altera ratio fuit ſignorum obſeruatio, Doctrinæ verò altera. Nam vel Vatum*
*munus in rebus nouis, difficillimis, & exemplis non antea editis ponitur: vel in*
*iis quorum iam antea explicata ratio fuerat, ſed vetuſtate, aut alio nomine ob-*

ſoleuerat, ea inſtauranda Vatibus denuò commendatur, vel aliàs digna exiſti-
matur quàm iterum nouæ legationes repeterent. vel in vtraque etiam parte ſi-
mul eiuſmodi ſpectatur actio. Neutræ partes citra legitima ſigna vel à vate agi,
vel à populo excipi ſinit lex. Namque & maximorum principum nunciis niſi cer-
torum ſignorum auctoramenta adſint, fides omnis iure abrogatur, nedum iis qui
ſeſe Dei nuncios profitentur auctoritas certis adnotata ſignis exigenda fuerit.
Maxima autem, & à communi conſuetudine valde diſtantia ſigna eſſe oportet
quæ Vatem, nouas agentem res, commendare & probare populo poſſint. Ex quo
genere miracula & prodigia ſunt, qualia Moſes ex antiquis Dei nunciis præci-
puus in grauiſſima legatione & prædixit, & edidit. Quorum exempla recenſere
nec hoc loco opus nobis fuerit, nec etiam vacat. Hanc verò normam ad quam
eiuſmodi Vatum examinatio qui res nouas, & non antea actas tractant, diri-
Deut. 18. genda eſt, diuina quondam præſcripſit lex. Prophetam de gente tua, & de fra-
» tribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies, vt petiiſti
» à Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti: Vltrà
» non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non vi-
» debo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia ſunt locuti. Prophetam ſuſci-
» tabo eis de medio fratrum tuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius,
» loqueturq́; ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba eius quæ loquetur
» in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam. Propheta autem qui arrogan-
» tia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ei vt diceret,
» aut ex nomine aliorum deorum, interficietur. Quòd ſi tacita cogitatione reſpon-
» deris: Quomodo poſſum intelligere verbum quod Dominus non eſt locutus? hoc
» habebis ſignum: Quòd in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non eue-
» nerit: hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui propheta confin-
» xit. Iccirco non timebis eum.

48. Nec verò poſt illam Moſis miniſterio & opera latam legem ſatis fuerit ſigno-
rum, quamquam magnorum obſeruatio & veritas ad fidem vati conciliandam,
ſi rerum doctrina atque tractatio legis diſciplinæ atque veræ ſententiæ aduerſe-
tur. Namque ſemel traditam Dei diſciplinam, ſecum aliquando pugnare poſſe
ſapientiæ diuinæ ſimplicitas negat prorſus. Quamobrem non tantum ſigna à
Vatibus exigenda ſunt, quantum doctrinæ ratio, qualitas, & veritas expenden-
da, an cum verò Dei, & antea iam imperato ac præcepto cultu quadret. Quid-
quid enim ab illa ſimplicitate & veritate diſcedit, alienum ſpectat cultum &
Deut. 13. vanam religionem, vel ſuperſtitionem potius molitur. S. S. E. Si ſurrexerit in
» medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum at-
» que portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur
» deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis: non audies verba prophetæ illius aut
» ſomniatoris: quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat vtrum dili-
» gatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Dominum Deum ve-
» ſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem
» eius: ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebitis. Propheta autem ille aut fictor ſomniorum
» interficietur: quia locutus eſt vt vos auerteret à Domino Deo veſtro (qui eduxit
» vos de terra Aegypti, & redemit vos de domo ſeruitutis) vt errare te faceret
» de via quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui.

Duo itaque ſumma examinationis & auctoritatis capita in ſignis vel indi-
candis,

*candis, vel edendis, & doctrinæ ſanctitate obſeruanda verſantur. Ad quam ra-
tionem illa Vatum omnium Principis ſummi* IESV CHRISTI *obteſtatio per-
tinet. Si non veniſſem, & locutus illis non fuiſſem, [veram doctrinam] & opera* Ioan. 15.
*non feciſſem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem excuſa-
tionem non habent de peccato ſuo. Et illud etiam quod ipſe interrogans profite-
batur: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et ſi veritatem dico vobis, quare* Ioan. 7.
*non creditis mihi. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chri-
ſtus cùm venerit numquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit? Et cùm tanta
ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum.*

*In ſignorum autem genere numerantur non ſolùm miracula & prodigia atq;* 49.
*oſtenta, ſed etiam prædictarum actionum, vel rerum obſeruata atque ſpectata* Signa.
*euenta. Cuiuſmodi illud à Samuele ad Saulē: Cumq; abieris inde, & vltra tranſ-* 1 Sam. 10.
*ieris, & veneris ad quercū Thabor, inueniēt te ibi tres viri aſcēdentes ad Deum
in Bethel, vnus portans tres hœdos, alius tres tortas panis, & alius portans tres
lagenas vini. Cumq; te ſalutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de ma-
nu eorum. Poſt hæc venies in collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum: & cùm
ingreſſus fueris ibi vrbem, obuium habebis ibi gregem prophetarum deſcenden-
tium de excelſo, & ante eos pſalterium & tympanum, & tibiam, & citharam:
ipſoſq; prophetantes. Et inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum eis, &
mutaberis in virum alium. Quando ergo euenerint ſigna hæc omnia tibi, fac
quæcunque inuenerit manus tua: quia Dominus tecum eſt. Miracula etiam &
beneficia erga priuatum quempiam facta, fidem & auctoritatem diuinam Vati-
bus adſtruunt. vt, Mulier quædam de vxoribus Prophetarum clamabat ad Eli-* 4 Reg. 4.
*ſeum, dicens: Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſeruus tuus fuit
timens Deum: & ecce creditor meus venit vt tollat duos filios meos ad ſeruien-
dum ſibi. Cui dixit Eliſeus: Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi quid habes in do-
mo tua? At illa reſpondit: Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi
parum olei quo vngar. Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa
vacua non pauca. Et ingredere, & claude oſtium tuum: cùm intrinſecus fueris
tu & filij tui: & mitte inde in omnia vaſa hæc, & cùm plena fuerint, tolles. Iuit
itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos: illi offerebant va-
ſa, & illa infundebat. Cumq; plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer
mihi adhuc vas. Et ille dixit, Non habeo. Stetítque oleum. Huc etiam pertinet
vmbræ ſolis in horarum gradibus receſſus, Ezechia optante, per Iſaiam ſanita-* Iſaiæ 28.
*tem regi pollicitum, curatus.*

*Interdum verò non ſolum prædictum ſignum, ſed à Vate ipſo datum, atque
actione quapiam repræſentatum venturæ rei, & prænunciatæ ſignum habetur,
præcipuè cùm actio grauior eſt, & ex earum genere quæ vates non niſi iuſſus oc-
ciperet. Cuiuſmodi illud exemplum eſt. In anno quo ingreſſus eſt Thartan in* Iſaiæ 20.
*Azotum, cùm miſiſſet eum Sargon rex Aſſyriorum, & pugnaſſet contra Azotum,
& cepiſſet eam: in tempore illo locutus eſt Dominus in manu Iſaiæ filij Amos,
dicens: Vade, & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus
tuis. Et fecit ſic vadens nudus & diſcalceatus. Et dixit Dominus: Sicut ambula-
uit ſeruus meus Iſaias nudus & diſcalceatus, trium annorum ſignum & por-
tentum erit ſuper Aegyptum, & ſuper Aethiopiam: ſic minabit rex Aſſyriorum
captiuitatem Aegypti, & tranſmigrationem Aethiopiæ, iuuenem & ſenem,*

*nudam & diſcalceatam, diſcoopertis natibus ad ignominiam Aegypti. Et timebunt, & confundentur ab Aethiopia ſpe ſua, & ab Aegypto gloria ſua.*

*Multam verò Vati fidem vnius aut alterius prædictæ rei euentus conciliat. Sic Samueli quo tempore verbum Dei carum ac rarum admodum fuiſſe narratur, declaratus Heli ſacerdoti publicæ rei futurus ſtatus, & quis eum atque filios*
1 Sam. 3. *expectaret exitus vaticinij auctoritatem arrogauit. S. S. E. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini. Et addidit Dominus vt appareret in Silo: quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo iuxta verbum Domini. Et euenit ſermo Samuelis vniuerſo Iſrael.*

*Nec verò ad examinandam Vatis fidem & auctoritatem ſatis fuerit res ipſas rerumq́; euentus certa quadam interpretationis ambage ad prædictionem & vaticinium reducere. Namque id vitij notatur in iis prædictionibus & oraculis quæ humana ſapientia, vel potius arrogantia & ſuperbia fingere audet. Verùm ex ipſa ſermonis ac verborum aperta ſignificatione dicentis ſententiam cum rerum euentis conferri oportet, id quod annotatione docemur illa.* Et non excidit ex omnibus verbis eius in terram. *ad quam exemplum illud pertinet. Fa-*
4 Reg. 7. *ctumq́; eſt ſecundùm ſermonem viri Dei quem dixerat regi, quando ait: Duo modij hordei ſtatere vno erunt, & modius ſimilæ ſtateræ vno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ, quando reſponderat dux ille viro Dei, & dixerat: Etiamſi Dominus fecerit cataractas in cælo, nunquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, & inde non comedes. Euenit ergo ei ſicut prædictum erat, & conculcauit eum populus in porta, & mortuus eſt. Adeò verò hæc ratio ſingularis veris Vatibus eſt, & nulli alij ex præſagorum grege conceſſa, vt non tantùm certa de rebus futuris verba, ac de temporibus certa pronuncientur momenta, quod paſsim Moſi factitatum legimus, ſed olim orituri homines pro-*
Iſaiæ 45. *prio etiam appellentur nomine. Vt apud Iſaiam: Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dextram; vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coràm eo ianuas, & portæ non claudentur. Contingit quoque aliquando poſterioribus exemplis antiquam veritatem doceri, ac firmari. Id quod inductus per Iſaiam Cyri ſermo indicat, qui etiam ad Chriſtum Ieſum rectiſsimè refertur. Accedite ad me, & audite hoc: Non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram. Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius.*

50. *Alterum verò probandi vatis pondus ex actionum, prædictionum, ac doctrinæ qualitate petendum eſſe, diuina lex docuit. Namque illius qui corruptos ac deprauatos hominum carpit reprehenditq́; mores: ac dicendo ad meliorem frugem reducere ſtudet, ad eamq́; rem nunc exhortationem, nunc minas prædictioneſq́; adhibet: tum oratio honeſtior & vtilior potius videtur eſſe eius, quàm eius qui blanditur & aſſentatur; vel principibus, vel populo, atque ſecuritatem promittit, moreſq́; præſentes, quamquam deprauatos vel defendit, vel diſsimulat: tametſi quæ ab illo priore prædicta fuerint mala, vel damna, vel pericula non*
Ierem. 23. *euenerint. Hæc dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. Dicunt iis qui blaſphemant me, Locutus eſt Dominus, Pax erit vobis, &*

*bis, & omni qui ambulat in prauitate cordis ſui, dixerunt: Non veniet ſuper vos malum. & rurſum: Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Si ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo: auertiſſem vtique eos à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis. & paulò inferiùs: Ecce ego ad prophetas ſomniantes mendacium, ait Dominus: qui narrauerunt ea, & ſeduxerunt populum meum in mendacio ſuo, & in miraculis ſuis: cùm ego non miſiſſem eos, nec mandaſſem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.*

51. Signa in monumentum futurorum.

*In ſignorum verò quæ à Vatibus eduntur, nonnulla quamquam factu facilia adeò ſunt, vt ſigna dici poſſe non videantur, ſunt tamen vel iam aduentantium rerum prænuncia, vel præteritarum teſtimonia & monumenta ad poſteritatis memoriam doctrinamq́ instituta. Cuius formæ illud apud Iſaiam eſt. Aegyptus* (Iſaiæ 30.) *fruſtrà & vanè auxiliabitur: ideò clamaui ſuper hoc, Superbia tantùm eſt, Quieſce. Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum. Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.*

אותות
מופתות
מופתים
נצים
פלאים

*Quatuor verò in ſacris libris obſeruantur nomina rebus impoſita iis, quas Vates ad faciendam legationum ſuarum fidem diuina virtute edere nonnumquam ſolent. Ea autem Hebraicè ſunt,* OTHOTH, MOPHTHOTH, *ſiue (quod idem eſt)* MOPHETIM, NEZZIM, PELAIM. *Pro quibus Latini interpretes redderent,* ſigna, portenta, obtenta, mirabilia. *Et quamquam in his nominibus & generibus obſeruandis non ſit interpretum perpetua conſtãtia; tamen in re & ratione ipſa ſemper ſibi conſtans in ſacris adnotatio eſt. Libet autem vnumquodque genus addito etiam exemplo definire. Primum igitur nomen eſt* ſignum, *cuius ratio communis magis, & minus arcana atque difficilis minus cùm ſit, tamen eſt ad fidem faciendam ſatis idonea. Cuius generis multa Moſi à Deo data ſunt. vt, Hoc habebis à me ſignum quòd miſerim te: cùm reduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* (Exodi 3.) *Signum auctoritatis & legationis ſuæ hoc haberi & obſeruari à Moſe voluit Deus: videlicet euentum ipſum, vt de Abraham, Eleazar, & Rebecca aliàs dicemus, Deo docente. Deinde tria ſimul ſigna accepit Moſes apud populum, & apud Aegypti regem oſtendenda, baculi in ſerpentem mutatio, deinde in lignum reſtitutio, ac manus repentè lepra infectæ, atque rurſus ſanatæ demonſtratio. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent* (Exodi 4.) *verbo ſigni ſequentis. Quòd ſi ne duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam: ſume aquam fluminis, & effunde ſuper aridam, & quidquid hauſeris de fluuio, vertetur in ſanguinem. Hoc autem genus omnium in hac ratione ſimpliciſſimum & communiſſimum eſt. vtpote quod quanquã apud probos & pios valeat, tamen apud eos qui durioris ingenij, & pertinacioris conſilij ſint, minus ponderis ac momenti habere, & ad alias à diuinis alienas cauſas referri poſſe intelligatur. S.S.E. Veneruntq́ ſimul, & congregauerunt cunctos* (Exodi 4.) *ſeniores filiorum Iſrael, locutusq́ eſt Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moyſen: & fecit ſigna coram populo. & credidit populus. Rurſum de altero hominum & ingeniorum genere ſcriptum eſt: Tulit Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, & verſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharaon ſapientes* (Exodi 7.) *& maleficos: & fecerunt ipſi etiam per incantationes Aegyptiacas & arcana*

*quædam*

» quædam ſimiliter. Proiecerunt́q; ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in draco-
» nes: ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Induratuḿq; eſt cor Pharaonis,
» & non audiuit eos, ſicut præceperat Dominus. & paulo pòſt: Hæc igitur dicit
» Dominus, In hoc ſcies quòd ſim Dominus: Ecce percutiam virga quæ in manu
» mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem. Et cùm hoc factum eſſet, fe-
» cerunt ſimiliter malefici Aegyptiorum incantationibus ſuis. Et induratum eſt
cor Pharaonis, nec audiuit eos, ſicut præceperat Dominus. Atque ita OTHOTH,
ſiue ſigna, non ſolùm ea dicuntur, quæ præter naturam fiunt, ſed etiam quæ par-
ua naturæ mutatione fieri poſſunt, vt per incantationes; atque etiam illa non-
numquam quæ, cùm ſecundùm naturam edantur, tamen ad fidem faciendam in-
ter homines ipſos, vel inter Deum & homines, adnotari & conſtitui poſſunt. Vt
Gen.1. luminaria magna & aſtra quæ Deus extare iuſsit, vt diuidant diem & noctem,
Gen.9. & ſint in ſigna & tempora. Et arcus cæleſtis, qui cùm antea iam in mundo fuiſ-
ſet ſæpe ſpectatus: tamen diuinæ clementiæ ſignum præferre poſt diluuium eſt
Gen.17. iuſſus. Arcum meum ponam in nubibus cæli, & erit ſignum fœderis inter me,
& inter terram. Circumciſionem etiam carnis ſignum fœderis inter ſe & Abra-
hami poſteritatem eſſe Deus voluit. Et vexilla ſingulis tribubus ad itinerum &
militiæ atque ſtationum conſeruandum ordinem comparata, ſigna dicta ſunt.
Num.2. S.S.E. Locutus eſt Dominus ad Moyſem & Aaron, dicens: Singuli per turmas
ſigna atque vexilla, & domus cognationum ſuarum caſtrametabuntur. Ex qui-
bus rationibus atque locis omnibus apparet nomen ſigni ad cognoſcendum ma-
gis, quàm ad conuincendum appellari: tamque naturalibus quàm admirandis,
& præter naturam rebus attribui. Sed quæ Latinus vertit, portenta, prodi-
gia, vel oſtenta, Hebraicè MOPHTHOTH, ſiue MOPHTHIM dicta, ea vl-
tra ſigni rationem, vehementem etiam ſignificationem, & euidentiam quan-
dam rei ipſius quam oſtendunt, habent. Itaque magis etiam & vehementius mo-
nere, mouere, & afficere attendentium animos poſſunt, & ſolent. Sunt autem
יפה his nominibus Hebraicè dicta à verbo IAPHAH, quod ſpeciem ſui præbeant con-
ſpicuam & vehementem, & magis etiam & diutius quàm ſigna impellant.
Deut.11. S. S. E. Fecitq́; ſigna atque prodigia magna & peſsima in Aegypto contra Pha-
Exodi 4. raonem & omnem domum illius in conſpectu noſtro. Dixitq́; ei Dominus reuer-
» tenti in Aegyptum, Vide vt omnia oſtenta quæ poſui in manu tua, facias coram
Exodi 11. Pharaone. &, Moyſes autem & Aaron fecerunt omnia ſigna & oſtenta, quæ
ſcripta ſunt, coram Pharaone. Omnibus in his locis idem nomen MOPHETH,
eſt propria definitione adnotandum. Tertium verò genus, quod à Latino in-
terprete oſtenta nonnumquam, interdum verò tentationes, interdum proba-
tiones vocatur, & rei & ſententiæ grauioris obſeruationem habet. Hebraicè,
מסות NEZZIM, & MOZZOTH dictũ: Namque vtriuſque nominis eadem & ori-
go, & ſignificatio eſt. Id autem tentationem & probationem, ſiue periculum fa-
ciendum ſignificat. vt ex illis exemplis eodem verbo pronunciatis demonſtra-
Pſal.16. tur: Proba me Domine & tenta me. &, Deus tentauit Abraham. &, Ibi tenta-
Gen.22. Exodi 15. uit eum. &, Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies, vt
16. Deut.6. tentem eum, vtrum ambulet in lege mea. Non tentabis Dominum Deum tuum,
ſicut tentaſti in loco tentationis. Et multa alia in quibus verbum NAZZAH
נסה vſurpatur. Vnde NEZZ, vel oſtentum Latinum, ex fine & conſilio, quocumque
modo id ineatur, quod alicuius vel fidei, vel virtutis, vel naturæ, vel auctori-
tatis

tatis periculum faciendi capitur. Non inconcinnè autem Latinus interpres vertit oſtentum, non ad rem ipſam, ſed ad euentum alludens. Namque id etiam huius Hebraici verbi ratio indicat, ex qua nomen NEZZ quoque vexillum ſignificat, non quodlibet, ſed id quod partes & ſtudia quæ quis ſequatur, probandi cauſa tollitur. vt, Et leuabit ſignum nationibus procul, & ſibillabit ad eum de finibus terræ, & ecce feſtinus velociter veniet. &, In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, &c. In his atque aliis locis ſignum eſt NEZZ Hebraicè. Eſt igitur NAZZAH verbi ſignificatio, Periculum facere, ſiue tentare & probare, atque etiam experiri, & aſſuefieri. Nam de Dauid, Saulis arma reiiciente, ſcriptum eſt: Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere, Non enim habebat conſuetudinem. Dixítque Dauid ad Saul, Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo. Hoc loco verbum NAZZAH bis vſurpatur. Igitur oſtẽta definimus, ſigna tentandĩ Dei cauſa aut petita aut edita. de quibus ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Atqui horũ trium generum, & in Hebraico exemplari, & in Latina verſione, quam nos obſeruamus, diſtincta ſatis mentio non raro fit. vt, Si fecit Deus vt ingrederetur, & tolleret ſibi gentem de medio nationum per tentationes, ſigna, atque portenta.

Isaiæ 5. Isaiæ 11. 1. Reg. 17. Deut. 4.

Reſtat nobis quartum genus deſcribendum, quod PELAIM, Hebræis, (noſtris Mirabilia dicitur) quibus nomen Hebraicum à verbo PALAH factum eſt, quod excellere ſignificat, vnde Latinus, quæ excellentias vertere potuit, elegantius multo vertit mirabilia, quando mirari & admirari ad eas res quæ communem vicem excellunt, ſignificandas vſurpatur. vt,

Hic tibi ſit potius, quàm tu mirabilis illi. &,
Nil admirari propè res eſt vna Numici. Horat. lib. 1. Epiſt. 6.

Sunt itaque mirabilia quæcunque ceteris eiuſdem generis rebus, natura, vel ſpecie, vel modo, vel vſu excellunt. Ex qua ſignificatione illa ſunt: Scitote quia mirificauit Dominus ſanctum. &, Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. Si quid igitur ad rei vel perſonæ cuiùſpiam præſtantiam oſtendendam mirum atque egregium edatur, id propriè Mirabile dicetur. vt, Et faciet Dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſrael, & poſſeſſiones Aegyptiorum, vt nihil omnino pereat ex iis quæ pertinent ad filios Iſrael. &, Apud omnes filios autem Iſrael non mutiet canis ab homine vſque ad pecus, vt ſciatis quanto miraculo diuidat Dominus Aegyptios & Iſrael. Huiuſmodi quæ dicuntur mirabilia naturæ conſuetudinem, & magis etiam quàm cetera omnia quæ commemorauimus, exemplo ſuo vincunt, atque diuinam efficientiam & voluntatem apertiùs etiam oſtendunt. Ideoq; à Vate ſcriptum eſt: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia fecit mirabilia ſolus. &, Quis ſimilis tui in fortibus Domine! quis ſimilis tui magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia! Itaque ſignum ſignificationem magis quàm pondus ad fidem faciendam habet, eo quòd ſimile exemplum per naturam, vel aliàs edi poſſit. Portentum verò pondus habet grauius quàm ſignum. Ideoq; Pharao à Moſe & Aaron huiuſmodi ponderis confirmationem exigebat. Cùm dixerit vobis Pharao: Oſtendite MOPHETH. Oſtenta verò grauiora ſunt etiam, & ad periculum faciendum oſtenſa. vt, Numquid parare poterit Deus menſam in deſerto, numquid & panem poterit dare? Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas ani-

Pſal. 4. Pſal. 17. Exodi 9. Ibidem 11. Pſal. 72. Exodi 15. Exodi 7. Pſal. 77.

mabus ſuis. Hæc enim omnia cùm naturalibus, tum iis quæ præter naturam ſunt rebus, conuenire poſſunt.

Præſtantiſſima autem ratio eſt eius generis quod Mirabilia dicitur. Signum autem & portentum & vltrò dari & peti poſſunt. atque idem ad vtramque perſonam refertur, & agentis ſiue Dei, ſiue Prophetæ, & eius apud quem agitur. Oſtentum ſiue tentatio ex priuato tantum conſilio petentis eſt. Mirabilia verò, ex agentis Dei iudicio & voluntate proficiſcuntur. Quantum autem operæpretium ad multorum in ſacris libris locorum explicationem hæc generum quatuor
פלאות adnotatio factura ſit, nemo profectò ſatis exiſtimare queat. Quarti autem ge-
מופלות neris nomina ſunt PALEOTH, MOPHLOTH & NIPHLAOTH ab eodem
נפלאות verbo deducta.

53. Singulare etiam verus Vates argumentum fidei ſuæ arrogat, cùm ea alicubi narrat, quæ eodem tempore alio in loco, eoq́ minus vicino, aguntur. quale illud
Ezech. 24. apud Ezechielem eſt: Et factum eſt verbũ Dominĩ ad me in anno nono, in menſe
» decimo, decima die menſis, dicens: Fili hominis, ſcribe tibi nomen diei huius in
» qua confirmatus eſt rex Babylonis aduerſus Ieruſalem hodie. Eiuſmodi argumentum & Samuelem Sauli feciſſe adnotabamus, atque illud his perſimile fuit:
2 Par. 20. Omnis verò Iuda ſtabat coram Domino cum paruulis, & vxoribus, & liberis
» ſuis. Erat autem Iahaziel filius Zachariæ, filij Banaiæ, filij Iehiel, filij Mathaniæ, Leuites de filiis Aſaph, ſuper quem factus eſt Spiritus Domini in medio turbæ, & ait: Attendite omnis Iuda, & qui habitatis in Ieruſalem, & tu rex Ioſaphat, Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: Non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Cras deſcendetis contra eos: aſcenſuri enim ſunt per cliuum nomine Sis, & inuenietis eos in ſummitate torrentis, qui eſt contra ſolitudinem Iiruel. Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos, ô Iuda, & Ieruſalem, nolite timere, nec paueatis: Cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiſcum.

54. Inter præcipuas verò Vatum ac Vaticiniorum comprobationes prædictarum rerum ſpectatus euentus numeratur, qui bifariam conſiderari ſolent. Alij enim mox, vel paulo pòſt viſendi prædicuntur, iiq́ fidem Vati ſua ſponte conciliant. Alij verò in longius differuntur tempus, qui vel priorum & proximorum vſu fidem accipiunt, expectationemq́ ſui excitant. Namque diuinum verbum eadem efficacitate & proxima, & remota omnia pertingit. Quamobrem ſi id quod proximum prædicitur, conſtiterit: & illud quod longè pòſt futurum nuntiatur, ea-
Iſaiæ 7. dem virtute conſtabit. Ad hanc rationem illud Iſaiæ referimus. Et dixit: Audite
» ergo domus Dauid, Nunquid parum eſt vobis moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce, virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel: Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum & eligere bonum. Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris à facie duorum regum ſuorum. Adducet Dominus ſuper te, & ſuper populũ tuum, & ſuper domũ patris tui dies qui non venerunt à diebus ſeparationis Ephraim à Iuda cum rege Aſſyriorum. Ita quod breuius expediendum erat de vtroque regno, ſignum & argumentum fuit illius alterius magni ſigni de puero ex virgine naſcituro, & ſua ſponte diſcrimen boni & mali facturo, quod futurũ longè
poſtea,

poſtea, prædicebatur. Ad quod etiam genus & id ſpectat exemplum, quod de oc-
culto certo ſigno dando exhibetur. Ex quo loco illud eſt. Nunc igitur, ecce Domi- 2 Par. 18.
nus dedit ſpiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum: & Dominus “
locutus eſt de te mala. Acceßit autem Sedechias filius Chanana, & percußit Mi- “
cheæ maxillam, & ait: Per quam viam tranſiuit ſpiritus Domini à me, vt loque- “
retur tibi? Dixitq́ Michæas: Tu ipſe videbis in die illo, quando ingreſſus fueris “
cubiculum de cubiculo, vt abſcondaris. Præcepit autem rex Iſrael, dicens: Tollite “
Michæam, & ducite illum ad Amon principem ciuitatis, & ad Ioas filium “
Amelech, & dicetis: Hæc dicit rex, Mittite hunc in carcerem, & date ei panis “
modicum, & aquæ pauxillum, donec reuertar in pace. Dixitq́ Michæas: Si reuer- “
ſus fueris in pace, non eſt locutus Dominus ad me. Et ait: Audite omnes populi. “

Sunt præterea complura alia ſingularia ſiue ſigna, ſiue argumenta dicere ma- 55.
luerimus, quæ fidem Vati confirmant. vt certus numerus prædictarum rerum
qui euentu ipſo obſeruatur, aut locus certus deſcriptus reapſe poſtea deprehenſus.
Cuiuſmodi ſignis ſæpius vſum IESVM legimus. vt, Ite in caſtellum quod con- Matth. 21.
tra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & “
adducite ad me. Et euntes diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus, & ad- “
duxerũt aſinam & pullum. Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vo- Lucæ 22.
bis homo amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum in quã intrat, & “
dicetis patrifamilias domus, Dicit tibi Magiſter, Vbi eſt diuerſorium vbi paſcha “
cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe vobis oſtendet cænaculum grande ſtra- “
tum: ibi parate. Euntes autem inuenerunt ſicut dixit illis, & parauerunt pa- “
ſcha. & illud Petro prædictum: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priuſ- Mat. 14.
quam Gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. Id quod eueniſſe obſerua-
tum idem hiſtoriographus adnotauit. Et ſtatim gallus iterum cantauit: & re-
cordatus eſt Petrus verbi quod dixerat Ieſus. Prius quàm gallus cantet bis, ter
me negabis. Et cœpit flere. Ficus etiam execrationibus à Ieſu petita, & ſubitò Matth. 21.
areſcens, Ieroſolymorum excidij iam prædicti ſignum fuit certiſsimum.

Ipſi etiam Vates perſonam ſuam certo pacto gerentes, aut peregrinum quid-
uis operati vel paſsi in maximorum ſignorum genere ponuntur. Sic Iſaias de ſe
profeſſus aiebat: Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus, in ſignum & Iſaiæ 8.
in portentum in Iſrael à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. Ionas Lucæ 11.
etiam in cœti ventre triduo concluſus, Niniuitis ad pœnitentiam ſignum opor-
tuniſsimum fuit, & IESVS Chriſtus in corde humanæ terræ totis tribus diebus,
à cœna ſacroſanctæ veſpero, vſque ad ſabbathi proximi primam lucem, ſignum
Iudæis fuit maximorum myſteriorũ humanæ ſalutis iis quos verè pœniteret pro-
miſſæ. Cuius ſigni rationes arcanæ colẽdæ magis quã hoc loco aperiendæ fuerint.

Singularis quoque arcani atque priuatæ rei cuipiam tantum ſine arbitris no-
tæ Vatem eſſe probant eum, à quo eidem ipſi fuerint obiectæ & indicatæ. Namq;
occulta prorſus & vnius tantum conſcientiæ, nempe auctoris nota nulli citra
Dei ſpiritum cognoſci poſſe creduntur. Cuiuſmodi exemplum in ſe editum Da-
uid à Nathano Vate argutus ac reprehenſus fatebatur. Quoniam iniquitatem Pſal. 50.
meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt. Tibi ſoli peccaui, & ma- “
lum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Sic “
etiam Samaritana illa mulier cùm ſibi quinque viros fuiſſe, & quem illa tempe-
ſtate haberet, non eſſe legitimum maritum audiret, colloquentem ſecum Ieſum,

Ioan. 4. admirata & venerabunda ait: Domine video quia Propheta es tu. Et cæcus ille Ieroſolymis notiſsimus propter luminis ac viſus beneficium ſibi non redditi, ſed tunc primùm vltra omne naturæ exemplum dati, Ieſum auctorem agnouit, & Ioan. 9. Prophetam eſſe palàm teſtatus, atque repetito teſtimonio affirmauit. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt. & paulo pòſt: Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus vnde ſit. Reſpondit ille homo, & dixit ei: In hoc mirabile eſt, quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A ſeculo non eſt auditum quia quis aperuerit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam.

56. Euentorum genera. Euentorum quoque genera obſeruanda ſunt, quæ duplici modo habere adnotantur. Nam quibus Vatum monitio repulſa, & auctoritas negata fuerit, euentorum ſenſu non ſine magno ipſorum malo demùm perſuadetur. Nec verò euenta omnia ex neceſsitate proficiſcuntur, præcipuè quæ animaduerſionem pœnamq; afferunt. Nam quæ huiuſmodi ſunt plerumque ad declinandum & effugiendum prædicuntur: vitantur verò morum ac vitæ in melius correctione, cuius præſertim cauſa Vatibus prædicenda mandantur. Id quod ſuperiùs iam, Deo per Ieremiam auctore & monitore, edocti ſumus. Repentè loquar aduerſus gentem, & Ierem. 18. aduerſus regnum, vt eradicem & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei: Idem etiam vice verſa de iis rebus excipiendum eſt, quæ ad vtilitatem fuerint prædictæ ac promiſſæ, in quibus Deus non ſibi neceſsitatem imponit, ſed voluntatem ſuam declarat erga eos qui fidem adhibuerint, & iis quæ monentur ac iubentur obſequium præſtiterint. Quippe vtraque illa vtriuſque prædictionum generis conditio iterum atque iterum, & ſæpius etiam declarata. Subitò loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud: ſi fecerit malum in oculis meis vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum vt facerem ei. Atque in hunc modum de prædictionum conſtantia & veritate agendum & ſtatuendum eſſe, ſacra nos docet lectio.

57. Quamquam enim maximorum beneficiorum Deus auctor vltrò ac ſua ſponte eſt, Pſal. 144. iuxta id quod Vates canebat: Suauis Dominus vniuerſis: & miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Quamquam idem vltionem ac pœnas nonniſi irritatus eſt malis eorum qui puniuntur, meritis inductus repetat (vt in illa diſputatione cognouimus, in qua de natura ac voluntate diuina agebamus) neque ille is ſit, qui quemquã perire vellet, ſed qui in hanc ſententiam clamare ſoleat: Perditio tua ex te, Iſrael, ſalus autem mea. Tamen non neceſſariò eum cui pollicitus 1. Sam. 2. fuerit, beneficio afficit, vbi idem ſeſe beneficio reddiderit indignum. S. S. E. Sic ait Dominus Deus Iſrael: Loquens locutus ſum vt domus tua, & domus patris tui miniſtrarent in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem, dicit Dominus, abſit hoc à me; ſed quicumque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quam obſeruationem & illud confir- 1. Sam. 13. mat exemplum. Dixitq; Samuel ad Saul: Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui quæ præcepit tibi: quòd ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum: ſed nequaquam regnũ tuum

vltra

*vltra conſurget. &, Iurauit Dominus Dauid, & non fruſtrabitur eam. De fru- Pſal. 138.
ctu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, ſi custodierint filij tui teſtamentum "
meum: & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos, & filij eorum vſque in ſeculum ſe- "
debunt ſuper ſedem tuam. Itaque prædictionum in vtramque partem promiſſo- "
rum videlicet ac minarum veritatem & conſtantiam eorum quibus prædicun-
tur, vel obſequium & fides, vel contumacia & impietas adornant. S.S.E. Et di- Ierem. 38.
xit Ieremias ad Sedeciam, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, Si pro- "
fectus exieris ad principes regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non "
ſuccendetur igne: & ſanus eris tu, & domus tua. Sin autem non exieris ad prin- "
cipes regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & ſuccendent "
eam igni: & tu non effugies de manu eorum. Et dixit rex Sedecias ad Ieremiam, "
Solicitus ſum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos, ne fortè tradar "
in manus eorum, & illudant mihi. Reſpondit autem Ieremias, Non te tradent. "
Audi quæſo vocem Domini, quam ego loquor ad te, & benè tibi erit, & viuet "
anima tua. Quod ſi nolueris egredi: iſte eſt ſermo quem locutus eſt mihi Domi- "
nus, &c. Tandem verò eò res recidit, vt prædictæ minæ ob auditorum contuma-
ciam firmarentur. Manſit ergo Ieremias in veſtibulo carceris vſque ad diem "
quo capta eſt Ieruſalem. Et factum eſt vt caperetur Ieruſalem. Demùm tam in "
improbos, quàm in probos certiſsimus expectandus euentus eſt, niſi vtroſque mu-
tari iuuet. Cuius rei exemplum Sedeciæ regis hiſtoria explicat. Quæcumque igi- 2 Reg. 25.
tur hoc genus in prædictionibus leguntur, ad hanc rationem & cõditionem ſunt
referenda. vt illa: Et cadet interfectus in medio veſtri: & ſcietis quia ego ſum Ezech. 6.
Dominus. Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in gentibus, cùm di- "
ſperſero vos in terris. Et recordabuntur mei liberati veſtri in gentibus ad quas "
captiui ducti ſunt: quia contriui cor eorum fornicans & recedens à me, & ocu- "
los eorum fornicantes poſt idola ſua: & diſplicebunt ſibimet ſuper malis quæ fe- "
cerunt in vniuerſis abominationibus ſuis. Et ſcient quia ego Dominus non fru- "
ſtra locutus ſum vt facerem eis malum hoc. Adeò namque certa impiorum pu- "
nitio eſt, vt quanquam longiuſculè præuiſa, tamen Vatibus inſtare viſa iam iam
dicatur veniſſe. Ecce venit, & factum eſt, ait Dominus Deus, Hæc eſt dies de qua Ezech. 39.
locutus ſum. Firmat enim vtrumque prædictionum genus Deus ipſe auctor, cu-
ius in vtramque partem efficacitati nulla omnino impedimenta vllo naturæ vel
facultatis genere obiecta valent. Cumq́; introgreſſus eſſet [Iehu] vt comederet, 4. Reg. 9.
biberétque, ait: Ite, & videte maledictam illam, & ſepelite eam: quia filia regis "
eſt. Cumq́; iſſent vt ſepelirent eam, non inuenerunt niſi caluariam, & pedes, & "
ſummas manus. Reuerſiq́; nunciauerunt ei. Et ait Iehu, Sermo Domini eſt, quem "
locutus eſt per ſeruum ſuum Eliam Theſbitem, dicens: In agro Iezrael comedent "
canes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel ſicut ſtercus ſuper faciem terræ in "
agro Iezrael, ita vt prætereuntes dicant, Hæccine eſt illa Iezabel? & illud: Con- 4. Reg. 23.
uerſus Ioſias, vidit ibi ſepulchra quæ erant in monte: miſitq́; & tulit oſſa de ſe- "
pulchris, & combuſsit ea ſuper altare, & polluit illud, iuxta verbum Domini "
quod locutus eſt vir Dei, qui prædixerat verba hæc. Ego ſum Dominus faciens Iſaiæ 44.
omnia, extendens cælos ſolus: ſtabiliens terram, & nullus mecum: irrita faciens "
ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens. Conuertens ſapientes retror- "
ſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens. Suſcitans verbum ſerui ſui, & conſi- "
lium nunciorum ſuorum complens. &, Quis enim affuit in conſilio Domini, & Ierem. 23.*

,, vidit & audiuit ſermones eius? Quis conſiderauit verbum illius, & audiuit?
,, Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper
,, caput impiorum veniet. Non reuertetur furor Domini vſque dum faciat, & vſ-
,, que dum compleat cogitationem cordis ſui. In nouiſſimis diebus intelligetis con-
ſilium eius. Poſtrema hæc admonitio eos tangit qui neque fauſtis, neque infauſtis
prædictionibus fidem habent, vel propter ſpatium interuallumq́ temporis, vel
magis propter improbam contumaciam, aut ſtultam ſapientiam. de quibus Iere-
Ierem. 17. mias: Expectatio Iſraël Domine, omnes qui te relinquunt, confundentur: rece-
,, dentes à te in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuen-
,, tium Dominum. Sana me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero:
,, quoniam laus mea tu es. Ecce ipſi dicunt ad me, Vbi eſt verbum Domini? veniat.
,, Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideraui,
,, tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labiis meis, rectum in conſpectu tuo fuit. Non ſis tu
,, mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me perſequun-
,, tur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego. Induc ſuper eos diem
Ierem 38. afflictionis, & duplici contritione contere eos. & illud: Et dixit Ieremias Pro-
,, pheta ad Hananiam Prophetam: Audi Hanania: Non miſit te Dominus, & tu
,, confidere feciſti populum iſtum in mendacio. Iccirco hæc dicit Dominus: Ecce
,, ego mittam te à facie terræ, hoc anno morieris: aduerſum enim Dominum locu-
,, tus es. Et mortuus eſt Hananias Propheta in illo anno menſe ſeptimo. Prædictio-
num quoque ſub conditione factarum illud quoque exemplum eſt, quod conſultus
Ierem. 42. publicè Deus decimo poſt die vati redditum mandauit. Cùm autem impleti eſ-
,, ſent decem dies, factum eſt verbum Domini ad Ieremiam. Vocauitq́ Iohanan fi-
,, lium Charee, & omnes principes bellatorum qui erant cum eo, & vniuerſum po-
,, pulum à minimo vſque ad magnum. Et dixit ad eos: Hæc dicit Dominus Deus
,, Iſraël, ad quem miſiſtis me, vt proſternerem preces veſtras in conſpectu eius: Si
,, quieſcentes manſeritis in terra hac, ædificabo vos, & non deſtruam: plantabo, &
,, non euellam: iam enim placatus ſum ſuper malo quod feci vobis. Nolite timere
,, à facie regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis. Nolite timere eum, dicit
,, Dominus, quia vobiſcum ſum ego, vt ſaluos vos faciam, & eruam de manu eius.
,, Et dabo vobis miſericordias, & miſerebor veſtri, & habitare vos faciam in ter-
,, ra veſtra. Si autem dixeritis vos, Non habitabimus in terra iſta, nec audiemus
,, vocem Domini Dei noſtri, dicentes: Nequaquam, ſed ad terram Aegypti per-
,, gemus, vbi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem
,, non ſuſtinebimus: & ibi habitabimus. Propter hoc nunc audite verbum Domini
,, reliquiæ Iuda. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Si poſueritis faciem
,, veſtram vt ingrediamini Aegyptum, & intraueritis vt ibi habitetis: gladius
,, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Aegypti: & fames pro qua
,, eſtis ſoliciti, adhærebit vobis in Aegypto, & ibi moriemini. Omnéſque viri qui
,, poſuerint faciem ſuam vt ingrediantur Aegyptum, vt habitent ibi, morientur
,, gladio, & fame, & peſte. Nullus de eis remanebit, neque effugiet à facie mali
,, quod ego afferam ſuper eos. Huius autem prædictionis veritas & fides alterius
non longè antè prædictæ cōminationis euentu iam ſatis ſpectato firmanda Vati
,, mandabatur. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, Sicut conflatus eſt fu-
,, ror meus & indignatio mea ſuper habitatores Ieruſalem, ſic cōflabitur indigna-
,, tio mea ſuper vos, cùm ingreſſi fueritis Aegyptum: & eritis in iuſiurandum, &
in ſtu-

*in ſtuporem, & in maledictum, & in opprobrium: & nequaquam vltrà videbitis locum iſtum. Verbum Domini ſuper vos reliquiæ Iuda: Nolite intrare Aegyptum. Scientes ſcietis quia obteſtatus ſum vos hodie.* In eos verò quibus euentus mora aliqua fidem infirmat aut minuit, illud ab Ezechiele pronunciatum, à Petro Apoſtolo repetitum, & confirmatum obſeruamus. *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, quod eſt prouerbiũ iſtud vobis in terra Iſraël? dicentium: In longum differtur dies, & peribit omnis viſio. Ideo dic ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: Quieſcere faciam prouerbium iſtud, neque vulgo dicetur vltrà in Iſrael: & dic ad eos quòd appropinquauerint dies, & ſermo omnis viſionis. Non enim erit vltra omnis viſio caſſa, neque diuinatio ambigua in medio filiorum Iſrael. Quia ego Dominus loquar: & quodcumque locutus fuero verbum, & fiet, & non prolongabitur amplius: ſed in diebus veſtris domus exaſperans loquar verbum, & faciam illud, dicit Dominus Deus. Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, ecce domus Iſraël dicentium, Viſio quam hic videt, in dies multos: & in tempora longa iſte prophetat. Propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Non prolongabitur vltrà omnis ſermo meus: verbum quod locutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus.* Cauſam verò quamobrem ea quæ in pœnam & caſtigationem, vel improborum ſupplicium prædicta fuerint, differuntur interdum. Apoſtolus luculenter expoſuit: *Vnum verò hoc non lateat vos chariſſimi, quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni quaſi dies vnus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidã exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur.* Huius autem argumenti ſumma in breuem redacta ſermonem, illud efficit, Non eſſe neceſſariam pœnarum prædictionem, niſi eorum quibus indicta eſt, peccatũ proteruè & contumaciter vrgeat. Rurſus verò diuinum beneficium quamquam promiſſum, tamen differri aut auerti poſſe culpa eorum quibus afferendum promittebatur. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, loquere ad filios populi mei, & dices ad eos: Terra cùm induxero ſuper eam gladium, & tulerit populus terræ virum vnũ de nouiſſimis ſuis, & conſtituerit eum ſuper ſe ſpeculatorẽ, & ille viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: Audiens autem quiſquis ille eſt, ſonitum buccinæ, & non ſe obſeruauerit, veneritq; gladius & tulerit eum: ſanguis ipſius ſuper caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & nõ ſe obſeruauit, ſanguis eius in ipſo erit: ſi autem ſe cuſtodierit, animam ſuam ſaluabit. Quòd ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non ſonuerit buccina: & populus ſe non cuſtodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram. Et tu fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël: audiens ergo ex ore meo ſermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris: non fueris locutus vt ſe cuſtodiat impius à via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem annunciante te ad impium vt à viis ſuis conuertatur, non fuerit conuerſus à via ſua: ipſe in iniquitate ſua morietur: porrò tu animam tuam liberaſti. Tu ergo fili hominis dic ad domum Iſraël: Sic locuti eſtis dicentes: Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus: quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus*

*Ezech. 12.* *2. Pet. 3.* *Ezech. 33.*

» Deus, Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat. Con-
» uertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael? Tu itaque
» fili hominis dic ad filios populi tui: Iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacunq;
» die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fue-
» rit ab impietate ſua: & iuſtus non poterit viuere in iuſtitia ſua, in quacumque
» die peccauerit. Etiam ſi dixero iuſto quòd vita viuet, & confiſus in iuſtitia ſua
» fecerit iniquitatem: omnes iuſtitiæ ſuæ obliuioni tradentur, & in iniquitate ſua
» quam operatus eſt, in ipſa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris: &
» egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritq; iudicium & iuſtitiam, & pignus re-
» ſtituerit ille impius, rapinamq; reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec
» fecerit quicquam iniuſtum: vita viuet, & non morietur. Omnia peccata eius quæ
» peccauit, non imputabuntur ei: iudicium & iuſtitiam fecit, vita viuet.

58. Atque adeò certa & conſtans prædictio eſt in eos qui pœnas commeriti, pœ-
nitentiæ ſtudio ſeriò non fuerint deprecati, vt Vates ipſos ad elegias & lamenta
Ezech 32. excitet atque animet. S. S. E. Et factum eſt in duodecimo anno, in quinta decima
» menſis factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, Cane lugubre
» ſuper multitudinem Aegypti, & detrahe eam ipſam, & filias gentium robuſta-
» rum ad terram vltimam cum iis qui deſcendunt in lacum. Quo pulchrior es, de-
» ſcende & dormi cum incircunciſis: in medio interfectorum gladio cadent, gla-
» dius datus eſt, attraxerunt eam, & omnes populos eius. Sic & Ieremiæ dictum:
Ierem. 7. Tonde capillum tuum, & proiice, & ſume in directum planctum, quia proiecit
» Dominus, & reliquit generationem furoris ſui.

Huiuſmodi autem euenta quibus vel fauſtæ vel infauſtæ prædictiones demùm firmantur, veracium atque mendacium Vatum poſtremum examen eſſe cenſentur. Quamquam enim grauè vaticinium non optet euenire vates, tamen fideli-
Ierem. 28. ter prædicens, refert. Et dixit Ieremias Propheta ad Hananiam Prophetam in
» oculis ſacerdotum, & in oculis omnis populi qui ſtabat in domo Domini. Et ait
» Ieremias Propheta, Amen, ſic faciat Dominus: ſuſcitet Dominus verba tua quæ
» prophetaſti: vt referantur vaſa in domum Domini, & omnis tranſmigratio de
» Babylone ad locum iſtum. Verumtamen audi verbum hoc quod ego loquor in au-
» ribus tuis, & in auribus vniuerſi populi. Prophetæ qui fuerunt ante me & ante
» te ab initio, & prophetauerunt ſuper terras multas, & ſuper regna magna, de
» prælio, & de afflictione, & de fame. Propheta qui vaticinatus eſt pacem: cùm
» venerit verbum eius, ſcietur Propheta quem miſit Dominus in veritate. Ex qua
Vatum dies re fit vt euentuum tempora Vatum, ſiue vaticiniorum dies dicantur. Dies
Mich. 7. ſpeculationis tuæ, viſitatio tua venit, nunc erit vaſtitas eorum.

59. Fundamentum religionis. Vnum autem ex firmiſſimis religionis veræ fundamentis definitur eſſe vaticinium quod cum euentu quadret ſuo, cùm futurorum vera ac certa prædictio
Eſaiæ 44. vni Deo integra conſtet. S. S. E. Hæc dicit Dominus rex Iſrael, & redemptor eius, Dominus exercituum: Ego primus & ego nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus. Quis ſimilis mei? vocet, & annunciet, & ordinem exponat mihi: Ex quo conſtitui populum antiquum. Ventura & quæ futura ſunt, annuncient eis.

Quamquam verò quiſpiam vel ſingulariter, vel communiter diuino beneficio ſeſe indignum reddiderit, ſiue populus ille, ſiue priuatus fuerit: non ideò tamen benignum Dei propoſitum vel fractum, vel irritum euadet, illud præcipuè, quod de hominum ſeruando & amplificando genere, deq; iis rebus apparandis,

quæ

quæ ad hanc pertinent cauſam ſuſceptum, dictum, atque promiſsis faciendis editum fuit. Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei. Qui, vt Ioannes Rom. 11.
Baptiſta docebat, potens eſt ex lapidibus his ſuſcitare filios Abrahæ. Quique Mat. 3.
Moſi dicebat: Cerno quod populus iſte duræ ceruicis ſit: dimitte me, vt iraſca- Exodi 32.
tur furor meus contra eos, & deleam eos: faciamq́ te in gentem magnam. Ideoq́
Habacuk nullam tantam rerum naturæ vel temporum difficultatem eſſe poſſe
aiebat: quæ ſe à diuini propoſiti, & conſilij fide, ſpe, atque expectatione pelleret. Habac. 2.
„ Quia adhuc viſus procul & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram
„ fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ficus enim non flo-
„ rebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent
„ cibum: abſcindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus. Ego au-
„ tem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Deus Dominus fortitudo
„ mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor
in pſalmis canentem. Ad hanc etiam rationem illa referimus, quæ erga ſe familiamq́ ſuam à Deo recepta, & promiſſa Dauid rex commemorabat. In æternum Pſal. 88.
„ ſeruabo illi miſericordiam meam: & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in
„ ſeculum ſeculi nomen eius: & thronum eius ſicut dies cæli. Si autem dereliquerint
„ filij eius legem meam, & in iudiciis meis nõ ambulauerint: Si iuſtitias meas
„ prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint: Viſitabo in virga iniquita-
„ tes eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non
„ diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea: Neque prophanabo teſtamentum
„ meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel iuraui in ſancto
„ meo, ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternum manebit. Et thronus eius ſicut ſol
„ in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum: & teſtis in cælo fidelis.

Illud autem obiter non prætermittendum fuerit, Vates certum ad pœnas terminum, non ad euentus neceſsitatem, ſed ad pœnitentiæ expectationem præfigere: ita enim Moſem identidem factitaſſe legimus. Hæc dicit Dominus Deus 61.
Exodi 9.
„ Hebræorũ: Dimitte populũ meũ vt ſacrificet mihi. Quod ſi adhuc renuis, & re-
„ tines eos: Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos, & aſinos, & ca-
„ melos, & oues, & boues peſtis valde grauis. Et faciet Dominus mirabile inter
„ poſſeſsiones Iſraël, & poſſeſsiones Aegyptiorũ, vt nihil omnino pereat ex iis quæ
„ pertinent ad filios Iſraël. Conſtituitq́ Dominus tempus, dicens: Cras faciet Do-
„ minus verbum iſtud in terra. Et apud Noahhum centum & viginti annos ſe Gen. 6.
totius terræ homines ad pœnitentiam expectaturum, prædixit Deus. Ionas quo- Ionæ 3.
que cœpit introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. Id quod magno cum fructu prædictum intelleximus. Hanc enim præcipuè Vaticiniorũ auctoris Dei atque Vatum ipſorum mentem eſſe dicebamus, nempe monendi homines, ad officiumq́ reuocandi: idq́ vel promiſsis certis ex reſipiſcentia expectãdis, vel pœnis metuendis ob contumaciam. S. S. E. Mittebatq́ eis Prophetas vt reuerterentur ad Dominum. 2. Paral. 24.
quorum obteſtationes complures in hanc ſententiam, & non abſimili forma obſeruantur. Audite populi omnes, & attendat terra & plenitudo eius, & ſit Mich. 1.
„ Dominus vobis in teſtem. Dominus de templo ſancto ſuo: quia ecce Dominus
„ egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ, & conſu-
„ mentur montes ſubtus eum, & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, ſicut
„ aqua quæ decurrunt in præceps.

62. *Punitio quibuſdam prædicta in pœnam affertur, eademq́ alijs exemplum ſit ad correctionem & ſalutem. Azarias filius Obed, facto in ſe ſpiritu Dei, egreſſus eſt in occurſum Aſa, & dixit ei: Audite me Aſa, & omnis Iuda & Beniamin, Dominus vobiſcum: quia fuiſtis cum eo. Si quæſieritis eum, inuenietis: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Tranſibunt autem multi dies in Iſraël abſ-*

Punitio alij prædicta, alteri in exemplum & correctioné.
2 Paral. 15.

» *que Deo vero, abſque ſacerdote, doctore, & abſque lege. Cumq́ reuerſi fuerint in*
» *anguſtia ſua ad Dominum Deum Iſrael, & quæſierint eum, reperient eum. Et*
» *poſt quædam addidit: Vos ergo confortamini, & non diſſoluantur manus veſtræ,*
» *erit enim merces operi veſtro. Quod cùm audiſſet Aſa, verba ſcilicet, & prophe-*
» *tiam Azariæ filij Obed prophetæ, confortatus eſt, & abſtulit idola de omni terra*
» *Iuda, & de Beniamin; & ex vrbibus quas ceperat montis Ephraim: & dedicauit*
» *altare Domini, quod erat ante porticum Domini, &c.*

63. *Rerum quæ prædicuntur ſiue ſecundarum, ſiue aduerſarum varia duratio eſt. quædam enim certo definiuntur tempore. vt, Scies quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis. Nonnulla quæ ſemel prædicta & edita ſunt, in futurum poſtea viſenda negantur, vt diluuij illius communis exemplum: Non vltra percutiam*

Duratio prædictorũ.
Gen. 15.
Gen. 8.

» *omnem animam viuentem, ſicut feci. Cunctis diebus terræ ſementis & meſſis,*
» *frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcent. Et extendit Moyſes*

Exodi 10.

» *virgam ſuper terram Aegypti, & Dominus induxit ventum vrentem tota die*
» *illa & nocte. Et manè facto ventus vrens leuauit locuſtas: quæ aſcenderunt ſu-*
» *per vniuerſam terram Aegypti, & ſederunt in cunctis finibus Aegyptiorum in-*
» *numerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec poſtea futuræ ſunt.*

*Babylonenſis captiuitas integros ſeptuaginta annos Ieroſolymitanis Iudæis duratura, à Ieremia Vate declarata eſt. Et erit vniuerſa terra hæc in ſolitudi-*

Ierem. 25.

» *nem, & in ſtuporem: & ſeruient omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuagin-*
» *ta annis. Cúmque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper regem Ba-*
» *bylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus, & ſuper terram Chaldæorum, &*
» *ponam illam in ſolitudines ſempiternas.*

64. HACTENVS *de Vatibus, Vatumq́ munere ac miniſterio: deq́ iis quæ ad hanc rationem attinent, diſſerebamus. Nunc iam deinceps de eorum ad quos miſſi ſunt Vates, officio, ſtudio ac iudicio ea ſubiungemus: quæ ad dignoſcenda proborum ac improborum hominum ingenia ſatis lucis & exemplorum allatura arbitramur. Et quidem vt ſapientum, piorum atq; optimorum rarior eſt numerus: contrà verò ſtultorum & vulgarium, atque ſui amantium frequentiſſimus: ita varia de ſe populorum ac principum iudicia experti ſunt Vates, meliorum quidem æqua, verùm hæc rariora. Deteriorũ cum plebis, tum principũ iniqua & iniuſta atque adeò contumelioſa, & periculis multis atq; damnis, variisq́ incommodis horrida. Principio antiquorum Vatum celeberrimus Moſes, non modò ab Aegyptiis, ad quos legatus venerat, repulſus ſæpe fuit: donec miraculis, ſignis, ac virtute victor euaſit. Verùm à ſuis, quorum ſalutis miniſter, & legum interpres, ac magiſter declaratus fuerat, variis ac frequẽtibus, iiſdemq́ indignis modis exercitatus. id quod ille patientia ac lenitate peruincens hominum omnium qui morabantur in terra mitiſſimi cognomentum meruit. Cui etiam cognati ac propinqui, inq́ illis vnica ſoror negotium faceſſere tentarunt.* Dauid, *vt pius & ſapiens, atque etiam diuino ſpiritu auctus Vatibus Dei omnibus quocumque*

Num. 12.

*nomine*

*nomine apud ſe agentibus, æquum, humanum, atque obſequentem ſeſe præbuit. vt Nathan ſcelus aduerſus Vriam admiſſum exprobranti, eidémque de æde conſtruenda, ac de regni hærede monenti.* Elias Abdiam *regis famulum amicum* Pſal. 51.
*habuit; idem regem reginamq́, Iſraëlitarum, & ſibi infeſtiſsimos, & ceteris Va-* 2 Sam. 7.
*tibus veracibus crudeliſsimos expertus eſt. Miſitq́, Iezabel ad Eliam dicens: Hæc* 1 Reg. 1, 18, & 19.
*mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam ſicut* "
*animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum fe-* "
*rebat voluntas. Qui aliquando à Deo rogatus: Quid hîc agis Elia? Reſpondit,* "
*Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactũ tuum* "
*filij Iſraël, altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio: &* "
*derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* "

De Michæa verò *Dei Vate eiuſmodi ſententiam ſuam prius, deinde volun-* 65.
*tatem declarauit rex Iſraël. Remanſit vir vnus per quem poſſumus interrogare* 1. Reg. 22.
*Dominum, ſed ego odi eum: quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, Micheas filius Iemla. Cui Ioſaphat ait: Ne loquaris ita rex.* Ioſias *Iudæorum* 2 Reg. 22,
*rex Holdæ vatis reſponſis & auctoritati multum detuliſſe narratur.* Eliſæus, & 23.
*quamquam à Rege Iſraelitarum neglectus, tamen in rebus dubiis ac difficillimis* 2 Reg. 3. "
*quæritur & conſulitur. Eſt hîc Eliſæus filius Saphat, qui fundebat aquam ſuper* "
*manus Eliæ. Et ait Ioſaphat: Eſt apud eum ſermo Domini. Deſcenditq́, ad eum* "
*rex Iſraël, & Ioſaphat rex Iuda, & rex Edom.*

*Plerumque verò Vates veraces ij præcipuè, qui vel corruptos hominum mores carpebant, vel graue aliquid populis aut perſonis minabantur, ſui temporis inuidiam ſubiere, cùm vel ij quibus prædicebatur ſermo, ſe læſos eſſe putarent: alij verò ſibi metuerent. Huius iudicij complura obſeruantur exempla.* Michæam 1 Reg. 22.
*turpiter percuſſum, & in vincula coniectum legimus.* Heliſæum *Iſraëlitis* 2 Reg. 5, & 6.
*neglectum & contemptum, ab exteris in pretio habitum, obſeruatum & cultum.* "
*Eundem propter vtilitatẽ à rege patrem appellatũ: non diu pòſt hæc ab eodem ad* "
*necem deſtinatum. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſæi* "
*filij Saphat ſuper ipſum hodie. At verò à Syriæ rege de morbi exitu conſul-* 2 Reg. 8.
*tum. Illud verò minus fortaſſe durum & commune, ac vulgare magis veracem Vatem pro inſano habitum.* Iehu *autem egreſſus eſt ad ſeruos Domini ſui: qui* 2 Reg. 9.
*dixerunt ei, Recténe ſunt omnia, quid venit inſanus iſte ad te?* Iſaias Ezechiæ 2 Reg. 19.
*regi pio gratus & obſeruatus.* Ieremias *populo ſpretus, & exſibilatus ſpecta-* Ierem. 6.
*tur: Hæc dicit Dominus: State ſuper vias & videbitis, & interrogate de ſemi-* "
*tis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium ani-* "
*mabus veſtris. Et dixerunt: Non ambulabimus. Et conſtitui ſuper vos ſpeculato-* "
*res. Audite vocem tubæ, Et dixerunt: Non audiemus. Quam tamen repulſam* "
*non ſua, ſed populi ipſius cui pœnæ impendebant cauſa grauiter dolens deflebat.* "
*Væ mihi ſuper contritione mea, peſsima plaga mea. Ego enim dixi: Planè hæc in-* Ierem. 10.
*firmitas mea eſt, portabo illam, Tabernaculum meum vaſtatum eſt. Omnes funi-* "
*culi mei dirupti ſunt. Filij mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt. Qui tamen non verbis modò, ſed ſcriptis etiam libris ſe abreptitium inſanientémque dici audiuit. Et ad Sophoniam filium Maaſiæ ſacerdotem, & ad vniuerſos ſacerdotes di-* Ierem. 29.
*cẽs: Dominus dedit te ſacerdotẽ pro Ioiade ſacerdote, vt ſis dux in domo Domini* "
*ſuper omnẽ virum arreptitiũ & prophetantẽ, vt mittas eum in neruũ & in car-* "
*cerem. Et nũc quare non increpaſti Ieremiam Anathothitẽ, qui prophetat vobis?* "

*Quid quod non ab inimicis modò, ſed à familiaribus quoque, & iis quibus*
Ierem.20. *cum agebat, Vatis verba ac ſermones fraudis ac doli cauſa obſeruabantur. Audi-*
» *ui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu, Perſequimini, & perſe-*
» *quamur eum ab omnibus viris qui erant pacifici mei, & cuſtodientes latus meũ:*
» *ſi quo modo decipiatur, & præualeamus aduerſus eum, & conſequamur vltio-*
*nem ex eo. Ex iniqua verò rerum ac ſermonum interpretatione, in calumniam*
*rapi ſolet Vatum ſermo, quaſi populo calamitoſus, & reipublicæ commodis atque*
Ierem. 38. *bellorum felicitati aduerſus. Et dixerunt principes regi: Rogamus vt occidatur*
» *homo iſte, de induſtria enim diſſoluit manus virorum bellantium, qui remanſe-*
» *runt in ciuitate hac, & manus vniuerſi populi, loquens ad eos iuxta verba hæc:*
» *Siquidem homo iſte non quærit pacem populo huic, ſed malum. Hunc autem eun-*
*dem non multò antè ſibi populoq́; malorum & calamitatum deprecatorem per*
Ierem. 27. *nuncios petierat rex Sedechias Iuchal filiũ Selemiæ, & Sophoniam filium Maa-*
» *ſiæ ſacerdotem ad Ieremiam Prophetam, dicens: Ora pro nobis Dominum Deum*
*noſtrum. Contingit enim aliquando hominibus in aduerſis ac duris rebus ſapere.*

66. *Cùm non ex animi ſententia, & pro votis reſpondet Vates, mendacij inſimu-*
Ierem.43. *latur, & calumniis afficitur. Factum eſt autem cùm compleſſet Ieremias loquens*
» *ad populum vniuerſos ſermones Domini Dei eorum, pro quibus miſerat eum*
» *Dominus Deus eorum ad illos omnia verba hæc: Dixit Azarias filius Ioſiæ, &*
» *Iohanan filius Charee, & omnes viri ſuperbi, dicentes ad Ieremiam: Mendaciũ*
» *tu loqueris: Non miſit te Dominus Deus noſter, dicens: Ne ingrediamini Aegy-*
» *ptum, vt habitetis illic. Sed Baruch filius Neriæ incitat te aduerſus nos, vt tra-*
» *dat nos in manus Chaldæorũ, vt interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem.*

67. *Nec verò maligni interpretes defuere qui non modo Vatum inuerterent di-*
*cta & oracula, ſed falſa omnino, & nondum pronunciata per calumniam con-*
Amos 7. *finxerint. Et miſit Amaſias ſacerdos Bethel ad Ieroboam regem Iſrael, di-*
» *cens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Iſraël. Non poterit terra ſuſti-*
» *nere vniuerſos ſermones eius: Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Iero-*
» *boam, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua.*

68. *Illud interim adnotandum, nonnullos eſſe qui dum ſibi parcatur, in alios à ſe*
*remotos quicquam aduerſi prædici vel optant, vel prædictum minus curant. Et*
Amos 7. *dixit Amaſias ad Amos: Qui vides, Gradere: Fuge in terram Iuda, & comede*
» *ibi panem, & prophetabis ibi. Et in Bethel non adiicies vltrà vt prophetes: quia*
» *ſanctificatio regis eſt, & domus regni eſt.*

69. *Denique Neemias diuinos Vates qui populo & vera & opportuna ſuaſerant,*
Neem.9. *iniquè crudeliterq́; exceptos confitetur. Prouocauerunt autem te, & receſſerunt*
» *à te: & proiecerunt legem tuam poſt terga ſua, & Prophetas tuos occiderunt, qui*
» *conteſtabantur eos vt reuerterentur ad te: feceruntq́; blaſphemias grandes. Hoc*
Act.7. *ipſum porrò Stephanus iſtorum poſteris obiiciebat. Quem Prophetarum non*
» *ſunt perſecuti patres veſtri: & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu*
» *Iuſti: cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis: qui accepiſtis legem in*
Lucæ 6. *diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. Et* IESVS *præceptor diſcipulos his*
» *exemplis conſolatus, aiebat: Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm ſepa-*
» *rauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tamquam malum,*
» *propter Filium hominis, Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces veſtra*
» *copioſa eſt in cælis. Secundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. Idem*
*etiam*

*etiam Ieroſolymam vrbem Vatum carnificinam eſſe aiebat. Non capit Prophe-
tam perire extra Ieruſalem: Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & la- Lucæ 13.
pidas eos qui mittuntur ad te, Quoties volui congregare filios tuos quemadmo-
dum auis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti?*

*Poſt Vatis obitum vel necem multa conſequuntur & varia, quæ & diuini iu- 70.
dicij conſiliiq́ conſtantiam & humani varietatem & inſtabilitatem indicant. Conſequentia.
Sæpe quidem Vates (id quod & optimi quiq́ viri inuidia ad extremum diem do-
mita obtinent) eo tempore quo deſideratur, lugetur, & lamentationibus requiri-
tur, tum verò laudatur valde. Eliſæus autem ægrotabat infirmitate qua mor- 2 Reg. 13.
tuus eſt: Deſcenditq́ ad eum Ioas rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebatq́: Pater
mi, pater mi, currus Iſrael & auriga eius. Tum verò is commendatur, & appel-
latur, qui vera, quamquam dura, prædixerat. Contrà verò, qui populum falſa
ſecuritate deceperat, vehementer vituperari ſolet. In alterius nomen eiuſmodi
prædicantur. Speculator Ephraim cum Deo meo. De altero verò illa audiuntur Oſeæ 9.
maledicta: Propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius, inſania in
domo Dei eius. Et quæ IESVS Chriſtus referens ſui temporis primoribus, obii-
ciebat: Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis ſepulchra Prophe- Mat. 23.
tarum, & ornatis monumẽta iuſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum
noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. Et Iacobus mo-
nens: Exemplum, inquit, accipite fratres laboris & patientiæ Prophetas, qui lo-
cuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt. Quanto Iac. 5.
vero rerum publicarum incommodo ac detrimento veri deſiderentur Vates, vel
illud exemplum abundè ſatis declarat. Mortuus eſt ergo Eliſæus, & ſepelierunt 2. Reg. 13.
eum: latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno. Magna
autem Vatum auctoritas conſequentibus poſt obitum vel euentis, vel miraculis
confirmatur aliquando, quale & illud fuit: Quidam autẽ ſepelientes hominem, Zach. 1.
viderunt latrunculos, & proiecerũt cadauer in ſepulchro Eliſæi: quod cùm teti-
giſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. & illud: Patres veſtri
vbi ſunt? & Prophetæ? Numquid in ſempiternum viuent? Verumtamen verba
mea, & legitima mea quæ mandaui ſeruis meis Prophetis, numquid non compre-
henderunt patres veſtros, & conuerſi ſunt, & dixerunt: Sicut cogitauit Domi-
nus exercituum facere nobis ſecundùm vias noſtras, & ſecundùm adinuentio-
nes noſtras, fecit nobis. Quamobrem illorum quamquam vita iam defunctorum
ſermones & prædictiones, vtpote veritate ac fide conſtantes, citari ſolent. Iſte
eſt ſermo Domini quem locutus eſt ad Iehu, dicens: Filij tui vſque ad quartam 2. Reg. 15.
generationem ſedebunt de te ſuper thronum Iſrael, Factumq́ eſt ita.*

*Vatum ſcripta quæ ad ſalutem publicam pertinuere omnia, IESV Chriſti mor- 71.
te & reſurrectione finem ſuum attigerũt. Quomodo ergo implebuntur Scriptu- Mat. 26.
ræ, quia ſic oportet fieri. Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpre- Lucæ 24.
tabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo erant. De his Zacharias: Sileat Zach. 2.
omnis caro à facie Domini: quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo.*

*Quamquam verò vaticiniorum veritas conſtet, earum tamen rerum mini- 72.
ſtri, quæ quamquam futuræ eſſent, tamen iniuſtè atque impiè admittebantur:
nec culpa carent, nec ſupplicium ac pœnam ideo effugient. S. S. E. Filius qui- Mat. 26.
dem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo, væ autem homini illi per quem
Filius hominis tradetur: Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. &,*

„ *Tu non haberes poteſtatem in me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper: propterea*
„ *qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.*

73. *Prædictorum euenta aliquando ſeriam pœnitentiam pariunt in eorum animis, quibus denunciata antea, nec bene tamen credita fuerãt. id quod Petro euenisse legimus: qui recordatus verbi quod dixerat* IESVS, *Antequam gallus bis*
„ *cantet, ter me es negaturus. Egreſſus foras, fleuit amarè.*

Mat. 26.

74. *Porrò iudicium in eos qui vatibus infenſi infeſtiq́ fuere, paratum idq́ grauiſsimum, & tanta impietate dignum* IESVS *Chriſtus, Vatum omnium maximus princeps, & iudex hominum omnium conteſtatus eſt. Propterea & Sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident &*
„ *perſequentur, vt inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à*
„ *conſtitutione mundi à generatione iſta, à ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem*
„ *Zachariæ, qui periit inter altare & ædem.*

Lucæ 11.

75. *In quibuſdam vaticiniis certum tempus indicatur, idq́ vel ad faciendam fidem, vel ad res ipſas explicandas. vnde & regum ac pontificum ſecula anni & menſes interdum citantur. vt, Orta autem fame ſuper terram, poſt illam ſterili-*
„ *tatem quæ acciderat in diebus Abraham: abiit Iſaac ad Abimelech regem Pa-*
„ *leſtinorum in Gerara, apparuitq́ ei Dominus, & ait: Ne deſcendas in Aegy-*
„ *ptum: ſed quieſce in terra quam dixero tibi, & peregrinare in ea: eroq́ tecum, &*
„ *benedicam tibi. Tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentum quod ſpopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli: dabóque poſteris tuis vniuerſas regiones has. Viſio Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem in diebus Oziæ, Ioathan, & Achaz, & Ezechiæ regum Iuda. Quod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iuda, in tertio decimo anno regni eius. Et factum eſt*
„ *in diebus Ioachim filij Ioſiæ regis Iuda, vſque ad conſummationem vndecimi*
„ *anni Sedechiæ filij Ioſiæ regis Iudæ, vſque ad tranſmigrationem Ieruſalem in*
„ *in menſe quinto, verba Amos, qui fuit in paſtoribus Thecuæ, quæ vidit ſuper*
„ *Iſrael ante duos annos terræmotus. Verbum Domini quod factum eſt ad Mi-*
„ *cheam Morathiſten, in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda, quod*
„ *vidit ſuper Samariam & Ieruſalem. Verbum Domini quod factum eſt ad Sophoniam filium Chuſi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezechiæ, in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iudæ. In anno ſecundo Darij regis in menſe Sexto, in die vna menſis factum eſt verbũ Domini in manu Aggæi Prophetæ ad Zorobabel filium Salatiel ducem Iudæ, & ad Ieſum filium Ioſedech ſacerdotem magnum. In menſe octauo in anno ſecundo Darij factũ eſt verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo Prophetã. Et factum eſt in anno quarto Darij regis factum eſt verbum Domini ad Zachariam in quarta menſis noni, qui eſt Caſleu.*

Vaticiniorũ differentiæ quædam. Gen. 18. Iſaiæ 1. Ierem. 1. Amos 1. Soph. 1. Agg. 1. Zachar. 1. Zachar. 7.

76. *In ipſorum vaticiniorum modis diſcrimen eſt, vti iam adnotauimus. Hoc ordine, Adlocutio ſiue colloquium primum in ordine cenſetur quali perpetuo Moſes eſt vſus, Deinde Correptio ſiue Inuaſio ſpiritus & immutatio quædam ſublimis in animo Vatem ad viſionem aptum reddit, vt Ezechielem, ſuper quem facta eſt manus Domini. Et vidit, Et ecce ventus turbinis, &c. Daniel intelligentiæ ſpiritu adfectus, terribilem viſionem nec ferre poteſt, nec reſpondere, donec à viro, vt ipſe ait ſibi viſo, animatus & excitatus conſtitit. Salomoni poſt ſacrificia atque initiationem templi ipſa eadem nocte apparuit Deus, dicens: Poſtula quod*

Ezech. 1. Dan. 10.

*quod vis, vt dem tibi. Aliis diuinarum laudum tum argumenta, tum verba à* 2 Par.
*Spiritu ſuggeruntur, vt Sauli apud Samuelem. Interdum etiam per quietem ea*
*quæ futura ſunt, viſenda offeruntur, vt Noui teſtamenti Ieremiæ. Ideo quaſi de* Ierem. 26.
*ſomno excitatus ſum, & vidi: Et ecce ſomnus meus dulcis mihi. Ecce dies ve-* “
*nient, dicit Dominus, &c. Verùm inter inſomnia & vaticinia quæ per quie-* Somnium
*tem excipiuntur, nihil minus quàm inter paleas atque triticum refert, Deo ipſo* inſomnium.
*per Ieremiam diſtinguente: Propheta qui habet ſomnium, narret ſomnium: &* Ierem. 23.
*qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè. Quid paleis ad tri-* “
*ticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi mal-* “
*leus conterens petram?*

*Quid verò inter alia dona à diuino ſpiritu ad hominum vtilitatem conceſſa,*
*& inter vaticinandi facultatem interſit, D. Paulus diſertè docet. Diuiſiones ve-* 1 Cor. 12.
*rò gratiarum ſunt, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, & diuiſiones operatio-* “
*num ſunt: idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. In miniſtrationum* “
*genere, Alij, inquit, prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij* “
*interpretatio ſermonum. & inferiùs: Sectamini charitatem, æmulamini chariſ-* 1 Cor. 14.
*mata meliora, magis autem vt prophetetis: qui enim loquitur lingua, non homi-* Ædificatio,
*nibus loquitur, ſed Deo. Nemo enim audit, ſpiritu autem loquitur myſteria.* Exhortatio,
*Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem,* Conſolatio
*& conſolationem.* Vatum ſcopus.

*Sermonis vſus eſt vt interdum ſimplici nomine, nonnumquam verò circui-* 77.
*tione huiuſmodi miniſtri appellentur. Simplex nomen & vulgatiſſimum eſt* NE-
BI, *pro quo Græci* προφήτης, *Latini* Vates *vertunt. Circuitio pluribus verbis*
*fit. Dicitur enim* Vir Dei. *vt, Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac, vir nobilis, omne* 1 Sam. 9.
*quod loquitur, ſine ambiguitate venit. Dixitq́ Saul ad puerum ſuum: Ecce ibi-* 2 Par. 26.
*mus, quid feremus ad virum Dei? Zacharias cognomento intelligentis & viden-*
*tis Deum celebratur. Nuntij Dei etiam audiunt. vt, Mittebat autem Domi-* 2 Par. 36.
*nus Deus patrum ſuorum ad illos per manum nunciorum ſuorum, de nocte con-* “
*ſurgens, & quotidie commonens: eò quòd parceret populo, & habitaculo ſuo. At* “
*illi ſubſannabant nuncios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebántque* “
*Prophetis. Et olim in Iſraël ſic loquebatur, vnuſquiſque vadens conſulere* 1 Sam. 9.
*Deum: Venite, eamus ad Videntem. qui autem Propheta dicitur hodie, voca-* “
*batur olim* Videns.

## VATVM NOMINA QVÆDAM.

AB INITIO *diuini conſilij de hominum ſalute declarati, vſque ad Noui* 78.
*teſtamenti ætatem complures Vates fuiſſe per ſingula temporum ſecula, diuina*
*ſcripta teſtantur. Abel primum nominatum Vatem Ieſus Chriſtus ornauit,*
*A ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ. Noahhum futura prædicen-* Lucæ 11.
*tem, ſacra hiſtoria inducit. De Abrahamo, Sara, Iſaaco, & Iacobo ſic Dauid ca-* Gen. 9.
*nebat, Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tan-* Gen. 16.
*gere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Debora Prophetis* Pſal. 105. Gen. 46.
*fuit. Gad & Nathan ad eandem tempeſtatem pertinent. Semaias poſterior his* Iud.
*cum innominato quodam. Ahias, Iehu, Elias, Eliſæus. poſt quos Ionas, Iſaias,* 1 Sam 22. 1 Reg. 12,
*Hulda Prophetis, & Ieremias deinde: qui non ſolus ſua tempeſtate fuit, ama-* 13. 1 Reg. 11,
*nuenſemq́ habuit. Baruch Vatem etiam ipſum, idemq́ Iaghdaliam, ſiue Ieghe-* 16.
*deliam* 2 Reg. 16, 19, & 23.

Ierem. 15. 36. daliam hominem Dei citat. Hos conſecuti ſunt Ezechiel, Hoſeas, Ioël, Amos, Abdias, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, & Babylonicis temporibus Daniel adſcriptus. Eſdras etiam cum Neemia

Dan. 4. Neem 6. inter Vates numerantur: quamquam Eſdras ſingulari titulo Scriba dicatur.

1 Paral. 1. 2 Paral. 12, 15, 20, 28. Dauid etiam Vates iure appellatus etiam ab Apoſtolis. Et Salomon qui in ſomno admonitus, futura præſciuit. Semeiæ mentio in Paralipomenis facta eſt. & Ghazariæ, & Iehezelis Leuitæ, Michææ & Ghido.

79. Vltima ætas, hoc eſt, Noui Teſtamenti tempus ſuis etiam Vatibus nobilitatum

Lucæ 1. & 2 eſt, Elizabetha, Maria virginum ſanctiſsima, Zacharia, Simeone, & Anna

Ioan. 1. Phanuelis filia, Ioanne, cui Vatum omnium primas tribuit ille Vatum omnium auctor, ipſeq; Vatum ſupremus: qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermo-

Act. 4. & 11 ne: namque Ioannes nullum ſignum fecit. & Agabus cum virginibus tribus.

Ioan. 11. præter Caiapham pontificem, quem ex muneris dignitate & auctoritate, in loco vaticinatum fuiſſe intelleximus. Petrum & Iudam inter Vates recenſeri ius poſtulat. Fuere præter hos & alij complures, quorum ad nos nomina non peruenere,

Iud. 2. vt ille Domini Angelus qui de Galgalis in locum flentium aſcendiſſe nar-

3. Reg. 13. ratur, & is etiam cuius in regum hiſtoria mentio fit, & qui poſtremùm Antio-

Actor. 13. chiæ fuiſſe ſcribuntur Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus.

80. Multorum verò Vatum ſcripta, ſiue monumenta propria, vel dicta ab aliis

1 Par. 29. Iudæ epiſt. 2 Reg. 4. expreſſa, vel poſt ſua tempora deſiderata ſunt, vel noſtris non extitere ſeculis. vt hiſtoria Nathan de Dauide & Gad Videntis. & Antiquiſsimi Enochi ab Apoſtolo citati. Ionæ etiam vaticinium de reſtitutione Iſrael.

## DE FALSIS VATIBVS ANIMADVERSIONES.

1. PROXIMVM iis quæ de vaticinio diſſeruimus, fuerit de huius æmulatrice humana audacia, quam Pſeudoprophetiam Græci vocant, nonnulla præſtringere: cuius contentione quid inter vtriuſque auctoritatem vſúmque interſit, apertiùs cognoſcatur.

Eſt autem pſeudomantia, ſiue pſeudoprophetia vana quædam hominis prædictio priuati commodi cauſa, veracibus æmula. Priuatum commodum in rem, & populi vel principum gratiam partimur, ad eaſdémque partes contentionem inuidiámque referimus.

Atque homini prædictiones huiuſmodi adſcribimus, quod primum huius pernitioſæ artis initium ab humana temeritate ortum deprehendamus, ſiue id arte & induſtria, ſiue alio conſilio, commento, aut modo fiat.

2. Induſtria & ars excogitatis & antiquis præceptis vtitur, nulla ratione fultis, præterquam vana opinione obſeruationum tam ex naturæ rerum partibus mutis & inanimatis, quàm ex animantum generibus, eorumq; habitu & motu, atque partibus etiam animalium internis præcipuè. Ex horum enim varietate prodiere aſtrologi, aruſpices, & augures, ceteráque diuinorum collegia: præter eos qui ingenij dexteritate & exercitatione ambigua & fallacia reſponſa commenti ſunt: cuiuſmodi fuere complures qui Dei veri reſponſa ementiti ſunt.

ſunt. Plurimi verò qui ex vanorum numinum adyto oraculo fuderunt.

Vt autem nihil hominum vitæ commodius veritate & fide quamcumque in 2.
partem illa tendat, vtpote quæ Dei veri veracem, & ſemper vtilem ſermonem
referat. S. S. E. Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculum ſeculi, facta "
in veritate & æquitate: Ita contrà nihil publicis priuatiſq; hominum rebus, at- "
que adeò naturæ ipſi hominum peſtilentius vanitate & mēdacio: vtpote ex dia-
boli ſcholæ profecto: qui, cùm mendax fuerit à principio, mendaciis, & vanis
ſermonibus perpetuo humanas rationes inuertere ſtudet. Cuiuſmodi maximum,
hominibuſq; vehementer noxium malum Ioſaphat Vates indicabat. Vidi Domi- 3 Reg. 22.
num ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtētem ei à dex- "
tris & à ſiniſtris. & ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſraël, vt aſcen- "
dat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius ali- "
ter. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam il- "
lum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus men- "
dax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & præua- "
lebis. Egredere, & fac ita. Nunc igitur, ecce dedit Dominus ſpiritum menda- "
cij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hîc ſunt, & Dominus locutus eſt "
contra te malum.

Neque verò huiuſmodi malum vltrò aut ſponte à Deo proficiſci cenſendum 3.
eſt, quippe quem malorum intentatorē, & ſua ipſius natura optima ſtatuentem,
ſacra ſcripta prædicent. Numquid iniquus eſt Deus qui infert iram? Abſit. Quo- Rom. 3.
niam non Deus volens iniquitatem tu es: & odiſti omnes qui operantur iniqui- Pſal. 5.
tatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum "
abominabitur Dominus. Verùm enimuerò deceptū hominis ab initio ingenium,
& ad falſa capeſſenda procliue, neſcio quo pacto antiquum illud obtinet, credens
plerumque magis ei qui verba dabit huiuſmodi. Non morte moriemini, ſed ſcit Gen. 2.
Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis "
ſicut dij ſcientes bonum & malum, quàm Deo ipſi prædicenti, In quacumque die "
comederis ex eo, morte morieris. Euenit verò non rarò vt homines ipſi, mendacij "
ſtudiis dediti, iuſto Dei iudicio id quod optauerint, offendant: id eſt, mendacio-
rum & fallaciarum copiam qua deluſi in commeritum ſibi magnum malū, præ-
cipites decidant. Cuius mali culpa omnis penes homines reſidet. S. S. E. In loque- Iſaiæ 28.
la labij, & in lingua altera loquetur ad populum iſtū. Cui dixit: Hæc eſt requies "
mea, reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium: & noluerunt audire. Et erit eis "
verbum Domini, Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expe- "
cta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant, & cadant retrorſum: & "
conterantur, & illaqueentur, & capiantur.

Itaque homines ipſi tantum ſibi moliuntur malum, neque verò id ſine multo 4.
ſumptu interdum, & à cæcis duci amantes, ſibi exitium parant: & inſanorum
more eos qui vera monuerint, vel pro inſanis irriſos, vel inimicorum loco habi-
tos, ad internitionem vſque ſectantes. Grauiſſimas autem pœnas vtriſque para-
tas, diuina ſcripta prædicant: tum iis qui mendaciis huiuſmodi ſtudent, tum iis
maximè qui artibus iſtis vel rem, vel nomen & gloriam, aut gratiam captant.
Hos autem ipſos variis nominibus infames ſacri Vates notant.

Porrò loca quædam ex multis indicabimus, quæ definitionibus animaduer-
ſionibúſque his fidem faciant, fundamentúmque ſubſtruant: & ipſorū qui hæc

*vana profitentur,ingenium,ſtudia,mores & notas, exitum & euenta indicent.*
5. *Auguriis, & huiuſmodi vanis vel aruſpicum, vel aſtrologorum , vel aliàs*
Auguria. Aſtrologia. *diuinatorum artibus & inuentis aut operis, voluntatem conſiliumve Dei cog-*
Iſaiæ 19. *noſci apertè Iſaias negat. Stulti principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharao-*
» *nis dederunt conſilium inſipiens. Quomodo dicitis Pharaoni, Filius ſapientium*
» *ego,filius regum antiquorum? Vbi nunc ſunt ſapientes tui? annuncient tibi, &*
» *indicent, quid cogitauerit Dominus exercituum ſuper Aegyptum. Stulti facti*
» *ſunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Aegy-*
» *ptum,angulum populorum eius. Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum verti-*
» *ginis: & errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vo-*
Iſaiæ 41. *mens. &, Propè facite iudicium veſtrum, dicit Dominus: afferte, ſi quid fortè*
» *habetis,dicit rex Iacob. Accedant,& nuncient nobis quæcumque ventura ſunt:*
» *priora quæ fuerunt nunciate: & ponemus cor noſtrum,& ſciemus nouiſſima eo-*
» *rum,& quæ ventura ſunt indicate nobis. Annunciate quæ ventura ſunt in fu-*
» *turũ,& ſciemus quia Dij eſtis vos.Benè quoque ac malè, ſi poteſtis,facite: & lo-*
Iſaiæ 46. *quamur,& videamus ſimul.&,Mementote iſtud,& cõfundimini:redite præua-*
» *ricatores ad cor.Recordamini prioris ſeculi,quoniã ego ſum Deus,& nõ eſt vltrà*
» *Deus:nec eſt ſimilis mei.Annuncians ab exordio nouiſſimũ,& ab initio quæ nec-*
Ierem. 2. *dũ facta ſunt,dicens:Conſiliũ meũ ſtabit,& omnis voluntas mea fiet.Sacerdotes*
» *non dixerunt, Vbi eſt Dominus, & tenentes legem neſcierunt me. Et paſtores*
» *præuaricati ſunt in me: & Prophetæ prophetauerunt in Baghal, & idola ſecuti*
*ſunt. Horum verò vanis prædictionibus & conſiliis populum affectum ac dece-*
Ierem. 4. *ptum affectatæ vanitatis pœnas dare Ieremias exclamabat: Et erit in die illa,*
» *dicit Dominus,peribit cor regis,& cor principum: & obſtupeſcent ſacerdotes,&*
» *Prophetæ conſternabuntur. Et dixi: Heu,heu,heu, Domine Deus, ergóne dece-*
» *piſti populum iſtum & Ieruſalem, dicens: Pax erit vobis: & ecce peruenit gla-*
» *dius vſque ad animam.*
6. *Vanam verò fiduciam in falſis vatibus poſitam, exploſis iis qui vera & op-*
*portuna monuerant, quíque prius quæ timeri, quæve ſperari oporteret prædixe-*
*rant, in cauſa eſſe aduerſi atque duri euentus, ex huiuſmodi effatis accepimus.*
Ierem. 5. *Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Qui poſui*
» *arenam terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit. Et com-*
» *mouebuntur,& nõ poterunt: & tumeſcent fluctus eius,& non tranſibunt illud:*
» *Populo autem huic factum eſt cor incredulum & exaſperans, receſſerunt & ab-*
» *ierunt, & non dixerunt in corde ſuo, Metuamus Dominum Deum noſtrum,qui*
» *dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo:plenitudinem an-*
» *nuæ meſſis cuſtodientem nobis. Iniquitates veſtræ declinauerunt hæc: & peccata*
» *veſtra prohibuerunt à vobis bonum. Præuaricatione enim præuaricata eſt in me*
» *domus Iſrael,& domus Iuda, ait Dominus. Negauerunt Dominum,& dixerũt:*
» *Non eſt ipſe,neque veniet ſuper nos malum,gladium & famem non videbimus.*
» *Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & reſponſum non fuit in eis: Hæc ergo ve-*
Ierem. 6. *nient illis. A minore quippe vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent: & à*
» *Propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem*
» *filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Confuſi*
» *ſunt,quia abominationem fecerunt: quin potius confuſione non ſunt confuſi,&*
» *erubeſcere neſcierunt: quamobrem cadent interruentes: in tempore viſitationis*

*ſuæ corruent, dicit Dominus. Hæc dicit Dominus: State ſuper vias,& videte,
& interrogate de ſemitis antiquis,quæ ſit via bona,& ambulate in ea: & inue-
nietis refrigerium animabus veſtris.Et dixerunt, Non ambulabimus. Et conſti-
tui ſuper vos ſpeculatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt, Non audiemus.
Probatorem dedi te in populo meo robuſtum: & ſcies, & probabis viam eorum.
Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter,æs & ferrum: vni-
uerſi corrupti ſunt. Defecit ſufflatorium, in igne conſumtum eſt plumbum, fru-
ſtra conflauit conflator:malitiæ enim eorum non ſunt conſumtæ. Argentum re-
probum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Cuiuſmodi verò Vates populo
optentur & placeant Iſaias indicat.Populus enim ad iracundiam prouocans eſt,* Iſaiæ 30.
*& filij mendaces,filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus,Nolite
videre:& aſpicientibus,Nolite adſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini no-
bis placentia,videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam,
ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël. Et dixit Dominus ad me, Noli orare pro po-* Ierem. 14.
*pulo iſto in bonum.Cùm ieiunauerint,non exaudiam preces eorum: & ſi obtule-
rint holocautomata & victimas,non ſuſcipiam ea: quoniam gladio & fame &
peſte conſumam eos. Et dixi, Aha,Domine Deus, Prophetæ dicunt eis, Non vi-
debitis gladium,& fames non erit in vobis:ſed pacem veram dabit vobis in loco
iſto.Et dixit Dominus ad me,Falſo Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non
miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos viſionem mendacem, &
diuinationem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Ad
Prophetas, Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa* Ierem. 23.
*mea:factus ſum quaſi vir ebrius,& quaſi homo madidus à vino,à facie Domini
& à facie verborum ſanctorum eius. Quia adulteris repleta eſt terra,quia à fa-
cie maledictionis luxit terra, arefacta ſunt arua deſerti: factus eſt curſus eorum
malus,& fortitudo eorum diſſimilis.Propheta namque & ſacerdos polluti ſunt:
& in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus.Iccirco via eorum erit qua-
ſi lubricum in tenebris:impellentur enim,& corruent in ea: afferam enim ſuper
eos mala, annum viſitationis eorum,ait Dominus.Et in Prophetis Samariæ vi-
di fatuitatem: & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Iſraël.
Et in Prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium,& iter mendacij:
& confortauerunt manus peſſimorum vt non conuerteretur vnuſquiſque à ma-
litia ſua. Facti ſunt mihi omnes vt Sodoma,& habitatores eius quaſi Gomorrha.
Vos ergo nolite audire Prophetas veſtros, & diuinos, & ſomniatores, & augu-* Ierem. 27.
*res,& maleficos, qui dicunt vobis.*

*Similes autem diuinatorum huiuſmodi atque populi & principum mores con-* 7.
*uenire,ideoq́; alij ab aliis foueri Deus declarauit.Verùm hi quoque præ vino ne-* Iſaiæ 28.
*ſcierunt,& præ ebrietate errauerũt. Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrie-
tate,abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate,neſcierunt videntem,ignora-
uerunt iudicium. Omnes enim menſæ repleti ſunt vomitu ſordiumq́;, ita vt non
eſſet vltrà locus. Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum?
ablactatos à lacte,auulſos ab huberibus. Obſtupeſcite,& admiramini: fluctuate,
& vacillate: inebriamini,& non à vino: mouemini,& non ab ebrietate. Quo-
niam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis:claudet oculos veſtros: Prophetas
& principes veſtros, qui vident viſiones, operiet.*

*Hos propter ignauiam & ſocordiam, aut etiam adulationem, canes mutos:* 8.

 *propter*

Canis. Leo. *propter feritatem verò aduerſus bonos ac veros Vates, pioſq́; viros: & propter publici mali occaſionem, priuatiq́; commodi cupiditatem, leones dictitatos audiuimus.*

Iſaiæ 56. *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana: dormientes, & amantes ſomnia. Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem. Ipſi paſtores ignorauerunt intelligētiam: omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum. Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius.*

Ezech. 22. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris. Coniuratio Prophetarum in medio eius: ſicut leo rugiens rapiénſque prædam, animas deuorauerunt, & opes & pretium acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio illius.*

9. Baculus. Oſeæ 4. *Quin & cæco ſtulto atque inſano populo baculi vicem præbere huiuſmodi miniſtri notantur. Populus meus in ligno ſuo interrogauit, & baculus eius annunciauit ei. Spiritus enim fornicationis decepit eos, & fornicati ſunt à Deo ſuo.*

10. Ieremi. 29. *Vanis huiuſmodi prædictionibus, præſagiis, & ſomniis populus procliuis ſubnotatur, Ieremia diſſuadente. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Non vos ſeducant Prophetæ veſtri qui ſunt in medio veſtrum, & diuini veſtri: ne attendatis ad ſomnia veſtra quæ vos ſomniatis: quia falsò ipſi prophetant vobis in nomine meo: & non miſi eos, dicit Dominus.*

11. Vulpes. Ezech. 13. *Vulpibus perſimiles, fallaciam & noxam populo moliri dicuntur. Fili hominis, vaticinare ad Prophetas Iſraël, qui prophetant, & dices prophetantibus de corde ſuo, Audite verbum Domini, Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum & nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis prophetæ tui Iſrael erant. Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael: vt ſtaretis in prælio in die Domini. Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, Cùm Dominus non miſerit eos, & perſeuerauerunt confirmare ſermonem. Numquid non viſionem caſſam vidiſtis, & diuinationem mendacem locuti eſtis? dicentes: Ait Dominus, cùm ego non ſim locutus. & paulò inferiùs: Eo quòd deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non eſt pax: & ipſe [populus] ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis.*

12. Ibid. *Eiuſdem quoque notæ feminas populo impoſuiſſe accepimus eiſdem de cauſis, hoc eſt, lucelli & gloriolæ, vana & mendacia vaticinari ſolitas. Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Et cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum: & violabant me ad populum meum, propter puſillum hordei & fragmen panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacio.*

13. Mich. 2. *Quantum porrò mendacio populus capiatur, quàm verò delectetur, artificiosè Micheas indicauit: Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer: ſtillabo tibi in vinum & in ebrietatem, & erit ſuper quem ſtillatur populus iſte.*

Ibid. 3. *Hæc dicit Dominus ſuper prophetas qui ſeducunt populum meum: qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem: & ſi quis non dederit in*

ore

*ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper cum prælium. Prophetæ eorum veſa-* Soph.3.
*ni, viri infideles, id eſt, vani, inſtabileſq́ & leues.*

*Huius autem farinæ diuinatores omnes in cauſa eſſe maximarum in populis* 14.
*domibuſq́ calamitatum veri declararunt Vates. Quia ſimulachra locuta ſunt* Zach.10.
*inutile, & diuini viderunt mendacium, & ſomniatores locuti ſunt fruſtrà, va-*
*nè conſolabantur. Iccirco abducti ſunt: quaſi grex affligentur, quia non eſt eis* Thren.4.
*paſtor. Non crediderunt reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis: quoniam in-* "
*grederetur hoſtis & inimicus per portas Ieruſalem, propter peccata Propheta-* "
*rum eius, & iniquitates ſacerdotum eius: qui effuderunt in medio eius ſangui-* "
*nem iuſtorum. Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta: nec aperiebant iniqui-* Thren.2.
*tatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi aſſumtio-* "
*tiones falſas, & eiectiones.* "

*Tyrannos quoque ad facinoris auctoritatem falſos vates adhibere ſolitos in-* 15.
*dicat epiſtola illa apud Nehemiam: In gẽtibus auditum eſt, & Goſſen dixit quòd* Neem.6.
*tu & Iudæi cogitetis rebellare: & propterea ædifices murum, & leuare te velis* "
*ſuper eos regem. Propter quam cauſam & Prophetas poſueris, qui prædicent de* "
*te in Ieruſalem, dicentes: Rex in Iudæa eſt. Verùm enimuerò fortes, pij, & con-* "
*ſtantes viri huiuſmodi vanos Vates non excludere modò, ſed compeſcere etiam*
*ſolent, acriterq́ refellere. Quam ob cauſam magis confortaui manus meas, &* Ibid.
*ingreſſus ſum domum Semaiæ filij Dalaiæ, filij Metabeel, ſecretò. Qui ait, Tra-* "
*ctemus nobiſcum in domo Dei, in medio templi, & claudamus portas ædis, quia* "
*venturi ſunt vt interficiant te: & nocte venturi ſunt ad occidendum te. Et dixi:* "
*Num quiſquam ſimilis mei fugit, & quis vt ego ingredietur templum, & viuet?* "
*Non ingrediar. Et intellexi quòd Deus non miſiſſet eum, ſed quaſi vaticinans* "
*locutus eſſet ad me: & Tobias, & Sanaballat conduxiſſent eum. Acceperat enim* "
*pretium vt territus facerem, & peccarem, & haberent malum quod exprobra-* "
*rent mihi. ex eo autem quod malum ſuaſiſſet, à prudenti viro vani argutus eſt.* "

*Frequens autem ſolet eſſe huiuſmodi grex, qui ventris & otij cauſa, atq́ adeò* 16.
*popularis admirationis ſpe, vt apum examina in hanc adulationis ſiue diſcipli-*
*nam, ſiue artem, ſiue potius præſtigiorum profeſſionem nomen dare ſtudent, quo-*
*rum quo maior numerus, eò maiori ſumtu ac damno cùm priuato tum publico*
*alitur, & incommodo grauiore conſulitur, & petitur. Contra nihil magis vtile*
*commodum & expetendum in publicis priuatíſque rebus cenſeatur, quàm veri*
*Vatis facultas & copia, qui præter Dei gloriam, & populi vtilitatem nil præ-*
*terea cupit aut quærit: idq́ incommodi ſui etiam certus, tantum abeſt vt ſuarum*
*rerum rationem habeat, cuius ſenſus quiſquis fuerit, vel vnicus ac ſingularis,*
*atque hominum iudicio humilis, multis vanorum quantumuis gratia valẽtium*
*decadibus, immo & centuriis præferendus eſſe à Deo declaratur. Dixit Ioſaphat* 2.Paral.18.
*ad regem Iſrael, Conſule obſecro in præſentiarum ſermonem Domini. Congrega-* "
*uit igitur rex Iſrael Prophetarum quadringentos viros, & dixit ad eos: In Ra-* "
*moth Galaad ad bellandum ire debemus, an quieſcere? At illi, Aſcende, inquiunt,* "
*& tradet Deus in manu regis. Dixitq́ Ioſaphat, Numquid non eſt hîc Prophetes* "
*Domini, vt ab illo etiam requiramus? Et ait rex Iſrael ad Ioſaphat, Eſt vir vnus* "
*à quo poſſumus quærere Domini voluntatem: ſed ego odi eum, quia non prophe-* "
*tat mihi bonum, ſed malum omni tempore: eſt autem Michæas filius Iemla. Di-* "
*xitq́ Ioſaphat, Ne loquaris rex hoc modo. Vocauit ergo rex Iſrael vnum de eu-* "

» nuchis, & dixit ei, Voca citò Michæam filium Iemla. Porrò rex Iſrael & Ioſa-
» phat rex Iuda vterque ſedebant in ſolio ſuo, veſtiti cultu regio. Sedebant autem
» in area iuxta portam Samariæ, omneſq; Prophetæ vaticinabantur coram eis. Se-
» decias verò filius Chanaana fecit ſibi cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus,
» His ventilabis Syriam, donec conteras eam: Omneſq; Prophetæ ſimiliter prophe-
» tabant, atque dicebant: Aſcende in Ramoth Galaad, & proſperaberis, & tradet
» eos Dominus in manu regis. Nuncius autem qui ierat ad vocandum Michæam,
» ait illi, En, verba omnium Prophetarum vno ore bona regi annunciant: quæſo
» ergo te vt ſermo tuus ab eis non diſſentiat, loquariſq; proſpera. Cui reſpondit
» Michæas, Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc
loquar, &c.

17. In primis iſtorum partibus audacia numeratur & confidentia, atque has con-
ſecutæ proteruitas & impudentia, vſque adeò effrenatæ, vt vel ipſis veris Va-
tibus contendere, & præſentibus obtrectare, maledicere, atque omnino aduerſari
populo ac principibus fauentibus gloriæ materia ſit: Deinde verò animaduerti-
tur verborum orationumq; formula verorum Vatum ſermones interdum imi-
Ierem. 28. tata, ſæpe verò ambigua, & ad quemuis euentum vertenda. Et factum eſt in an-
» no illo in principio regni Sedeciæ regis Iuda, in anno quarto, in menſe quinto,
» dixit ad me Hananias filius Azur Propheta de Gabaon, in domo Domini co-
» ram ſacerdotibus & omni populo, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus
» Iſrael, Contriui iugum regis Babylonis. Adhuc duo anni dierum, & ego referri
» faciam ad locum iſtũ omnia vaſa domus Domini quæ tulit Nabuchodonoſor rex
» Babylonis de loco iſto, & tranſtulit ea in Babylonem. Et Iechoniam filium Ioa-
» cim regem Iuda, & omnem tranſmigrationem Iudæ, qui ingreſſi ſunt in Baby-
» lonem, ego conuertam ad locum iſtum, ait Dominus: conteram enim iugum re-
» gis Babylonis, &c. Et paulò inferiùs: Et tulit Hananias Propheta catenam de
» collo Ieremiæ Prophetæ, & confregit eam. Et ait Hananias in conſpectu omnis
» populi, dicens: Hæc dicit Dominus, Sic confringam iugum Nabuchodonoſor regis
» Babylonis poſt duos annos dierum de collo omnium gentium. Iſtorum verò mens
Ezech. 13. atque vox fallax aptiſſima doloſi animalis imagine notatur. Hæc dicit Domi-
» nus: Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident:
» quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſrael erant.

18. Huius autem farinæ homines veris ac veracibus Vatibus calamitatem, rui-
nam, irriſionem, & contumeliæ genus omne moliri, complura exempla ſacram
Ierem. 20. legentibus hiſtoriam indicant. & Ieremias apertè lamentatus oſtendit: Et au-
» diuit Phaſſur filius Emmer ſacerdos, qui conſtitutus erat princeps in domo Do-
» mini, Ieremiam prophetantẽ ſermones iſtos. Et percuſſit Phaſſur Ieremiam Pro-
» phetam, & miſit eum in neruum, quod erat in porta Beniamin ſuperiori, in do-
» mo Domini. Cumq; illuxiſſet in craſtinum, eduxit Phaſſur Ieremiam de neruo.
» & dixit ad eum Ieremias, Non Phaſſur vocauit Dominus nomen tuum, ſed pa-
» uorem vndique. Quia hæc dicit Dominus, Ecce, ego dabo te in pauorem, te &
» omnes amicos tuos: & corruent gladio inimicorum ſuorum, & oculi tui vide-
» bunt: & omnem Iudam dabo in manum regis Babylonis: & traducet eos in Ba-
» bylonem, & percutiet eos gladio. Et dabo vniuerſam ſubſtantiam ciuitatis hu-
» ius, & omnem laborem eius, omneq; pretium, & cunctos theſauros regum Iuda
» dabo in manum inimicorum eorum: & diripient eos, & tollent, & ducent in Ba-
bylonem.

*bylonem. Tu autem Phaſſur, & omnes habitatores domus tuæ ibitis in captiuitatem, & in Babylonem venies, & ibi morieris: ibiq́ ſepelieris tu, & omnes amici tui quibus prophetaſti mendacium. Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & inualuiſti: factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me. Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium & in deriſum tota die. Et dixi, Non recordabor eius, neque loquar vltrà in nomine illius. & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſusq́ in oſsibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinēs. Audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu. Perſequimini, & perſequamur eum: ab omnibus viris qui erant pacifici mei, & cuſtodientes latus meum: ſi quo modo decipiatur, & præualeamus aduerſus eum, & conſequamur vltionem ex eo.*

*Præter cetera iſtis accuſata ſcelera, illud quoque vſitatum turpiſsimum eſt,* 19.
*quod eorum quibus cum agerent & conuiuerent, ſanctas domos violare nullus eſſet metus aut pudor. Pro eo quòd fecerint ſtultitiam in Iſraël, & mæchati ſunt in vxoribus amicorum ſuorum, & locuti ſunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis: Ego ſum iudex & teſtis, dicit Dominus.*

*Atqui eos, qui ſacris Vatibus ac veracibus obſiſtunt, quocunque id pacto, colore, aut prætextu, quacumque arte agatur, Dei voluntati atque conſilio in populi perniciem aduerſari manifeſtè declaratum Ieremias accipit, & refert: huiuſmodiq́ audaciæ & impietatis exitum, non vno modo infelicem fore, idem cum aliis vaticinatur. Et factum eſt verbum Domini ad Ieremiam, dicens: Mitte ad omnem tranſmigrationem, dicens: Hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamitem: Pro eo quòd prophetauit vobis Semeias, & ego non miſi eum: & fecit vos confidere in mendacio: idcirco hæc dicit Dominus, Ecce, ego viſitabo ſuper Semeiam Nehelamiten, & ſuper ſemen eius: non erit ei vir ſedens in medio populi huius, & non videbit bonum quod ego faciam populo meo, ait Dominus: quia præuaricationem locutus eſt aduerſus Dominum.* (Ierem. 29. 30.)

*Eos verò qui prædictæ Dei nomine ob ſcelus & impia facta pœnæ, veritatem* 20.
*vel negare, vel eleuare ſtuduerint, certiſsimam & grauiſsimam experturos, ſancti Vates declararunt. demumq́ expertos diuinæ narrant hiſtoriæ. Iccirco hæc dicit Dominus de prophetis qui prophetant in nomine meo, quos ego non miſi, dicentes: Gladius & fames non erit in terra hac: In gladio & fame conſumentur prophetæ illi. Et populi quibus prophetant, erunt proiecti in viis Ieruſalem præ fame & gladio, & non erit qui ſepeliat eos, ipſi & vxores eorum, filÿ & filiæ eorum, & effundam ſuper eos malum ſuum. Et dixit Ieremias Propheta ad Hananiam Prophetam, Audi Hanania: Non miſit te Dominus, & tu confidere feciſti populum iſtum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te à facie terræ: hoc anno morieris: aduerſum enim Dominũ locutus es. Et mortuus eſt Hananias Propheta in anno illo, menſe ſeptimo. &, Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Non vos ſeducant prophetæ veſtri qui ſunt in medio veſtrum, & diuini veſtri: & ne attẽdatis ad ſomnia veſtra quæ vos ſomniatis: Quia falsò ipſi prophetant vobis in nomine meo, & non miſi eos. &, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael ad Achab filium Coliæ, & ad Sedechiam filium Maaſiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter, Ecce, ego tradam eos in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis, & percutiet eos in oculis veſtris.* (Ierem. 14. c. 15. — Ierem. 28. — Ierem. 29. — Ibid.)

„ *veſtris. Et aſſumetur ex eis maledictio omni tranſmigrationi Iudæ quæ eſt in*
„ *Babylone, dicentium, Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab quos fri-*
Ierem. 20. *xit rex Babylonis in igne. Et dixit Ieremias ad Phaſſur: Non Phaſſur voca-*
„ *uit Dominus nomen tuum, ſed pauorem vndique. Quia hæc dicit Dominus, Ec-*
„ *ce ego dabo te in pauorem, te & omnes amicos tuos: & corruent gladio inimico-*
„ *rum ſuorum, & oculi tui videbunt: & omnem Iudam dabo in manum regis Ba-*
„ *bylonis: & traducet eos in Babylonem, & percutiet eos gladio. Et dabo vniuer-*
„ *ſam ſubſtantiam ciuitatis huius, & omnem laborem eius, omnéque pretium, &*
„ *cunctos theſauros regum Iuda dabo in manu inimicorum eorũ: & diripient eos,*
„ *& tollent, & ducent in Babylonem. Tu autem Phaſſur, & omnes habitatores do-*
„ *mus tuæ ibitis in captiuitatem, & in Babylonem venies, & ibi morieris: ibique*
Ezech. 13, 8. *ſepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetaſti mendacium. &, Propterea*
„ *hæc dicit Dominus Deus, Quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendacium: ideo*
„ *ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus: Et erit manus mea ſuper Prophetas qui vi-*
„ *dent vana, & diuinant mendacium: in concilio populi mei non erunt, & in*
„ *ſcriptura domus Iſraël non ſcribentur, nec in terram Iſrael ingredientur: &*
„ *ſcietis quia ego Dominus Deus. Eò quod deceperint populum meum, dicentes:*
„ *Pax, & non eſt pax: & ipſi ædificabant parietem, illi autem liniebant eum luto*
„ *abſque paleis. Dic ad eos qui liniunt abſque temperatura, quòd caſurus ſit: erit*
„ *enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum*
„ *procellæ diſſipantem. Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis,*
„ *Vbi eſt litura quam liniſtis? Propterea hæc dicit Dominus Deus, Et erumpere*
„ *faciam ſpiritum tempeſtatum in indignatione mea, & imber inundans in furo-*
„ *re meo erit: & lapides grandes in ira in conſumptionem. Et deſtruam parietem*
„ *quem liniſtis abſque temperamẽto: & adæquabo eum terræ, & reuelabitur fun-*
„ *damentum eius: & cadet, & conſumetur in medio eius: & ſcietis quia ego ſum*
„ *Dominus. Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt*
„ *eum abſque temperamẽto, dicámq; vobis: Non eſt paries, & non ſunt qui liniunt*
„ *eum. Prophetæ Iſrael qui prophetant ad Ieruſalem, & vident ei viſionem pacis:*
„ *& non eſt pax, ait Dominus Deus.*

21. *Ex ipſis autem rerum prædictarum periculis & ſenſu euenit vt veri Vatis à*
*falſo demùm cognitum diſcrimen alteri ignominiam, alteri verò, hoc eſt, veraci,*
Oſeæ 9, 7. *famam atque decus arroget. Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retribu-*
„ *tionis: ſcitote Iſrael ſtultum prophetam, inſanum virum ſpiritualem: propter*
„ *multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudo amentiæ. Speculator Ephraim cum*
„ *Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius, inſania in*
*domo Dei eius.*

22. *Atqui veri Vatis ratio & virtus à falſis diuinatoribus & auguribus, aliiſq;*
*illius muneris ambitioſis vſurpatoribus præter ea ſigna & argumenta quæ dum*
*de vaticinio agimus, indicabamus: conſtantia etiam, ſeueritate, atque officij ve-*
*ritate dignoſcitur, quæ nullis minis aut calumniis à propoſito perficiendo abſ-*
Amos 7, 10. *terretur. Et miſit Amaſias ſacerdos Bethel ad Ieroboam regem Iſrael, di-*
„ *cens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Iſraël. Non poterit terra ſuſti-*
„ *nere vniuerſos ſermones eius: Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Iero-*
„ *boam, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua. Et dixit Amaſias ad Amos: Qui*
„ *vides, gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.*

*Et in*

*Et in Bethel non adiicies vltrà vt prophetes: quia ſanctificatio regis eſt, & domus regni eſt. Reſponditq́ue Amos, & dixit ad Amaſiam, Non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetæ: ſed armentarius ego ſum vellicans ſycomoros. Et tulit me Dominus cùm ſequerer gregem: & dixit Dominus ad me, Vade, propheta ad populum meum Iſraël. Et nunc audi verbum Domini, Tu dicis, Non prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtillabis ſuper domum idoli. Propter hoc hæc dicit Dominus, Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua.*

*Sed illud maximum in hac re ac planè diuinum beneficium noui fœderis compotibus ſanctis promiſſum conſtat, fore vt huiuſmodi vana, ficta, & nefaria falſorum vatum, & impurorum hominum commenta propter acceptam diuinitus veritatem & ſapientiam, non modò cognita, nullum negotium faciant, verùm damnata & repulſa explodantur. In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, Diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà: & pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra. Et erit, cùm prophetauerit quiſpiam vltrà, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum, Non viues: quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius & mater eius, genitores eius cùm prophetauerit. Et erit in die illa, confundentur prophetæ vnuſquiſque ex viſione ſua cùm prophetauerit: nec operientur pallio ſaccino, vt mentiantur: ſed dicet, Non ſum Propheta, homo agricola ego ſum: quoniam Adam exemplum meũ ab adoleſcentia mea. Et dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarũ? Et dicet, His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me. Atque hunc ſanctorum & ſapientum ordinem admonitio illa à D. Iohanne facta ſpectat: Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* 23. Zach. 13.

## DE FORMVLIS IN VATICINIORVM SERMONE SINGVLARI SIGNIFICATIONE VSVRPATIS, INDEX BREVIS.

NON *incommodè in ſingulis artibus, negotiis, muneribus, ac rerum actionúmque rationibus dictionum familiares ac ſingulares formulæ ad illud ipſum pertinentes genus obſeruatæ, vſurpantur ac traduntur: ita vt vnaquæque ars & ratio ſuum nomenclatorem, quem conſulat & ſequatur, poſtulare videatur. Quam etiam diligentiam nos aliqua ex parte præſtare ſtudebimus: quæ, ſi non omnia complectatur atque exhibeat vocabula, indicis tamen inſtar habeat: & qua idem plenius agi, quæri, & obtineri poſſit, ſtudioſis veſtigia commonſtret.*

Præteritum tempus, *frequenter à vaticinantibus pro futuro vſurpatur, ad rei futuræ certam & conſtantem veritatem, & promiſſi præſtantiam ſignificandam. vt, Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Præteritum, pro futuro. Gen. 48.

Reuelare aurem, *monere, indicare, & futuram vel abſentem rem oſtendere,* Reuelare aurem.

1 Sam. 9. dere, vel præmonſtrare ſignificat. vt, Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem quam veniret Saul.

Vir Dei. 1 Sam. 9. Vir Dei, idem quod vir ſanctus, & à Deo ad publicam vtilitatem inſtructus. Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac, vir nobilis, omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit.

Onus. 2 Reg. 9. Maſſa, quod Latinus ſæpe vertit in Onus, grauis pœnæ aliquando ſubeundæ minas & prædictionem ſignificat. vt, Quod Dominus onus hoc leuauerit " ſuper eum, dicens: Si non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum eius, " quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro iſto, dicit Dominus.

Ecce, ego adducam. 2 Reg. 21, 12. Ecce, ego adducam. Certæ & ſtatæ ſententiæ pronunciandæ initium eſſe ſolet. vt, Ecce ego adducam mala ſuper Ieruſalem & Iudam, vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius.

Manus Domini. 2 Reg. 8, 15. Manus Domini. Inuaſio ſiue allapſus diuini ſpiritus ad vaticinandum. Cumq́; caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini, & ait.

Verbum cadere. 1 Sam. 3, 19. Verbum cadere. Vanum aut irritum argui. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo: & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

Genus, familia, & proſapia. Iſaiæ 1. Genus, familia & proſapia. Interdum ad auctoritatem & fidem Vatis, nonnumquam ad argumenti explicationem facit. vt, Viſio Iſaiæ filij Amos. &, Verba Ieremiæ filij Helciæ de ſacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin.

Viſio dura. Iſaiæ 21. Viſio, ſiue Prophetia dura. Sententiæ ſeueritatem ſignificat. Viſio dura nunciata eſt mihi.

Vallis viſionis. Iſaiæ 22. Vallis viſionis. deſcriptio, ſiue periphraſis Ieroſolymæ vrbis. Onus vallis viſionis. Quidnam quoque tibi eſt, quia aſcendiſti omnis tu intecta? Clamoris plena vrbs frequens.

Venite aſcēdite. Ierem. 5, 10. Venite aſcendite. Latam ac pronunciatam ſententiam executioni iam demandat. Aſcendite muros eius, & diſſipate.

Dicit Dominus. Ierem. 18, 6. Dicit Dominus, ſiue Ait Dominus. Rem certam diuino conſilio definitam, nulla mortalium exceptione frangendam. vt, Numquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere, domus Iſraël? ait Dominus.

Non addam miſereri. Oſeæ 1, 6. Non addam miſereri. Certiſſimam ac iam decretam inſtantémque pœnæ inflictionem indicat: vt, Voca nomen eius Abſque miſericordia, quia non addam vltrà miſereri domui Iſraël.

Cetera plura, & cognitu digna, ex communibus Propheticorum librorum diſputationibus, quas minorum Prophetarum commentariis præmiſimus petuntor.

DE

# DE VISIONE LIBELLVS.

## SECTIO PRIMA.

VATVM & vaticiniorum atque oraculorum ratio poſtulare videtur, vt de viſionum natura ac generibus & modis diſſeramus, ne videlicet ſimplex verbi Latini vel Græci forma eundem ſemper ſenſum ſcripta ſacra legentibus paret.

Eſt autem viſio rei vel facti cuiuſpiam certiſsima contemplatio & notio ſua ſponte conſtans, nulliſq́; aliunde petitis argumentis indigens ad faciendam fidem. Hæc verò cùm ab optimo omnium corporis ſenſu & Græcum & Latinum nomen traxit, illud ὅραμα hoc viſio. Cuius ſenſus ad rerum quæ vel corporeæ ſunt, vel à corporeis fiunt cognitionem præcipua & prima commendatio, habetur. S. S. E. Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque. Prou. 20.
Atque ab hoc ſenſu ad animi internam notionem tranſlatum verbum ea etiam ſignificat quæ vel prudenter ac ſapienter conſiderata, hominum mentibus præuidentur, vel ſingulari numinis virtute ac beneficio oſtendūtur. Quæ quoniam non vnius vel generis, vel formæ, vel modi eſſe contingit: non vno nomine, nec ab vno verbo profectis vocabulis ſacra declarat aut ſignificat lingua. Sed quædam ex his pro diſtinctione ac ratione rerum & actionum ſiue paſsionum, vel verbo RAAH enunciantur, vel nominibus ab eodem verbo deductis indicantur, ראה
qualia ſunt MAREAH & MAREOTH. In quibuſdam verò verbum HHAZAH מראה
vſurpatur, aut quæ ex hoc proficiſcuntur voces MAHHAZE, HHAZON, חזה
& HHAZION. מחזה

Eſt autem vt diuerſus verborum horum ſonus: ita etiam ſignificationis diſ- חזון
creta ratio. Namque in iis rebus vel actionibus quæ vel oculis palam ſpectantur חזיון
præſentiaq́; videnti obiiciuntur, vel ſi ab eodem loco abſunt: tamen vt ſunt vel fiunt cognoſcuntur, frequens verbi RAAH, atque huic coniugatorum nominum eſt vſus. Alterius verò vocis HHAZAH ſignificatio magis animi ac mentis contemplationem quam corporis indicat ſenſum: atque his adhibetur notionibus aut rebus quæ in poſterum prænoſcuntur ac prædicuntur. Eſt namque vox ad prouidentiam præcipuè vſurpata, cui Latinæ illæ concinnè reſpondere poſſunt, proſpicere, diſpicere, antecapere, & prouidere. eoq́; Iethron Moſi conſilium ferentem vſum accepimus. “Prouidè autem de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam.” Ex hac autem animi prouidētia & diſpicientia quæ mentis opera & attentione paratur, ad eorum quæ futura expectantur, prænotionem transfertur verbum, ſiue ea animo ipſi ſua ſponte contingat, ſiue quod frequentiſsimum eſt, numinis ac ſpiritus dono & beneficio præſtetur. Loca verò fere omnia quæ in ſacris lectionibus ex vtriuſque verbi & etymi diſtinctione explicari poſsint, huius capitis calci adſcribemus, magnum operæ pretium ad certum rerum ipſarum examen futura. Sed iam his ita definitis ac diductis qualis quámque multiplex viſionum obſeruetur materia diſſerendum eſt.

Videntur igitur res quæ corpore coloreq́; præditæ ſunt, & corporis ſenſibus obiiciuntur, verùm eiuſmodi ſpectaculum vel ex communi & conſueta rerum naturæ efficientia, vel ex ſingulari Dei exemplo editur. Ex hoc poſteriori genere

Gen.15,17. illud eſt: Cùm ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit cliba-
» nus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas. Ita factum eſt, vt
in modo magis quàm in re ipſa miraculum ſpectetur. Ad hoc etiam genus illa re-
Mat.14,26. ferri poſſunt. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare.
» Et videntes eum ambulantem ſuper mare, turbati ſunt dicentes: quia phantaſ-
» ma eſt. Et præ timore clamauerunt. Statimq́; Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete
Mat.27. fiduciam: Ego ſum, Nolite timere. &, Multa corpora ſanctorum qui dormie-
» rant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, vene-
Mat.28. runt in ſanctam ciuitatē, & apparuerunt multis. &, Ecce Ieſus occurrit illis, di-
» cens: Auete: Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerūt eum.

Sed & illud mirum eſt, eandem rem non vni tantùm, ſed etiam duobus viſam
& iam antea cognitam: non tamen agnoſci, quod ſingulari ſenſus impedimento
ad eandem rem diſſimulandam effecto tribui conuenit. Namque duo ex diſcipu-
lis in media luce, cùm iter in Emaunta caſtellum facerent: nec viæ ignari, nec
temporis, nec loci quo peruentum fuit: imprudentes tamen Ieſum comitati, &
vident, & audiunt, & rogant, & rogati reſpondent: nec verò antea agnoſcunt,
Lucæ 24. quàm ſeſe illis patefacere iuuet. Et factū eſt dum fabularentur, & ſecum quære-
» rent: & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur
Actor.12. ne eum agnoſcerent. Ita etiam Petrus & caligas ſibi indidit, & pallium impo-
» ſuit, & catenas ex brachiis decidentes ſenſit: atque lumine diuinitus colluſtran-
» te vidit, & è carcere egreſſus Angelum ducem ſecutus, portam ferream caſtro-
» rum vltrò pateſcentem ingreſſus, tamen admiratione affectus, rem non verè ge-
» ri, ſed interna viſione oſtēdi arbitrabatur, virtute nimirum diuina communem
» viri ſenſum ad eiuſmodi cogitationem diuertente: Donec proceſſerunt vicum
» vnum, & continuo diſceſſit Angelus ab eo, & Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc
» ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis,
» & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Rem verò ſupra commune & vſitatum naturæ propriæ exemplum in ſpecie
auctam atque amplificatam communi ſpectantium ſenſui conſpici, ita vt immu-
tatio non in ſenſum, ſed in rem ipſam cadat, ſæpius edocti ſumus. Quippe Moſi
ex colloquio & conſuetudine numinis facies in cornuum ignitorum ſiue radio-
rum imaginem coruſcans prænitebat: ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in
Lucæ 9. faciem illius. Et Ieſu in monte transfigurati facta eſt ſpecies vultus eius altera,
Act.6. & veſtitus eius albus & refulgens. &, Stephanum intuiti omnes qui ſedebant
» in concilio viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.

Prioris verò generis quo res natura conſtans certa eo quo obiicitur modo vi-
detur & cognoſcitur: quoniam nullum ſingulare miraculum adnotatur, præter
Deut.34. vnum aut alterum exemplum, cetera ſuperuacanea cenſemus. Aſcendit ergo Mo-
» ſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo, in verticem Phaſga contra Ieri-
» cho: oſtenditq́; ei Dominus omnem terram Galaad vſque Dan, & vniuerſum
» Nephthali, terramq́; Ephraim & Manaſſe, & omnem terram vſque ad mare
» nouiſſimum, & auſtralem partem, & latitudinem campi Iericho ciuitatis pal-
» marum vſque Segor. Dixitque Dominus ad eum, Hæc eſt terra pro qua iuraui
» Abraham, Iſaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis,
Ierem.18. & non tranſibis ad illam. &, Verbum quod factum eſt ad Ieremiam à Domino,
» dicens: Surge, & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et deſcendi
in do-

in domum figuli, & ecce, ipſe faciebat opus ſuper rotam. Et diſſipatum eſt vas “
quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis: conuerſuſq; fecit illud vas alterum, ſicut “
placuerat in oculis eius vt faceret. & illud, Factum eſt autem cùm exiſſent ſa- 1 Reg. 8.
cerdotes de ſanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant ſacer- “
dotes ſtare & miniſtrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini do- “
mum Domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit vt habitaret in nebula. Ac de “
prima viſionum materia in ſpeciem hæc nobis indicata ſufficiant.

Secundum genus illud obſeruauimus, quo res quæ natura ſua incorporea ac
pura eſt, mereq; ſpiritu definitur, corpoream aliquam ſpeciem diuina efficientia
imitatur, qua ſeſe humanis ſenſibus videndam audiendamq; præbeat, nec huma-
nis modò, ſed brutorum ac iumentorum etiam obiectet oculis. Huius generis illa
exempla ſunto. Cum inueniſſet eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in ſo- Gen. 16.
litudine quæ eſt in via Sur in deſerto, dixit ad illam: Agar, ancilla Sarai, vnde “
venis? & quo vadis? Quæ reſpondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Di- “
xitq; ei Angelus Domini, Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu “
illius. Et rurſum: Multiplicans, inquit, multiplicabo ſemen tuum, & non nu- “
merabitur præ multitudine. Ac deinceps: Ecce, ait, concepiſti, & paries filium, “
vocabiſq; nomen eius Iſmaël, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam. Hic “
erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: & è “
regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tentoria. Vocauit autem Agar no- “
men Domini qui loquebatur ad eam, Tu Deus qui vidiſti me: Dixit enim, Pro- “
fectò hic vidi poſteriora videntis me. &, Poſtquam verò nonaginta & nouem Gen. 17.
annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus, dixitq; ad eum: Ego Deus omnipo- “
tens: Ambula coram me, & eſto perfectus. Ponamq; fœdus meum inter me & te: “
& multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem, Dixitq; “
ei Deus: Ego ſum, & ponam pactum meum tecum. Eriſq; pater multarum gen- “
tium. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham: “
quia patrem multarum gentium conſtitui te. Faciamq; te creſcere vehementiſ- “
ſimè, & ponam te in gentibus, regéſque ex te egredientur. Et ſtatuam pactum “
meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere “
ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Daboq; tibi & ſemini tuo “
poſt te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Canaan in poſſeſſionem æter- “
nam, eroq; Deus eorum. Dixitq; iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo cuſtodies “
pactum meum, & genus tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc eſt pactum “
meum quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te. Circũcidetur ex “
vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſi- “
gnum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Om- “
ne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus quàm emptitius cir- “
cuncidetur, & qui cunque non fuerit de ſtirpe veſtra. Eritq; pactum meũ in car- “
ne veſtra in fœdus æternum. Maſculus cuius preputij caro circunciſa non fue- “
rit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit. Dixit “
quoque Deus ad Abraham, Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. “
Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus ſum. Eritq; in na- “
tiones, & reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem ſuam, & “
riſit in corde ſuo, dicens: Putáſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagena- “
ria pariet? Dixitq; ad Deum: Vtinam Hiſmaël viuat coram te. Et ait Deus ad “

» *Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisq́; nomen eius Iſaac, & con-*
» *ſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eum. Super*
» *Hiſmahel quoque exaudiui te. Ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum*
» *valde. Duodecim duces generabit, & faciam illum creſcere in gentem magnam.*
» *Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac, quem pariet tibi Sara tempore iſto in an-*
» *no altero. Cumq́; finitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ad Abraham.*
Gen. 18. *Et apparuit ei Dominus in conualle Mamre. & quæ tota illa hiſtoria viſa &*
» *audita factaq́; commemorantur, donec, Abiit Dominus poſtquam ceſſauit loqui*
Gen. 32. *ad Abraham, & ille reuerſus eſt ad locum ſuum. &, Iaacob autem abiit in iti-*
» *nere quod cœperat. fuerũtq́; ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidiſſet, ait: Caſtra*
Ibid. *Dei ſunt hæc. Et appellauit nomen loci illius Manaim, id eſt, Caſtra. Cum eodem*
» *etiam Iacobo vir luctabatur vſque manè. Qui cùm videret quòd eum ſuperare*
» *non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixitq́; ad eum, Di-*
» *mitte me, iam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixe-*
» *ris mihi. Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit, Iaacob. At ille, Nequaquam*
» *inquit, Iaacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi conta Deum for-*
» *tis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Interrogauit eum Iaacob:*
» *Dic mihi quo appellaris nomine? Reſpondit: Cur quæris nomen meum? Et bene-*
» *dixit ei in eodem loco. Vocauitq́; Iaacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi*
» *Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.*

Num. 22. *Et cernens aſina Angelum ſtantem in via euaginato gladio, auertit ſe de iti-*
» *nere, & ibat per agrum. Quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam*
» *reducere, ſtetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vineæ cinge-*
» *bantur. Quem videns aſina, iunxit ſe parieti, & attriuit ſedentis pedem. At ille*
» *iterum verberabat eam: & nihilominus Angelus ad locum anguſtum tranſiens,*
» *vbi neque ad dextram nec ad ſiniſtram poterat deuiari, obuius ſtetit. Cumq́; vi-*
» *diſſet aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis. Qui iratus, vehe-*
» *mentius cædebat fuſte latera eius. Aperuitq́; Dominus os aſinæ, & locuta eſt,*
» *Quid feci tibi? cur percutis me ecce iam tertiò? Reſpondit Balaam, Quia comme-*
» *ruiſti, & illuſiſti mihi: vtinam haberem gladium vt te percuterem. Dixit aſina,*
» *Nonne animal tuum ſum, cui ſemper inſidere conſueuiſti vſque in præſentem*
» *diem? Dic quid ſimile vmquam fecerim tibi? At ille ait, Numquam. Protinus*
» *aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via euaginato*
» *gladio, adorauitq́; eum pronus in terram. Cui Angelus, Cur, inquit, tertiò ver-*
» *beras aſinam tuam? Ego veni vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt via tua, mihi-*
» *que contraria. Et niſi aſina declinaſſet de via, dans locum reſiſtenti, te occidiſ-*
» *ſem, & illa viueret. Dixitq́; Balaam, Peccaui, neſciens quòd tu ſtares cõtra me:*
» *& nunc, ſi diſplicet tibi vt vadam, reuertar. Ait Angelus, Vade cum iſtis, &*
» *caue ne aliud quàm præcepero tibi loquaris. Iuit igitur cum principibus. &,*

Ioſue 5. *Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum*
» *ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, perrexitq́; ad eum, & ait: No-*
» *ſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit, Nequaquam, ſed ſum princeps exerci-*
» *tus Domini, & nunc venio. Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans ait,*
» *Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? Solue, inquit, calceamentum*
» *tuum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt. &,*

Iudic. 13. *Erat autem quidam vir de Saraa & de ſtirpe Dan nomine Manue, habẽs vxo-*

rem.

rem ſterilem. Cui apparuit Angelus Domini, &c. Paulo pòſt: Quæ cùm veniſſet "
ad maritum ſuum, dixit ei, Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, ter- "
ribilis nimis. Ac deinceps: Orauit itaque Manue Dominum, & ait: Obſecro "
Domine, vt vir Dei quem miſiſti, veniat iterum, & doceat nos quid debeamus "
facere de puero qui naſciturus eſt. Et exaudiuit Dominus deprecantem Manue, "
& apparuit rurſum Angelus Domini vxori eius ſedenti in agro. Manue autem "
maritus eius non erat cum ea. Quæ cùm vidiſſet Angelum, feſtinauit, & cu- "
currit ad virum ſuum, nunciauitq́; ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir quem an- "
tea videram. Qui ſurrexit, & ſecutus eſt vxorem ſuam: veniensq́; ad virum, "
dicit ei, Tu es qui locutus es mulieri? Et ille reſpondit: Ego ſum. "

Dauidi quoque regi Angelus diuinæ ſententiæ miniſter & ſatelles iuxta 2. Sam. 24.
aream Areuna Iebuſæi viſus eſt. Dixítque Dauid ad Dominum cùm vidiſſet "
Angelum cædentem populum, Ego ſum, &c. "

Eliam quoque in geniſtæ vmbra dormientem Angelus tetigit, & dixit illi, 1 Reg. 19.
Surge, comede. Reſpexit, Et ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. "
Comedit ergo & bibit, & rurſum obdormiuit. Reuerſusq́; eſt Angelus Domini "
ſecundo, & tetigit eum: dixitq́; illi, Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via. "

Et apud Danielem Balthaſari regi digiti conſpecti narrantur quaſi manus ho- Dan. 5.
minis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ, & rex adſpiciebat articulos manus ſcribentis. Atque huiuſmodi viſio mixta cenſenda eſt, quippe qua & ſpiritus ſub humanæ manus forma viſus, & notæ quod in pariete deinceps hæſere, naturalem & propriam imaginem & regi, & magis, & aulicis, multisq́; aliis ſpectatæ ſunt, eædemq́; tãtùm Danieli perlectæ ac declaratæ. Namque proloquens rex, ait ſapientibus Babylonis: Quicumque legerit ſcripturam hanc, & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem aureum habebit in collo, & tertius in regno meo erit. Et idem Daniel
Die, inquit, viceſima quarta menſis primi eram iuxta fluuium magnum, qui eſt Dan. 10.
Tigris, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes "
eius accincti auro obrizo, & corpus eius quaſi chryſolithus, & facies eius velut "
ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens: & brachia eius, & quæ deorſum "
ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis: & vox ſermonum eius vt vox "
multitudinis. Vidi autem ego Daniel ſolus viſionem. Porrò viri qui erant me- "
cum, non viderũt, ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſcõditum. "
Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc: & non remanſit in me "
fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quicquam "
virium. Et audiui vocem ſermonum eius: & audiens iacebam conſternatus ſu- "
per faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Idem etiam ait: Adhuc me Dan. 9.
loquente in oratione mea, Ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à princi- "
pio, cito volans, tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me, & locu- "
tus eſt mihi, dixitq́;: Daniel, nunc egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres. "

Noui verò Teſtamenti ætate Spiritus ſanctus Iohanni in columbæ ſpecie vi- Math. 11.
ſus, & vox cælitus facta, eidem audita eſt, naturaliq́; percepta aurium ſenſu.

Zachariæ quoque Angelus viſus, & Mariæ virgini idem nuncius miſſus Ga- Lucæ 1.
briel. Et paſtoribus qui in Bethlehemitico agro erant vigilantes, & cuſtodien-
tes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta il- Lucæ 2.
los, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis "

Ange-

„ *Angelus, Nolite timere: Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod*
„ *erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus,*
„ *in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum, Inuenietis infantem pannis inuolutum,*
„ *& poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis*
„ *laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax homi-*
„ *nibus bonæ voluntatis. Et factum eſt vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, pa-*
„ *ſtores loquebantur ad inuicem, Tranſeamus, &c.*

Lucæ 9. *Tribus etiam Ieſu Chriſti diſcipulis ac teſtibus, Petro, Ioanni, & Iacobo, duo*
„ *viri viſi ſunt in monte, & cum illo colloquentes auditi. Erant autem Moyſes*
„ *& Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius quem completurus erat in*
Lucæ 24. *Ieruſalem. Pluribus etiam mulieribus quæ Ieſu ſepulchrum inuiſerant, admi-*
„ *rantibus: Ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti. Cùm timerent au-*
„ *tem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuen-*
„ *tem cum mortuis? Non eſt hîc, ſed ſurrexit. Recordamini qualiter locutus eſt vo-*
„ *bis, cùm adhuc in Galilæa eſſet, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in*
„ *manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere. Et recordatæ*
„ *ſunt verborum eius. Et regreſſæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vn-*
„ *decim, & ceteris omnibus. Erat autem Maria Magdalenæ, & Iohanna, & Ma-*
„ *ria Iacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc.*

Matth. 28. *Et Mariæ Magdalenæ & eiuſdem nominis alteri Angelus Domini, viſus*
„ *reſpondensq́; dixit: Nolite timere vos, ſcio enim quod Ieſum qui crucifixus eſt*
„ *quæritis. Non eſt hîc, Surrexit enim ſicut dixit. Venite & videte locum vbi poſi-*
„ *tus erat Dominus. Idem verò Angelus cuſtodibus perterritis timorem ad animi*
Act. 9. *vſque deliquium effecerat, veſtimentorum videlicet præſtantiſſimo candore,*
Ibid. 26. *& terræ conſecuto illius aduentum tremore. Paulus quoque ſibi Chriſtum vi-*
„ *ſum auditumq́; coram Agrippa rege narrat, tantaq́; in luce conſpectum, vt om-*
„ *nes in terram decidiſſent. In medio verò mari, atque in magno tempeſtatum diſ-*
Act. 27. *crimine idem Apoſtolus ait: Adſtitit mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego,*
„ *& cui deſeruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæſari oportet te aſſiſtere. Et ecce dona-*
„ *uit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Moſi autem in Sina Angelum Do-*
Act. 10. *mini in flamma ignis viſum Diuus declarauit & confirmauit Stephanus. Cor-*
„ *nelius Romanus Centurio vidit in viſu manifeſtè, quaſi hora diei nona, Ange-*
„ *lum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli. At ille intuens eum, timore*
„ *correptus dixit: Quis es Domine? Dixit autem illi, Orationes tuæ & eleemoſynæ*
„ *tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen,*
„ *& accerſi Simonem quendam qui cognominatur Petrus. Hic hoſpitatur apud Si-*
„ *monem quendam coriarium, cuius eſt domus iuxta mare. hic dicet tibi quid te*
„ *oporteat facere. Et cùm diſceſſiſſet Angelus qui loquebatur illi, vocauit duos do-*
„ *meſticos ſuos, & militem metuentem Dominum ex his qui illi parebant. Quibus*
Act. 12. *cùm narraſſet omnia, miſit illos in Ioppen. Petro in carcere Angelum libera-*
„ *torem, quemadmodum videre contigerit, iam antea diſſerebamus, mixta enim*
„ *actio illa fuit.*

*In tertio autem viſionum genere ea omnia ponimus quæ non corporeis colo-*
*ribus aut imaginibus hominis videntis ſenſu ſpectantur, ſed interna animi con-*
*templatione cognoſcuntur: atque aliud quippiam vel ſignificant, vel portendūt,*
*& indicant, ſiue ea eodem ipſo tempore alias gerantur, ſiue ad præteritum refe-*
*renda*

*renda ſint tempus: vel, quod frequentius obſeruatur, in futurum expectanda. Quorum exitus vel finis & perfectio vel externis ac naturalibus rebus aut ſpiritualibus exemplis edendis demùm abſoluatur. Ita vt res ipſæ oſtēſæ intra animi cognitionem, diuina efficientia conſtent, & animi impulſus atque illuſtratio ad eandem auctoritatem referatur.*

*Atqui ſiue ea ſanctis viris per ſomnium, ſiue vigilantibus viſantur, cùm verè diuina ſint, pariter vera ac certa creduntur, atque vtroque modo ipſam contemplantis mentem efficaci impulſu ac doctrina afficiunt. Huius verò rationis eæ, quas ſubiungemus, formæ fuerunt.*

*Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula quod vis vt dem tibi. Et ait Salomon: Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulauit in conſpectu tuo in veritate & iuſtitia, & recto corde tecum. Cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grādem, & dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum eius, ſicut eſt hodie. Et nunc Domine Deus tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo. Ego autem ſum puer paruulus, & ignorans ingreſſum & introitum meum. Et ſeruus tuus in medio eſt populi quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum. Quis enim poteſt iudicare populum iſtum, populū tuum hunc multum? Placuit ergo ſermo coram Domino, quòd Salomon poſtulaſſet huiuſcemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni, Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendū iudicium: Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti, dedi tibi, diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in regibus cunctis retrò diebus. Si autem ambulaueris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quòd eſſet ſomnium.* 1 Reg. 3.

*Factum eſt autem cùm perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & ædificium regis, & omne quod optauerat & voluerat facere, apparuit ei Dominus ſecundò, ſicut apparuerat ei in Gabaon. Dixitq́ Dominus ad eum, Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam quam deprecatus es coram me: Sanctificaui domum hanc quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum. & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* 1 Reg. 9.

*Et Micheas: Vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus quaſi oues non habentes paſtorem. Et ait Dominus: Non habent iſti Dominum, Reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam in pace. & paulò pòſt: Vidi, inquit, Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſraël, vt aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & præualebis. Egredere, & fac ita.* 1 Reg. 22. 2 Paral. 18.

*Cúmque oraſſet Eliſæus, ait: Domine aperi oculos pueri huius vt videat. Et* 2. Reg. 6.

*aperuit Dominus oculos pueri, & vidit. Et ecce, mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.*

4.Reg.8. *Dixitq́, Eliſæus: Vade, dic ei, Sanaberis, porrò oſtendit mihi Dominus quia morte morietur. Stetitq́, cum eo, & cõturbatus eſt vſque ad ſuffuſionem vultus. Fleuitq́, vir Dei. Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia ſcio quæ facturus ſis filiis Iſraël mala. Ciuitates eorũ munitas igne ſuccendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorũ elides, & prægnãtes diuides.*

Iſaiæ 2. *Verbum quod vidit Iſaias filius Amos ſuper Iudam & Ieruſalem. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prœlium.*

Iſaiæ 6. *In anno quo mortuus eſt rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus ſanctus ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta eſt fumo. Et dixi, Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari: & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuũ mundabitur. Et audiui vocem Domini dicentis, Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixit, Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere.*

2 Par.20. *Erat autem Iahhaziel filius Zachariæ, filij Banaiæ, filij Iehiel, filij Mathaniæ, Leuites de filiis Haſaph, ſuper quem factus eſt ſpiritus Domini in medio turbæ, & ait: Attendite omnis Iuda, & qui habitatis in Ieruſalem, & tu rex Ioſaphat: Hæc dicit Dominus vobis, Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: Non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Cras deſcendetis contra eos: aſcenſuri enim ſunt per cliuum nomine Sis, & inuenietis illos in ſummitate torrentis, qui eſt contra ſolitudinem Ieruel.*

Ierem.1. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides Ieremia? Et dixi, Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me, Bene vidiſti: quia vigilabo ego ſuper verbo meo vt faciam illud. Et factum eſt verbum Domini ad me ſecundo, dicens: Quid tu vides? Et dixi, Ollam ſuccenſam ego video, & facies eius à facie Aquilonis. Et dixit Dominus ad me, Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ, quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorũ Aquilonis, ait Dominus: & venient, & ponet vnuſquiſque ſoliũ ſuum in introitu portarũ Ieruſalem, & ſuper omnes muros eius in circuitu, & ſuper vniuerſas vrbes Iuda. Et loquar iudicia mea cum eis ſuper omnẽ malitiã eorum qui dereliquerũt me, & libauerũt diis alienis, & adorauerũt opus manuum ſuarum.*

*Oſten-*

*Oſtendit mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, poſiti ante templum* Ierem. 24.
*Domini, poſtquam tranſtulit Nabuchodonoſor rex Babylonis Iechoniam filium* "
*Ioachim regem Iuda, & principes eius, & fabrum, & incluſorem de Ieruſalem,* "
*& adduxit eos in Babylonem. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis: vt ſo-* "
*lent ficus eſſe primi temporis. Et calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ* "
*comedi non poterant, eò quòd eſſent malæ. Et dixit Dominus ad me, Quid tu vi-* "
*des Ieremia? Et dixi, Ficus, ficus bonas, bonas valde: & malas, malas valde, quæ* "
*comedi non poſſunt, eo quòd ſint malæ. Et factum eſt verbum Domini ad me, di-* "
*cens: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, ſicut ficus hæ bonæ, ſic cognoſcam tranſmi-* "
*grationem Iuda, quam emiſi de loco iſto in terram Chaldæorum, in bonum, & po-* "
*nam oculos meos ſuper eos ad placandum: & reducam eos in terram hanc, & ædi-* "
*ficabo eos, & non deſtruam: & plantabo eos, & non euellam.* "

*Quid igitur? Vidi ipſos pauidos & terga vertentes, fortes eorum cæſos: fuge-* Ierem. 46.
*runt conciti, nec reſpexerunt. Terror vndique, ait Dominus: Non fugiet velox,* "
*nec ſaluari ſe putet fortis. Ad Aquilonem iuxta flumen Euphratem victi ſunt,* "
*& ruerunt. Quis eſt iſte qui quaſi flumen aſcendit, & veluti fluuiorum intume-* "
*ſcunt gurgites eius? Aegyptus fluminis inſtar aſcendit, & velut flumina moue-* "
*buntur fluctus eius, & dicet: Aſcendens operiam terram, perdam ciuitatem,* "
*& habitatores eius.*

*Primum, ſecundum, ac tertium Ezechielis vaticiniꝫ capita abſtruſarum vi-* Ezech. 1, 2, & 3.
*ſionum narratione ferè conſumuntur. Cuius duplicem ſignificationem admira-*
*mur, alteram edendarum in publicum, alteram verò occultarum, ac ſpiritu præ-*
*ditis cognoſcendarum rerum.*

*Et cecidit ſuper me manus Domini Dei, & vidi: Et ecce ſimilitudo quaſi aſpe-* Ezech. 8.
*ctus ignis: ab aſpectu lumborum eius & deorſum, ignis: & à lumbis eius, & ſur-* "
*ſum, quaſi aſpectus ſplendoris, vt viſio electri. Et emiſſa ſimilitudo manus ap-* "
*prehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me Spiritus inter cælum &* "
*terram, & adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei, iuxta oſtium interius quod* "
*reſpiciebat ad Aquilonem, vbi erat ſtatutum idolum zeli ad prouocandum æmu-* "
*lationem. Et ecce ibi gloria Dei Iſraël, ſecundùm viſionem quam videram in* "
*campo. Et dixit ad me, Fili hominis leua oculos tuos ad viam Aquilonis. Et* "
*leuaui oculos meos ad viam Aquilonis: & ecce ab Aquilone portæ altaris ido-* "
*lum zeli in ipſo introitu. Et dixit ad me: Fili hominis, putáſne videas tu quid* "
*iſti faciunt, abominationes magnas quas domus Iſrael facit hic, vt procul rece-* "
*dam à ſanctuario meo? & adhuc conuerſus videbis abominationes maiores. Et* "
*introduxit me ad oſtium atriꝫ, & vidi: & ecce foramen vnum in pariete. Et di-* "
*xit ad me: Fili hominis fode parietem. Et cùm perfodiſſem parietem, apparuit* "
*oſtium vnum. Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes peſſimas quas* "
*iſti faciunt hîc. Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium & anima-* "
*lium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in cir-* "
*cuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Iezonias fi-* "
*lius Saphan ſtabat in medio eorum, ſtantium ante picturas: & vnuſquiſque ha-* "
*bebat thuribulum in manu ſua: & vapor nebulæ de thure conſurgebat. Et dixit* "
*ad me, Certè vides fili hominis quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris,* "
*vnuſquiſque in abſcondito cubilis ſui. Dicunt enim, Non videt Dominus nos,* "
*Dereliquit Dominus terram. Et dixit ad me, Adhuc conuerſus videbis abomi-* "

» natiores maiores quas iſti faciunt. Et introduxit me per oſtium portæ domus
» Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres ſedebant plan-
» gentes Adonidem. Et dixit ad me, Certè vidiſti fili hominis, Adhuc conuerſus
» videbis abominationes maiores his. Et introduxit me in atrium domus Domini
» interius: & ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum & altare quaſi vigin-
» tiquinque viri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem:
» & adorabant ad ortum Solis. Et dixit ad me, Certè vidiſti, fili hominis: Nũquid
» leue eſt hoc domui Iuda, vt facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hîc, quia
» replentes terram iniquitate, conuerſi ſunt ad irritandum me? Et ecce applicant
» ramum ad nares ſuas. Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec
» miſerebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.

Ezech. 9, 10, & 11. Nonum quoque, decimum & vndecimum Ezechielis caput huiuſmodi ſpectris plena ſunt.

Ezech. 37. Et facta eſt ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu Domini: & di-
» miſit me in medio campi qui erat plenus oſsibus, & circumduxit me per ea in gy-
» ro. Erant autem multa valdè ſuper faciem campi, ſiccaq; vehementer. Et dixit
» ad me, Fili hominis putáſne viuent oſſa iſta? Et dixi, Domine Deus tu noſti. Et
» dixit ad me, Vaticinare de oſsibus iſtis, & dices eis, Oſſa arida audite verbum
» Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſsibus his, Ecce ego intromittam in vos ſpi-
» ritum, & viuetis. & dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos car-
» nes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & viuetis: &
» ſcietis quia ego Dominus.

Ezech. 40, 41, 42, 43. In viceſimo anno tranſmigrationis admirandam noui templi ſtructuram ſibi oſtenſam, atque certis ſignificationibus indicatam ait idem Vates. Idq; viſum totis ferè quatuor capitibus narrat, nonnullis verò conſecutis, quantum fas tunc fuerat, enarrat.

Amos 7. Hæc oſtendit mihi Dominus Deus, & ecce fictor locuſtæ in principio germi-
» nantium ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſionem gregis. Et factum eſt,
» cùm conſummaſſet comedere herbam terræ, & dixi, Domine Deus propitius eſto
» obſecro: Quis ſuſcitabit Iacob quia paruulus eſt? Miſertus eſt autem Dominus
» ſuper hoc: Non erit, dicit Dominus. Hæc oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce
» vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus, & deuorauit abyſſum multam, &
» comedit ſimul partem. Et dixi, Domine Deus quieſce obſecro. Quis ſuſcitabit Ia-
» cob quia paruulus eſt? Miſertus eſt Dominus ſuper hoc: Sed & iſtud non erit, di-
» cit Dominus Deus. Hæc oſtendit mihi Dominus: Et ecce Dominus ſtans ſuper
» murum litum, & in manu eius trulla cementarij. Et dixit Dominus ad me, Quid
» tu vides Amos? Et dixi, Trullam cæmentarij. Et dixit Dominus: Ecce ego po-
» nam trullam in medio populi mei Iſraël: nõ adiiciam vltra ſuperinducere eum.
» & demolientur excelſa idoli, & ſanctificationes Iſrael deſolabuntur.

Amos 8. Hæc oſtendit mihi Dominus Deus: Et ecce vncinus pomorum. Et dixit, Quid
» tu vides Amos? Et dixi, Vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me, Venit
» finis ſuper populum meum Iſrael: non adiiciam vltrà vt pertranſeam eum. Et
» ſtridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus. Multi morientur
» in omni loco, proiicietur ſilentium.

Abd. 1. Viſio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom, Auditum audiuimus à
» Domino, & legatũ ad gẽtes miſit: Surgite, & cõſurgamus aduerſus eũ in præliũ.

Onus

*Onus Niniue. Liber viſionis Nahum Elceſæi. Deus æmulator, & vlciſcens* Nahum 1.
*Dominus, vlciſcens Dominus & habens furorem, vlciſcens Dominus in hoſtes*
*ſuos,& iraſcens ipſe inimicis ſuis. Dominus patiens, & magnus fortitudine,&*
*mundans non faciet innocentem. Dominus in tempeſtate & turbine viæ eius,&*
*nebulæ puluis pedum eius. Increpans mare,& exſiccans illud: & omnia flumina*
*ad deſertum deducens. Infirmatus eſt Baſan, & Carmelus, & flos Libani elan-*
*guit. Montes commoti ſunt ab eo,& colles deſolati ſunt. & contremuit terra à*
*facie eius,& orbis,& omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis eius*
*quis ſtabit? & quis reſiſtet in ira furoris eius? Indignatio eius effuſa eſt vt ignis,*
*& petræ diſſolutæ ſunt ab eo. Tunc Danieli myſterium per viſionem nocte reue-* Dan. 2.
*latum eſt. Et benedixit Daniel Deum cæli,& locutus, ait: Sit nomen Dei bene-*
*dictum à ſeculo & vſque in ſeculum: quia ſapientia & fortitudo eius ſunt: &*
*ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit: dat ſapientiam*
*ſapientibus,& ſcientiam intelligentibus diſciplinam. Ipſe reuelat profunda &*
*abſcondita,& nouit in tenebris conſtituta,& lux cum eo eſt.*

*Anno tertio regni Balſaſar,&c. Totum caput viſorum narratione conſtat.* Dan. 8.

*Expectati Chriſti promiſsio arcano viſu & alloquio Danieli repetita eſt. Ad-* Ibid. 9.
*huc me loquente in oratione, Ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à prin-*
*cipio citò volans, tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me,& lo-*
*cutus eſt mihi, dixitq́; Daniel: Nunc egreſſus ſum vt docerem te,& intelligeres.*
*Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo tuus: ego autem veni vt indica-*
*rem tibi, quia vir deſideriorum es. Tu ergo animaduerte ſermonem, & intelli-*
*ge viſionem.*

*Eliphaz quoque Themanites iudicij diuini rationem nocturno viſo ſe fuiſſe* Iob 4.
*edoctum ait: Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum,& quaſi furtiuè: ſuſ-*
*cepit auris mea venas ſuſurri eius. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet*
*ſopor occupare homines, pauor tenuit me & tremor: & omnia oſſa mea perterrita*
*ſunt. Et cùm ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit*
*quidam, cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem*
*quaſi auræ lenis audiui.*

*Sublimius verò aliquid viſiones, reuelationes, ac raptus, & magis ad ſuam* 2. Cor. 12.
*ipſius informationem pertinentes cenſeri poſſunt, quæ Paulus ſibi contigiſſe nar-*
*rat. Veniam autem ad viſiones & reuelationes Domini, Scio hominem in Chri-*
*ſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit,*
*raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem ſiue*
*in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit, Quoniam raptus eſt in paradi-*
*ſum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.*

*Atq; illud etiam maximi plenũ myſterij eſt, quod idem Apoſtolus gratulabun-* Galat. 1.
*dus confitetur: Cùm autem placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, &*
*vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me. Id autem effectum*
*intelligimus ſpiritu ſapientiæ & reuelationis in agnitione eius, illuminatos ocu-* Epheſ. 1.
*los cordis veſtri, vt ſciatis quid ſit ſpes vocationis eius: & quæ diuitiæ gloriæ hæ-*
*reditatis eius in ſanctis. Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos*
*qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis eius.*

*Ioſepho de dimittenda Maria ſponſa ſibi cogitanti, Ecce Angelus Domini* Mat. 1.
*apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Ioſeph fili Dauid, Noli timere accipere Ma-*

» *riam coniugem tuam. Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet*
» *autem Filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum*
Mat. 2. *ſuum à peccatis eorum. Eidem iterum de traducendo in Aegyptum, atq; rurſus*
*de reducendo puero in Iudæam per quietem angelico mãdato imperatũ legimus.*

Act. 9. *Ananiæ in viſu Dominus dixit: Anania, Et ille ait, Ecce ego Domine. &*
» *Dominus ad eum, Surge, & vade in vicum qui vocatur Rectus: & quære in do-*
» *mo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem, ecce enim orat. (Et vidit virum Ananiam*
» *nomine introeuntem, & imponentem ſibi manus vt viſum recipiat.) Reſpondit*
» *autem Ananias, Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſan-*
» *ctis tuis in Ieruſalem: & hic habet poteſtatem à principibus ſacerdotum alligãdi*
» *omnes qui inuocant nomen tuũ. Dixit autem ad eum Dominus, Vade, quoniam*
» *vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, &*
» *filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Actor. 10. *Symbolica verò ac myſteriis illuſtris Petro obiecta eſt tela, ſuper quem cecidit*
» *mentis exceſſus. Et vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam velut lin-*
» *teum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia*
» *quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum, Sur-*
» *ge Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus, Abſit Domine, quia numquam*
» *manducaui omne commune aut immundum. Et vox iterum ſecundò ad eum,*
» *Quod Deus purificauit tu commune ne dixeris. Hoc autem factum eſt per ter.*
» *& ſtatim receptum eſt vas in cælum.*

Act. 16. *Viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat, ſtans & depre-*
» *cans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos.*

Act. 18. *Dixit autem Dominus per viſionem Paulo: Noli timere, ſed loquere, & ne*
» *taceas, propter quod ego ſum tecum, & nemo apponetur tibi, vt noceat te: quo-*
» *niam populus eſt mihi multus in hac ciuitate.*

Act. 22. *Idem verò Paulus de muneris ſibi iniuncti ratione verba faciens: Factum*
» *eſt, inquit, reuertenti mihi in Ieruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore*
» *mentis, & videre illum dicentem mihi: Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem,*
» *quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.*

*Tota verò libri Apocalypſis à Iohanne Euangeliſta conſcripti ratio & ſum-*
*ma omnis non modò viſione definiendam, ſed arcanorum verborum atque argu-*
*mentorum ponderibus expendendam adorare magis mortalibus, quàm pro pri-*
*uato ſenſu exponere conuenit. Quippe quam ad teſtimonium Ieſu Chriſti perti-*
Apoc. 1. *nere, idem qui dictauerat ſpiritus, indicauit. Apocalypſis Ieſu Chriſti quam de-*
» *dit illi Deus palàm facere ſeruis ſuis quæ oportet fieri citò. Et ſignificauit mit-*
» *tens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Iohanni, qui teſtimoniũ perhibuit verbo Dei,*
» *&* TESTIMONIVM IESV CHRISTI *quæcunque vidit.*

*Huiuſmodi verò viſiones varios in iis quibus obiectæ ſunt affectus conſecu-*
*tos obſeruauimus: nam Danielem à viſione in morbum incidiſſe, atque diutius*
Dan. 8. *de interpretatione laboraſſe legimus. Et ego Daniel langui & ægrotaui per dies:*
» *Cumq; ſurrexiſſem, faciebam opera regis, & ſtupebam ad viſionem, & non erat*
Act. 9. *qui interpretaretur. Et Paulus ad Hananiæ vſque acceſſum viſu priuatus man-*
Iſaiæ 6. *ſit. Ioſephum verò & alios multo robuſtiores poſt viſa euaſiſſe nouimus. Vt Ie-*
» *ſaiam, qui cùm dixiſſet: Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, &*
» *in medio populi polluta labia habentis ego habito: & regẽ Dominum exercituum*
*vidi*

*vidi oculis meis. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, "
quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc la- "
bia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Et audiui "
vocem Domini, dicentis: Quem mittam? aut quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, "
mitte me. &, Nolite timere vos, ſcio enim quod Ieſum qui crucifixus eſt, quæri- Matth. 28.
tis. Non eſt hîc, Surrexit enim ſicut dixit. Venite & videte locũ vbi poſitus erat "
Dominus. Et citò euntes, dicite diſcipulis eius: quia ſurrexit, & ecce præcedet "
vos in Galilæam, ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis. &, Ne timeas Zacha- Lucæ 1.
ria, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi fi- "
lium, & vocabis nomen eius Iohannem. Namque taciturnitatis infirmitas non "
ex viſionis efficientia, ſed in hæſitationis pœnam ad tempus illi viro accidit. "
Pro eo, inquit Angelus, quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in "
tempore ſuo. &, Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Ecce Ibid.
concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit ma- "
gnus, & filius Altiſsimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid "
patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. "
Et Galilææ mulieres viſis Angelis, cùm timerent, & declinarent vultum in ter- Lucæ 24.
ram, dixerunt ad illas [Angeli] Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non eſt "
hîc, ſed ſurrexit. Recordamini qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa "
eſſet, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccato- "
rum, & crucifigi, & tertia die reſurgere. Et recordatæ ſunt verborum eius. Et "
regreſſæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & ceteris "
omnibus.*

*Quis verò, qualis, & quantus viſionum præcipuus finis: quæ, inquam, cauſa maxima fuerit, à diuino Spiritu per Pſaltem declarata fuit. Atque ad huiuſmodi cauſam omnis in hac re ratio, animíque cogitatio appellenda eſt iis qui non in ipſis myſteriorum foribus hærere ſtudeant.*

*Beatus populus qui ſcit iubilationem: Domine in lumine vultus tui ambula- Pſal. 88.
bunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur. "
Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu "
noſtrum. Quia Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael regis noſtri. Tunc "
locutus es in viſione ſanctis tuis, & dixiſti, Poſui adiutorium in potente, & ex- "
altaui electum de plebe mea. Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi "
eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confirmabit eum. "
Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et "
concidam à facie ipſius inimicos eius: & odientes eum in fugam conuertam. Et "
veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo: & in nomine meo exaltabitur cornu "
eius: Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Ipſe inuo- "
cabit me, Pater meus es tu: Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primoge- "
nitum ponam illum: excelſum præ regibus terræ. In æternum ſeruabo illi miſeri- "
cordiam meam: & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſeculum ſeculi "
ſemen eius: & thronum eius ſicut dies cæli. "*

*Exiſtere autem poſſunt rerum occaſiones atque importunitates temporũ, cùm vel hominum ſimulatione & fraude ac dolo, vel hoſtis publici opera & inſtinctu vel excogitentur ambitioſè, vel inſania quapiam proprij ſceleris ementita viſionum offerantur ſpectra. Quorum exempla olim non defuiſſe ex illa Eze-*

chielis

Ezech 12. chielis prædictione in promptu eſt arguere. Non erit vltrà omnis viſio caſſa,
„ neque diuinatio ambigua in medio filiorum Iſrael: quia ego Dominus loquar,
„ & quodcunque locutus fuero verbum, & fiet. Non prolongabitur amplius, ſed
„ in diebus veſtris, domus exaſperans, loquar verbum, & faciam illud, dicit Dominus Deus.

## VERBORVM EXAMEN.

DVO frequentiſsima exemplaria verba à diuini ſpiritus miniſtris in viſionum ratione vſurpantur voce varia, atque ſignificandi modo nonnihil diſtantia. Alterum eſt RAAH, quod externo corporis ſenſui plerumque conuenit: indeq́; ad animum perſæpe transfertur. Eius verò vſus præcipuus eſt, cùm vel res ipſæ ſpectantur præſentes, vel abſentes diuinæ virtutis efficientia non ſecus cognoſcuntur: atque ſi coram vel adſtarent, vel agerentur. Ab huius vocis etymo familiariſsimum Græcis verbum ὁράειν, ſiue ὁρᾷν emanaſſe arbitramur. Itaque naturalem magis ac ſenſui propriorem, ſiue ſimiliorem ſignificationem huic voci tribuimus: non verbo ipſi tantùm, ſed ab eodem nominibus deriuatis. Cuius exempla, quæ modò ſuccurrunt, huic adſcribemus capiti, locis tantùm indicatis, & ſtudioſorum conſultationi relictis. ראה

Geneſ.cap.8,ver.8.& 13. 22,23. 22,7. 12,81. 17,1. 18,1.& 20. 19.1. 22,8.& 13. 26,10.& 24. 32,31. 35,9. 40,16. 41,22. 44,28. 46,2. 48,3.

Exodi c.1,2.& 16. 16,7.8. 20,18. 27,8. 33,18.20.& 23.

Leuit. c.9,4.& 7. 13,14.& 22. 16,19. 17,7. 20,6. 21,1.9.22.23.& 31. 23,3. 24,18.

Deuteronom.c.4,9. 12,15, 18,16. 31,9. 34,1. Ioſue c.5,13.

MAREAH, quod viſionem vel inſpectionem Latinè, Græcè ὅραμα dicimus. Exod.c.24,17. 25,39. Num.8,4. 12,6.& 8. 14,22. 16,1.

## HHAZAH. חזה

### SECTIO SECVNDA.

ALTERVM autem verbum ad animi proſpicientiam, prouidentiam, & antecapedinem plerumque refertur, ſiue id ad res quæ eodem tempore ſunt, aut fiunt: ſiue ad eas referatur quæ longè pòſt futuræ dicuntur. Cuiuſmodi Iſaiæ & aliorum Vatum viſiones & proſpectiones fuere. Familiariſsimum ſignificationis verbi huius exemplum fuerit illud: Prouide autem de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam: (Exodi 18, 21.)
„ & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos,
„ qui iudicent populum omni tempore.

Huius verò verbi vſus in illis obſeruatur, Geneſ.15, 1. Exodi 18,21. 24, 11. Num.2,4. 24,17. 1 Reg.7,4. 2 Reg.17,13. 1 Paral.7,15. Iob 13,11. 15,16,& 26. 34,32. 36,25. Pſal. 11,4.& 7. 16,2. 17,15. 46,9. 58,11. 63,3. Iſaiæ 23,11. 20,10. 33,7. 34,7.& 13. 48,6. 57,8. Ezech.13,6.& 7. Amos 1,1. 7,12. Mich.1,1. 3,7. 4,11. Habac.1,1.& 2. Zach.10,2.13.4.

חוזה Ab hoc verbo fit HHOZEH, pro quo Latini VIDENTEM reddunt: conſulentem, & proſpectorem atque monitorem non incongruè dicere poſſumus. Cuiuſmodi munere & nomine Gadum Vatem Dauidis in regno functum legimus.

2 Para-

2 Paralipom. 9,29. 12,15. 19,2. 29,25. & 30. 25,5. 29,21. 32,32. 33,8. 35,15. Neem. 3,15. 11,1. Iſaiæ 28,15.

HHAZON *ex eodem fonte deriuatum nomen, viſionem, ſiue proſpectionem ſignificat.* Pſal. 89,20. Prouerb. 29,19. Iſaiæ 1,1. 29,7. Ezech. 7,26. Daniel. 8, 1.2.13.15.16. & 26. 9,22. & 25. 10,14. 11,14. Hoſeæ 12,10. Abd. 1,1. Nahum 1,1. Habac. 2,2. חזון

*Parum diuerſa vos eadem ſignificatione* HHAZION. Iob 2,3. 4,13. 7,14. 20,8. Ezech. 13,7. Iſa. 22,1. Ierem. 14,12. 23,16. Thren. 2,14. Ioel 3,1. חזיון

MAHHAZON viſum *quoque dici Latinè poteſt, & viſio, ſiue proſpectio.* Micheæ 3,6. מחזון

HHAZVTH, *ſiue* HHIZVTH *(nam vtroque modo pronunciari poteſt) idem ferè ſignificat nomen hoc.* Iſa. 21,2. 29,1. Dan. 8. חזות

*Eſt autem quæ his verbis indicatur viſio longè à ſomnio, cui ſacrum nomen* HHALON *eſt, diſtincta. De quo ſomnio ſuo quoque diſſerendum fuerit loco.*

## DE ADLOCVTIONE.

### SECTIO TERTIA.

SACRA *oracula attentè legentem vnicuique ſiue actionũ, ſiue rerum, ſuam propriam rationem obſeruationemq́ adhibere oportet: ne ſignificationũ momenta confuſa ac perplexa impediantur. Atque in hoc de quo agimus genere animaduertendum fuerit, non eandem rem eſſe viſionem, & allocutionem. Nam licet vtræque ſimul aliquando conueniant, non tamen pariter fiunt. Quippe vt fulgura tonitruis anteeunt: ita allocutioni viſio plerumque præfertur. Vt apud Amoſum: Hæc oſtendit mihi Dominus Deus, Et ecce fictor locuſtæ, &c. & paulo pòſt: Miſertus eſt Dominus ſuper hoc, Non erit, dicit Dominus. Et dixit Dominus ad me, Quid tu vides Ieremia? Viderat ille antequam rogaretur.* Amos 6. 15 Ierem.

*Aliquando autem euenit, vt nulla præuiſa re vox, aut quippiam voci ſimile audiatur. Cuiuſmodi exemplum non viſi aut ſpectri, vel viſionis: verùm audiendi, ſiue auditionis auditúſve ſignificatur vocibus. quale illud primum Samueli puero contigiſſe legimus: Samuel autem dormiebat in templo Domini vbi erat arca Dei. Et vocauit Dominus Samuel, Qui reſpondens ait, Ecce ego. & cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego, Vocaſti enim me. Qui dixit, Non vocaui te fili. Reuertere & dormi. Et abiit, & dormiuit. Et adiecit Dominus rurſum vocare Samuel. Conſurgensq́ Samuel abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocaſti me. Qui dixit, Non vocaui te fili mi. Reuertere & dormi. Porrò Samuel necdum ſciebat Dominum, nec reuelatus fuerat ei ſermo Domini. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuel tertiò. Qui conſurgens abiit ad Heli, & ait: Ecce ego, quia vocaſti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem, Vade, & dormi, & ſi deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco ſuo. Et venit Dominus, & ſtetit: & vocauit ſicut vocauerat ſecundò, Samuel, Samuel. Et ait Samuel, Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Et dixit Dominus ad Samuelem, Ecce ego facio verbum in Iſrael, quòd quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum eius: Incipiam, & complebo. Prædixi enim ei quòd iudicaturus eſſem domum eius* 1. Sam. 3.

» *in æternum propter iniquitatem: eò quòd nouerat indignè agere filios ſuos, &*
» *non corripuit eos. Iccirco iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus*
» *eius in victimis & muneribus vſque in æternum. Dormiuit autem Samuel vſq;*
» *manè, aperuitq; oſtia domus Domini. Quo loco nihil viſum hiſtoria narrat, ſed*
*alloquio, rogatione, & reſponſo actionem abſolutam indicat: quæ tamen ad ex-*
*tremum in viſionem ſiue apparitionẽ deuenit. Namq; poſtremò ſomnũ repetente*
*puero, venit Dominus & ſtetit, & vocauit ſicut vocauerat ſecundò. Atq; ita po-*
*ſtrema hæc actio, viſio dicta eſt: Et Samuel timebat indicare viſionem Heli.*

Ierem.4,19, & 31. *Vocem autem abſque viſu ſibi intra animum auditam ait Ieremias: Non ta-*
*cebo: quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prœlij. & paulò*
» *inferiùs: Vocem enim quaſi parturientis audiui, anguſtias, vt puerperæ. Eſt*
*itaque huiuſmodi auditio interna velut affinis viſioni illi, quam* HHAZON
*appellari adnotabamus.*

Abd. 1. *Huius etiam formæ fuit viſio Abdiæ, Hæc dicit Dominus Deus ad Edom:*
» *Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes miſit: Surgite, & con-*
» *ſurgamus aduerſus eum in prælium. Atque ad hoc genus voces omnes à Ioan-*
Apoc.1,10. &c. *ne in Apocalypſi commemoratæ referuntur.*

*Ad locutionem verò palàm factã, totis geminis capitibus apud Iobum legimus:*
Iob 40, 41, & 42. *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine, dixit, &c. atq; rurſum ab eodem re-*
*petitã. Et dixit ad Eliphaz Themaniten, &c. Verùm à primi templi vaſtatione*
*ad vſque noui Teſtamenti ſecula vocis vſum frequentiorem fuiſſe obſeruauimus*
*abſque vllo ſpectaculo aut ſpectro eius qui loqueretur. Quod reſponſi genus in*
*ſacro ſermone* Vox de cælo, *ſiue* cælitus miſſa *dicitur. Cuius illa adnotabamus*
Dan.4,28. *exempla: Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cælo ruit, Tibi dicitur Na-*
» *buchodonoſor rex. Regnũ tranſibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cũ beſtiis*
» *& feris erit habitatio tua. Fœnũ quaſi bos comedes, & ſeptẽ tempora mutabun-*
» *tur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur Excelſus in regno hominũ, & cuicunq;*
Mat. 3. *voluerit, det illud. Baptizatus autem Ieſus, confeſtim aſcendit de aqua. & ecce*
» *aperti ſunt ei cæli, & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & ve-*
» *nientem ſuper ſe. Et ecce vox de cælis, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus in quo*
Lucæ 9. *mihi complacui. Et vox de nube facta eſt, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus,*
» *ipſum audite. Et dum fieret vox, inuentus eſt Ieſus ſolus. Et hanc vocem (Petrus*
2 Pet.1. *ait) audiuimus de cælo allatam cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto. &, Venit*
Ioan.12. *ergo vox de cælo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba autem quæ*
» *ſtabat & audierat, dicebat: tonitruũ eſſe factum. Alij autem dicebant, Angelus ei*
» *locutus eſt. Reſpondit Ieſus, & dixit, Non propter me hæc vox venit, ſed propter*
Act.9. *vos. Paulus cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid*
» *me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? & ille, Ego ſum Ieſus quem tu per-*
» *ſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit:*
» *Domine quid me vis facere? Et Dominus ad eum. Surge, & ingredere ciuitatem,*
» *& ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autẽ illi qui comitabantur cũ illo,*
» *ſtabant ſtupefacti, audientes quidẽ vocem, neminẽ autẽ videntes. & ad Petrum*
Actor.10. *facta eſt vox: Surge Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus, Abſit Domi-*
» *ne, quia numquam manducaui omne commune & immundum. Et vox iterum*
» *ſecundò ad eum, Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Hoc autem fa-*
» *ctum eſt per ter.*

# DE SOMNIO.

## SECTIO QVARTA.

PROXIMVM *vaticinij diſputationi ſomniorum natura & ratio locum ad diſſerendum arrogat. quippe & in hoc genere diuinationes quoque reperiri creduntur. S. S. E. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Num. 12.

*Eſt autem ſomnium rei cuiuſpiam vel actionis viſum communi ſenſui hominis per quietem obiectum veris rebus interdum ſimile, interdum diſſimile: nonnumquam verò præſtans.* Somnium quid.

*Somniorum autem duplex genus eſt, vtrumque verò & re & auctoritate valde ab altero diſtinctum. Vnum enim genus ſecundùm naturam mortalibus fere omnibus accidit: cuius etiam manifeſta in brutis quoque adnotantur exempla. quare diſtinctionis cauſa Commune, ſiue Naturale hoc dicere placet.*

*Alterum verò genus rarum & ſoli homini contingens: idq́ ſingulari efficientia numinis vel ſpiritus cuiuſpiam internum ſenſum per quietem exercentis. de quo prius nobis eſt diſſerendum.*

*Huius generis viſa vel imagine tantùm præmonſtrata & ſenſui communi obiecta eduntur, vel reapſe, hoc eſt, natura rei ſub imaginis quæ conſpici poſſit, figura vel effigie repreſentatur. Prioris partis exempla ſunt duo viſa eadem nocte duobus Pharaonis eunuchis data, & tertium etiam poſt duos annos ipſi Pharaoni gemina ſub ſpecie obiectum. Videruntq́ ambo ſomnium nocte vna iuxta interpretationem congruam ſibi, &c. Poſt duos annos vidit Pharao ſomnium. & illud etiam quod Iaacob geminis vxoribus narrabat, Poſtquam enim conceptus ouium tempus aderat, leuaui oculos, & vidi in ſomnis aſcendentes mares ſuper feminas varios & maculoſos, & diuerſorum colorum.* Species, forma. Gen. 40. Gen. 41. Gen. 31.

*Poſterioris verò exempla illa omnia cenſemus eſſe, in quibus vel Deus, vel Dei Angelus in ſomnis viſus narratur: Neque enim illic nudam imaginem, ſed ipſam ſpiritus naturam in hominis vel animantis cuiuſpiam ſpecie ſeſe viſendam præbuiſſe intelligimus. Vt, Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnium nocte: & ait illi, En morieris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam. Et ait: Domine num gentem ignorantem & iuſtam interficies? Nónne ipſe dixit mihi, Soror mea eſt? & ipſa ait, frater meus eſt? In ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. Dixitq́ ad eum Deus, Et ego ſcio quòd ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te, ne peccares in me: & non dimiſi vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro ſuo vxorem, & orabit pro te, quia propheta eſt, & viues. Si autem nolueris reddere, ſcito quod morte morieris tu, & omnia quæ tua ſunt. &, Dixitq́ angelus Dei ad me in ſomnis, Iacob? & ego reſpondi, adſum. Atqui ſcalam Iaacobo viſam imaginis nomine interpretari licet, angelos verò Dei aſcendentes & deſcendentes, & dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac; Ipſam ſpirituum veritatem credimus. S. S. E. Cumq́ euigilaſſet Iacob de ſomno, ait, Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauénſque, Quam terribilis eſt, inquit, locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum,* Gen. 20. Gen. 31. Gen. 28.

fundēs oleū deſuper. Appellauitq́; nomen loci Bethel, quæ prius Luza vocabatur.
3. Reg. 3. &, Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicēs: Poſtula quod
» vis vt dem tibi. Et ait Salomon: Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſe-
» ricordiam magnam, ſicut ambulauit in conſpectu tuo in veritate & iuſtitia, &
» recto corde tecum. Cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grādem, & dediſti ei filium
» ſedentem ſuper thronum eius, ſicut eſt hodie. Et nunc Domine Deus tu regnare
» feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo. Ego autem ſum puer paruulus, & ig-
» norans ingreſſum & introitum meum. Et ſeruus tuus in medio eſt populi quem
» elegiſti, populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine.
» Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere
» inter bonum & malum. Quis enim poteſt iudicare populum iſtum, populū tuum
» hunc multum? Placuit ergo ſermo coram Domino, quòd Salomon poſtulaſſet hu-
» iuſcemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni, Quia poſtulaſti verbum hoc, &
» non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed po-
» ſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendū iudicium: Ecce feci tibi ſecundùm ſermo-
» nes tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimi-
» lis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti, dedi tibi,
» diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in regibus cunctis retrò
» diebus. Si autem ambulaueris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, & man-
3. Reg. 9. data mea, ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. & illud: Appa-
» ruit ei Dominus ſecūdò, ſicut apparuerat ei in Gabaon. Dixitq́; Dominus ad eum,
» Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam quā deprecatus es coram me:
» Sanctificaui domum hanc quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſem-
» piternum. & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. Tu quoque ſi am-
» bulaueris corā me, ſicut ambulauit pater tuus, in ſimplicitate cordis, & in æqui-
» tate: & feceris omnia quæ præcepi tibi, & iudicia mea & legitima mea ſerua-
» ueris, ponam thronum regni tui ſuper Iſrael in ſempiternum, ſicut locutus ſum
» Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de ſolio Iſrael. Si au-
» tem auerſione auerſi fueritis vos & filij veſtri, non ſequentes me, nec cuſtodien-
» tes mandata mea, & ceremonias quas propoſui vobis, ſed abieritis & colueritis
» Deos alienos, & adoraueritis eos: Auferam Iſrael de ſuperficie terræ quam dedi
» eis, & templum quod ſanctificaui nomini meo, proiiciam à conſpectu meo. eritq́;
» Iſrael in prouerbium, & in fabulam cunctis populis, & domus hæc erit in exem-
» plum. Omnis qui tranſierit per eam, ſtupebit & ſibilabit, & dicet: Quare fecit
» Dominus ſic terræ huic, & domui huic? Et reſpondebunt: quia dereliquerunt
» Dominum Deum ſuum, qui eduxit patres eorum de terra Aegypti, & ſecuti ſunt
» Deos alienos, & coluerunt eos, & adorauerunt eos: Iccirco induxit Dominus ſu-
» per eos omne malum hoc.

At verò vocem, ſiue verba per quietem cuipiam diuinitus facta non ſemper aurium pepuliſſe ſenſum, ſed animum ipſum monuiſſe exiſtimamus: nec ideo minus vera, minúſue percipienti certa. imò per fidem excepta certiſſimam ſpem feciſſe credimus: ac tandem felici euentu præſtita didicimus. Cuius generis illud
Gen. 15. eſt. Cumq́; ſol occūberet, ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus & tenebro-
» ſus inuaſit eum. Dictumq́; eſt ad eum: Scito prænoſcens quòd peregrinū futurum
» ſit ſemen tuum in terra non ſua; & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent qua-
» dringentis annis. Veruntamen gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſt

hæc

*hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Et quod Iacobus ſomnium vxoribus re-
ferebat. Leua oculos tuos, & vide vniuerſos maſculos aſcendentes ſuper femi-* Gen. 31.
*nas, varios, maculoſos atq; reſperſos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Ego
ſum Deus Bethel vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. Nunc ergo ſurge,
& egredere de terra hac reuertens in terrã natiuitatis tuæ. Illud etiam quod huic
Labanus ſocer ſibi imperatum confitebatur. Deus patris tui heri dixit mihi, Ca-* Ibid. ver. 29.
*ue ne loquaris contra Iaacob quicquam durum. Præterea & illud quod Iaacob
idem ſacris apud puteum iuramenti peractis audiuit per viſionem nocte vocan-
tem ſe, & dicentem ſibi: Iacob, Iacob, Cui reſpondit, Ecce adſum. Ait illi Deus.* Gen. 46.
*Ego ſum fortiſsimus Deus patris tui, Noli timere, ſed deſcẽde in Aegyptum: quia
in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde addu-
cam te reuertentem. Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos. Itaque
vbi adlocutio nulla commemoratur, nec verborum factorum ſit mentio, ſolam
rerum viſarum imaginem mentis attentione ſpectatam intelligimus: ſiue illius
viſenti animo ſignificatio apertè conſtiterit, ſiue interpretem requiſierit. Huiuſ-
modi autem complura ſomnia ſiue viſa quondam legimus.*

*Accidit quoque vt viſum ſomnium referret fratribus ſuis, quæ cauſa maioris* Gen. 37.
*odij ſeminarium fuit. Dixitq; Ioſeph fratribus ſuis: Audite ſomnium meũ quod
vidi: Putabam nos ligare manipulum in agro, & quaſi conſurgere manipulum
meum, & ſtare, veſtróſque manipulos circumſtantes adorare manipulum
meum. Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſom-
nium quaſi ſolem & lunam & ſtellas adorare me. Et illa quæ antea de Pharaone
duobusq; regiis eunuchis referebamus. & in libro Iudicũ narrabat aliquis ſom-* Iudic. 7.
*nium proximo ſuo, & in hunc modum referebat quod viderat. Vidi ſomnium, &
videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian
deſcendere; cumq; perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud atque ſubuertit,
& terræ funditus coæquauit. Et quod Mardochæus ſibi viſum recolit. Et hoc* Eſter 10,4. & 11,5.
*eius ſomnium fuit: Apparuerunt voces & tumultus, tonitrua, & terræmotus:
& conturbatio ſuper terram. Et ecce duo dracones magni, paratiq; contra ſe in
prælium: ad quorum clamorem cunctæ concitatæ ſunt nationes, vt pugnarent
contra gẽtem iuſtorum. Fuitq; dies illa tenebrarum & diſcriminis, tribulationis
& anguſtiæ, & ingens formido ſuper terram. Conturbataq; eſt gens iuſtorum
timentium mala ſua, & præparata ad mortem. Clamaueruntq; ad Deum: & illis
vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas
redundauit. Lux & ſol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt in-
clytos. Quod cùm vidiſſet Mardochæus, & ſurrexiſſet de ſtratu, cogitabat
quid Deus facere vellet, & fixum habebat in animo, ſcire cupiens quid ſigni-
ficaret ſomnium.*

*In hoc verò viſorum ac ſomnij genere cenſentur ea omnia quæ Nabuchodono-
ſori oſtenſa apud Danielem narrantur: quodq; ipſe Vates viſum ſibi commemo-
rat. Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti pugnabant in mari* Dan. 2, & 4. & 5.
*magno, & cetera ad medium vſque capitis quo ſe territum & interpretationis
egentem fuiſſe ait. Præterea Eſdræ ſomnium, & quæcumque in noui Teſta-* Eſdr. 4.
*menti ſcriptis bona ac felicia viſa ſanctis viris contigiſſe legimus in hanc re-
digenda ſunt claſſem.*

*Somniorum autem huiuſmodi quæ & veritate & vſu commendantur, aucto-* Auctoritas.

ritatem vnius tantùm diuini ſpiritus voluntati atque efficientiæ tribuimus.
Quæ res ea ex parte in qua vel Deum, vel Angelum inductum legimus, ſua
ſponte manifeſta fit: in ceteris autem quibus imago tantùm rerum ſignificanda-
rum viſitur, teſtes habet eoſdem quos Deus ad interpretationem inſtruxit. Re-
Gen.41. ſponditq; Ioſeph, Abſque me, Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. &, Quod autē
vidiſti ſecundò ad eandem rem pertinens ſomnium firmitatis indicium eſt, eò
Dan.2. quòd fiat ſermo Dei. Et reſpondens Daniel coram rege, ait: Myſterium quod
» rex interrogat; ſapientes, magi & arioli, & aruſpices nequeunt indicare regi,
» ſed eſt Deus in cælo reuelans myſteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonoſor,
» quæ ventura ſunt nouiſſimis temporibus. Id quod & ipſe Deus de Vatibus ſuis
Num.13. declaratum aſſertumq; voluit. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in vi-
» ſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. Atque adeò hæc ab Apoſtolo
Petro ex Vatum reſponſis confirmata legimus. Hoc eſt quod dictum eſt per Pro-
Act.2. phetam Ioël: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu
» meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuue-
» nes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.

Tempus. Porrò tempus quo viſa hominibus offeruntur, nocturnum præcipuè eligitur:
idq; commodiſſimum habetur quo animus vel præ ſtudio, vel alia ſingulari occa-
Iob 33. ſione affectus ad eam rem attentior magiſq; idoneus inuenitur. S. S. E. Semel lo-
» quitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit. Per ſomnium in viſione noctur-
» na, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures
» virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplina. Atque hoc pacto Abrahamo ſom-
Gen.15. nium illud contigit de ſacrificij imperati cuſtodia ſatagenti, Deſcendebantq; vo-
» lucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abram: Cumq; ſol occūberet, ſopor irruit
» ſuper eum, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Dictumq; eſt ad eum.
Et Pharaoni de regni rebus, vt principibus moris eſt, cogitanti per quietem quæ
Gen.41. facturus eſſet oſtendit Deus. Iſrael etiam profectus cum omnibus quæ habebat,
» venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac, audi-
» uit eum per viſionem nocte vocantem ſe. Laban quoque cùm ira incenſus de
vexando genero ſecum agitaret, ea in cogitatione ſopitus, vidit in ſomnis dicen-
Gen.46. tem ſibi Dominum: Caue ne quicquam aſperè loquaris contra Iacob. Et apud
Nabucum regem Daniel de ſomnio ſomniiq; interpretatione diſerturus ita occe-
Dan.2. pit: Tu rex cogitare cœpiſti in ſtratu tuo quid eſſet futurum poſt hæc; & qui re-
» uelat myſteria, oſtendit tibi quæ ventura ſunt.

At verò ſomniorum huiuſmodi diuinitus immiſſorum expoſitionem non vno
modo factam obſeruare eſt. Namque aliquando imago ipſa viſa eius qui ſomnia-
uit, vel alterius cuiuſpiam cogitationi relinquitur: ea verò aliter atque aliter
iniri ſolet. Nonnunquam enim imago ipſa rem ad quam referenda eſt, indicat.
Vt Iacobus viſis maculoſis gregibus, eiuſmodi ſibi partem à Deo deſtinatam in-
Gen.31. tellexit. Leua oculos tuos, & vide vniuerſos maſculos aſcēdentes ſuper feminas,
» varios, maculoſos, atque reſperſos: Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Inter-
dum verò ex conſequēte poſtea rerum ſerie cum ſomnij partibus, numero & pro-
portione quadam conueniente. Sic Mardochæus ſomnium ſuum reputans, ex-
Eſther 10. plicabat. Recordatus ſum ſomnij, quod videram, hæc eadem ſignificantis: nec ve-
» rò eorum quicquam irritum fuit. Paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem
» ſolemq; conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit, Heſter eſt, quam rex ac-
cepit

*cepit vxorem, & voluit eſſe reginam. Duo autem dracones: ego ſum & Aman. Gentes quæ conuenerant: hi ſunt qui conati ſunt delere nomen Iudæorum. Gens autem mea Iſrael eſt, quæ clamauit ad Dominum, & ſaluum fecit Dominus populum ſuum, liberauitq́; nos ab omnibus malis: & fecit ſigna magna atque portenta, & duas ſortes eſſe præcepit: vnam populi Dei, & alteram cunctarum Gentium. Nec verò exigua deſtinatorum atque euentuum ratio habetur ad rei ſignificatæ dignoſcendam veritatem. Id quod ſomniorū coniectoribus Ioſephus apertè probauit. Boues arationi, labori atq; culturæ agri deſtinati ſeptem annos quibus arari atque ſeri oportunum eſſet, ſignificare dicti, idq́; apud Nilum flumen qui Aegyptum regionem irrigans, fecundam efficit: Spicæ verò meſsis prouentum ex eodem amne exortum indicabant. Macrarum autem atque tenuium rurſus imago ſterilitatem portendebat maximam. Repetitio demum eiuſdem ſomnij quamquam vario, ſed eodem tendente viſu, firmitudinem, conſtantiam, veritatemq́; aſſerebat. Hoc etiam pacto Mardochæus ſuum ac Daniel regis ſomnia per partes explicaſſe obſeruantur. Quo in genere verborum atque nominum, quibus imagines pronunciantur atque narrantur, habenda eſt ratio: idq́; in eadem qua primùm res narrata fuerit, lingua, hoc eſt, in exemplari. Namque in verſionibus nec eadem ſignificatio occurrit: neque perpetua vertendi forma eſt. Huius exemplum animaduerſionis vnum aut alterum ſubdere doctrinæ cauſa non pigebit. Rogatus Ieremias quid videret, reſpondit* SEBET SEKED, *id eſt, virgam amigdalinam. Latinus interpres ad ſignificationem potius quàm ad naturam rei rectè alludens,* Virgam vigilantem *reddidit: nihilo tamen minus viſi explicatio & ſententia verborum vim ignorantibus negotium faceſsit. Atqui Chananæum amygdali nomen* SEKED *eſt, quod tempeſtiuius prodeuntem vel ſurgentem ſignificat. Hiſpanicè* madrugador, *quod arbos illa omnium tempeſtiuiſsimè florem, fructum, & folia proferat. Virgam autem correptionis, animaduerſionis, atque caſtigationis eſſe ſymbolum, in arcano ſermone docebamus. Cuius rei exemplum illud: Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. Ex rerum itaque nominibus propediem venturam in Iſraelitas animaduerſionem intellexit: idq́; rectè putatum Deus ipſe probauit. Benè dixiſti quia vigilabo ego ſuper verbo meo vt faciam illud. Hiſpan.* Madrugare ſobre mi palabra para la cumplir. *Amos quoque dum quid videret rogatur,* KALVBKAITS *retulit, & dixit Dominus: Venit finis ſuper populum meum Iſrael. Verùm Latina nomina* Vncinus pomorum *eiuſmodi ſignificationis copiam non ita clarè præſtant vt nomen* KAITS, *quod alteri ex eodem verbo deducto & coniugato* KETS *maximè eſt affine. Significat verò* KETS *deciſionem, finē extremum.* Remate *Hiſpanicè. Perſimile huic ſtudium omnibus aliis nominibus adhibendum eſt, rerum, inquam, à Deo oſtenſarum nominibus ac verbis actionem ſignificantibus, ceteriſq́; vocibus quibus ea viſa pronuncianda ſpiritus dictauerit. Vt ſtatuæ ab Aſſyrio rege viſæ metallorum ac partium ex quibus illa conſtans viſebatur, & arboris eidem regi per quietem oſtenſæ. Ventorum, beſtiarū, cornuum, atque ceterarum imaginum. Omnia quæ attentius ac diligentius veſtiganti magnum ex etymo & ſignificatione contulerint adiumentū. Nec verò nobis vnumquodque horum aut aliorum ſingillatim perſequi animus fuit, viam indicare contentis, & ſumma capita in artem redacta, oſtendere paucis ac breuibus ad captumq́; legentium facillimis adductis exemplis. Hanc itaque rationem antiquos*

Ierem. 1.

Pſal. 2.

Dan. 2, 4, & 7.

*ſomnio-*

ſomniorum expoſitores vel diuino ſpiritu edoctos, vel naturam ſecutos rerum tenuiſſe comperimus. Verùm horum vt non idem magiſterium: ita neque idem nomen appellandum eſt. Nam qui minore auctoritate hanc rem tractarunt, hoc eſt, naturæ tantùm rerum ac verborum propria cogitatione & opera adhibita, coniecturis vſi d cuntur, & proprio ſermone, Somniorũ coniectores Latinè ſunt appellandi, eoſdemq́ Græci ὀνειροκρίτας & ὀνειροκριτικοὺς dicunt.

Auctoritas diuina. Verùm enimuerò altera longè illuſtrior, planeq́ certiſſima & exactiſſima ſomniorum cognoſcendorum facultas eſt, ea videlicet quæ diuina auctoritate conſtat, vbi Deus & ſomnium immittit, & vel ipſum qui ſomniauerit, vel alium quempiam explicationem docet. quæ propriè interpretatio vocari & ipſe qui exponit, interpres dici poteſt. Cananæum verò verbum PATHAR, & ab hoc deducta nomina POTHER, & PITHRON ad hanc ſignificationem referri poſſunt. vt Romanè interpretari & interpretẽ interpretationemq́ vocemus. Quãquam aliàs hæc vocabula & de coniectoribus vſurpentur, aptiſſimè tamen iis tribuuntur, quibus eam mentem maior ſpiritus dedit. Siue illi, poſtquam edocti fuerint, rem ſimpliciter enarrẽt: ſiue ex artis ac naturæ obſeruatione auditores inſtruãt, dum modo non ſibi aut diligẽtiæ propriæ, humanæve: ſed auctori ac doctori Deo, laudem arrogent omnem. Id quod celeberrimus interpres ille ſomniorum Ioſe-
Gen.40. phus profiteri ſolet. S. S. E. Dixitq́ ad eos Ioſeph: Nunquid non Dei eſt inter-
» pretatio? referte mihi quid videritis. & apud regem poſtea: Abſque me, inquit,
Gen.41. Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. Ac paulò poſt: Quæ facturus eſt Deus
» oſtendit Pharaoni. Et Pharao eandem auctoritatem diuinam confeſſus, dixit ad
» Ioſeph: Num inuenire poterimus talem virum qui ſpiritu Dei plenus ſit? Dixit
» ergo ad Ioſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid ſapien-
» tiorem & ſimilem tui inuenire potero? Illud etiam apertè hãc rem declarat quod
Dan.1. in Danielis narrationibus legimus: Pueris autem dedit Deus ſcientiam & diſci-
» plinam in omni libro & ſapientiam, Danieli autem intelligentiam omnium vi-
Dan.2. ſionum & ſomniorum. Qui aliquando ingreſſus domum ſuam, Hananiæ & Mi-
» ſaëli, & Azariæ ſociis ſuis indicauit negotium, vt quærerent miſericordiam à
» facie Dei cæli ſuper ſacramento iſto, & non perirent Daniel & ſocij eius, cum
» ceteris ſapientibus Babylonis. Tunc Danieli myſterium per viſionem nocte reue-
» latum eſt. Et benedixit Daniel Deum cæli, & locutus, ait: Sit nomen Dei bene-
» dictum à ſeculo & vſque in ſeculum: quia ſapientia & fortitudo eius ſunt, &
» ipſe mutat tempora & ætates: transfert regna atque conſtituit: dat ſapientiam
» ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam. Ipſe reuelat profunda &
» abſcondita: & nouit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt. Tibi Deus patrum
» noſtrorum confiteor, teq́ laudo: quia ſapientiam & fortitudinem dediſti mihi:
» & nunc oſtendiſti mihi quæ rogauimus te, quia ſermonem regis aperuiſti mihi.
Dan.8. & idem: Factum eſt autem cùm viderem ego Daniel viſionem, & quærerem in-
» telligentiam: Ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri. Et audiui vocem vi-
» ri inter Vlai: & clamauit, & ait, Gabriel fac intelligere iſtam viſionem. Et ve-
» nit, & ſtetit iuxta vbi ego ſtabam. Cumq́ veniſſet, pauens corrui in faciẽ meam,
» & ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur viſio.

Neque verò alium doctorem Madianites ille miles habuit, qui Gedeone au-
Iudic.7. diente, ſocij ſomnium interpretabatur. Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis,
» filij Ioas, viri Iſraelitæ. Tradidit enim Dominus in manus eius Madian &
omnia

*omnia caſtra eius. Cúmque audiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationem eius, adorauit: & reuerſus eſt ad caſtra Iſrael, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian.*

*Huiuſmodi verò ſomnia quæ diuina efficientia oſtenduntur, conſecuta deinde rerum conſtantia, & veritas conſtabilit & confirmat tempore oportunè ac maturè ſignificata producente ac indicante. S.S.E. Venitq́; fertilitas ſeptem annorum. & paulò pòſt: Igitur tranſactis ſeptem hubertatis annis, qui fuerant in Aegypto, cœperunt venire ſeptem anni inopiæ: ita vt vel ex ipſis euentus initiis, & parte aliqua de totius rei integritate æſtimare liceat. Ita enim Ioſeph fratribus ad patrem referendum mandabat. Adhuc enim quinque anni reſidui ſunt famis. Atque veritatem & conſtantiam huiuſmodi ipſa ſomniorũ impreſſa ſomniantis animo, imago adeò certam promittit, vt in eam prorſus intentum hominem reddat: deq́; interpretatione ſolicitum & anxium efficiat, impulſuq́; vehementi commoueat: id quod certis adnotationibus verborum, in hiſtoria indicatum conſpicere eſt. Cuiuſmodi illud eſt: Euigilans Pharao poſt quietem. quo in loco exemplaris linguæ idiotiſmus hoc modo Latinè ſonat. Et euigilauit Pharao, & ecce ſomnium, & facto manè pauore conterritus, miſit ad omnes coniectores, & cunctos ſapientes: & accerſitis, narrauit ſomnium.* Euentus. Gen. 41. Gen. 45. Gen. 41.

*Iam verò ſomniorum cauſa indicanda ſupereſt: namq́; vera ſomnia cùm ex diuinæ prouidentiæ efficientia proficiſcantur, ſine vſu eſſe poſſe, minimè credendum fuerit. Atqui cùm in vaticinij genere huiuſmodi cenſeantur viſa, eundem cum ceteris vaticiniorum formis, aut perſimilem vſum exiſtimari cōſentaneum eſt: atque in Dei laudem vt cetera diuina erga homines beneficia tendere neceſſe fuerit, ad rerum atque morum & ſtudiorum hominis correctionem, animiq́; inſtitutionem ſacra ſomnia immitti, amicus ille apud Iobum declarabat. Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines: pauor tenuit me & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. Et cùm ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocē quaſi auræ lenis audiui. Numquid homo Dei comparatione iuſtificabitur? aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis repperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea, de manè vſque ad veſperam ſuccendentur, & (quia nullus intelligit) in æternum peribunt: qui autem reliqui fuerint, auferentur: & ex eis morientur, & non in ſapientia. Idem etiam Eliu Barachelis filius adſtruens proſecutus eſt, Semel loquitur Deus, & ſecundò idipſum non repetit. Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo: Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplina. Vt auertat hominem ab iis quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia: Eruens animam eius à corruptione: & vitam illius, vt non tranſeat in gladium.* Iob 4. Iob 33.

*Doceri etiam hominem per viſum, ac ſcientia qua antea imbutus non fuerat, non inſtrui modò, ſed ad miraculum vſque amplificari, apertè indicat Salomonis hiſtoria. Quia poſtulaſti hoc verbum, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorũ, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendũ iudicium: Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens &* 1 Reg. 3.

» intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus
» ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti, dedi tibi, diuitias ſcilicet & gloriam, vt ne-
» mo fuerit ſimilis tui in regibus cunctis retrò diebus. Si autem ambulaueris in
» viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulauit pater
» tuus, longos faciam dies tuos. Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quod eſſet
ſomnium. Reſponſum etiam tum ad conſultationem, tum ad rogatum, conceſſio-
nem, & confirmationem; conſilia præterea atque monita viſis huiuſmodi refer-
2.Par. 7. ri adnotauimus. Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait: Audiui orationem
» tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij. Si clauſero cælũ, & pluuia
» non fluxerit, & mandauero & præcepero locuſtæ vt deuoret terram, & miſero
» peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos in-
» uocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, &
» egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius
» ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, &
» aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco iſto orauerit. Elegi enim, & ſan-
» ctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum: & permaneant
» oculi mei & cor meũ ibi cunctis diebus. Tu quoque ſi ambulaueris corã me, ſicut
» ambulauit Dauid pater tuus, & feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, & iuſti-
» tias meas iudiciaq́; ſeruaueris: ſuſcitabo thronum regni tui, ſicut pollicitus ſum
» Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur de ſtirpe tua vir qui non ſit princeps in
» Iſrael. Si autem auerſi fueritis & reliqueritis iuſtitias meas, & præcepta mea
» quæ propoſui vobis, & abeuntes ſerui eritis Diis alienis, & adoraueritis eos:
» euellam vos de terra mea quam dedi vobis, & domum hanc quã ſanctificaui no-
» mini meo, proiiciam à facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum
» cunctis populis, & domus iſta quæ erat excelſa, erit in prouerbium vniuerſis
» tranſeuntibus, & dicent ſtupentes: Quare fecit Dominus ſic terræ huic, & do-
» mui huic? Reſpondebuntq́; : quia dereliquerunt Dominum Deum patrum ſuo-
» rum, qui eduxit eos de terra Aegypti, & apprehenderunt Deos alienos, & ado-
» rauerunt eos, & coluerunt: Idcirco venerunt ſuper eos vniuerſa hæc mala.

Futuras etiam res prædici, atque quonã ordine & modo expectari conueniat,
Gen.41. exponi, ac ferè indicari in ſomniis intelleximus. Vt quæ Ioſephus Pharaoni, quæ-
Dan. 2. que Daniel Nabuchodonoſori interpretatus eſt. & illud etiam quod Mardochæus
Eſter 10. ſimilitudinibus æſtimatis comperit. Magi domum reuerſuri, quam viam inſiſte-
Mat. 1. rent, per quietem edocti ſunt. Et Ioſeph cùm futura tum præterita cognoſcens,
& fugæ in Aegyptum, & reditus in patriam oportunitatem didicit.

Terrorem etiam conſcientiæ atq; grauem monitum, nonnullis ex Dei conſilio
viſa afferunt: vt hoc etiam pacto hominis animus diuinam prouidentiam reue-
Iob 7. reri diſcat. Si dixero, Conſolabitur me lectulus meus, & reuelabor loquens me-
» cum in ſtratu meo: terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.

Atque religionem, fidem, diuinumq́; timorem hominũ etiam maximorũ prin-
* f. promoueri pũm animis viſorum imaginibus, & interpretatione effici, Deiq́; laudẽ * prome-
Dan. 2. reri, vel illo exemplo manifeſtum fiet. Loquens ergo rex, ait Danieli: Verè Deus
» veſter Deus Deorum eſt, & Dominus regũ, reuelans myſteria: quoniã tu potuiſti
Dan. 4. aperire hoc ſacramentũ. &, Poſt finẽ dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad
» cælũ leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi: & altiſſimo benedixi, & viuentẽ in
» ſempiternum laudaui, & glorificaui: quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, &c.

VERIS

# VERIS VISIS QVID OPPONATVR.

## SECTIO QVINTA.

*VT verò falſum, ita veris per quietem oſtenſis falſa opponuntur inſomnia.
Ea verò ſunt imagines dormientibus viſæ, quæ vel à corporis animíve
affectione originem ducũt, vel externo quopiam ſpiritu communi dormientium
ſenſui repreſentantur. Corporis autem affectionem plerumq; præter naturalium
virium modum ad proſperitatem, vel ad defectum & ægritudinem exhuberan-
tem intelligimus, idemq́; ex proportione ad animum transferimus. Nam qui co-
gitationibus in vtramuis partem ſiue lætitiæ, ſiue mæſtitiæ conflictatur animus,
noctu etiam ſpectris afficitur ei rei affinibus, quam voto aut metu vigilans pro-
ſequitur. Eſſe verò omnium huiuſmodi ſpectrorum non naturam ipſam, ſed ima-
ginem atque vmbram, ſiue ſpeciem illis non diſsimilem, quæ in ſpeculis, vel in
liquidis terſisve corporibus conſpiciuntur, ſacra diſciplina indicat. Velut ſom-* Iob 20.
*nium auolans, non inuenietur quaſi viſio nocturna. &, Ante faciem hominis* Eccli. 30.
*ſimilitudo alterius hominis. &, Modicum tamquam nihil in requie, & ab eo* Eccli. 40.
*in ſomnis quaſi in die reſpectus. Quo loco vtriuſque partis, hoc eſt, corporis &* "
*animi indicatur affectus. Namque ſitientem præ æſtu, aut eſurientem, aut alio
corporeæ facultatis exceſſu laborantem: vel potus, vel cibus, vel quippiam aliud
viſitur, quod ea quibus indiget, expleri; vel quibus abundat torqueri ſeſe ſom-
niat. Et ab eo (inquit) in ſomnis quaſi in die reſpectus.* "

*Hanc etiam in corpore ſimilitudinem animus curis affectus noctu in ſomnis
obtinet, ea plerumque conſpiciens, & veluti ſentiens quæ diurnis votis vel cogi-
tationibus voluere ſolet. Multas curas (inquit Salomon) ſequuntur ſomnia.* Eccleſ. 5.
*Vana ſpes & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes. &,* Eccli. 34.
*Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perſeuerans &* Eccli. 40.
*contentio. Et in tempore refectionis in cubili ſomnium noctis immutat ſcien-* "
*tiam eius.*

*Atqui huiuſmodi ſomniorum exitus vanitate ac mendacio finitur, euentumq́;* Exitus & euentus.
*parit vel dolore vel pudore atque deluſione grauem. S.S.E. Vbi multa ſunt ſom-* Eccleſ. 5.
*nia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri. Quaſi qui apprehẽdit vm-* Eccli. 34.
*bram & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia. Secundùm* "
*hoc viſio ſomniorum ante faciem hominis ſimilitudo alterius hominis. Ab im-* "
*mundo quid mundabitur, & à mendace quid verum dicetur? Diuinatio erroris* "
*& auguria, mẽdacia & ſomnia male facientium, vanitas eſt. Et ſicut parturien-* "
*tis cor tuum phantaſias patitur, niſi ab Altiſsimo fuerit emiſſa viſitatio, ne de-* "
*deris in illis cor tuum. Multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſpe-* Iſaiæ 29.
*rantes in illis. Et ſicut ſomniat eſuriens & comedit: cùm autem fuerit experge-* "
*factus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit: & cum fuerit ex-* "
*pergefactus, adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt. Et velut ſomnium ſurgentium* Pſal. 72.
*Domine in ciuitate tua imaginẽ ipſorum ad nihilum rediges. Dormierunt ſom-* Pſal. 75.
*nium ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* "

*Huius autem rei ſua natura vanæ ſuos etiam profeſſores, qui* coniectores, Profeſſores.
*vti dicebamus, vocantur: & fuiſſe, & eſſe, vt ceterarum mendacium diſciplina-
rum accepimus, librosq́; de hoc vanitatum genere, quæ mitiore vocabulo* curioſa

Gen. 41. dicuntur, fuiſſe quondam, hodieq́ eſſe comperimus. Narraui coniectoribus ſomnium, & nemo eſt qui ediſſerat. Et Manaſſes ſomnia & auguria obſeruaſſe notatur. &, Hæc dicit Dominus exercituum, Non vos ſeducant prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrum: & ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis. Huius verò diſciplinæ inſignes magiſtros Chaldæos ſacra hiſtoria indicat. Reſponderunt Chaldæi regi Syriacè, & dixerunt: Rex in ſempiternum viue, Dic ſomnium ſeruis tuis, & interpretationem eius indicabimus. & paulò poſt: Non eſt homo ſuper terram qui ſermonem tuum, Rex, poſſit implere: ſed neque regum quiſquam magnus & potens verbum huiuſcemodi ſciſcitabitur ab omni hariolo, & mago, & Chaldæo. Sermo enim quẽ tu quæris, rex, grauis eſt: nec reperietur quiſquam qui indicet illum in conſpectu regis: exceptis diis, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio. Et Daniel de veris ſomniis ita aiebat: Myſterium quod rex interrogat, ſapientes, magi, & harioli, & aruſpices nequeunt indicare regi. & Zacharias: Quia ſimulachra locuta ſunt inutile, & diuini viderunt mendacium, & ſomniatores locuti ſunt fruſtra. Huius generis vanitatum libros ab iis qui Chriſti doctrinam fuerant edocti: quamquam magno numero & æſtimatione, tamen vt inutiles & ſuperſtitioſos, ac perniciem publicis priuatisq́ rebus afferentes, combuſtos legimus. Multi autem ex eis qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt eos coram omnibus. & computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium: Ita fortiter creſcebat verbum Domini, & confirmabatur. Vt autem ſuperſtitionis plenam, ita quoque malum hominum animis allaturam, huiuſmodi curam nullo pacto, nullaq́ ex parte admittendam, expreſſa exceptione diuina lex vetat. Non augurabimini, neque obſeruabitis ſomnia.

(Marginal references: 2 Par. 33. — Ierem. 29. — Dan. 2. — Zach. 10. — Actor. 19. — Leu. 19.)

Illud verò ad huius diſputationis calcem appendicis modo adiungendum reſeruauimus, quod & ad eruditionẽ & ad legitimam ſanamq́ prudentiam adnotatu dignum duximus. Nonnulla exiſtere poſſe aliquando ſomnia à ſpiritu quidem immiſſa: non tamen à bono, ſed à malo ſpiritu, ſiue cacodæmone, ſiue Satana dicere malimus: quibus, quamquam aliqua veri ſpecies interdum inſit, recti tamen nullam partem adeſſe credendum fuerit. Quippe cùm id illius aduerſarij vitium eſt, vt nunquam recta aut vtili commodáque cauſa quippiam cum hominibus agat: ſed omnia ad dolum ac fraudem inſtruat. Huiuſmodi verò exemplum vel illud ſatis illuſtre fuit, quod iſte apud Pontij Pilati vxorem edidit, ex inuidia & rabie humanæ ſalutis, quam iamiam expediendã Ieſu Chriſti cruce ac morte compererat: ſtultus ac ſerus in illa re ſapiens, aliàs verò natura & vſu malarum artium callidiſſimus. Nouit quidem ille IESVM eſſe iuſtum, nullóque ſuo merito in crimen fuiſſe vocatum: ídque verè monuit. Sed hoc non recta ac proba mente, verùm ſtudio incenſus, impediendi mortem illam, quæ vitam & ſalutem hominum generi allatura erat. S. S. E. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto illi, multa enim hodie paſſa ſum per viſum propter eum.

(Marginal notes: Somnium vxoris Pilati. — Matth. 27.)

DE

# DE SORTE
## EXCVRSIO.

AD diuinationum argumenta non inconcinnè ſortes referri obſeruauimus, quamquam id omnium ſimpliciſſimum ac minimi negotij genus eſt, & quod à ſacris rationibus ad prophana & popularia munera ac munia dummodo certum conſilium teneatur: nec impiè, nec incommodè traductum vſurpari ac frequentari ſoleat.

Principio quidem ſortes non modo celebrari, duci, atque eſſe poſſe, verùm peti, & conſuli tractaríque oportere diuina lex non vno tantùm loco præcipiens docet. Pluribus maiorem partem dabis, paucioribus minorem: ſingulis ſicut nunc recenſiti ſunt, tradetur poſſeſſio: ita dumtaxat vt ſors terram tribubus diuidat, & familiis. Quidquid ſorte contigerit, hoc plures accipiant vel pauciores. Et ego enim dedi vobis terram in poſſeſſionem, quam diuidetis vobis ſorte. Pluribus dabitis latiorem, & paucioribus anguſtiorem: ſingulis vt ſors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. *Sortium veritas. Num. 26. Ibid. 36.*

Eſt autē ſors, quæ ita rectè dici poteſt, diuinæ voluntatis ab hominibus facta conſultatio de communis inter aliquos iuris ambiguo ſingulis vſu. vel de certæ cauſæ incerta perſona. quam definitionem de hac ipſa re diſſerendo explicabimus. *Definitio.*

Atque ſortium gubernator vnicus Deus creditur ac laudatur, qui complures res non alia ratione quàm ſorte iacta expediri voluerit, eáq; prouidentiæ ſuæ argumenta manifeſta ſæpiſſimè oſtenderit. Namque omnes ſortes quas Iſraelitarum tribubus de hæreditate diuidunda iactas legimus, longè ante vaticinationis vi ab Iſraële patre iam moribundo: atque non ita pridem à Moſe Vate indicatas obſeruauimus. Cuius rei rationem & conſtantiam in commentariis noſtris in librum Ioſue pleniùs tractabamus. Itaque Deum reſponſi per ſortem petiti auctorem nouimus. S. S. E. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Et Neemias in illa celeberrima confeſſione beneficiorum Dei ita ait, Et dediſti eis regna & populos, & partitus es eis ſortes. &, Sorte diuiſit eis terram in funiculo. *Gubernator. Prou 16. Neem. 9. Pſal. 77.*

Sortium autem publicarum curatorem non alium quam miniſtrum publicum legitimè declaratum obſeruauimus: qualem Ioſuam ſibi conſtitutum in poſterum Deus prædixit: & quo tempore expedienda erat res, iterum atque iterum monitum inſtruxit. Ioſue filius Nun miniſter tuus ipſe intrabit pro te, hunc exhortare & robora, & ipſe ſorte terram diuidet Iſraeli. Vocauitq; Moyſes Ioſue, & dixit ei coram omni Iſrael: Confortare & eſto robuſtus. Tu enim introduces populum iſtum in terram, quam daturum ſe patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam ſorte diuides, & Dominus qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum, &c. &, Confortare & eſto robuſtus. Tu enim ſorte diuides populo huic terram, pro qua iuraui patribus ſuis, vt traderem eam illis. &, Accedetis manè ſinguli per tribus veſtras, & quamcūque tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos: domuſq; per viros. Surgens itaque Ioſue, applicuit Iſrael per tribus ſuas, & inuenta eſt tribus Iuda, quæ cùm iuxta familias ſuas eſſet oblata, inuenta eſt familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi. Cuius domum in ſingulos diuidens viros, inuenit Achan filium Charmi, filij *Miniſter. Deut. 1. Deut. 31. Ioſ. 1. Ibidem 7.*

„ Zabdi filij Zaræ de tribu Iuda. Et ait Ioſue ad Achan, Fili mi, da gloriam Do-
„ mino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. &,
Ioſ. 18. Diuidite vobis terram in ſeptem partes. Iudas ſit in terminis ſuis ab Auſtrali
„ plaga, & domus Ioſeph ab Aquilone. mediam inter hos terram in ſeptem par-
„ tes deſcribite: & huc venietis ad me, vt coram Domino Deo veſtro mittam
„ vobis hîc ſortem.

Neemias autem eorum qui Ieroſolymis hæſuri erant, ſortes curaſſe indicatur.
Neem. 11. Reliqua verò plebs miſit ſortem vt tolleret vnam partem de decem qui habita-
„ turi eſſent in Ieruſalem in ciuitate ſancta, nouem verò partes in ciuitatibus. &
Neem. 10. idem, Sortem ergo miſimus. & illud: Igitur Dauid & magiſtratus exercitus ſe-
1 Paral. 25. gregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Idithum, qui pro-
„ phetarent in pſalteriis, & citharis, & cymbalis, ſecundùm numerum ſuum, de-
„ dicato ſibi officio ſeruientes. & paulò inferiùs, Miſerúntque ſortes per vices
„ ſuas ex æquo tam maior, quàm minor.

Sortis verò iaciendæ materia ſiue argumentum, vel ius aliquod atque mini-
ſterium eſt, cuius qui compos eſſe debeat, in controuerſiam venerit, vel res alia
quæpiam, aut actio & præmium, vel paſsio & mulcta ſubeunda cuipiam: vel,
cùm hæc omnia cōſtent, modus tamen, conditio, & ordo nec omnibus adſcribi ſi-
mul poteſt: nec qua ſerie diuidi, diſtribui, & aſsignari hæc oporteat, cuiquā mor-
talium compertum eſt, quamobrem Dei per ſortem expectanda ſententia duci-
tur. Primæ partis exemplum vel illud celeberrimum afferre ſufficiat, quo inter
Leuiticas familias de ſummo ſacerdotio ſeditionem ortam, compoſitam, ſiue ex-
Num. 17. ſtinctam potius Deus voluit. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loque-
„ re filiis Iſrael, & accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas, à cunctis
„ principibus tribuum virgas duodecim, & vniuſcuiuſque nomen ſuperſcribes
„ virgæ ſuæ. Nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas eo-
„ rum familias continebit: poneſq́, eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio,
„ vbi loquar ad te. Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me
„ querimonias filiorum Iſrael, quibus contra vos murmurant. Locutuſq́, eſt Moy-
„ ſes ad filios Iſrael, & dederunt ei omnes principes virgas per ſingulas tribus:
„ fueruntq́, virgæ duodecim abſque virga Aaron. Quas cùm poſuiſſet Moyſes
„ coram Domino in tabernaculo teſtimonij, ſequenti die regreſſus, inuenit germi-
„ naſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores,
„ qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt. Protulit ergo Moyſes omnes
„ virgas de conſpectu Domini ad cunctos filios Iſrael: viderúntque, & recepe-
„ runt ſinguli virgas ſuas.

Vbi verò ex æquo de re ipſa, vel de iure inter aliquos conſtat, verùm de mini-
ſteriorum diſtributione, vel de miniſtrandi modo & ordine agitur: neque cui-
quam vicem propriam ſine alterius vel querela, vel exceptione aut appellatione
præſcribere vel tutò licet, vel ſi liceat, non tamen libet: à publico magiſtratu vel
principe ſortitione id componi & conſtitui tutò ac ſapienter ſolet. Id quod ex Dei
Ioſue 18. imperio à Ioſue factitatum legimus. Cumq́, ſurrexiſſent viri vt pergerent ad
„ deſcribendam terram, præcepit eis Ioſue, dicens: Circuite terram, & deſcribite
„ eam: ac reuertimini ad me vt hîc coram Domino Deo veſtro in Silo mittam vo-
„ bis ſortem. Itaque perrexerunt, & luſtrantes eam, in ſeptem partes diuiſerunt,
„ ſcribentes in volumine. Reuerſiq́, ſunt ad Ioſue in caſtra Silo. Qui miſit ſortes
coram

coram Domino in Silo, diuiſitq́ terram filiis Iſrael in ſeptem partes. Et Neemias ſortes apud ſe miſſas, ait ſuper oblationem lignorum inter Sacerdotes, Leuitas, & populum, vt inferrentur in domum Dei noſtri per domos patrum noſtrorum, per tempora à temporibus, anni vſque ad annum, vt arderent ſuper altare Domini Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi. & apud eundem, Habitauerunt autem principes populi in Ieruſalem: reliqua verò plebs miſit ſortem, vt tolleret vnam partem de decem, qui habitaturi eſſent in Ieruſalem, in ciuitate ſancta: nouem verò partes in ciuitatibus. Atque magiſtratuum ſortitio ad hanc rationem referenda eſt. Neem. 10. Ibidem 11.

Sortium verò compotes ſiue participes ij ſunt, quibus vel parius eſſe videtur, vel quamquam diſpar, anceps tamen & ambiguum eſt cui ſit adſcribendum, quod & in culpa quoque imponenda factitatum apud Ioſuam legimus Ghacami filij Charmi illuſtri exemplo. Accedetiſq́ manè ſinguli per tribus veſtras, & quamcunque tribum ſors inuenerit, accedet per cognationes ſuas: & cognatio per domos, domusq́ per viros: & quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehēſus, comburetur igne cum omni ſubſtantia ſua: quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nephas in Iſrael. Hac ratione Ionam Vatem in crimine deprehenſum legimus. Et dixit vir ad collegam ſuum, Venite, & mittamus ſortes, & ſciamus quare hoc malum ſit nobis. & miſerunt ſortes: & cecidit ſors ſuper Ionam. Ad ſacræ verò ædis cuſtodiam Leuitarum ſortes ductæ. Hi diuiſi ſunt ianitores, vt ſemper principes cuſtodiarum, ſicut & fratres eorum miniſtrarent in domo Domini. Miſſæ ſunt ergo ſortes ex æquo, & paruis & magnis per familias ſuas in vnamquamque portarum. Cecidit ergo ſors Orientalis Selemiæ. Porrò Zachariæ filio eius, viro prudentiſſimo & erudito, ſortitò obtigit plaga Septentrionalis. Obededom verò & filij eius ad Auſtrum: in qua parte domus erat ſeniorum concilium. Suphim & Hoſa ad Occidentem, iuxta portam quæ ducit ad viam aſcenſionis: cuſtodia contra cuſtodiam. Ad Orientem verò, Leuitæ ſex: & ad Aquilonem quatuor per diem: atque ad Meridiem ſimiliter in die quatuor: & vbi erat concilium, bini & bini. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem quatuor in vna: biniq́ per cellulas. Hæ ſunt diuiſiones ianitorū, &c. Ioſue 7. Ionæ 1. 1 Par. 26.

Et illud in Apoſtolorum concilio petitum ſortium oraculum ad Apoſtolatus miniſterium & laborem inter duos, quorum quamuis publicè ſpectata & cognita eſſet probitas ac pietas: facultas tamen ad ſuſcipiendam prouinciam, nondum fuerat diſcipulis explorata. Nam non tam de honore & amplitudine, quàm de cura atque opera illo tempore, illoq́ loco agebatur. Et ſtatuerunt duos, Ioſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus: & Mathiam. & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas vt abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. Act. 1.

Celeberrimum quoque ſortium in loco exemplum, idq́ duplex in Ieſu Chriſti veſtibus editum legimus. quas primùm in parteis diuiſas, ſinguli ſatellitum operæ ſuæ pretium cùm peterent, quid cui obtingeret, ſorte deciſum eſt. Oportet autem nec vilem, nec ſordidam fuiſſe veſtem, quam Romanus expeteret miles, cuiusq́ partem honeſto vſui ſibi fore intelligeret. & hæc prior fuit ſors de veſtium parte: nempe de pallio, de lata veſte, déque ceteris interioribus præter tunicam:

*quæ cùm non tela, vti aliæ, ſed acubus concinnata fuiſſet: nec ſine magno intertrimento ſcindi poſſet, ad ſortis arbitrium relata eſt: ſingulis militum iuris proprij parti cedentibus potius, quàm bonam, & puram veſtem diſſolui, ac perire paſſuris. Id verò non modò iactu ipſo expeditum fuit: ſed ita fore diuinis oraculis fuerat antè prædictum. Lucas autem vtrumque exemplum ſortium plurali*
Lucæ 23. *nomine ſignificauit. Diuidentes verò veſtimenta eius, miſerunt ſortes. Marcus*
Mar. 15. *prius expreſſit: Diuiſerunt veſtimenta eius mittētes ſortem ſuper eis, quis quid*
Ioan. 19. *tolleret. Iohannes autem vtrumq; accuratè perſecutus eſt: Milites ergo cùm*
» *crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes: vni-*
» *cuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper con-*
» *texta per totum. Dixerunt ergò ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur*
» *de illa cuius ſit. vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimēta mea ſibi,*
» *& in veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt.*

Oportunitas, Modus. *Oportunitas verò huiuſmodi ſortium non vulgò quærenda eſt, in iis, inquam, exemplis quæ religionem tangunt. Sed vel ſi à Deo offeratur, capienda fideliter. vt in Ghachami hiſtoria obſeruauimus: vel ſi aliqua cauſa vrgente indicetur, magna reuerentia ac modeſtia, ac fideli ſtudio ſubeunda: ad eamq; rem precibus ac voto primùm, & humili obſecratione vti oportuerit. Ita olim Saulem regem de ceſſatione oraculi anxium, & impietatis cuiuſpiam ſuſpicione ſolicitum factitaſſe legimus:*
1 Sam. 14. *Et dixit Saul ad Dominum Deum Iſrael, Da indicium [quid eſt*
» *quòd non reſponderis ſeruo tuo hodie.] Et deprehenſus eſt Ionathas & Saul, po-*
» *pulus autem exiuit. Et ait Saul: Mittite ſortem inter me, & inter Ionathan fi-*
» *lium meum. Et captus eſt Ionathas. Ita & Apoſtolorum collegium, atque Eccle-*
Act. 1. *ſiæ concilium ſortem de Apoſtolatu præmiſſa prece duxerunt. Et orantes, di-*
» *xerunt: Tu Domine qui corda noſti omnium. & cetera, quæ paulo ſuperius*
» *adſcripſimus.*

Vſus. *Legitimè autem ductæ ſortis vſus ad publicas & priuatas rationes componendas commendatur. Namq; cùm alij atque alij de iure contendere, aut ambitu rem acturi videntur: dum modò nulli certa ac præcipua illuſtriſq; conſtet cauſa, ſors & controuerſias tollit, & miniſtros publicos ab inuidia exceptos liberat. Vbi verò de occulto crimine agitur, metus communis ſedatur, & ſuſpicio omnis in immerenteis fortaſſe cōmota vel vitatur, vel demùm extinguitur. Prioris cauſæ*
1 Sam. 10. *exemplum per Samuelem de rege optando, prudentiſſimè editum eſt. Nunc ergo*
» *ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias. Et applicuit Samuel om-*
» *nes tribus Iſrael, & cecidit ſors ſuper tribum Beniamin. Et applicuit tribū Ben-*
» *iamin, & cognationes eius. Et cecidit ſors ſuper cognationem Metri, & peruenit*
» *vſque ad Saul filium Cis. Poſterioris verò cauſam complura nobilitant exem-*
Ioſ. 18. *pla. vt Ioſue de anathemate: Saulis de ſua, vel nati culpa: Sociorum quoque Io-*
Ionæ 1. *næ de impietate. Et dixit vir ad collegam ſuum: Venite & mittamus ſortes, &*
» *ſciamus quare hoc malum ſit nobis. Et miſerunt ſortes, & cicidit ſors ſuper Io-*
*nam. Hunc verò generis huius ſortium vſum dilucidè commendauit Salomon:*
Prou. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat.*

Abuſus. *Cùm verò nulla tam bene conſtituta vitæ & actionum ratio ſit, quæ æmulationis & abuſus crimine non male aliquando audiat: accidit non rarò vitio hominum, vt ſortium etiam ducendarum facultas pluribus in rebus reprehenſione non careat. Maximè cùm vel nulla honeſta, atque vtilis vel publica, vel priuata cauſa,*

*cauſa, ſed vel ex auaritiæ ſtudio, non ſeruatâ rerum æſtimatione, vel ex ambitione immodica, vel ex inuidia aut odio perſonarum, vel ſuperſtitionis ergò, aut alio quod crudelitatem ſpectet, conſilio ſortium abuſus initur. Cuiuſmodi exemplum in Heſteræ hiſtoria legimus. Menſe primo, cuius vocabulum eſt Niſan,* Esther 3.
*anno duodecimo regni Ahaſueri miſſa eſt ſors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur Phur, coram Aman, quo die & quo menſe gens Iudæorum deberet interfici. Et exiuit menſis duodecimus, qui vocatur Adar. Huiuſmodi verò ſortium abuſus ad fortunam ſiue felicitatem infelicitatémve inquirendam Orientalibus illis antiquum ad noſtra vſque tempora permanaſſe cenſetur, Iſraelitis non rarò vſurpatus, atq; Vatibus monentibus reprehenſus. Proiecisti enim populum tuum* Isaiæ 2.
*domum Iacob: quia repleti ſunt vt olim [ſiue vt in exemplari eſt, ab Oriente] & augures habuerunt vt Philiſtiim.*

# DIVINATIO IN GENERE.

## EXCVRSIO ALTERA.

*Vt verò diſputationem, quam fuſius fortaſſe in varia genera partiti diduximus, ad vnum caput referamus: Diuinationis exempla omnia ad ſummam deducta, in duas tantùm formas diuidimus, Alteram veri prædicendi, alteram eludendi, falſumq; enunciandi. Eſt autem Diuinatio hæc oſtenſio rerum quæ vel futuræ ſunt adhuc, vel iam præteritæ obliuione: tamen ſepultæ, aut alius de cauſis ignotæ: vel quæ eodem ipſo quo indicātur tempore, fiunt aut ſunt, occultæ tamen adhuc iis quibus dicuntur. Hoc autem oſtenſionis, ſiue expoſitionis genus in duas diuiditur formas: alteram veram, vanam alteram. Veram præcipuè de futuris vel actionibus, vel rebus diuinis & humanis vnius Dei auctoritate & mandatis conſtare iam docebamus. S. S. E. Omni negotio tempus eſt,* Eccleſ. 8.
*& oportunitas: & multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuncio. &, Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne* Eccli. 3.
*dederis illis cor tuum: multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.*

*Vanarum autem orationum ſiue prædictionum, denunciationumq; impulſum vel à malo & mendace ſpiritu fieri edocti ſumus: vel ab ipſis qui huiuſmodi vel profitentur artes, aut ſuſcipere partes audent: tum ex deprauato ſenſu, tum ex deliberato conſilio proficiſcuntur. Vidi Dominum ſedentem in ſolio ſuo, &* 2 Par. 18.
*omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris. Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſraël, vt aſcendat, & corruat in Ramoth Galaad? Cumq; diceret vnus hoc modo, & alter alio, proceſſit ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui Dominus: In quo, inquit decipies? At ille reſpondit, Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Dixitq; Dominus: Decipies, & præualebis. Et apud Ieremiam Deus: In prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baghal, & decipiebant* Ierem. 23.
*populum meum Iſrael. Et in prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacij: & confortauerunt manus peſſimorū, vt non conuerteretur vnuſquiſque à malitia ſua. Facti ſunt mihi omnes vt Sodoma, & habitatores eius quaſi Gomorrha. Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad Prophetas: Ecce ego cibabo eos abſinthio, & potabo eos felle: à Prophetis enim Ieruſalem*

» *egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram. Hæc dicit Dominus exercituum: Nolite*
» *audire verba Prophetarum qui prophetant vobis, & decipiunt vos: viſionem*
» *cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. Dicunt his qui blaſphemant me, Locu-*
» *tus eſt Dominus, Pax erit vobis: & omnibus qui ambulant in prauitate cordis*
» *ſui, dixerunt: Non veniet ſuper nos malum. Quis enim affuit in conſilio Do-*
» *mini, & vidit, & audiuit ſermonem eius?*

*Huius verò farinæ diuinaculorum, qui rerum futurarum præſenſionem & & ſcientiam iactant, quiq́ occultarum quoque notitiam fingunt, varia in variis linguis vt collegia, ita nomina quoque ſunt ab eodem iſtorum præceptore, hoc eſt, à mendacij parente ſpiritu inuenta, magnificis quidem vocabulis: verùm veri prorſus inanibus. Certè in diuinis ſcriptis vel apud Ægyptios, vel apud Cananæos, vel apud Chaldæos ac Perſas & Arabes, alioſq́ Orientis filios, ſiue Orientales populos huiuſmodi diuerſæ commemorantur celebres voces.* Gen.14,10. Exodi 7,11. Deut.18,10. Dan.2. HHARTVMIM, HHACHAMIM, MECHASPHIM, KOZZEMIM, MEGHONEN, MECHAHHES, MECHASEPH, HHABAR, HHEBER, SEALOB, IEDGHVNI, DORESELHAMETHIM, ASSAPHIM, CHASDIM. *quorum interpretationes ad leges aduerſus huiuſmodi vanitates latam reſeruare commodè poſſumus. Omnes verò cõmuni vocabulo atque appoſitiſsimo* NEBIEI SEKER, *hoc eſt, mendaces Vates à veris Vatibus dictitantur. Atqui Ieremias huiuſmodi etiam nominibus iſtorum nobilitat collegia.* Ierem.27. *Prophetas, inquit, veſtros, diui-*
» *nos & ſomniatores, & augures, & maleficos.*

*Cuius quidem vanitatis profeſsione non viros tantùm, ſed feminas quoque recẽſitas legimus: quippe & ad confingendum mendacium, & ad ſe ipſam alióſque eludendum non minus quàm vir idonea femina. De viris exempla producere ſuperuacaneum erit, quando vel nomina ipſa in* IM *deſinentia pluralem formam eandemq́ maſculinam referunt. De mulieribus verò ita apud Ezchielem Deus.* Ezech. 13,17. *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ*
» *quæ conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia ſub capite*
» *vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Et cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum.* Act.16. *Et puellam ſpiritum Pythonis habentem, quæ quæſtum*
» *magnum præſtabat dominis ſuis diuinando in Tiatyrinorum vrbe Paulo ac Lu-*
» *cæ obuiam factam accepimus.*

*Atqui cuiuſmodi iſtorum ingenium, qualesq́ ſint mores, ars ipſa fallaciarum ac mendacij ſolers arguit: ignarum primum, & earum quas profeſsi ſunt rerum indoctum genus hoc facile deprehenditur. Namque Pythoniſſa mulier Saulem diſsimulato cultu ſeſe adeuntem non antea cognouit quàm à Samuele ex diuini permiſsi facultate ſuſcitato intellexit.* 1 Sam.28,7. *Dixitq́ Saul ſeruis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam.*
» *Et dixerunt ſerui eius ad illum: Eſt mulier Pythonem habens in Endor. Muta-*
» *uit ergo habitum ſuum, veſtitusq́ eſt aliis veſtimentis, & abiit ipſe, & duo viri*
» *cum eo, veneruntq́ ad mulierem nocte. Et ait illi, Diuina mihi in Pythone, &*
» *ſuſcita mihi quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum, Ecce tu noſti quanta fecerit*
» *Saul, & quomodo eraſerit magos & hariolos de terra: quare ergo inſidiaris ani-*
» *mæ meæ vt occidar? Et iurauit ei Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus, quia*
» *non eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem. Dixitque ei mulier, Quem*
*ſuſci-*

*ſuſcitabo tibi? Qui ait, Samuelem mihi ſuſcita. Cùm autem vidiſſet mulier Sa-* "
*muelem, Exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi, Tu* "
*es enim Saul. Eoſdem quoque probis hominibus inuidentes, & inſidias ſtruentes, improbis contra blandientes atque obſecundantes accuſat apud Ezechielē Deus. Cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum, vt interficerent* Ezech. 13.
*animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt.* "

*Modus autem, ritus & habitus quibus huiuſmodi diuinaculi, vti ſolent, pro cuiuſque ſectæ inuentis varij eſſe ſolent. Certè ſacrificuli illi quibuſcum Elias de Dei veritate contendebat, membrorum ſuorum inciſionibus ac plagis numinis ſui reſponſa quæritaſſe narrantur. Clamabant ergo voce magna, & incidebant* 1. Reg. 18.
*ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. Iſ-* "
*raelitides autem maleficæ ac diuinatrices ligamentis, faſciis, vittis, & puluillis* "
*in ſuorum incantamentorū ac præſtigiorum exercitatione vſas, Ezechielis ora-* "
*tio indicat. Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ conſuunt puluillos ſub omni cubi-* Ezech. 13.
*to manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas:* "
*& cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum. & paulò pòſt:* "
*Propter hoc hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad puluillos veſtros, quibus vos* "
*capitis animas volantes, & dirumpā eos de brachiis veſtris, & dimittā animas* "
*quas vos capitis, animas ad volandum. Et dirumpam ceruicalia veſtra, &* "
*liberabo populum meum de manu veſtra: neque erunt vltrà in manibus ve-* "
*ſtris ad prædandum.*

*Neque verò nugatoribus iſtis, imo iſti rerum publicarum peſti, ſuos qui faueant deeſſe patronos: imò frequentiſſimos adeſſe, animaduertendū notandumq; fuerit: nimirum præter principes, quorum moribus atque ambitioni cuncti greges iſti obſecundant, vt in Achabi, Ierobaghami, ac Iezabelis actis legimus, populum quoque ipſum, id eſt, vulgus mendaciorum ſtudioſiſſimum, & ſuperſtitionis plerumque ac vanitatis admiratorem. Eò quòd deceperint populum meum,* Ierem. 5.
*dicentes: Pax, & non eſt pax, & ipſe [populus] ædificabat parietem: illi autem li-* "
*niebant eum luto abſque paleis. Stupor & mirabilia facta ſunt in terra, Prophe-* "
*tæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & popu-* "
*lus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouiſſimo eius?*

*Videre verò atque æſtimare in promptu eſt quonam compendio, quóve operæpretio huiuſmodi ſtudia ſubeantur, & exerceantur munera: nempe gloriolæ cuiuſpiam apud magnates atque plebeios captandæ cauſa, tum ex diuinitatis opinione, tum etiam ex contentione, & æmulatione atque inuidia in veraces Vates concitata: quorum cum graues ac minimè populares mores, ſermones verò ſeueriores atque duriores habeantur, ingrata conſuetudo vulgò cenſetur. Igitur gratiolam ſuæ gentis primam cauſam huiuſmodi profeſſores proponūt, quod ex Balaami hiſtoria facilè cognoſcitur. quem iratus Moabitarum princeps huiuſmodi oratione dimittebat, Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus è con-* Num. 24.
*trario tertiò benedixiſti, reuertere ad locum tuum. Decreueram quidem magni-* "
*ficè honorare te, ſed Dominus priuauit te honore diſpoſito. Quo etiam in honore non laudes tantùm, ſed munera ac dona cum priuata, tum regia aut publica ponuntur: magna quidem ſi à principibus aut ciuitatibus tribuantur. Namque & hariolo huic ſic per nuncios fuerat pollicitus rex. Ne cuncteris venire ad me, Pa-* Num. 22.
*ratus ſum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi. Sed in hoc munerum ac*

*donorum genere tanta iſtorum auaritia eſt, vt minimè etiam ſordes admittantur pro ordine tamen & conditione eorum qui profitentur. Namq; & ſordidi ac viles, & ſplendidiores in ſingulis iſtorum ordinibus reperias. Sicut ſcriptum eſt:*
Ezech. 13. *Et violabant me ad populum meũ propter puſillum hordei & fragmen panis.*

*Quæ tamen inde ſeges? aut tanti moliminis vſus?*

*& fructus iis qui huiuſmodi pſeudomantas adeunt vel conſulunt, vel audiunt: profectò præter meram vanitatem ac deceptionem, nullus verè fuiſſe cenſetur. Namque ex nugis non niſi nugæ, aut mendacia, aut errores & inſaniæ oriri na-*
Ierem. 27. *tura ipſa rerum patitur. Vos ergo nolite audire prophetas veſtros, & diuinos, &*
» *ſomniatores, & augures, & maleficos qui dicunt vobis: Non ſeruietis regi Baby-*
» *lonis: quia mendacium prophetant vobis, vt longè faciant vos de terra veſtra:*
Dan. 2. *& eiiciant vos, & pereatis. &, vt Babylonius rex aiebat: Certè noui quod tem-*
» *pus redimitis, ſcientes quòd receſſerit à me ſermo. Si ergo ſomnium non indica-*
» *ueritis mihi, vna eſt de vobis ſententia, quod interpretationem quoque falla-*
» *cem & deceptionem plenam compoſueritis, vt loquamini mihi donec tempus per-*
Dan. 4. *tranſeat. & rurſus idem: Ego Nabuchodonoſor quietus eram in domo mea, &*
» *florens in palatio meo. Somnium vidi quod perterruit me, & cogitationes meæ*
» *in ſtratu meo: & viſiones capitis mei conturbauerunt me. Et per me propoſitum*
» *eſt decretum vt introducerentur in conſpectu meo cuncti ſapientes Babylonis, &*
» *vt ſolutionem ſomnij indicarẽt mihi. Tunc ingrediebantur harioli, magi, Chal-*
» *dæi, & aruſpices, & ſomnium narraui in conſpectu eorum, & ſolutionẽ eius non indicauerunt mihi. Et paulò pòſt: Myſterium quod rex interrogat, ſapientes, magi, & harioli, & aruſpices non poſſunt indicare regi. Namque vt ille canebat: Prudens futuri temporis exitum Caliginoſa nocte premit Deus, ridetq; ſi mortalis vltrà fas trepidat. Id quod breuiſsimè ac ſignificantiſsimè dimidio verſi-*
Prou. 25. *culo Salomon defendit.* Gloria Dei celare verbum. *Idem etiam alio in loco,*
Eccleſ. 8. *Omni negotio tempus eſt & oportunitas, & multa hominis afflictio, qui ignorat*
» *præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuncio. Huius autem rei ratio ſatis apertè*
Eccli. 24. *in Eccleſiaſtico indicata eſt. Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid*
» *verum dicetur? Diuinatio erroris & auguria mendacia, & ſomnia malefacien-*
» *tium, vanitas eſt. Et ſicut parturientis cor tuum phantaſias patitur. Niſi ab Al-*
» *tiſsimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis illis cor tuum.*

*Igitur in ſacræ legis diſciplina non modò huiuſmodi nugationes tamquam deliramenta irriſæ: verùm vt hominum ac ciuitatum pernities compluribus decretis vetitæ ac vendicatæ propoſita capitis pœna in eos, qui iſtis operam dederint. Quas leges ſuo recitatas loco exponemus, Deo propitio. Harum verò legum aſſertorem ſeuerum Saulem aliquando laudatum, eundẽ rurſus contemptorem, graui atque ignobili exitu punitum legimus. Cuius doctrinæ confirmationẽ vno*
Ierem. 20. *atque altero exemplo ſtatuemus. Non Phaſſur vocauit Dominus nomen tuũ, ſed*
» *pauorem vndique. Quia hæc dicit Dominus, Ecce, ego dabo te in pauorem, te &*
» *omnes amicos tuos: & corruent gladio inimicorum ſuorum, & oculi tui vide-*
» *bunt: & omnem Iudam dabo in manum regis Babylonis: & traducet eos in Ba-*
» *bylonem, & percutiet eos gladio. Et dabo vniuerſam ſubſtantiam ciuitatis hu-*
» *ius, & omnem laborem eius, omneq; pretium, & cunctos theſauros regum Iuda*
» *dabo in manu inimicorum eorum: & diripient eos, & tollent, & ducent in Ba-*
» *bylonem. Tu autem Phaſſur, & omnes habitatores domus tuæ ibitis in captiuita-*
*tem,*

*tem,& in Babylonem venies,& ibi morieris: ibiq́ ſepelieris tu,& omnes amici tui quibus prophetaſti mendacium. &, Non vos ſeducant prophetæ veſtri qui* Ierem.29.
*ſunt in medio veſtri,& diuini veſtri: & ne attẽdatis ad ſomnia veſtra quæ vos* "
*ſomniatis: Quia falsò ipſi prophetant vobis in nomine meo, & non miſi eos. Et* "
*Saul abſtulit magos & hariolos de terra: verùm eundem vt legis huius præuaricatorem punitum hiſtoria declarat. Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates* 1 Sam.28. 1 Par.10.
*ſuas: eò quòd præuaricatus ſit mandatum Domini quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino. Propter quod interfecit eum, & tranſtulit regnũ eius ad Dauid filiũ Iſai.* "

*Hæc verò ementitæ diuinationis exempla antiqua apud Orientales populos fuiſſe, iam antea indicauimus, & ab illis ad Chami poſteritatem propagata, grauibusq́ interdictis Iſraelitarum genti vetita, cum præcepto nihil iſtiuſmodi, ne per curioſitatem quidem quærendi, ſed permittendi ſua omnia otia, negotia, tempora ac momenta vnius Dei prouidentiæ ac tutelæ. Quando ingreſſus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes* Deut.18.
*illarum gentium: nec inueniatur in te qui luſtret filium ſuum aut filiam, ducens per ignem: aut qui hariolos ſciſcitetur, aut obſeruet ſomnia atque auguria: ne ſit maleficus, nec incantator, nec pythones conſulat neque diuinos: & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus: & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo. Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo. Gentes iſtæ quarum poſſidebis terram, augures & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* "

*Nec verò Balaami malefici exemplum negotij quicquã ſtudioſis facere poteſt, quibus facile eſt cognoſcere, Dei voluntate atque ſingulari conſilio ipſum opera ſua abuti coactum: idq́ ad tempus ea cauſa effectum fuiſſe, vt qui huius arteis quicquam valere exiſtimarant, contrario votis ſuis officio irritas & vanas, vnicamq́ Dei prouidentiam omni ex parte efficacem conſtantemq́ eſſe. Quippe cùm ille, quamquam inuitus, & præter animi ſententiam ea tantùm pronunciauerit, dixerit, & decantauerit: quæ Dei gubernatoris, atque populi illius tutoris vnici ſpiritu ac iuſſu non ex volentis ac iubentis regis ratione, ſed ex Iſraelitarum re ac felicitate dictabantur. Aſſumptaq́ parabola ſua, dixit: De Aran* Antypophora. Num.23.
*adduxit me Balaac rex Moabitarum de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Iaacob: propera, & deteſtare Iſrael. Quo modo maledicam cui non maledixit Deus? Qua ratione deteſter quem Dominus non deteſtatur?* "

*Verùm enimuerò vnum prouidentiæ opus & officium nõ modò non vetitum, verùm ſæpiùs etiam commendatum in ſacra diſciplina obſeruauimus, id videlicet, quod ex notitia rerum, temporum, ac perſonarum petitum rectè initur. Ineſt enim in hominum cordatorum animis præſagitio extrinſecus iniecta & incluſa, diuinitus quæ ex præteritorum temporum atque exemplorum ratione & comparatione multa & rectè & vtiliter prædicere præcauereq́ valet: quæ in omnem vitæ partem domi ac foris, in pace & in bello vtilia euadant. Cuius virtutis exemplum Ioab ſibi ſuisq́ nunciis obiiciendum à Dauide prouido rege præmonebat. Si eum videris indignari, & dixerit: Quare acceſſiſtis ad murũ, vt prælia-* 2 Sam.11.
*remini? an ignorabatis quòd multa deſuper ex muro tela mittantur? Quis percuſſit Abimelech filium Ierobaal? nonne mulier miſit ſuper eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes? quare iuxta murum acceſſiſtis? dices,* "

 *Etiam*

*Etiam ſeruus tuus Vrias Hethæus occubuit. Quæ in commendanda integrum fere maximæ illius orationis caput Eccleſiaſtes conſumit. Omnia tempus habent,*
Ecclеſ. 8. *& ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo: Omni negotio tempus eſt, & oportu-*
» *nitas, & multa hominis afflictio: quia ignorat præterita, & futura nullo ſci-*
» *re poteſt nuncio.*

*Hactenus de omni tam veræ quàm fictæ atque ementitæ diuinationis forma diſputatum eſt: atque ex omni genere illud tantummodo commendatum ac receptum, quod per veros ac probatos Vates exercetur. Horum enim operæ & miniſterio quæcumque quondam Deus cum hominibus agenda voluerat, commiſit,*
Amos 3. *& credidit. S.S.E. Quia non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſe-*
» *cretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Id autem munus ferè perpetuum fuit antiquis ætatibus ac temporibus patrum ad vſque Ieſu Nazareni præſentiam, qua vaticiniorum omnium atque etiam legis veritas explicata fuit, concedentibus ipſis, & lampada tradentibus vtriuſque muneris miniſtris, hoc eſt, legiſla-*
Lucæ 9. *tore ac vatibus. S.S.E. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem*
» *Moyſes & Elias viſi in maieſtate: & dicebant exceſſum eius, quem completu-*
» *rus erat in Ieruſalem. Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno.*
» *Et euigilantes, viderunt maieſtatem eius, & duos viros qui ſtabant cum illo.*
» *Et factum eſt cùm diſcederent ab illo, ait Petrus ad Ieſum, Præceptor, bonum eſt*
» *nos hìc eſſe: & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moyſi, & vnum*
» *Eliæ: neſciens quid diceret. Hæc autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbra-*
» *uit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem. Et vox facta eſt de nube, di-*
» *cens: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Et dum fieret vox, inuentus eſt Ieſus ſolus. Qui vaticinij quoque ſui tempus tamdiu peregit, quoad ex mortuis ſuſcitatus, in cælumq́ rediturus diſcipulis propriis alium Paracletum propediem pollicitus eſt affuturum eundem veritatis omnis doctorem promiſſum.*
» *S. S. E. Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vo-*
» *bis. Ille de meo accipiet, ac dabit vobis. Doctrinam illam ab alio Paracleto præ-*
Ioan. 14. *ſtandam internam, perpetuam, & abſolutam fore ſignificans. Spiritum, inquit,*
» *veritatis quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum.*
» *vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Cuius diuini ſpiritus virtute efficiendum erat, vt quæ eatenus ex parte cognoſcebantur ad*
1 Cor. 13. *perfectum deducerentur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Interim verò dum hoc diuinũ beneficium quod vaticiniorum omnium finem abſolutum repræſentat, hominibus non contingeret, diſciplinam, doctrinam, reſponſaq́ omnia pietatem ſpectantia à legis miniſtro ac Vatibus petenda conſtituerat comen-*
Lucæ 16. *daueratq́ Deus. Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos: Si Moyſen & Pro-*
» *phetas non audiunt: neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent. Hæc illius Vatum omnium præſtantiſsimi ac maximi ſententia eſt, quam nos fideliter diuino beneficio ſecuti, omnem magni huius operis fabricam conſtruere ſtatuimus, materia petita ex lege atque vatum reſponſis, in quorum cenſu Apoſtolos etiam ponimus, quod ad doctrinam facit, quæ auribus primùm percipitur. Nam de alia ſapientia quàm illi inter perfectos loqui ſolent, non eſt partium noſtrarum modò agere.*

DE

# DE VARIO ET MVLTIPLICI VANARVM SORTIVM GENERE:

מיזון אוב
ידעוני

Hoc eſt PITHON, OB LIDCHVNI & ceteris curio- Nicromantia, geomátia, chiromantia, inſpectio extorum, &c. curioſa.
ſitatis titulo notatis, aliàs oportunè agendum.

## DE ANGELIS DISPVTATIO.

*NATVRÆ ſeries ac ratio exigere videtur, vt vaticinij doctrinam ea* Cum animę lib. 1. cap. 6.
*diſputatio conſequatur, quæ ad angelos angelorumq́; virtutes & mini-*
*ſteria pertinet. Nam quæcunque perantiquos Vates acta tranſacta at-* 1.
*que explicata fuere angelorum operæ ac miniſtrationi tribuuntur. S.S.E. Multi-* Heb. 1.
*fariam, multiſq́; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis. & paulo infe-* “
*riùs: Qui per angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus.*

*Atque naturam veritatemq́; angelorum omnes homines qui diuini eloquij* 2.
*diſciplina imbuti ſunt, cognoſcunt & fatentur præter vnicam Saducæorum ſe-* Veritas.
*ctam, quorum ſententias Ieſu Chriſti ſapientiſſima reſponſione redargutas, atq́;*
*cordatorum hominũ iudicio iampridem exploſas nouimus. Sadducæi autem di-* Actor. 23.
*cunt non eſſe reſurrectionem mortuorum, neque angelum, neque ſpiritum: Pha-* “
*riſæi autem vtraque confitentur. Factus eſt autem clamor magnus: & exurgen-* “
*tes quidam Phariſæorum pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine* “
*iſto. quid ſi ſpiritus locutus eſt ei, aut angelus.*

*Legitimis autem ſanctorum atque adeò prophanorum hominum teſtimoniis* 3.
*angelorum veritas examinata comprobatur. Quippe non ſingularibus modò,*
*verùm binis, interdum etiam ternis conſpecti angeli commemorantur: idq́; non*
*ſemel per alia atque alia ſecula repetitum eſt. Abrahamo tres viri primùm exi-* Gen. 18.
*ſtimati, demumq́; angeli comperti, & hoſpitio ſuſcepti ſunt: quorum & præſen-*
*tia & ſermo vxori Saræ atque adeò familiaribus omnibus conſtitit. Idem etiam*
*exemplum Loto Lotiq́; vxori ac filiabus contigit. Veneruntq́; duo angeli Sodo-* Gen. 19.
*mam veſperi ſedente Lot in foribus ciuitatis: qui cùm vidiſſet eos, ſurrexit, &* “
*iuit obuiam eis, adorauitq́; pronus in terram, & dixit: Obſecro, Domini, declina-* “
*te in domũ pueri veſtri, & manete ibi: Lauate pedes veſtros, & manè proficiſce-* “
*mini in terram veſtram. Qui dixerũt, Minimè, ſed in platea manebimus. Com-* “
*pulit illos oppidò vt diuerterent ad eum. Hos verò duos ex iis qui Abrahamo* “
*excepti fuerant, angelos & hiſtoria ipſa non ſemel nominat, & Apoſtolica do-*
*ctrina aſſerit. Caritas fraternitatis maneat in vobis: & hoſpitalitatem nolite* Heb. 13.
*obliuiſci. Per hanc enim latuerunt quidam angelis hoſpitio receptis. Iaacobus è* “
*Meſopotamia in Chananæam rediens, angelos obuiam factos admiratus loco* Gen. 32.
*nomen fecit Mahanaim. & eandem ipſam noctem in lucta cum angelo ad auro-*
*ram vſque peregit, victorq́; ex fide conſtitutus, Iſraëlis nomen in perpetuũ vir-*
*tutis monimentum retulit. Idem quoque nepotibus binis bene ominatus, ange-*
*lum ſibi tutelarem cognitum votis arrogabat. Deus, in cuius conſpectu ambula-* Gen. 48.
*uerunt patres mei Abraham & Iſaac, Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea* “
*vſque in præſentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pue-* “
*ris iſtis. Neque verò hominibus tantùm mentis rationiſq́; compotibus, verùm*

brutis

*brutis etiam angelum viſum & formidatum accepimus, quando Balaamo ha-*
Num.22. *riolo aſinam verberante, ſtetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, qui-*
„ *bus vineæ cingebantur. Quem videns aſina, iunxit ſe parieti, & attriuit ſeden-*
„ *tis pedem. At ille iterum verberabat eam: & nihilominus Angelus ad locum an-*
„ *guſtum tranſiens, vbi nec ad dextrā nec ad ſiniſtrā poterat deuiari, obuius ſtetit.*
„ *Cumq́; vidiſſet aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis. (& paucis*
„ *interpoſitis) Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum ſtan-*
„ *tem in via euaginato gladio, adorauitq́; eum pronus in terram. Cui Angelus,*
„ *Cur, inquit, tertiò verberas aſinam tuam? Ego veni vt aduerſarer tibi, quia per-*
„ *uerſa eſt via tua, mihique contraria. Et niſi aſina declinaſſet de via, dans locum*
„ *reſiſtenti, te occidiſſem, & illa viueret. Dixitq́; Balaam, Peccaui, neſciens quòd*
Iudic.6. *tu ſtares contra me. Gedeon cùm excuteret atque purgaret frumenta in torcu-*
„ *lari, vt fugeret Madian, apparuit ei angelus Domini, & ait: Dominus tecum*
„ *virorum fortiſſime. Qui poſt longum ſermonem vltrò citroq́; habitum, poſt ho-*
„ *ſpitis curata officia, videns quòd angelus eſſet Domini, ait: Heu mi Domine*
„ *Deus: quia vidi angelum Domini facie ad faciem.*

*Manue quoque Danitæ atque illius vxori Samſonis parentibus deſtinatis, an-*
*gelus Domini conſpectus, alteri quidem ſemel, alteri verò iteratò viſus, & vtriſ-*
„ *que colloquio exceptus, ac demum cognitus. Cumq́; aſcenderet flamma altaris in*
„ *cælum, angelus Domini pariter in flamma aſcendit. Quod cùm vidiſſent Manue*
„ *& vxor eius, proni ceciderunt in terram, & vltrà eis non apparuit angelus Do-*
„ *mini. Statímque intellexit Manue angelum Domini eſſe.*

*Poſterioribus quoque ſeculis ac regum temporibus conſpecti angeli teſtes, ex*
1 Par. 21. *alienigenis quinque ac ſex tum Dauidem regem producere licet. Porrò angelus*
„ *Domini ſtabat iuxta aream Ornan Iebuſæi: Leuanſq́; Dauid oculos ſuos, vidit*
„ *angelum Domini ſtantem inter cælum & terram: & euaginatum gladium in*
„ *manu eius, & verſum contra Ieruſalem: & ceciderunt tam ipſe, quàm maiores*
„ *natu veſtiti ciliciis proni in terram. Dixitq́; Dauid ad Deum, Nónne ego ſum*
„ *qui iuſſi vt numeraretur populus? Ego qui peccaui, ego qui malum feci? Iſte grex*
„ *quid commeruit? Domine Deus meus vertatur obſecro manus tua in me, & in*
„ *domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur. & paulò pòſt: Porrò*
„ *Ornan cùm conſpexiſſet, & vidiſſet angelum, quatuorq́; filij eius cum eo, abſcon-*
„ *derunt ſe: nam eo tempore terebat in area triticum. Quin & Tobias egreſſus*
Tob.5. *inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambu-*
„ *landum. Et ignorans quòd angelus Dei eſſet, ſalutauit eum, & dixit: Vnde te ha-*
„ *bemus bone iuuenis? At ille reſpondit, Ex filiis Iſraël.*

*Iſaiæ verò Danieli ac Zachariæ cæleſtes angeli ſiue ſpiritus animi magis ac*
*mentis perſpicientia (quam viſionem dicunt) quam corporeis luminibus excepti*
*creduntur; tametſi apud fornacem quarti viri ſpeciem, filij Dei inſtar habentis,*
*Nabuchodonoſor ſibi conſpectam teſtetur, quod ad ſenſum quoque referendū fue-*
Dan. 3. *rit. Et erumpens Nabuchodonoſor, ait: Benedictus Deus eorum, Sidrach videli-*
„ *cet, Miſach, & Abdenago, qui miſit angelum ſuū, & eduxit ſeruos ſuos qui cre-*
„ *diderunt in eum: & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora ſua*
„ *ne ſeruirent & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo ſuo.*

4. *Sed feliciſſimis iam Euangelij Chriſti diebus angelus Gabriel Zachariæ pri-*
Lucæ 1. *mum ſacerdoti naſcituri filij nuncium attulit: idemq́; ſexto poſt menſe Mariam*
*virgi-*

*virginem, Dei matrem mox futuram ſalutauit: viuentem, inquam, videntem, & ſentientem: ac diuino reſponſo ſumma cum fide parentem. Paſtoribus quoque in Bethlehemæ agro vigilantibus, nati Seruatoris publici bonus nuncius per angelos allatus eſt. Demumq́ mulieribus apud Chriſti ſepulchrum hærentibus, angelus viſus audituſq́ fuit. Et nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie quòd hæc facta ſunt: ſed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos: quæ ante lucem fuerunt ad monumentum: & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere.* Lucæ 1. Lucæ 24. " " "

5. Natura. *Eſt autem angelus ex eo rerum genere quas natura præſtantiſſimas ac puriſſimas Deus condidit, ſpirituſq́ vocari voluit. Non quòd corpore conſtent vel tenuiſſimo & leuiſſimo, vti aër & venti, quæ in corporum cenſu numerantur: ſed nomen* Spiritus *ex eo ſortita hæc natura fuit: quod, vt inter corporeas res ventus & aër maximè tenues, inuiſibiles, penetrales, & veloces, atque in omnẽ partem mobiles habentur: ita inter ceteras omnes quæ diuino opificio extiterunt, naturas, hæc ſingulariter & corpore caret, & velociſſima, efficaciſſima, præſentiſſimaq́ eſt: atque in omnem partem quò iubetur, agiliſſima & promptiſſima, formæq́ omni & imagini repræſentandæ idonea atque habilis. Namque vt aër & ventus cùm nullam ſua ſponte propriam formam figuramq́ ſortiti: propter tenuitatem tamen cuiuſcunque vaſis, aut loci quo recepti ſunt, ſpatium occupãt, figuramq́ referunt. Ita ſpiritus illi cæleſtes propter virtutis præſtantiam, varias pro vt iuſſi fuerint, formas & ſpecies præferre oſtendereq́ poſſunt, & corporum molem facilè imitari: coloréſque, & cetera quibus animantium ſenſus mouentur & percelluntur, exhibere, atque celeritatem quidem venti, ignis verò præſentiſſimam efficacitatem longè præſtantiſſima virtute exhibent. S. S. E. Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Conturbati aliquando Apoſtoli repentina Ieſu Chriſti ac ſubita præſentia & ſalutatione, atque conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes: quia ego ipſe ſum. Palpate, & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Pſal. 103. " Lucæ 24. " "

6. *Atque hæc natura quamquam principium Deo auctore habuerit, fine tamen caret: atque immortalis prorſus eademq́ numeroſiſſima eſt, ideoq́ cùm corruptionis expers maneat, ſuffectione non indiget, qualis rebus aliis contingit, quæcunque oriuntur & occidunt. Nec vlla rerum earum quæ ſub cælo factæ fuerint, lædi poteſt, non temporum iniuriis tangi, neque acerrima ignis elementaris vi vel vri, vel offendi. S. S. E. Filij huius ſeculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi verò qui digni habentur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt vxores, neque vltrà mori poterunt: æquales enim angelis ſunt, & ſunt filij Dei cùm ſint filij reſurrectionis. & ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Atque hac naturæ propriæ immortalitate hominum generi terreni corporis mole, & infirmitudine minori angelorum & ſpirituum cæleſtium collegia præſtare dicuntur. S. S. E. Quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? minuiſti eum paulo minùs ab angelis. & Petrus: Angeli, inquit, fortitudine & virtute cùm ſint maiores, non portant aduerſus ſe apud Dominum execrabile iudicium. Cumq́ aſcenderet flamma altaris in cælum, angelus Domini pariter in* Lucæ 20. " " Heb. 1. " Pſal. 107. Heb. 1. " " Iudic. 13.

» *flamma aſcendit. Quod cùm vidiſſet Manue & vxor eius, proni ceciderunt in*
» *terram. Et vltrà eis non apparuit angelus. Statímque intellexit Manue ange-*
» *lum Domini eſſe.*

7. Gen. 1. Pſal. 103. Iſaiæ 14. Dan. 3. *Auctorem verò ſuum angeli, vti orbis omnis, & quæ orbe continentur omnia, vnicum Deum laudant, qui in principio creauit cælum & terram: & facit angelos ſuos ſpiritus. Cuius principij & creationis rationem illud apud Vatem ſpectat, Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & exaltate eum in ſecula. Benedicite*
» *angeli Domini Domino.*

8. *Quamquam verò in terris ab hominibus identidem conſpectos angelos accepimus: tamen illos cælum, hoc eſt, Dei regis aulam, tamquam propriam ſibi manſionem ac ſedem præcipuè ſibi adſcribere credimus. Sæpius autem circa thro-*
2 Paral. 18. *num regiamq́; Dei verſatos hos Vatum oratio deſcribit. Vidi Dominum ſeden-*
» *tem in ſolio ſuo: & omnem exercitum eius aſsiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris.*
Pſal. 148. *Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes an-*
» *geli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Quo carmine primi in cælo laudatores angeli citantur.*

9. Cōparatio. *Non eſſe verò cum Deo Deiq́; virtute vllo pacto conferendum angelorum genus omne, ſed neque quicquam aliud Deo ſimile aut par, aut ſecundum eſſe, dici, cogitariq́; poſſe, primus ille inter angelos ſiue archãgelos declarauit, qui ex virtute & victoria contentionis quondam ac pugnæ de præſtantia Dei aduerſus Luciferum initæ ac ſuperatæ, meritum retulit nomen* MICHAEL, *id eſt,* Quis
Apoc. 12. vti Deus omnipotens. *S.S.E. Et factum eſt prælium magnum in cælo, Mi-*
» *chaël & angeli eius præliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat & angeli*
» *eius: & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. Et pro-*
» *iectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus qui vocatur diabolus & Satanas,*
» *qui ſeducit vniuerſum orbem. Et proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo*
» *miſsi ſunt. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, &*
» *virtus, & regnum Dei noſtri. Omnia quæ à Iohanne deſcripta, & veritatem antiquam, & myſterium continent Chriſti Ieſu.*

10. Sapientia. *Sapientiſsimam verò omnium ſpirituum qui à Deo conditi ſunt, angelorum naturam eſſe, vtpote nullius corporis aut elemẽti mole à perſpiciendo cognoſcendoq́; impeditam; rerum ratio ac veritas ipſa poſtulat, & ſacra etiam docent ſcri-*
2 Sam. 14. *pta. Tu autem Domine rex ſapiens es, ſicut habet ſapientiam angelus Dei, vt in-*
» *telligas omnia ſuper terram. Chriſtus verò Ieſus ea quæ angelis ignota fuerint,*
» *mortalium vlli percepta & cognita negat. De die autem illo vel hora nemo ſcit,*
» *neque angelus in cælo, neque Filius, niſi Pater.*

11. Dignitas. 1 Reg. 19. *Dignitatem & auctoritatem angelorum locus habitus indicat: quippe quos à dextris & à ſiniſtris Deo aſsiſtentes viſos ſibi Micheas Vates teſtatus eſt. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſsiſtentem ei*
» *à dextris & à ſiniſtris. Nec verò maior dignitas eſſe poteſt aut optari, quàm per-*
Pſal. 102. *petuum miniſterium obſequiumq́; Dei. S.S.E. Benedicite Domino omnes angeli*
» *eius, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendum vocem ſermonum eius. Dei autem, id eſt,* ELOHIM *nomen, titulum dignitatemq́; huic etiam*
Pſal. 96. *naturæ ex diuino munere arrogari Pſaltes docuit: Quoniam magnus Domi-*
» *nus & laudabilis nimis: terribilis ſuper omnes Deos. Ac Deus apud Iobum:*
*Cùm*

*Cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Iob 38.

*Cùm verò nullam ex natura propriam formam figuramq́ ſortiti fuerint angeli: quippe meri ſpiritus cùm ſint, corporis in modum, circumſcribi nequeunt: tamen pro miniſtrationis ratione, & eorum ad quos mittuntur hominum vſu ac rerum agendarum oportunitate humanam ſpeciem ſibi comparare & exhibere perſæpe ſolent, vt cùm Abrahamus in valle Mamre commoratus aliquando,* Gen 18.
*eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum. Ex quibus paulo pòſt venerunt duo angeli Sodomam veſperi, ſedente Lot in foribus ciuitatis: qui cùm vidiſſet eos, ſurrexit, & iuit obuiam eis: adorauitq́ pronus in terram, & dixit eis: Obſecro Domini declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi. Lauate pedes veſtros. Et Samſonis mox futura mater Manue viro ſuo narrabat: Vir Dei* Iud. 13.
*venit ad me, habens vultum angelicum terribilis nimis: quem cùm interrogaſſem quis eſſet, & vnde veniſſet, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere: ſed hoc reſpondit, Ecce concipies, & paries filium: &c. Orauit itaque Manue Dominum, & ait, Obſecro Domine, vt vir Dei quem miſiſti, veniat iterum, & doceat nos quid debeamus facere de puero qui naſciturus eſt. Exaudiuitq́ Deus deprecationem Manue, & apparuit rurſum angelus Domini vxori eius ſedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Quæ cùm vidiſſet angelum, feſtinauit, & cucurrit ad virum ſuum: nunciauitq́ ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir quem antea videram. Qui ſurrexit, & ſecutus eſt vxorem ſuam: veniensq́ ad virũ, dicit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille reſpondit, Ego ſum.*

*Et cùm extendiſſet manum ſuam angelus Domini ſuper Ieruſalem vt diſperderet eam,* 2 Sam. 24.
*miſertus eſt Dominus ſuper afflictionem, & ait angelo percutienti populum: Sufficit, contine manum tuam. Erat autem angelus Domini iuxta aream Araunæ Iebuſæi, Dixitq́ Dauid ad Dominum, cùm vidiſſet angelum cædentem populum, Ego ſum qui peccaui, &c. Iſaias alis ſenis prædita Seraphim,* Iſaiæ 6.
*apud Dei ſolium adſtantia, ſibi prædicat viſa. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Daniel quoque: Audiui, inquit, vocem viri in-* Dan. 8.
*ter Vlai, & clamauit, & ait: Gabriel fac intelligere iſtam viſionem, & venit, & ſtetit iuxta vbi ego ſtabam: Cumq́ veniſſet, pauens corrui in faciem meam. Angelum Mariæ virgini apud Nazareth viſum viri facie, vt antea etiã in templo* Lucæ 1.
*Zachariæ ſacerdoti conſpectum intelligimus. Et veſperi ſabbathi quæ luceſcit in* Matth. 28.
*prima ſabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.* Mar. 16.
*Et ecce terræmotus factus eſt magnus, & angelus Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix. Præ timore autem exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Reſpondens autem angelus dixit mulieribus: no-* Ioan. 20.
*lite timere vos. Et Maria ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos angelos in albis ſedentes: vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum erat corpus Ieſu. Cúm-* Act. 1.
*que intuerentur diſcipuli Ieſum in cælum euntem, Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis. Et apud Cæſaream Centurio, Cornelius nomine, vi-* Act. 10.
*dit in viſu manifeſtè quaſi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad ſe. Idq́ idem Apoſtolo Petro ac familiaribus amiciſq́ ſuis paulo pòſt indicabat. A nudius quarta die, vſque ad hanc horam orans eram hora nona in domo*

» mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida, & ait, Corneli, &c.

13. Cauſa. Horum ſpirituum creandorum cauſam, miniſtrationem, eámque variam ac multiplicem fuiſſe diuina nobis ſcripta declarant: quod vel vnus ex ipſorum titulis indicat MALACH in ſacra lingua, in Græca verò ἄγγελος, quem Latini ſiue legatum, ſiue nuncium dicere ſolent. S.S.E. Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Et cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Nonne omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis? Non quod huiuſmodi miniſtris Deus ipſe indiguerit: ſed quod hominũ gubernationis atque ſalutis cauſa vti huiuſmodi miniſteriis voluerit. Propter eos (inquit) qui hæreditatem capiunt ſalutis. Et leuaui oculos meos

Pſal. 103. Iob 38. Heb. 1.

Zachar. 2.

» & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus menſorum, & dixi: Quo tu va-
» dis? & dixit ad me, Vt metiar Ieruſalem, & videam quanta ſit longitudo eius,
» & quanta ſit latitudo eius. Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur:
» & alius angelus egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum: Curre, & lo-
» quere ad puerum iſtum, dicens: Abſque muro habitabitur Ieruſalem.

14. Numerus. Quo autem numero miniſtrorum huiuſmodi conficiatur ſumma, nullis adnotare poſſumus diuinorum ſcriptorum locis, certè frequentiſſimas copias exiſtimare cuiuis lectionis illius perito licet. An putas quia non poſſum rogare Pa-

Mat. 26.

» trem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones angelorum,
Iſaiæ 24. aiebat Ieſus. Et erit in die illa viſitabit Dominus ſuper militiam cæli in excel-
» ſo. Aſpiciebam (inquit Daniel) donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſe-
» dit: veſtimentum eius candidũ quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana mun-
» da. Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accenſus. Fluuius igneus rapidúſ-
» que egrediebatur à facie eius. Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena
Lucæ 2. millia aſſiſtebant ei. Et Lucas etiam cum angelo Chriſti nati nuntio cæleſtis militiæ multitudinem factam eſſe narrat, laudantium Deum & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Non infiniti. Porrò quamquam eos hominum calculis non numeratos vmquam credamus: tamen infinitos non eſſe, ſed certo numero à Deo definitos intelligimus: qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina ponit. vt Pſaltes canit: Cùm tamen ſtellas numerare nec Abrahamo ipſi Chaldæo, illiuſq́ diſciplinæ peritiſſimo contigerit. Definitionem verò hanc ex verbo omnis facilè oſtendere

Pſal 95. eſt, quod plurali numero infinitis non conuenire rebus compertum eſt. Adorate
Pſal. 102. eum omnes angeli eius. &, Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes vir-
» tute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius. Quo carmine & multi non tamen eſſe infiniti, & miniſtrare omnes: idq́ fideliſſimè agere di-
» cuntur, Ad audiendam vocem ſermonum eius.

15. Atque genus illud omne ſpirituum quibus angeli nomen ac titulus adrogatur, non permixtum, ſed certis ordinibus diſtinctum, ſinguloſq́ ſua diligenter & ſtrenuè ac fideliter obire munera accepimus. Cùm autem eſſet Ioſue in agro vrbis

Ioſue 5.

» Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem
» gladium. Perrexitq́ ad eum, & ait: Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit:
» Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio. & apud Da-
Dan. 10. nielem: Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus. Et ecce
» Michaël vnus de Principibus primus venit ad adiutorium meum. Et cùm egre-
» derer, apparuit princeps Græcorum, veniens. Principe autem vel aliis angelis,

vel

*vel certè hominibus hominumq́; nationibus, Præfectos intelligimus. Nemo ad-* Ibid.
*iutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps veſter. Principatuum verò ac*
*poteſtatis in angelis mentio Apoſtolica in doctrina fit. Certus ſum enim quia ne-* Coloſ. 1.
*que mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, &c. Et*
*idem Apoſtolus Chriſtum prædicat à Deo conſtitutum ſuper omnem principa-* Rom. 8.
*tum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & ſuper omne nomen quod*
*nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo, ſed in futuro.*

*Quamquam verò angeli nomen ac titulus eius à quo miſſus vnuſquiſque* 16.
*fuerit, auctoritatem & vicem probet: tamen ſingulari aliquando repræſentatio-* Repræſentatio.
*ne & actione angelus quiſpiam Dei perſonam ſuſtinere obſeruatus, atque am-*
*pliori tum auctoramento, tum munere fungi exiſtimatus eſt. Id quod vel ex vno*
*in Prophetis loco oſtenditur, in quo cùm Gedeoni angelus Domini viſus fuiſ-*
*ſe narretur; idem inter narrandum* DOMINVS *appellatur* IEHVEH *nomi-*
*ne expreſſo. Dixitq́; ei Gedeon: Obſecro mi Domine, Si Dominus nobiſcum eſt,* Iud. 6.
*cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi ſunt mirabilia eius quæ narraue-*
*runt patres noſtri, atque dixerunt: De Aegypto eduxit nos Dominus. Nunc au-*
*tem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian. Reſpexitq́; ad eum*
*Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Ma-*
*dian, Scito quòd miſerim te. Atque in hunc modum explicanda ſunt loca om-*
*nia ex antiquis libris, quibus cùm angelus conſpectus fuerit, Dominus tamen vi-*
*ſus aut locutus dicitur. vt, Apparuit autem ei Dominus in conualle Mamre,* Gen. 18.
*ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei. Quin & lex omnis antiqua,*
*& quæcumque legem comitata ſunt, acta omnia, quamquam Domini citent atq́;*
*indicent nomen: tamen angeli cuiuſpiam miniſterio ex Domini autem auctori-*
*tate contigere: namque ipſum Deum auctorem moderatoremq́; omnium aduſ-*
*que Euangelij ætatem angelos ad munera omnia deſtinaſſe ac mandaſſe Spiritus*
*ſanctus apertè declarat Apoſtolorum teſtimoniis ac martyrum. Multifariam,* Heb. 1, & 2.
*multiſq́; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis*
*locutus eſt nobis in Filio. & paulò inferiùs: Propterea abundantius oportet ob-*
*ſeruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per angelos*
*dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, &c. Et Stephanus legem in diſpoſitione an-* Act. 7.
*gelorum acceptam memorat. & Paulus alibi, Quid igitur lex? Propter tranſ-* Galat. 3.
*greſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata per angelos*
*in manu mediatoris.*

*Ac præter hoc quod modò indicauimus, cetera miniſteria quæ à ſpiritibus illis* 17.
*exercentur, tametſi multiplici ac vario ſubeantur nomine; tamen hominis feli-*
*citatem primùm cuius gratia inſtituta ſunt: deinde ipſorum ſpirituum gloriam*
*ſpectant omnia. Eſt enim vniuſcuiuſque naturæ gratulatio & gloria ſuas partes*
*rectè obitas, ex Dei præſcripto ac iuſſu peragere. S. S. E. Ignis, grando, nix,* Pſal. 102.
*glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. &, Benedicite Domino*
*omnes virtutes eius: miniſtri eius qui facitis voluntatem eius. Benedicite Do-*
*mino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius. Pro rerum verò vſu ac*
*temporum oportunitate alia atque alia munia illis conſtituta tractantur. Cum-*
*primis enim omnes Deo aſſiſtunt, diuinumq́; circunſtant ſolium: quod eo modo*
*quo hæc noſtris deſcribi poſſunt ſermonibus intelligendum eſt, hoc eſt, omnes*
*promptos ac præſentes diuinæ voluntati ſeſe præbent. Quod vel Vates ille Mi-*

1 Reg. 22. 2 Par. 1. cheas teſtatus expoſuit: Vidi Dominum ſedentem in ſolio ſuo, & omnem exercitum eius aſsiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris. Hanc autem aſsiſtentiam & miniſtrationem hominibus non ad gratulationem modò, ſed ad fidelis quoque obſequij, & perpetuæ laudationis exemplum notam Deus voluit: Cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, inquit ipſe apud Iobum.

18. Et nonnulla alia hoc loco miniſtrationum genera, quibus cæleſtes illi ſpiritus præficiuntur & exercentur, indicare oportunum fuerit. Ex quibus vnum eſſe legimus tutelam publicam tum gentium ac nationum, tum ciuitatum etiam. Iſaiæ 63. S.S.E. In omni tribulatione eorũ nõ eſt tribulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos: in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & Dan. 10. eleuauit eos cunctis diebus ſeculi. & apud Danielem. Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, Et ecce Michaël, vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum.

19. Singularem etiam vnius cuiuſque hominum tutelam & patrocinationem illis demandatam, compluribus teſtimoniis docemur. Et viſitatio tua (inquit Io- Iob 10. bus) cuſtodiuit ſpiritum meum. qui ſua lingua PEKVDATHCHA, id eſt, præfe- Gen. 48. ctura tua, ſiue, mandatum tuum dixit. Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pue- Dan. 3. ris iſtis. Tunc Nabuchodonoſor rex obſtupuit, & ſurrexit properè, & ait optimatibus ſuis: Nõne tres viros miſimus in medio ignis cõpeditos? Qui reſpondentes regi, dixerũt, Verè rex. Reſpondit rex, & ait: Ecce ego video quatuor ſolutos, & ambulãtes in medio ignis, & nihil corruptũ eſt in eis: & ſpecies quarti ſimilis Dan. 6. filio Dei. Et Daniel regi reſpondens, ait: Rex in æternũ viue, Deus meus miſit angelum ſuũ, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iu- Act. 12. ſtitia inuenta eſt in me. & Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc ſcio quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Et Salomon præſentem vnicuique angelum ſubindicans, Ecclef. 5. ait: Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo, Non eſt prouidentia: ne fortè iratus Deus contra ſermones tuos, diſsipet cun- Eccli. 17. cta opera manuum tuarum. In vnamquamque gentem præpoſuit rectorem: & Tob. 12. pars Dei Iſrael facta eſt manifeſta. & apud Tobiam: Ego ſum Raphael angelus vnus ex ſeptem qui adſtamus ante Dominum. Cumq́ hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam. Dixitq́ eis angelus: Pax vobis, nolite timere: etenim cùm eſſem vobiſcũ, per voluntatem Dei eram. Ipſum benedicite, & cantate illi.

20. Doctrina autem interpretationisq́ miniſtros Vatibus aliisq́ ſanctis viris an- Doctrina. Interpretatio. gelos exhibere ſeſe cùm alia multa in ſacris, tum ille in Danielis narratione lo- Dan. 8. cus declarat. Factum eſt cùm viderem ego Daniel viſionem, & quærerem intelligentiam: ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri, & audiui vocem viri inter Vlai, & clamauit, & ait: Gabriel, fac intelligere iſtam viſionem. Et venit, & ſtetit iuxta vbi ego ſtabam: Cumq́ veniſſet, pauens corrui in faciem meam, & ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur vi- Zachar. 5. ſio, &c. & Zacharias: Egreſsus eſt, inquit, angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me, &c.

21. Angelos cum aduerſariis diſceptantes, nobis diuina ſcripta manifeſtant. Diſceptatio. Cùm Michaël archangelus cum Diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore,

*pore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Increpet te Dominus.* Iudæ 9.

22. *Quid verò vnumquemque facere oporteat, monitores & adiutores angeli eſſe ſolent: maximè in arduis difficillimisq́; rebus atque temporibus. Namque Lotum ab angelis monitum, euerſione vrbium quinque liberatum accepimus. Cumq́; eſſet manè, cogebant eum angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. Diſsimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eò quod parceret Dominus illi. Eduxerúntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem: ibiq́; locuti ſunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam: noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſaluum te fac: ne & tu ſimul pereas. Et Ioſepho angelus Domini apparens in ſomnis, dixit: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Idemq́; maturo iam tempore, hoc eſt, defuncto Herode, apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.*
Monitus. Admonitio. Gen. 19. Mat. 2.

23. *Illud verò à quo celeberrimum duxere titulum, hoc eſt, nunciationis miniſterium frequentiſsimi adeò exempli eſt, vt operam noſtram minimè poſtulet: cui tamen, ne ideo ſuperſedeamus, vt cunctis iam notiſsimo, aliquot inſeruiemus teſtimoniis. Abrahamo de futuro per promiſſum filio in graui iam & importuna ætate, vxoriſque ſterilitate lætus nuncius per tres angelos allatus eſt. Samſonis etiam matri & patri admirabili virtute præditum filium expectandum nunciauit angelus. Zachariæ ſacerdoti vxoris partus, & filij auctoritas atque miniſtratio, angelo interprete, prædicitur. Ac virgini Mariæ orbis ille Seruator* IESVS *purè ac ſanctiſsimè concipiendus, ac admirabili partu edendus declaratur. Quo nato, Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Saluator qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. D. Paulus iactatis tempeſtate ſociis verba faciens: Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe, amiſsio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam nauis. Aſtitit enim hac nocte mihi angelus Dei, cuius ſum ego, & cui deſeruio, dicẽs: Ne timeas Paule, Cæſari oportet te aſsiſtere. Et ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Et Ioannes, Vidi alterum angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum vt euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem tribum, & linguam, & populum.*
Gen. 18. Iudic. 3. Lucæ 1. Lucæ 2. Act. 27. Apoc. 14.

24. *Animare viros, hortari, atque ad gerendas res excitare, angelici etiam miniſterij eſt. Locutus eſt autem angelus Domini ad Eliam, dicens: Deſcende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & deſcendit cum eo ad regem, & locutus eſt ei. Et Apoſtolos palàm Euangelium in magna celebritate nunciare exhortabatur angelus: quamuis principum auctoritate atque inuidia maxima inuiſa. Exurgens autem princeps ſacerdotum, & omnes qui cum illo erant, (quæ eſt hæreſis Saducæorum) repleti ſunt zelo, & iniecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. Qui cùm audiſſent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.*
Exhortatio. 2 Reg. 1. Act. 5.

*Aucto-*

25. *Auctoritatem virtutemq́ ex Deo ad agendas gerendasq́ res delectis viris*
Auctoritas ac dexteritas. *per angelum arrogatam & adhibitam obſeruare eſt non vno tantùm argumento*
*aut exemplo, cuius generis illud eſt: Obſecro Domine, in quo liberabo Iſrael. Ec-*
Iudic.6. *ce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei? Dixit-*
» *que ei Dominus: Ego ero tecum, & percuties Madian quaſi vnum virum. Et*
Act.12. *Petro in vinculis & cuſtodia: Ecce angelus Domini adſtitit, & lumen refulſit*
» *in habitaculo: percuſſoq́ latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et*
» *ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, &*
» *calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circumda tibi veſtimentū tuum,*
» *& ſequere me. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verum eſt quod fie-*
» *bat per angelum: exiſtimabat autem ſe viſum videre. Tranſeuntes autem pri-*
» *mam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream quæ ducit ad ciui-*
» *tatem, quæ vltrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum vnum: & con-*
» *tinuò diſceſſit angelus ab eo.*

26. *Aduocantis ac deprecantis officio functos, vti à Daniele accepimus, angelos*
Aduocatio. *referre quoque expediet. Et audiui vnum de ſanctis loquentem: & dixit vnus*
Dan.8. *ſanctus alteri neſcio cui loquenti: Vſquequo viſio, & iuge ſacrificium, & pecca-*
» *tum deſolationis quæ facta eſt: & ſanctuarium, & fortitudo conculcabitur? Et*
» *dixit ei, Vſque ad veſperam & manè dies duo millia trecenti, & mundabitur*
Apoc.8. *ſanctuarium. & Iohannes: Vidi, ait, ſeptem angelos ſtantes in conſpectu Dei: &*
» *datæ ſunt illis ſeptem tubæ. Et alius angelus venit, & ſtetit ante altare, habens*
» *thuribulum aureum: & data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus ſan-*
» *ctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fu-*
» *mus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu angeli coram Domino.*

27. *Plagarum quoque & flagrorum, quæ cùm Dei iudicio inferuntur, vtilitatem*
Correptio. *quoque hominibus & correptionem afferunt: poteſtatem & copiam angelis in-*
1 Par.21. *terdum factam atque exercitam complures hiſtoriæ declarant. Porrò angelus*
» *Domini ſtabat iuxta aream Ornan Iebuſæi: Leuansq́ Dauid oculos ſuos, vidit*
» *angelum Domini ſtantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in*
» *manu eius, & verſum contra Ieruſalem. Et ceciderunt tam ipſe, quàm maiores*
2 Par.32. *natu veſtiti ciliciis, proni in terram. Ezechias rex impietatem atque ſuperbiam*
» *Aſſyriorū deteſtatus, & cum illo Iſaias, orauerunt aduerſum hanc blaſphemiam,*
» *& vociferati ſunt vſque in cælum. Et miſit Dominus angelum ſuum qui percuſ-*
» *ſit omnem virum robuſtum, & bellatorem, & principem exercitus regis Aſſyrio-*
Pſal.34. *rum. Et reuerſus eſt cum ignominia in terram ſuam. Et Pſaltes: Fiant, inquit,*
» *tanquam puluis ante faciem venti, & angelus Domini coarctans eos. Fiat via*
» *illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini perſequens eos. In poſterio-*
*rum verò temporum ſacris hiſtoriis admirandam illam manum auxilio pij po-*
2 Mach. 3. *puli miſſam, ita deſcriptam legimus. Apparuit enim illis quidam equus terribi-*
» *lem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus: isq́ cum impetu Heliodoro*
» *priores calces eliſit: qui autē ei ſedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam*
» *apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, ſpecioſiq́ amictu: qui cir-*
» *cumſteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, ſine intermiſſione multis*
» *plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumq́ multa*
» *caligine circumfuſum rapuerunt, atque in cella geſtatoria poſitum eiecerunt.*
Act.12. *Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concio-*
*nabatur*

*nabatur ad eos. Populus autem acclamabat, Dei voceni, & non hominis. Confe-* "
*ſtim autem percuſsit eum angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo: &* "
*conſumptus à vermibus, expirauit. Et in reuelatione Iohannis: Poſt hæc vidi* "
*quatuor angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos* "
*terræ ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in vllam arborem. Et vi-* "
*di alterum angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui: &* "
*clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari,* "
*dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus: quoadusque ſignemus ſer-* "
*uos Dei noſtri in frontibus eorum.*

*Præter tutelam cùm priuatam tum publicam angelis demandatam, cuius ad-* 28.
*notabamus exempla, patrocinium quoque ac defenſionis officium commiſſum ob-* Patrocinatio.
*ſeruare eſt. Et oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem magnum ſtantem co-* Zach. 3.
*ram angelo Domini, & Satanas ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei. Et di-* "
*xit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan: & increpet Dominus in* "
*te, qui elegit Ieruſalem. Numquid non iſte torris eſt erutus de igne? Immittet* Pſal. 33.
*angelus Domini in circuitu timentium eos, & eripiet eos. &, Quoniam angelis* Pſal 90.
*ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis: In manibus porta-* "
*bunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem & baſiliſcum* "
*ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. & illud: An putas quod non* Mat. 26.
*poſsum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim le-* "
*giones angelorum?* "

*Terrorem quoque aliquando incutere angelos præter pauorem & religionem,* 29.
*qua ij quibus viſi ſunt, interdum afficiuntur, manifeſtè docuere milites illi Ro-* Terræfactio
*mani, qui ſepulchro Chriſti cuſtodes dati; præ timore angeli exterriti ſunt, &* Mat. 28.
*facti velut mortui.*

*Si quid verò pro teſtimonio angelus aliquando dixerit, grauiſsimum id, &* 30.
*veriſsimum tandem comperiri illius naturæ dignitas & amplitudo poſtulat.* Teſtimoniū
*Quippe cùm illi veritatis propriæ conſtantiſsime tenaces fuerint, ob eamq́ rem*
Electi *audiunt ſemper. Atque ita reſpondens angelus mulieribus Ieſu Chriſti ſe-*
*quacibus dixit: Nolite timere vos, ſcio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæ-* Matth. 28.
*ritis: Non eſt hîc: Surrexit enim ſicut dixit. Venite, & videte locum vbi poſitus* "
*fuerat Dominus. Et citò euntes dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit, & præcedit* "
*vos in Galilæam. Id quod tamquam legitimum diſcipuli quoque duo referentes,* "
*citabant. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fue-* Lucæ 24.
*runt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes ſe etiam* "
*viſionem angelorum vidiſſe: qui dicunt eum viuere. Quamobrem & huiuſ-* "
*modi quoque teſtes à Paulo aliquando laudatos appellatosq́ legimus. Teſtificor* 1 Tim. 5.
*coram Deo, & electis angelis eius.*

*Porrò piorum ac ſanctorum hominum animas à corpore quamprimum ſeiun-* 31.
*ctas, ad quietis ac lucis locum pro temporum ratione deferri, Ieſus Chriſtus eſt* Animarum deductio.
*auctor: Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in* Lucæ 16.
*ſinum Abrahæ.*

*Iiſdem quoque miniſtris angelis homines in fine ſeculi ad publicum iudicium* 32.
*ciendos, atque ex omnibus orbis terræ ac maris partibus reuocandos: etiam eos* Conuocatio
*qui mortui antea fuerint, idē Chriſtus docuit, & Chriſti etiam referūt Apoſtoli:*
*Et mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à* Mat. 24.

1 Cor. 15. quatuor ventis: à ſummis cælorum vſque ad terminos eorum. Omnes quidem re-
„ ſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouiſsima
tuba (canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti.)

33. Bonos denique ac pios à malis atque impiis ad diuerſam vtriſque conditionem
ſeparatũ iri præceptor idem arcanæ ſimilitudinis explicatione declarauit. Meſ-
Mat. 13. ſis, conſummatio ſeculi: meſſores autem, angeli ſunt. Sicut ergo colligitur ziza-
„ nia & igne comburitur, ſic erit in conſummatione ſeculi: Mittet Filius hominis
„ angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt ini-
„ quitatem, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium.
„ Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.

34. Quanta demùm alacritate ab iis miniſteria omnia hominum ſalutis cauſa
Alacritas. ſuſcipiantur, quanta lætitia & gratulatione hominibus allata ſalus excipiatur,
Zachar. 3. Vates quondam cecinere, & Chriſtus in boni nuncij actionibus indicauit. Et con-
„ teſtabatur angelus Domini Ieſum, dicens: Hæc ait Dominus Deus exercituum:
„ Si in viis meis ambulaueris, & cuſtodiam meam cuſtodieris: tu quoque iudicabis
„ domum meam, & cuſtodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc
„ hîc aſsiſtunt. Gaudium, inquit Ieſus, eſt in cælis coram angelis Dei ſuper vno
„ peccatore pœnitentiam agente, magis quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui
„ non indigent pœnitentia.

## DE ANGELORVM ACTIONIBVS, ET AGENDI FORMIS VOLVMEN.

1. ANGELI cùm ſeſe viſui ſenſuíve repreſentant, palam eloqui, & humanis
vocibus vti conſueuere: interdum internas Vatum mentes, perinde tam-
quam allocuti inſtruunt. Nonnumquam verò & opera quædam quæ videri ſen-
tiriq́ hominibus poſsint, exercent: ita comedentes aliquando, ambulantes, iter
facientes, lapidem voluentes deſcribuntur, & luctatione cum Iacobo vſum an-
Gen. 18. gelum didicimus: Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq́ ei:
„ Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad ar-
„ mentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditq́ pue-
„ ro: qui feſtinauit & coxit illum. Tulitq́ butyrum & lac, & vitulum quē coxe-
„ rat, & poſuit coram eis: ipſe verò ſtabat coram eis ſub arbore. Cumq́ comediſ-
„ ſent, dixerunt ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua? Ille reſpondit, Ecce in tabernacu-
„ lo eſt. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit
„ filium Sara vxor tua.

2. Sodomitis vim Loto vehementiſsimè facientibus, iam enim propè erat vt ef-
Gen. 19. fringerent fores: Ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Lot,
„ clauſerúntque oſtium, & eos qui foris erant, percuſſerunt cæcitate à mini-
„ mo vſque ad maximum: ita vt oſtium inuenire non poſſent. Cúmque
„ eſſet manè, cogebant eum angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, &
„ duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. Diſsimulante
„ illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius,
„ eò quod parceret Dominus illi. Eduxerúntque eum, & poſuerunt extra ciui-
„ tatem: ibíque locuti ſunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam: noli reſpice-
„ re poſt tergum.

Iaacob

*Iacob traductis omnibus quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus. Et ecce vir luctabatur cum eo vſque manè. Qui cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet,* „ 3.
*tetigit neruum fæmoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixitq; ad eum: Dimitte me,* „
*iam enim aſcendit aurora, &c. Erat autem quidam vir de Saraa de ſtirpe Dan,* Iud. 13.
*nomine Manue, habens vxorem ſterilem: cui apparuit angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & abſque liberis. ſed concipies & paries filium, &c.* „

*Miſit ergo Dominus peſtilentiam in Iſrael, & ceciderunt de Iſrael ſeptuaginta millia virorum. Miſit quoque angelum in Ieruſalem vt percuteret eam.* 1 Par. 21.
*Porrò angelus Domini ſtabat iuxta aream Ornan Iebuſæi. Leuanſq; Dauid oculos ſuos, vidit angelum Domini ſtantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & verſum contra Ieruſalem: & ceciderunt tam ipſe, quàm maiores natu veſtiti ciliciis, proni in terram.* „

*Ochozias rex cùm ex caſu ægrotaret, miſit nuncios, dicens ad eos: Ite conſulite* 4.
*Beelzebub deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & aſcende in* 2. Reg. 1.
*occurſum nunciorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendũ Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus, De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* „

*Daniel, Audiui, inquit, virum qui indutus erat lineis, qui ſtabat ſuper aquas* 5.
*fluminis, cùm eleuaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cælum, & iuraſſet per viuentem in æternum,* Dan. 12.
*quia in tempus & tempora, & dimidium temporis. Et cùm completa fuerit diſperſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc.* „

*Angelorum verò orationem ampliorem ſublimioremq; omni hominum ſer-* 6.
*mone eſſe Paulus docens, dicebat: Si linguis hominum loquar & angelorum.* 1 Cor. 13.

*Actiones verò alias & functiones præter ſermonis etiam orationiſq; vſum* 7.
*ſacra oracula angelis tribuere ſolent, quorũ huiuſmodi exempla nonnulla ſunt:*
*Et introduxit me illuc: & ecce vir, cuius erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funi-* Ezech. 40.
*culus lineus in manu eius, & calamus menſuræ in manu eius: ſtabat autem in porta. Et locutus eſt ad me idem vir, Fili hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quæ ego oſtendam tibi: quia vt oſtendantur tibi adductus es huc: annuncia omnia quæ tu vides domui Iſrael. Et ecce murus forinſecus in circuitu domus vndique, & in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo. Et menſus eſt latitudinem ædificij calamo vno, altitudinem quoque calamo vno, &c.* „

*Baghalſaſare rege cum optimatibus potante ſuis, Deóſque ſuos laudantibus* 8.
*omnibus, in eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis* Dan. 5.
*contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ: & rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis.* „

*Volantem Gabrielem angelum ad ſe veniſſe Daniel narrat. Adhuc me lo-* 9.
*quente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in viſione in principio, citò* Dan. 9.
*volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini. Et docuit me, & locutus eſt mihi. Dixitque Daniel: Nunc egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres.* „

*Veſpere autem ſabbathi quæ luceſcit in prima ſabbathi, venit Maria Magda-*
*lene, & altera Maria videre ſepulchrum, & ecce terræmotus factus eſt magnus,* Mat. 28.
*Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens, reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Canentes angelos, id eſt, diuinis gratulationibus operam dantes* „

Lucæ 2. *paſtoribus, Ieſu nato auditos, indicat Lucas. Subitò facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

10. *Atque ſingulos angelorum Deo cæleſtiq́ aulæ ſuis nominibus notos & appellatos, cùm ex minori rerum comparatione colligimus, quòd nulla ex ſtellis proprio ac ſibi apto caret nomine apud Deum, qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat: tum verò ex quorumdam exemplo, quos in ſacris foliis oportunè citatos laudatóſque legimus. Factum eſt autem, cùm viderem ego Daniel viſionem, & quærerem intelligentiam, ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri, & audiui vocem viri inter Vlai, & clamauit, & ait: Gabriel, fac intelligere iſtam viſionem. Iterum apud eumdem: Et ait ad me, Noli metuere Daniel: quia ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua: & ego veni propter ſermones tuos. Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, Et ecce Michael, vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum, & ego remanſi ibi iuxta regem Perſarum.*

Pſal. 146. Dan. 8. Dan. 10. Michael.

11. *Cúmque adhuc loquerer & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael: & proſternerem preces in conſpectu Dei mei, pro monte ſancto Dei mei. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in viſione à principio, citò volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini.*

Dan. 9.

Lucæ 1. *Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc ſciam, Ego enim ſenex, & vxor mea proceſsit in diebus ſuis. Et reſpondens Angelus, dixit ei, Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.*

» *Et in menſe ſexto miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid: & nomen virginis Maria.*

Raphael. Tob. 6. *Ego enim ſum Raphael angelus, vnus ex ſeptē qui adſtamus ante Dominum. Cumq́ hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam. Dixitq́ eis angelus: Pax vobis, nolite timere: etenim cùm eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram. Ipſum benedicite, & cantate illi. Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, vtor: tempus eſt vt reuertar ad eum qui me miſit, vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.*

4 Eſd. 5. *Eſdras ex Vrielis angeli mandato ſeptem diebus ieiunaſſe ait ſeſe.*

12. *Quorumdam verò angelorum nomina hominibus incognita commune pluribus pronomen arguit* PALMVNI, *quod certum quendam non tamen ſuo nomine appellatum ſignificat. Et audiui vnum de ſanctis loquentem, & dixit vnus ſanctus alteri, neſcio cui loquens.* PALMVNI *eſt pronomen pro quo interpres noſter* Alteri neſcio cui *reddidit.*

Dan. 8.

*Atque de malis & reprobis angelis, nocentibuſq́ ſpiritibus alio in loco oportunè diſſeremus. Namque in huius corporis initio prima hæc de Deo, de Prophetis, de Angelis capita diſputata eſſe oportuit, propter eas quas in ſingulis indicauimus cauſas.*

DE

# DE PROPOSITO DEI.

VERAM, certam & conſtantem notitiam.] *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Legi diuinæ proprium nomen eſt* תורה, doctrina. *Ea autem optimè inſtituta doctrina habetur, quæ rerum rationes à principio tradit. Quamobrem Moſes leges humanæ vitæ daturus non modò ab hominis, verùm etiam à mundi omnis propter hominē conditi prima origine inchoauit narrationem.* In principio, *inquit*, creauit Deus cælum & terram. " Cum anim. lib. 1. Pſal. 118.

Si à prima eiuſdem naturæ origine.] *Hanc docendi & commemorandi rationem Moſes laudans: Memento, inquit, dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patres tuos, & narrabunt tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Idem etiam huius rationis ignorationē, cauſas ad maxima mala & incommoda hominū generi dare ſignificabat: Deum qui te genuit, dereliquiſti: & oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt.* Deut. 32. " " "

Namque angeli miniſterio.] *Idem aſſeuerat aliàs Paulus: Lex, inquit, data per angelos in manu mediatoris.* Galat. 3. "

In illa qua imbutus fuerat Ægyptiorum diſciplina.] *Moſes in aula regia Aegyptiorum à regis filia nutritus & educatus illius gentis diſciplinarum peritiſſimus fuiſſe narratur. Aegyptij autem ſeſe hominum primos vel antiquiſſimos iactant, atque orbi vel nullum initium, vel longè ante id quod verè fuit, ſtatuunt. Filius, inquit, ſapientum ego, filius regum antiquorum.* Iſaiæ 19.

Aptata fuiſſe ſecula.] *Ex D. Paulo ad Hebræos deſumpta oratio. Seculorum initium prima lucis origo fuit. Lux verò primùm naturæ extantis exemplum perfectum & laudatum. S. S. E. Dixitq; Deus, Fiat lux, & facta eſt lux: & vidit Deus lucem quòd eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris: appellauitq; lucem diem, & tenebras appellauit* LAILAH, *id eſt, noctem.* Gen. 1. " "

## DE NATVRA DISPVTATIO.

Concordat cum lib. animæ primo, cap. 7.

τὰ καθόλου.

1. PRIMA rerum omnium cauſa Dei BONITAS fuit. *S. S. E. Cæli enarrant gloriam Dei. &, Benedicite Domino omnia opera eius.* Cauſam *autem propriè eam Latinè vocamus, quamobrem vnumquodque genus eſt, aut fit, Philoſophi noſtrates finem vocant, quod operis aut rei auctori primùm in mentem venit, Rerum verò auctor* Verbum Dei *eſt, idemq; Deus, quem ſacer ſermo arcanè* PRINCIPIVM *nominat, in quo omnia, à quo omnia, & per quem omnia. Verbo hoc Dei prima prolata fuit vox* IEHI, *quam Latinè vtcumque* FIAT, *ſiue* ERIT *interpretari licet. Eſt autem vox illa conſtans, ac ſua vi ſubſiſtens: non qualē mortalis quiſpiā, ſed qualē Deus pronunciare & ſtatuere poteſt, in verarum rerū ordine cūprimis cenſenda, futuri verbi formā obtinens: quod ea forma perpetuitatem conſtantiamq; in ſacra & exemplari lingua adſignificet, ac tempora omnia complectatur, quæ ſunt, quæ præteriere atque ventura. Ita vt quod ſemel Deus* IEHI *dixerit, id fuiſſe, eſſe, ac fore verum ſit: contrà verò nihil eſſe poſſit in orbe, cui Deus vocem* IEHI *negauerit. Diuina igitur vox hæc* IEHI *conſtat conſtabitq; ſemper ſingulis rerum generibus pro cuiuſque ratione,* Pſal. 19. Pſal. 102. Heb. 13. "

*veritate, ac propria duratione creandis, producendis, conſtituendis, & conſer-
uandis præſens atque efficax.* Hanc verè NATVRAM *dicimus Philoſophis exte-*
Pſal. 32. *ris, & à veritate Dei alienis ignotam. S. S. E. Verbo Domini cæli firmati ſunt:*
» *& ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. & iterum: Ipſe dixit, & facta ſunt:*
» *ipſe mandauit, & creata ſunt: ſtatuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi: præ-*
» *ceptum poſuit, & non præteribit. Tanta diuinæ vocis* IEHI *vis atque effi-
cacitas eſt.*

2. *Primum itaque, vt diximus, ac legimus,* IEHI *opus lux fuit: eademq́ bonita-
tis nomine comprobata. Atque huius lucis arcano ſignificato & nomine commu-*
2. Cor. 4. *nicationẽ ſui creando poſtea à ſe homini factum iri conſtituit. S. S. E. Quoniam*
» *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad*
» *illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu.*

3. Erat *verò in initio* Spiritus ELOHIM, *id eſt, vis quædam diuina, agilis, ac*
רוח *præſens, per omnia pertinens, omnia complens: & quocumque Deus intenderit,*
ארהים *ſubitura: remq́ omnem pro veritatis cuiuſque vſu animatura, atque informa-*
מים *tura. Atque huic ſpiritui ſubiecti* MAIM, *velut materies ad omnem rem con-*
Aquæ. *ficiendam habiles fouebantur & comparabantur. Eſt autem* MAIM *liquor ge-
minus. Alter ſua ſponte pinguis, dulcis, lentior, & in omnem partem ductilis, mi-
nusq́ concreſcens: cuius naturam in rebus iis quarũ vſum accipimus, lac oleúm-
que præcipuè referunt. Alter verò humidus ac ſalſus eſt: facile ſequax, docilis
vacua penetrare & implere: calori ac frigori obnoxium, & vtrauis harum vi-
rium concreſcere natum: vbi verò concreuit, friabile. Huic nomen propter ver-
borum penuriam, Latina lingua plurali numero* aquas *fecit, quo notiſſimum
omnium & communiſſimum liquorem ſignificare conſueuerat. Sed vox ipſa pri-
mæua* MAIM *eo numero ſemper pronunciatur, quo natura geminæ ſiue duplices
indicantur ſignificanturq́ res.* τὼ ὕδατε, *ſiue*, τὼ ὑγρὼ *Græcis dici poſſet. Igi-
tur ex huius duplicis liquoris varia & multiplici mixtione & coaptatione, ac
proportionis diſpenſatione, tamquam oportuna & comparata materia, variæ ac
multiplices rerum formæ ac naturæ confectæ ſunt, ac perpetuò conficiuntur, pro
ſingulorum ratione, vſu, durationeq́ generum. Atque ex his aliæ in alias mu-
tantur formas: aliæq́ per alias vel diſſipantur, vel conſeruantur, pro ſummi au-
ctoris nutu & arbitrio à iudicij veritate numquam alieno, & pro* IEHI *ſapien-
te efficientia & Spiritus* ELOHIM *præſentia, virtute ac moderatione. S. S. E.*
Sap. 11. *Omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti. &, Quis menſus eſt pugillo*
Iſaiæ 40. *aquas? & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ:*
» *& librauit in pondere montes: & colles in ſtatera? Quis adiuuit ſpiritum Domi-*
» *ni? aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Eſt verò Spiritus* ELOHIM
*formarum omnium aptator, diſcretor, & conſtitutor ac moderator. Id quod ita*
Gen. 1. *Vates indicauit. Et ſpiritus* ELOHIM MERAHHEPHETH, *id eſt, efficaci-
ter motitans, confouens, ac agitans ſuper facies gemini liquoris.*

4. Corpus, materia. *Atque diuerſam illam gemini liquoris vim, quam rerum corpus poſthac ſi-
ue materiam appellari nihil prohibet, diſcernere ac dignoſcere facile obſeruanti,
& attendenti fuerit: quippe quam in omni compoſitarum quæ vſui veniunt, re-
rum natura vel igne admoto & incenſo, deprehendere ſenſibus liceat. Namque
ignis in omni quod corripit corpore, pinguem liquorem à ſalſo ſeiungit: quippe
qui illo alatur, nutriatur, creſcat, & conſeruetur, hunc verò tamquam inimicum
horreat,*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA • SEVILLA

*horreat, reſpuat, ac propellat; aliàs nocentem, ſéque extincturum experturus. S.S.E. Candelabrum ad luminaria ſuſtentanda vaſa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium. &, Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna obſiſtit peccatis. Quatuor itaque rerum primordia ſiue principia ſunt,* CAVSA IEHI, SPIRITVS ELOHIM, MAIM, *ſiue liquores duo: ex quibus corporea quæq; conſtant, & in quæ, cùm reſoluuntur, abeunt. Nam rerum formas & ſpecies cauſarum potius effecta, quàm cauſas dicimus.*

Exodi 35. Eccli. 3.

LVX *res incorporea eſt, diuinitatisq; obtinet imaginem, quamquam corporeis aliquando rebus vel inſit, vel adſit, ipſaq; primam in creatis generibus bonitatis nanciſcitur laudem. Vidit Deus lucem quod eſſet bona. Ab hac menſurando tempori ac rebus in ordinem ſeriemq; referendis initia ſumpta ſunt. Et diuiſit lucem à tenebris, & appellauit lucem diem, & tenebras appellauit noctem. Factumq; eſt veſpere & mane dies vnus. Itaque poſt lucē tempus ortum, & mundi pars eſt, & inter mundi primordia cenſendum: idemq; primum menſuræ ac numeri capax & exemplum. Menſuram illud indicat: Factum eſt veſperè & mane, Numerum verò illa: Dies vnus, Dies ſecundus, Dies tertius, &c.* 5.

Gen. 1. Tempus

*Mundi fabricam nulli neque virtuti, neque naturæ, neque etiam materiæ, præterquam vnius Dei voluntati & virtuti efficientiæq; acceptam referre, fas eſſe credimus. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero, Ego ſum Dominus faciens omnia, & extendens cælos ſolus: ſtabiliens terram, & nullus mecum. Irrita faciens ſigna diuinorum, & hariolos in furorē vertens: conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam illorum ſtultam faciens.* 6.

Iſaiæ 44.

*In quem verò præcipuè vſum vniuerſis conditus fuerit orbis, apertè declarat Vates, cælum ac terram, quæ primæ ſunt partes, ceteraq; continent & amplectuntur omnia, hominis cauſa facta prædicans. Ego feci terram, & hominem ſuper eam creaui ego: Manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandaui. Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo.* 7.

Iſaiæ 45. Zachar. 12.

*Conſtat autem natura mundi omnis cælo ac terra, quibus corpora cetera omnia, & quæ corporibus adhærent, vel inſunt, vel tenentur. Quamobrem cælum ac terram à Deo in principio creata Moſes præfatus, partes deinde ſingulas quo modo locoq; eſſent, vtq; haberent, indicauit. Et apud Iſaiam Deus: Ego ipſe, ego primus & nouiſſimus. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos. Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul. Atque hoc reſponſo nihil fortuitò caſuve factum: nihil temerè diſſolui poſſe affirmatur. Perinde enim omnia perſeuerant, atque ab initio recentia adhuc extiterant: quippe præſenti efficacitate, virtute, & voluntate auctoris nec vſu atteritur vniuerſum, nec vetuſtate exeſum deteritur. Quia ſicut cælum nouum & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus, ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum. Dij qui cælos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de iis quæ ſub cælo ſunt. Qui facit terram in fortitudine ſua: præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos. Ego feci terram, & homines, & iumenta quæ ſunt ſuper faciem terræ in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento. Atque gentes quondam priſcas mundi initium cognouiſſe & intellexiſſe ille apud Iobum fatetur: Hoc ſcio à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram.* 8.

Iſaiæ 45. Iſaiæ 66. Ierem. 10. Ierem. 27. Iob 20.

*Atque eadem hæc vt facta & creata, ab initióque conſtituta fuerunt, non* 9.

aliundè quàm ex Dei conſtante voluntate & pacto pendere & conſeruari Deus ipſe docet, aliàs in nihilum reditura, aut ſenio & vetuſtate conficienda. Itaque conſtante voluntate Dei, mundus conſtat & ſeruatur: atque ſuas leges obtinens perpetuo tuetur. Hæc dicit Dominus: Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo. & Pſaltes: Ordinatione tua, inquit, perſeuerat dies: quoniam omnia ſeruiunt tibi. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Verbum Dei illud quod IEHI appellatur, ſignificat: cuius obſequium ſecuto ſpiritu, virtus omnis, forma, & facultas ſingulis orbis partibus contingit. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli: ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Ierem. 37. Pſal. 118. Pſal. 33. Pſal. 102.

Iam verò mundi ac naturæ creatæ partes quemadmodum effectæ, definitæq́; conſtent, attendere & cognoſcere operæpretium fuerit.

10. Liquores illi gemini in duplices quoque partes diſcreti, duo etiam loca occupare ac tenere iuſſi ſunt: Namque in ſingulis craſsiora ac tenuiora elementa fuerant à principio creata: id quod in vnoquoque eorum quæ videntur liquore deprehenditur: vt in melle, oleo, & vino, quibus tenuior pars, locum ſuperiorem; craſsior verò, inferiorem in vaſe quo continentur, occupat. Hunc igitur in modum eos qui primò confuſi erant liquores, pinguem videlicet & ſalſum, diuini verbi vis excolatos reddens, ita diduxit, vt potiorem, tenuiorem, atque puriorem partem ſuprema; craſsiorem verò atque minus puram, cõcretionique magis idoneam, infima locari regione; vtraque verò vt eiuſdem naturæ, quamquam diuerſæ molis, tamen eiuſdem etiam nominis communionem tueri iuberet, interiecto medio quodam corpore ex vtrorumque euaporatione prima conſtante, quo ſuprema ac tenuia ab infimis craſsis diducta interſectaq́; diſtarent. Cui corpori medio RAKIAGH, id eſt, FISIONEM, EXPANSIONEM, ſiue FIRMAMENTVM nomen fecit. Dixitq́; Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitq́; aquas quæ erãt ſub firmamento ab his quæ erant ſuper firmamentum: & factũ eſt ita. Vocauitq́; Deus firmamentum SAMAIIM. Factumq́; eſt veſpere & manè dies ſecundus.

רקיע Gen. 1.


שמים SAMAIIM nomen à Deo impoſitum (Latinis vtcumque cælum dictum) & liquorum illorum, de quibus diximus, conſortium, quod ſibi arrogat; atque item diuortium ex etymologia indicat. Eſt enim vtriſque liquoribus inter mediũ corpus, inferioribus tenuius & magis permeabile; ſuperioribus verò craſsius, ac minus purum: idemq́; ad varias vtrimq́; fluxiones excipiendas & reddendas idoneum, non ſecus atque liquores illi ex quibus ortum habuit, qui variis colorum, odorum ac ſaporum, calorisq́; præterea & frigoris viciſsitudinibus affici poſſent.

Atque ſupremi illi qui iſtis incumbunt liquores, nomen SAMAIIM non rarò vſurpant, id eſt, cælorum. Verùm vtriuſque naturæ ratio ſæpius in ſacra diſciplina geminato diſtinguitur verbo SEMEI SAMAIIM, pro quo Latinè cæli cælorum audimus.

שמי שמים

11. Nobilioribus liquoribus collocatis, & firmamento medio interiecto, tertia craſsiorum cura, diuiſio, & concinnatio ſucceſsit, ſapienti artificis conſilio ac dicto comparata: Nam quod in pingui craſsiſsimum, atque in ſalſo ſalſiſsimum fuerat, ſuo ſolidatum pondere, medium totius corporis occupabat locum, vt in baccis oſſa,

*oſſa & acini, in ouis vitellus: Id verò quoniam animantibus omnibus, ac præcipuè homini, in cuius vſum omnia fiebant, ſedes habitaculumq́ꝫ parabatur, à craſſis ac liquidis liquoribus diſcreuit artifex: ita tamen ſociauit, vt ſeſe vicinitate contingerent vtraque pars, ac mutuò virtutis & commoditatis commercio & communicatione iuuaret: vnumq́ꝫ vtraque corpus, idq́ꝫ magnum, atque ſphæræ, ſiue mali inſtar conglobatum conſtitueret: altior tamen aliquantulum illa pars extaret, quæ homini præcipuè capiendo & alendo ſecernebatur: atqꝫ ad eam rem aptis & ſapienter conditis liquoribus ac ſuccis, inſtructa, nomen iam merebatur nobilius, & melioris vſus atque efficientiæ ſignificato notabile. Dixit verò Deus, Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat* IABASSA *(Latinis* arida *dicta) & factum eſt ita. Et vocauit Deus* Aridam ARETS, *terram, & congregationem aquarum* IAMIM, maria, *multitudinis numero ſic dicta, quod variis in partibus terræ conſorti inſinuata diſcreta videantur: cùm tanen vnum omnia ſint.*



*Atque* IABASSA *primum terræ nomen ariditatem ſterilitatémque arguebat, qualis meri concretiq́ꝫ ſalis eſt, quod propter correctam à Deo, & ex liquoribus pinguibusq́ꝫ ſuccis affectam & commixtam vim in* ARETS *mutatum eſt: atque ita appellatur quoties ad hominum animaliumq́ꝫ vſum habitationémque refertur oratio. Id quod diuini iudicij elogio, atque mox conſecuto experimento comprobatum fuit. Quippe eodem ipſo quo* ARETS *extitit die, iubentis efficientia ſermonis Dei, & ſpiritus in ipſam permeantis virtute plantarũ multiplici genere, forma atque ſplendore ornata, ſpectabilis ac læta enituit. Atque in hac prima plantarum editione nihil à cælis terram mutuaſſe aut accepiſſe, ſed quidquid edidit ex verbi diuini iuſſu futuri temporis forma enunciato: ideóque conſtanter & perpetuum retinendo mandato accepit & reddidit. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & ait: Germinabit terra herbam virentem, & facientem ſemen: & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum: cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. & factum eſt ita. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt veſpere & mane dies tertius.* ארץ

*Aream itaque totius orbis atque humanæ habitationis domus ſubſtratam, paratam, & ad frequentationes aptè concinnatam, ac pulchrè ornatam, tecti ornamentum & munimentum ſubſecutum eſt, ad arcæ habitatorumq́ꝫ vſus accommodatum, certis & ſtatis viciſsitudinibus diſtinctum: quarum permutatione habitatio temperata foueretur: atque ad hominum animaliumq́ꝫ ceterarum in terra degentium, nutrimentum & exhilarationem, variamq́ꝫ vtilitatem producendis & conſeruandis fructibus compararetur. Id verò vt fieret, calore, frigore, tepore, refrigeratione, dilatatione & contractione, ſiccatione & humectatione opus fuit. Quarum omnium actionum auctor idem verbum* IEHI *fuit. Formarum verò concinnator ſpiritus* ELOHIM, *oportunitatum autem & materiæ condiendæ ad eam rem creati, præcipuè inſignes miniſtri duo. Alter proprij lu-*

minis & caloris compos perpetuoq́; tenax: alter verò capax, & certis rationibus & oportunitatibus variabilis. Quibus alij plures adminiſtri additi, vt ſuas ſinguli partes & propria munia obtinentes, ad rerum in terra atque in mari orientium ortus, incrementa, ac mutationes facerent, atque ad earundem vſum ſenſumq́; capiendum oportunam lucis præberent copiam. At verò ad tot tantarúmque efficientiarum communicationem peruia ac permeabilis conſtituta pars illa fuerat, cui inter ſuperiores & inferiores liquores locatæ nomen eſt factum RAKIAGH, ſiue expanſio vel firmamentum: quippe quæ vtriſque liquoribus cognatum atque contiguum faciléque penetrabile, ac ſuperioribus magis, inferioribus verò minus tenuis, mediam ad aſcenſus ac deſcenſus maturandos ac temperandos facultatem ſortita ſit, ideoq́; nomen acceperit, quod & ipſa extenſa con-
„ ſtet, & expanſioni ceterorum ſe peruiam facilémque præbeat. Dixit autem
„ Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, &
„ ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.

Signa hoc loco tempeſtatum ac mutationum interpretamur, de quo genere
Matth. 16. Chriſtus: Facto veſpere dicitis, Serenum erit, rubicundum enim eſt cælum. Et
„ mane, Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum. & iterum: Cùm videritis nu-
„ bem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis, Nimbus venit: & ita fit. Et cùm auſtrum
„ flantem, dicitis: quia æſtus erit, & fit. Tempora verò quatuor horarum anni ſpatia, & vices, & rerum quæ in ipſis eduntur & conſiunt, oportunitates ac maturationes dicimus. Dies autem, ſingulares, veſpere & mane conſtantes, atque vniuſcuiuſque ætatem rei. Porrò annos ſingulorum aſtrorum integros, propriósque curſus & circuitus, ac denuò à principio repetendos accipimus. Hæc itaque, ita, vti legimus, facta & comparata magno ac diuino auctoris ſapientiæ
„ Dei elogio excepta, & comprobata fuere. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et
„ factum eſt veſpere & mane dies quartus.

13. Conſtructa ſapienter atque ſumma arte concinnata & ornata vniuerſi orbis domus, & inſtructum opulentum variumq́; conuiuium hoſpites iam requirebat, perpetuos deinceps habitatores futuros, variiſq́; modis & ordinibus ſuas ſingulos partes acturos: omnes pariter, pro ſua verò vnumquemque vice ac lege communem auctorem teſtaturos ac celebraturos. In quibus primi omnium aquarum, atque firmamenti coloni editi ſunt, quod regiones illæ naturæ ac temporis diſtinctione priores fuerant. Siquidem liquores primi antè & viſi & diſtributi fuerant quàm terra extaret. Omnium igitur animantiū duo prima edita ſunt genera, piſcium in infimis liquoribus natantium, & auium per medium volantium firmamentum. Atque vtrumque quidem infimorum liquorum partus primùm fuit, diuini verbi iuſſu editum: diuerſa tamen & agendi facultate, & habitandæ regionis auctoritate atque copia inſtructum. Namque alteri vt mobiliori, & anima tenuiori conſtanti ad celebritatis & conſuetudinis, atque adeò ad vitæ commodorum vſum firmamenti permeandi facultas contigit. Alteri verò craſſioribus elementis facto ad ſimiles vſus infimi liquoris ſpatia, quamuis alicubi ampliſſima, multis etiam in locis arctiora: verùm omnia carceris inſtar vallata ceſſerunt. Magna in vtroque genere copia, formarúmque varietas ingens, in natantium autem naturis longè maxima, atq; humanos excedens calculos vtraque ratio, videlicet ſpecierum atque numeri: Verum vtriſque per ſuas regiones aſſimilis, nullis certis notanda ſemitis, aut inueſtiganda vagatio: ſed & quietis interdum

interdum obtinendæ, ac ſobolis etiam ſufficiendæ cauſa firmum aliquem & ſtabilem locum vtriſque concedi oportuit, & conceſſum contigit. Natantibus nimirum maris & fluuiorum ſtagnorumq́ fundum, & ſiquid immotum fundi vſum præbet, vt ſcopuli, ſaxa, lapides, & quæcunque talia reperiuntur. Iis verò quæ per expanſionem volant, terræ oportunitates aſſignatæ quamplurimæ. Quippe quibus propter aëris vel reſpirationem, vel refrigerationem diuturna ſub infimis liquoribus, quas plerumque aquas iam nominabimus, manſio minimè conueniret. His itaque in hunc modum atque ad huiuſmodi leges editis, & ſapienter conſtitutæ naturæ iudicium, & propagandæ perpetuæ felicitas ex Dei voluntate, liberalitate & eloquio acceſſit. Dixit etiam Deus: Producat aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creauitq́ Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem; quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecūdùm genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Benedixitq́ eis, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris: aueſq́ multiplicentur ſuper terram. Atque hoc vtpote bonum, exactum, ac perfectum à ſapientiſſimo magiſtro maturatum opus proprium ſibi quoque diſtinxit arrogauitq́ diem. Et factum eſt veſpere & mane dies quintus.

Sextum deinceps diem inſtruxit ornauitq́ ARETS, ſiue terra, diuini verbi 14.
efficacitate varium animantum à ſe procreatarum ſpectaculum præbere iuſſa: VI. Animalia terreſtria.
quorum vel multiplex genus ad tria ſumma refertur capita BEHEMA, REMES, HHAIAH, quæ paſtione, quæ raptu & ſanguine, quæ vtrouis viuunt. Latinè iumenta, reptilia, & beſtias terræ, ſiue ſimplicius feras dicimus. Quæ omnia quod ex artificis conditoriſq́ ſententia ſuas quæque ſeruatura leges extitiſſent, eodem quo producta ſunt die abſque vlla exceptione placuerunt. Dixit quoque Deus; Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas. Factúmque eſt ita. Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas.

Eadem die alterum opus editum eſt, quod & ceterorum quæ antea creata fue- 15.
rant, cauſa dici iure poteſt, & poſtremum totius creationis exemplum naturæ contemplatione mirabile, & opificij dignitate auctoritateq́ præſtans: quippe cetera omnia vnico volentis Dei iuſſu extiterunt, quæcunque hactenus creata nouimus. Huic verò naturæ efficiendæ ſingularem voluntatem & elocutionem, & actionem adhibere dignatus eſt conditor, animali, inquam, efficiendo ex terra quidem, ſed non quacunque promiſcuè aut temere vſurpata, verùm ex eo terræ genere, cui & ad culturam accipiendam, & ad vtiles fructus producendos cum ſingulari prærogatiua nomen quoque datum fuerat ADAMAH inſigne admodum, & ob illo communi ARETS valde diſtinctum; cui ad culturæ & vbertatis rationem non inconcinnè apud Latinos vocabulum HVMVS accōmodari poteſt. Atque cetera animantum genera quòd ex ARETS varia & promiſcua natura Dei iuſſu & Spiritu ELOHIM liquores informante conſtitiſſent: ideò varia & multiplici tum facie & forma, tum ingeniorum & vitæ experientia diducta ſunt. Animal autem hoc poſtremum omniumq́ exactiſſimum, ſingulari atque omni ex parte æquabile, ſibiq́ ſimillima terræ portione factum eſt, vt vel ex hac principij & materiæ (vt ita loquamur) ſimplicitate ſimplex omnino, ac ſibi ſemper conſtans & conſentiens maneret: in eaq́ ſimplicitate primas obtineret, vtpote quod non ex omni ADAMAH, id eſt, non ex qualibet humo, ſed ex GHA-

PHAR ADAMAH, *pinguiſſima ac molliſſima, & maximè vitali humi ſelecta*
*portione conſtaret.* *Eſt autem* GHAPHAR *id quod in terra puriſſimum defeca-*
*tiſſimumq́; ſecerni, & ad naturas alias rerum gignendas & informandas aptæ,*
*oportuneq́; materiæ ſuccos & commoditates præbere poteſt. Ex quo fonte nomen*
GHOPHRITH *deducitur, quòd in illa cõmuni terra* ARETS *dicta, ſuccũ ſignifi-*
*cat metallorum ac mineralium omnium primum caput, cui* Sulphur viuum
*noſtrates philoſophi nomen fecerunt. Vt igitur in* ARETS *natura primam prin-*
*cipij laudem* GHOPHRITH, *ita in* ADAMAH, *illud quod egregiè ſecretum*
GHAPHAR *dicitur, ad bonæ frugis copiam ſingulariter commendatur. Atque*
*huiuſmodi generi humano principium fuit: non tamen communi illa animalium*
*eruptione productum, quod ſi fuiſſet, communis quoque exitus legibus foret ob-*
*noxium. Verùm enimuerò hoc animantis genus procreandum, abſoluteq́; in vitæ*
*auras edendum natura atque viribus facultateq́; terræ longè maius digniúſque*
*eſſe dies eadem ſexta confirmauit: quæ cùm multa ſimul extitiſſe animantum ſe-*
*cula conſpiceret, illud tamen requirebat, quod ceteris præeſſe imperareq́; poſſet.*
*Hoc igitur vti diuerſo atque diſpari à ceteris materiæ apparatu, ita diuerſo ac*
*præſtanti opificio ſingulariq́; conſilio & arte, priuato quoque non propoſito tan-*
*tùm, ſed etiam proloquio conditor ſibi efficiendum vendicauit: ac velut ſapien-*
*tiſſimus præſtantiſſimusq́; artifex operi quod à ſe inſtitutum, à miniſtris ac di-*
*ſcipulis conſtructum fuerit, poſtremam manum ipſe imponere, ac decorem venu-*
*ſtatémque addere ſtudens, ornamentum adiungere ſolet, quod & artis præſtan-*
*tiam, & nominis inſcriptionẽ ſui ac veluti exemplum monumentumq́; præferens*
*contemplantibus probet: totiuſq́; ſummam operis auctori vnico adſcribat.* Hanc
*itaque rationem inſtituens Deus animal hoc terrenum quidem, atque ex* GHA-
PHAR ADAMAH *ſumpta materia: ideoq́;* ADAM *dictum. Verùm enimuerò*
*quod ſingularem auctoris tum ſapientiam, tum bonitatem indicaret, effinxit: in*
*cuius cõcinnanda perficiendaq́; natura imaginis ac ſimilitudinis ſuæ exemplum*
*quoddam exhiberet, & cognoſcendum ſenſibus præberet argumentum immenſæ*
*atque inuiſibilis mentis, & infinitæ virtutis ac prouidentiæ, qua mundus omnis*
*effectus conſtaret, ac perpetuis gubernaretur legibus. Nam præfectus inferiori-*
*bus animantibus cunctis homo Deum quendam referebat, atque omnia è cælo*
*gubernantem, diuinam naturam quodammodo exprimebat: ſaltem ſeſe maximi*
*auctoris ſingulare atque apprimè gratum carumq́; opus exhibebat, nomenq́; ipſa*
*ſui contemplatione prædicabat. Id quod Sapientia ipſa Dei huiuſmodi oratione*
Prou. 8. *profitetur. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, lu-*
» *dens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum:* ET DELITIÆ MEÆ
Gen. 1. *eſſe cum filiis hominum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et ait: Faciamus ho-*
» *minem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & vo-*
» *latilibus cæli, & beſtiis vniuerſæq́; terræ, omniq́; reptili quod mouetur in terra.*
» *Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem*
» *Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos. Singularem naturæ digni-*
*tatem cum ex re ipſa, tum ex propoſito & comparato abſolutoq́; opere illa repeti-*
» *tio arrogat homini, Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei*
» *creauit illum: id eſt, ſapientiæ, virtutis, ac bonitatis compotem, qui ſeſe intuitus,*
*creatorem agnoſceret ſuum: atque imitari pro ingenij, proq́; auctoritatis ſibi con-*
*ceſſæ ratione ſtuderet. Quemadmodum verò hoc genus mas & femina ſimul*
*fuerit,*

fuerit, in operis huius anima diſertè explicatum eſt. Atque hunc ea parte qua
Deo ſimilem intelleximus immortalem creatum diuinæ ſimilitudinis imaginiſ-
que veritas docet; quæ non aliàs tanti exemplaris plenum referret ſpecimen, niſi
immortalitatis etiam, quæ vna ex naturæ diuinæ rationibus eſt, obtineret præ
ceteris animantibus prærogatiuam.

Nam quod ad vitam corporis attinet alendam, conſimilem cognitionis atque 16.
vſuræ facultatem & homini, & generibus aliis communis conditor dedit, & co-
piæ etiam ius conceſſit pro ſingulorum natura atque genere æquabilem; alimen-
tique ſuffecit ſingulis oportunam vim: cuius ſuppeditandæ legem & conditio-
nem terræ omnium matri impoſuit. Ipſis autem quid ſingulis, quatenúſque con-
ueniret vtiléque eſſe poteſt, aptum & idoneum ad cognoſcẽdum dedit ingenium,
atque omnia hæc verbo eloquióque ſuo expedita exhibuit, & perpetuò præſtan-
da conſtituit. Itaque vitæ commoditatum notitiam ſingulis, quæ ſatis foret, con-
ceſſam: ſui verò atque aliorum gubernationem, vſum, & adminiſtrationem vni
homini qua parte ab aliis maximè differre contigit, attributam legimus. Dixít-
que Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, &
vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui: vt ſint vobis in
eſcam, & cunctis animantibus terræ, omníque volucri cæli, & vniuerſis quæ mo-
uentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. At-
que hoc conſtans, ratum, ac perpetuò confirmatum decreto, nulláque rerum na-
turæ exceptione diſſoluendum, adiuncta declarat adnotatio, ET FACTVM
EST ITA. quæ in exemplari lingua futuri temporis perpetuitate enunciatur,
& vocis IEHI auctoritatem appellat VAIHICHEN, id eſt, Et ratum, ſtatum
firmatumq; erit. In hunc verò finem deducta omnia quæ Dei verbo creata effe-
ctaq; ſunt, pulcherrimam totius mundi ſpeciem; & ſapientiſſimi auctoris iudicio
laudatam commendatamq; exhibuerunt. Viditque Deus cuncta quæ fecerat: &
erant valde bona. Et factum eſt veſperè & mane dies tertius. 17.

Hanc porrò mundi totius fabricationem ſeptimus abſoluit dies, quem Deus re- VII.
rum omnium quæ intra cæli ambitum gignũtur & fiunt, abſolutioni deſtinauit:
Non quòd in ipſo quicquam noui condiderit, ſed cõdita omnia propriam ac ma-
turam vim & naturam definire, & in eadem ſiſti, perfectionemq; obtinere vò-
luerit, perinde atq; cetera quæ ad vſum arte conficiuntur & expediuntur, ſuum,
vbi facta fuerint, tempus vendicant, quo primum facta perfecta atque abſolu-
ta, ſtatumq; ſortita dicantur. Sic figulis vaſa efficta, deſiccata, & excocta nõ an-
te ex fornace in vſus producuntur, quàm perfrixerint: ſic architecti & fabri
ſuis operibus maturum ad probationem & firmitatem obſeruant, adſcribúntque
tempus pro materiæ artiſq; ratione & vſu, in iis verò quæ ex Dei inſtitutione
naturæ oportuna facultate & ſerie conſiunt rebus, dies vnicuique generi præ-
ſcriptus eſt ſeptimus. Ex qua obſeruatione illa apud legiſlatorem cauentur: ne
pecoris armentíve fœtus ante ſeptimum diem vel ad ſacrificia, vel ad cibũ pro-
ducatur. Ne infans octauo minor die circuncidatur. & complura in hunc obſer-
uanda modum. Ad quem illam communem ac celebrem apud medicos diſputa-
tionem referendam arbitramur, de morborum iudicatione, cuius præcipuus at-
que optimus index ſeptimus dies eſſe in confeſſo exploratóque habetur. ratio ve-
rò, vti apparet, propter veritatis huius ex ſacra diſciplina petendæ ignoratio-
nem, nulli hactenus apertè explicata fuit. Mundus itaque, mundique partes

*omnes quod ad conditoris Dei inſtitutum, & naturæ, hoc eſt,* IEHI *efficientiam attinet, ſeptimo die ſuum ſtatum ſortita, nihil vltrà quod ab auctore requirerent, habuere. A ſeptima verò die atque deinceps ſingula genera commendatum ſibi munus & officium proſecuta probauerunt: Omnia, inquam, præter vnum humanum, quod partes proprias citiſſimè prodens ac deſerens, & auctoris gratiam amiſit, & ſeſe ipſum perdidit. Atque ab hoc ſeptimo die tempus id proximum, quo rerum omnium in ſuis cuiuſque partibus periculum factum eſt,* τὴν τοῦ κόσμου καταβολὴν, *id eſt, Conſtitutionem mundi, ſiue deſidentiam, ſiue ſtatum Latinè dicere libeat, in ſacro ſermone appellari obſeruauimus. Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum: compleuitq́; Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.*

## DE RERVM NATVRA

### τὰ καθ᾽ εἶδος OBSERVATIONES.

Concordat etiam cum animæ lib. 1. c. 7. Ioan. 1. Pſal. 18. CVM *nulla res vel intra orbem vel extra eſſe conſtaréve ſine Deo poſſit: S. S. E. Omnia per ipſum facta ſunt. &, Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: Fit vt neque de cælo ac terra, neque de iis quæ cæli clauduntur, vel excluduntur ambitu, quicquam rectè dici diſputariq́; poſſit. Non prius Deo ad parteis, vt vero auctore & conſeruatore vocato, & quamquam comentationis huius initio de Deo, diuinaq́; natura complura ex ſacrorum librorum obſeruationibus petita diſſerebamus: tamen aliam rationem quàm ipſius Dei ſingulari beneficio non ita pridem languente corpore, animo verò integro ſibi conſtante atque attento accepimus, indicatam ſacris quoque teſtimoniis comprobatam publicæ, cui ſtudemus, vtilitatis cauſa nec nos indicare tædebit, nec lectorem veri ſtudioſum attendere piguerit, illud* Pſal. 138. *perſuaſum, numquam de Deo mortalibus dici ſatis aut cognoſci poſſe. S. S. E. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.*

Obſeruatio 1. *Hanc verò rationem quamquam vltra naturam, atque naturæ inferioris nomina tranſcendentem: tamen ad ingenij noſtri captum ex mathematicarum artium definitionibus & præceptionibus adiutam accepimus, acceptamq́; communicare paramus: ſic tamen, vt id omne quod in mathematicis intellectione tantum comprehendi fertur, in noſtra hac diſciplina reapſe eſſe & conſtare intelligatur: ita fiet vt rationum concinnatio & collatio magnum ad veri cognitionem afferat compendium.*

1. *Hanc igitur diſputationem altius repetitam, Deo ipſo propitio & fauente, ſic aggredimur.*

2. *Punctum eum dicere ſolemus, qui diuidi in partes non poteſt, neque quantus vocari, ſed quanti omnis quod metiri ac partiri poſſit, initium eſſe videtur. Idem punctus in omni cuiuſcumque quanti termino, intellectione & conſideratione ſignari poteſt, quamquam re ipſa non ſignetur, aut notetur. Nullam punctus menſuram admittit, neque ſecundùm longitudinem, neque ſecundùm latitudinem, neque in altum aut profundum.*

3. *Punctus quaqua verſus, ductus, aut animo menteq́; tractus, lineam efficit, quæ nullam latitudinem recipit, longitudinem verò, quamlibet magnam, ad infini-*

tam

*tum vſque non recuſat. Eſt autem linea quantitas in longitudinem protenſa, ſecundùm eandem longitudinem in partes diuidi poteſt.*

*Si linea ſecundùm latum trahatur, ſuperficiem efficit, hoc eſt, telam, vt ita dicere audeamus, Latam, quæ etiam in infinitum trahi poſſit: & cùm terminis cohibeatur, in lineas deſinit: atque ita ſuperficiem latitudinem eſſe vocamus, cum longitudine coniunctam, quæ & finem diuiſionemq́; ſecundùm latum admittat, & infinitudini ſecundùm idem latum non repugnet: ſuperficie ex tranſuerſo ſurſum, deorſum, vel quaqua verſum tracta corpus conformatur: non modò longum ac latum, verùm altum etiam ſiue profundum, ſpatiumq́; tantùm occupat, quantum ipſum corpus eſt, & in altitudinis ratione quoque menſuram admittit, ac terminum, quem vbi admiſerit vna vel pluribus ſuperficiebus claudi neceſſe eſt.* 4.

*Concinnatis inuicem lineis, figuræ fiunt æquæ, non vnius tantùm generis, ſed multiplices: vna tamen ſimpliciſſima eſt, quæ videlicet vnica cōſtat linea, quam circulum vocamus: ceteræ verò multiplices ac variæ, & quæ pluribus componuntur lineis, hoc magis habent, magisq́; compoſitæ dicuntur. In his prima omnium triangularis, ſecunda quatuor conſtat lateribus & angulis: tertia quinque latera, totidemq́; angulos oſtendit: quartæ ſex & anguli & latera tribuuntur: atque ita procedente laterum ſiue linearum numero, angulorum quoque numerus adaugetur; igitur circuli imago quædam apparet: quam vel nullum præferre angulum, vel totam angulum eſſe, ceteroſq́; omneis figurarum angulos claudere, ambire, cohibere, ac præſtare obſeruamus.* 4.

*Quot figurarum totidem, & corporum genera eſſe poſſunt tum ſimplicium, tum multiplicium: quorum nomina ex ſuperficierum rationibus petenda ſunt. Verum corporum omniū tum ſimpliciſſima, tum etiam perfectiſſima, iuxta mathematicam rationem natura & ſpecies orbi ſiue ſphæræ tribuitur: quod nullam in ſe ad offenſionem idoneum locum habet, nullum ad ſimplicitatem velocitatemq́; motus & actionis impedimentum: præterea quod menſuram ſpectat, omnium eiuſdem ambitus eſt capaciſſimum, complexúque ſuo nihil inæquale, nihil non ſui ſimile continet.*

*Eſt autem Sphæra ſiue corpus ipſum, ſiue ſpacium deſcribere libeat, ſimpliciſſimum quid vnica tantùm ſuperficie clauſum omnibus aſſignandis diametris æquale ſibiq́; ipſi conſimile. Diametrum autem vocamus Lineam per medium circuli vel ſphæræ ſpatium ductam ad ſupremam vſque ſuperficiem. Eiuſdem verò lineæ dimidiam partem Semidiametrum artifices dicunt. Atque id quod in ipſo medio ſpacio punctum eſt, quodq́; lineam tranſuerſam ſecat, Centrum appellamus. Centrum autem, quamquam natura ſimul cum corpore, vel corporis ſpacio eſſe videatur: pingi tamen, aſſignari atque conſtare apud artifices primùm ſolet: neque enim deſcribi circulus poteſt, niſi ſtatuto primùm centro, circa quod vel circulus deſcribatur, vel orbis, vel ſphæra ducatur. Non tamen priùs cētrum dicitur quàm figura, vel corpus, vel ſpacium cuius centrum eſt, conſtet. Antehac enim punctum vel punctus appellari poteſt.* 5. Sphæra. Diameter. Semidiameter. Centrum.

## De Puncto & Centro.

PVNCTVS *nullam quidem menſuram admittit, tamen pluribus, imò infinitis menſuris dare initium poteſt. Namque ab vno eodémque puncto multæ* 6.

*atque*

*atque adeò infinitæ dici poſſunt lineæ: Lineam verò longitudinem eſſe dicebamus latitudinis expertem.*

6. Medium. *Eadem centro cum puncto vis eſt, namque centrum punctus eſt, hoc tamen præſtat puncto, quod ſemper centrum medium adſcribitur eius rei cuius eſt centrum; ſiue figura illa ſit, ſiue corpus, ſiue etiam virtutis virium, atque efficacitatis in natura qualibet atq; adeo motus & quietis vel firmitudinis. Nihil enim moueri niſi ſuper centrum poteſt, nihil niſi in centro quieſcere aut conſiſtere: in quo itaque quippiam agit aut agitur, vel mouetur, vel ſiſtitur, & manet, id ad eandem rationem relatum centrum dicimus.*

*Eſt itaque centrum indiuiſum quiddam mediam obtinens eius cuius eſt vim, eandemq; immotam, in qua, vel circa quā motus omnis fit, & quies firmitudóque conſiſtit. Ex his cōſequitur amoto cētro moueri aut agi, vel agere nihil poſſe, nihilq; quieſcere quàm diu ſuum centrum, cui innitatur, non repererit. Præterea nihil niſi in centro firmari, conſequitur quoque illud, centrum virtute ac poteſtate omnia ea eſſe quæ in quacunque natura conſiderari poſſunt: atque adeo ad centrum omnia iri relatum, vimq; omnem à centro in ceteras parteis non ab illis in centrum tendere: omneis etiam parteis quamuis aliàs inter ſe longo interuallo diſtanteis, tamen vnius centri virtute & efficientia coniungi: quippe cùm omnes centrum reſpiciant, atque eodem omneis innitantur. quare ſi quid in vnaquauis parte impetus fiat, quicquam infligatur plagæ ad ceteras idem centri ratione & opera, vt ita dicamus, pertinere. Iam verò cùm à centro infinitæ qualibet verſus duci poßint lineæ, atque adeò rerum natura idem exigente ducātur, fit, vt nihil in vlla rei aßignatæ parte fiat, vel ſit, quod centri poteſtatem fugiat, nihil enim fieri poteſt extra lineam: linearum autem omnium caput principiúmque à centro ſecundùm naturam peti docebamus. Porrò id quo quicquam diuiditur, eadem ratione indiuiſibile eſt, vt linea per punctum diuiditur, quod omnino diuidi non poteſt; ſuperficies per lineam, quæ cùm nihil habeat latitudinis ſecundùm latum diuiſionem non accipit corpus per ſuperficiem: hæc verò profunditate carens diuidi in profundum aut altum, ſiue in diuerſas ſuperficies non patitur. Demùm qua ratione quaq; vi indiuiſibile quicquam eſt, eadem quoque ſubire, &, vt ita dicamus, penetrare cetera poteſt, quæ talia non ſunt. Nam ſi non penetraretur quicquam, nec diuideretur quoque; ergo quod penetratur, ab eo vel per id penetratur, quod ſecundùm eandem rationem penetrari non poteſt. quamobrem centrum per lineas quæ minimè omnium quantitatis eſſe cenſentur, omnia ea cuius centrum eſt, penetrat: per eaſdémque lineas virtutem ſuam omnibus naturæ eius, quam fulcit partibus, impertitur & communicat.*

7. Lineæ rectæ & obliquæ. *Linearum vero aliæ rectæ ſunt, aliæ à recto diducuntur. Rectæ omnes ad eundem modum habent: quæ verò à recto deflectūt, obliquæ dictæ variis atque adeò infinitis deuiant modis, aliæ magis aliis, atque aliis aliæ ſæpius diſcrepantes, vel etiam diſtantes. Quodcumque verò recta cōmunicatur linea, id certiſſimè, commodiſſimè, ac breuiſſimè communicatur. Nam breuiſſima omnium & expeditiſſima à quocumque in quemcumque terminū recta via eſt, eaq; quoad fieri poteſt* Phyſicè. *à corporibus grauibus naturali obſeruatur motu. Atque hæc ad id quod ſuſcepimus indicandum argumentum ex figurarum ponderum ac menſurarum ratione mutuata deprompta fuerint nunc ſatis, quæ depictis ad ſenſum characteribus ſiue notis clariora euadent.*

Igitur

*Igitur ea quæ præfati ſumus ad naturam relata ita habebunt. Centrum cùm primis nobis proponimus in rebus quæ naturam ſortita ſunt certam, quod in genere ſuo firmiſſimum conſtánſque eſſe oportet, & regionem ſiue locum tenere medium, magnitudinis ſiue molis, ſeu figuræ rerum ac naturæ, præcipuè verò medium virtutis & poteſtatis, tum ad efficiendum, tum ad ferendum & patiendum. Præterea cùm centrum rerum obtinetur: res ipſa obtineri iure dicitur; ita dicis cauſa in fructibus, vt pomis, piris, baccis, aliiſq; multis centrum indicamus in medio conſtans quod virtute ſua fructuum figuram quaque verſum ſibi conuenientem conſeruat, atque etiam hoc illæſum ceteras fructus parteis tuetur. Vbi verò labem centri regio acceperit, totũ facilè ac breui corrũpi ac perire neceſſe eſt.*

*Sol quoque vbi ad centrum vſque corporis globiq; ſui extiterit, non antè, ortus dicitur, nec demerſum quicquam dicetur, quo ad centrum eius videri poſſit. Ita regium totius rei ius centrum obtinet.*

*Iam verò ſi centro ſpiritum vel animam tribuamus, fiet vt ad eandem quoque naturam vel facultatem qua centrum conſtat, omnes quæcunque à centro ducuntur, lineas referamus. Ex quo eueniet vt nihil in toto corpore, vel figura tota ſit aut fiat: quin id ad centrum non pertineat per lineas, quæ vnam vel plures cum centro communicetur: atque ita commotio, plaga, ictus ac demùm motus omnis, & cetera quæ toti vel corpori, vel figuræ, vel aliàs definiendæ naturæ acciderint aut contigerint: ea cuncta ille quo centrum præditum ſtatuimus ſpiritus excipiet, exceptáque aliis partibus aut regionibus, quanquam oppoſitis ac diſtantibus per lineas ex ſeſe ductas commune reddet. Itaque centri vi ratione & efficacitate, atq; adeò efficientia omnia quæ varia ac diſſita videbãtur vnũ eſſe, & ſimul agere aut facere, vnaq; compati deprehenduntur: quòd nulla maior atque propria magis vnitatis cauſa & vis eſſe poſſit, quàm centrum, quippe quod omne id quod vnum dicitur virtute ſui coniungat, compaginet, & coagmentet, adeò vt ſi centrum vel ſoluatur, vel remoueatur, vel aliquo alio pacto abſit, ceteras omneis parteis corruere, diſſipari atque abire, demumq; perire neceſſe ſit: ita vt quòd centri ratione atque neceſſitudine vnum dicebatur, aut non eſſe, aut in plura diuiſum abiiſſe, denique non eſſe vnum dicendum ſit. Iam verò iis quæ hactenus conſiderauimus aliud quoddam, idq; maius addendum fuerit, ſtatuẽdum inquam. Centrum atque id cuius fuerit centrum naturam eſſe non corpoream, ſed ſpiritum merum ac ſimplicem corporis quantum ex ſe eſt expertem, cuius vis efficaciſſima, agiliſſima, celerrima, perpetuéque promptiſſima ſit. Huiuſmodi namque facultatem & efficacitatem ſpirituum naturæ ſacra attribuunt ſcripta. Vt apud Iſaiam, Et Aegyptus homo eſt, & non Deus: & equi eorum caro, & non ſpiritus. Et apud Pſaltem ita canentem. Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Præceptor etiam Ieſus pronunciabat. Spiritus vbi vult ſpirat; & audis vocem eius, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Atque iis omnibus vel corporibus vel rebus, quibus aut natura, aut ſorte ſpiritus contigit, ſi adimatur, vel quocumque modo abſit, certum interitum accidere eſt. S.S.E. Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. & iterum: Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam. Ita intelligimus corpora réſque ceteras à ſpiritu fulciri, non autem ab iſtis ſpiritum.*

8. Centrum viuum ſiue animatum.

Iſaiæ 31. Pſal. 103.

*Porro autem illud maximum his adnotandum eſt: Si quid infinitum natura fuerit, idem vnum prorſus eſſe, atque vnico tantùm centro præditum. Nam pluribus*

ribus centris neque vnicum neque infinitum dici poſſet. Atque adeò illud quidquid fuerit totum centrum eſſe: aliàs enim ſi centrum huic in aliqua ſui parte fingamus, eam partem medium totius ſiue molis, ſiue virtutis & facultatis obtinere conſequens fuerit: at verò infinito nullum eſt medium: quippe medium extrema ex æquo reſpicit, extremi verò vel ratio vel nomen cum infinito prorſus pugnat: ex quo conficitur vt infinitum totum vnumq́; ſit, atque adeò totum ſit centrum, quo ſeſe ipſum tenet, fulcit, & conſeruat, præterea & immobile totum ſit, nec vllo mutabile pacto deprehendi poſſit. Immobile enim eſſe cētro proprium eſt. Quod ſi totum centrum eſſe admittimus, vt admitti oportet, hoc eſt totum firmum, totum ſolidum, totum efficax, & ſui ſimile totum: conſequens eſt nulla illud figura circumſcribi nullis terminis aut lineamentis, nullis denique limitibus cohiberi. Namque omnia hæc quæcumque figuris definiendis tribuuntur: cum infinito prorſus pugnant, nec vſquam ſimul eſſe poſſunt. Præterea centro illud propriū eſt vt quàm longiſſimè à terminis diſtet ſuis: quare id quòd totum centrum eſt, ac verè dicitur, infinitum cùm ſit, id eſt, cùm vbique ſit, nullibiq́; deſideretur, terminum omnē infinitate ſui repellet. neque claudi, neque cohiberi, neque etiam vlla ratione aut æſtimatione menſura proportionéve ad vllam extremitatem, vel circumſcriptionem, vel ambitum aliquem referri ſe patitur. Namque & mathematico centro qua punctum eſt, hoc etiam proprium fit vt à circumferentia eius figuræ cui ius centrum fuerit, infinitis diſtet punctis. Mirum quidem, ſed tamen in figuris etiam finitis nedum finis carente natura veriſſimum. Atque hæc nobis ad propoſiti argumenti inductionem de puncto, de lineis & figuris, de centro, de corpore & ſpiritu, de finito quoque & infinito, vel cognitione æſtimandis, vel re ac natura exiſtentibus dicta ſuffecerint.

## De Alphabeto Græco.

9. GRAECORVM alphabetum quamquam re, & numeratione, & litterarum notis finitum videatur, tamen virtutis & facultatis fine carent. Atque adeò idem ipſum infinitudinis ius certo pacto obtinet. Infinitam vim in eo præſtat quod omnium quæ natura conſtant rerum atque actionum & paſſionum, etiam omnium, atque adeò quæ dici cogitarique humana mente poſſunt nomina, verba, & cetera ſigna omnia præſtare poſſit, modo ſit qui rectè imponere, pronunciare ac deſcribere norit: itaque omnia quæ dici poſſunt, & virtute continet, & cùm res poſtulat, alio atque alio modo diſertis literis, concinnatiſque vocibus pronuncianda ac proferenda ſuppeditat.

Atque totum ipſum cùm vnicum ſit & finitum vti apparet, hoc eſt, quatuor & viginti conſtans notis, infinito tamen ſimile eſt: vtpote quod ab aperta litera initium ducens in circulū deſinat minimè finitum. Initium autem ipſum, hoc eſt A totius centrum eſt, à quo ſeries ad poſtremā vſque notā ducitur, cuius nomen O magnum eſt, figura verò circulus fine prorſus carens: aliàs neque magnum O, ſed paruum dicendum, neque alphabeti perfectam rationem præſtiturum. Namque magnum Ω ſi coniunctis coaleſcat extremis, O paruum fiet. Pugnat verò cum rerum natura idem & magnum & paruum eadem ratione aut eſſe, aut dici, maximè cùm ſimpliciſſima res eſt, ſimplicitatemq́; tuetur propriam. His autem vtriuſque elemēti virtutibus cognitis, planè perſpicitur A & figura & pronunciatione literarum, atque adeò Alphabeti omnis centrum eſſe, à quo ad vſque magnum

*magnum illud ac ſine carens elementum, cetera omnia veluti recta linea producuntur. Atqui pronunciatione primam & ſimpliciſsimam Alpha eſſe ipſa labiorum & oris modica imò perexigua diductio prodit, quippe quam ſolam ad ſui poſcat ſonum, atque ex infantium ore facillimè ac frequentiſsimè audiatur.*

Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ζ, Η, Θ, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ξ, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Υ, Φ, Χ, Ψ, Ω.

*Quæ linea ſi circumquaque ducatur, ſuperficiem efficiet quodammodo circularem iiſdem, ſed innumerabilibus refertam literis, quas nihil quod ſcribi, dici, pronunciarive poſsit, effugere aut latere valeat, ſiue illud ſimplex, ſiue compoſitum ſtatuatur.*

## DE DEO.

IAM *verò vt eò inducamur quo noſtra mens noſtráque intendit oratio, Deum propitium nobis poſcentes & in ſumma adorantes maieſtate ſimilitudinibus atque exemplis huiuſmodi ſeſe noſtro captui inſinuantem contemplati, & ſimpliciſsimum ac ſupremæ optimæq; efficacitatis ſpiritum reuerenter dicere docemur: eundem verò infinitum non virtute modò, ſed magnitudine atque immenſitate cuius nullum extremum nullúmve medium eſſe, aut cogitari vllo pacto poſsit: ita nobis infinitudinem ſpiritualem proponimus omnia implentem, omnia ſuperantem, nullis circumſcriptam terminis: quæ cum ſine centro eſſe non poſsit, (centrum enim cuicumque rei eſſe neceſſarium ponebamus) tota hæc in ſe & vbique conſiderata centrum ſit, hoc eſt, omnis virtute ſua & efficacitate vbique conſtet, nullusq; vel cogitando locus exiſtimari poſsit, in quo infiniti huius, de quo loquimur, ſpiritus centrum non ſit. Atque adeò totum appelletur centrum, ad magnitudinem & infinitudinem ſuam ipſius relato nomine.* 10.

*Docuimus autem vbicumque eſſet centrum rei, ibidem totam rem eſſe verè dici ac propriè. Hanc autem doctrinam complura è ſacris libris petenda teſtimonia adſtruunt; ex quibus vnũ & alterum clariſsima modò promimus. Apud Iſaiam Deus: Cælum, inquit, eſt ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum; quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi: & quis eſt iſte locus quietis meæ? Nullum cẽtrum in quo ipſe quieſcat præter ipſum eſſe poſſe, Deus declarat. Namque id in quo quippiam quieſcit, centrum quietis illius eſſe dicitur, quam diu quies conſtet. Centro nullum centrum indicatur, in quo quies aſsignetur: cùm ipſum immotum manens, motum & quietem ſuſtineat eorum quæ mouentur, vel quieſcunt. Nullum itaque locum in quo quieſcat admittit Deus, niſi ſe ipſum qui & ſui & aliorum omnium quies eſt, & immotus manens ceteris omnibus ad mouendum facultatem, copiam, & oportunitatem præſtat.* Iſaiæ 66. *S. S. E. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Prophetarum dixerunt. Sed manifeſtiſsima illius carminis de hac re explicatio eſt.* Pſal. 138. *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Manifeſtè canit nullam regionem, nullum tempus, nullam denique rem Dei latere virtutem atque præſentiam, ex quo factum eſſe arbitramur, vt vnum ex nominibus quæ Deo ab antiquis tribuuntur, ſit* MAKOM, *id eſt locus, quippe* מקום

*nullo loco Deus continetur: imò ille continet ac ſuſtentat omnia: id quemadmodum inueſtigari poſsit, mox indicabimus.*

עולם *Principio, magnæ & adnotandæ ſignificationis nomen in omni ſacrorum librorum lectione frequentiſsimum obſeruare eſt: quod in exemplari lingua* GHOLAM *ſonat: in latina autem ſæpe ſeculum, ſæpiſsime etiam æternum, & æternitatem: aut perpetuum, & perpetuitatem: nonnunquam verò mundum verti adnotauimus. Quid verò propriè ac germanè ſignificet verbi petita origine cognoſcemus facilius. Eſt autem verbum* CHALAM, *quod abſcondere, celare, & velare, operire, opertumq; reddere Latinè interpretari licet. Ex qua ſignificatione ſingularum rerum & naturarum decurſus, progreſsiones, euaſiones ac demū conſummationes, fines vel reuolutiones,* GHOLAM *ſingulari, multitudinis verò numero* GHOLAMIM *dici poſſunt. Ex variæ verò vſurpationis & compoſitionis obſeruatis exemplis intelleximus, verbum hoc pro cuiuſque rei natura æſtimari, & adnotari oportere: ita vt ſi ad Deum diuinaq; referatur, æternitatem, fineq; carentem progreſſum ſignificet: ſi ad ea quæ intra cæli continentur ambitum, ſingulorum progreſsiones quoad nihil reliquum exſtet, aut appareat,* GHOLAM *dici. Atque ita in animantibus, maximè verò in hominum hiſtoriis & narrationibus* GHOLAM, *ſiue vt Latinè loquamur, ſeculum totum tempeſtas dicitur, quàm is de quo ſermo habetur, percurrit: Latinis hoc ætas & æuum dicitur: qua notatione veteres poëtæ Saturni atque Iouis, atque adeò auream, argenteam, æream & ferream ætates decantare ſolent. Hoc pacto Dauidis ſeculum totum tempus quo ille vixit & viguit dicitur; atque hereditatum & poſſeſsionum venundandarum ſpacium ad Iubilæi vſque quinquageſimum annum protenditur. Idq;* GHOLAM, *ſiue ſeculū dicitur. Euaſi verò & abſentis ob repentinum homicidium viri exilium ad* GHOLAM *vſque: id eſt, ad magni ſacerdotis eadem tempeſtate viuentis obitum computatur. Hinc nobis deinceps vniuſcuiuſque rei ſecundùm naturam duratio* GHOLAM, *ſiue ſeculum doctrinæ cauſa dicetur. Atque ita Dei ſeculum æternitatem intelligemus; ſiue eandem ſeculorum ſecula, ſiue in æternum & vltrà dici audiamus (namque ita Latina verſio quam præcipuam vſurpamus) reddere ſolet, aut aliis vocibus huic tropo affinibus interdum vtitur. Seculum orbis, vt ſolis vel lunæ eorundem durationem interpretabimur, cerui, corui, & ceterarum animantium diutius viuentium ſua ſecula erunt: Hominum autem* GHOLAM *vbicumque vel legerimus, vel dixerimus, vltra annorum centum terminum nō prolatari, iam diu eſt, quod in numeratis habemus. Si quidem vti iam pridem ita etiam nunc, qui viuant homines, intra centeſimum annum, vel nulli iam erunt, vel ſi qui exſtiterint, rariſsimi quidem illi, in labore, ærumna, ac doloribus agentes, ad mortuos potius quàm ad viuentes fuerint referendi.* Pſal. 89. *S.S.E. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: dies " annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potētatibus, octoginta " anni: & amplius eorum, labor & dolor. Itaque præſcriptam vnicuique vel naturæ, vel rei, ac diuino conſilio decretam tum exercitationē & miniſtrationem: tum etiam durationem, ſeculum ſiue* GHOLAM *dicemus, eritq; ſeculum præſcripta vnicuique rerum decurſio ad conſummationem vſque, hoc eſt, ad perfectum ac præſtitutum proprium munus, vnde fiet, vt Dei ſeculum nullū habeat finem. " S.S.E. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Ceterarum verò rerum " quæ diuinæ non ſunt, nec affinitatem ſortiuntur cum diuinis pro naturæ cuiuſq; ratione*

Margin: עולם עלם עולם עולמים

ratione æſtimabitur ſeculum: ad quam rationem illud referimus. Et thronus Pſal. 88.
eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cæ- "
lo fidelis. Nam illud in æternum, mundi durationem ſignificat.

Aliud etiam verbum eſt DOR, quod Latinus interpres in generationis nomen plerumque vertit: poſsit etiam Latinè dici æuum, referturq́ ſolùm ad hominum ſingulorum in terris durationem, vel ad plurium etiam ſimul, qui tamen eodem tempore viuant, atque ad vnumquempiam illa tempeſtate præclarum, vel principem, vel virum alium referuntur: hoc Latinè dicere ſolent, tempus vel tempora. quamquam ad miſeriorem memoriam recordationemq́ plurale nomen tempora in hac ſignificatione vſurpetur. vt ille aiebat: Temporibus diris igitur iuſſuq́ Neronis. & in quæ tempora incidimus dici ſolet. Sic diximus Alexandri tempore, Augusti tempore. In ſacra verò lingua ad huiuſmodi notationem nomen DOR vſurpatur, quod Latinè dies, ſiue generationem, ſiue ætatem, ſiue huiuſmodi alio verbo interpretamur. Itaque ſolum ſignificat tempus durationis illius viri, aut multorum pariter hominum, qui eadem tempeſtate vixerint. Refertur etiam nonnunquam ad Deum, qui ſuam DOR, hoc eſt, manſionem, habitationemq́ habet. Sic à Deo Noahh compellatus & iuſſus audiit. Te enim vi- Gen 8.
di iuſtum in generatione hac. Dixitq́ Deus, hoc eſt ſignum fœderis quod do inter Ibid. 9.
me & vos, & ad omnẽ animam viuẽtem quæ eſt vobiſcum in generationes ſem- "
piternas. Abrahamo quoque promiſſus nepotum reditus ex Aegypto in Cana- Gen. 15.
næam regionem quarta generatione. & Moſes erroris & vagationis per Arabum deſerta diuturnitatis ad eorum qui ex Aegypto prodierant, conſumptio-
nem vſque refert eodem vſurpato nomine. Tempus autem quo ambulauimus de Deut. 2.
Cades Barne vſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta octo annorum fuit: "
donec conſumeretur omnis generatio hominum bellatorum de caſtris. Sicut iura- "
uerat Dominus, cuius manus fuit aduerſus eos, vt interirent de caſtrorũ medio. "
Atque hæc adnotatio Salomonis explicat ſentẽtiam dicentis: Generatio præterit Eccleſ. 1.
& generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat. In priore parte nomen DOR, "
ad hominum: in poſteriore verò GHOLAM, ad mundi huius in quo degimus durationem pertinens vſurpatum eſt. Quanta autem ſit hominum habitatio, ſiue manſio, ſiue duratio, vel vt Latinus interpres vertit, generatio paulò antè indicabamus. Eſt etiam Deo ſuum DOR, ſiue habitatio, atque duratio naturæ illi propria & conueniens, hoc eſt, ampliſsima & infinita, cuius anni ſinguli plu-
res dies continent, quàm hominum generationes integræ, eæq́ quamplurimæ. Si- Pſal. 99.
quidem mille anni ante oculos tuos aiebat Pſaltes, tamquam dies heſterna, quæ "
præteriit. Et diuus Petrus vnum verò hoc, inquit, non lateat vos cariſsimi, quia 2 Pet. 3.
vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. & apud "
Iſaiam: Hæc dicit Dominus excelſus & ſublimis habitans æternitatem, & ſan- Iſaiæ 57.
ctum nomen eius, & in excelſo & ſancto habitans. Quamobrem de vtraque "
DOR hominum videlicet atque Dei ita Vates canebat. Initiò tu Domine terram Pſal. 101.
fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, "
& omnes ſicut veſtimentum veteraſcent: & ſicut opertorium mutabis eos, & "
mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. In exemplari lin- "
gua legimus anni tui LADOR VADOR, in generationem & generationem. id eſt, nulla generatio eſſe poſsit quam anni tui non ſuperent: imò & ſinguli anni tui generationes omnes excellunt: atque ita infiniti exiſtunt. Ducitur autem

DOR *ab eiuſdem ſoni verbo* DOR *quod habitare, manere, degere̍que apud Latinos ſignificat, vnde Harabica lingua domus* DAR *dicta, & plurium domorum ſiue tentoriorum vicinia* al Duar *nominatur.*

11. תולדה *Tertium vocabulum nobis quoque obſeruandum* THOLEDAH. *quod interpretes verborum penuria Latinorum generationis etiam nomine reddere ſolent. Significationis verò rationem ac differentiam vel ex linguæ primæuæ vſu, vel ex ſenſu ipſo, & rerum orationumq; connexione & comparatione petendam relinquunt. Eſt autem nomen à* IALAD *verbo deductum; quod parere, gignere, edere, atq; etiam euenire, producere, & huius generis pluribus verbis vix expletur. Ita vt* THOLEDAH *partum, editionem, euentum, prolationem, ſeriem, & conſequentiam rerum ſignificet: namque ad ratiocinationes etiam atque diſputationes vſurpatur eleganter. Vt quod Latinè dici ſolet, ex quo ſequitur, ſiue ex quo fit, vel efficitur: illo tropo dicatur ex quo oritur, naſcitur, vel generatur, ſiue producitur, & profertur. Vſurpatur itaque vocabulum tum ad multa alia eandem tamen notionem ſpectantia: tum verò ad vitam, geſta & acta hominum, ſiue illuſtrium, ſiue priuatorum enarranda. Atque adeò ad cuiuſcunque naturæ hiſtoriam, adnotationem, & deſcriptionem, ſiue ex naturæ ſerie & conſentanea ratione argumentum petatur, ſiue ex conſilio ac propoſito: ita vt quod ad homines facit, tam improbanda quàm probanda ſtudia & acta nomine* THOLDAH *ſingulari, ſiue* THOLDOTH *plurali deſcribenda ſumi, nihil obſtet, dum tamen veritati conſultum fuerit. Atque ita ſcriptum legimus.* Gen. 2. *Iſtæ ſunt » generationes cæli & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus cælum » & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemq; her» bam regionis priuſquam germinaret, &c. Hoc loco verbum* THOLDOTH, *quod Latinus generationem dicit, ad naturam rerum indicandam vſurpatur. illic verò ad naturam & ad conſilium.* Gen. 5. *Hic eſt liber generationis Adam; In die qua » creauit Deus hominem, ad imaginem & ſimilitudinem Dei fecit illum. & quæ poſtea ſubiunguntur:* Ibid. 6. *Hæ ſunt generationes Noë: Noë vir iuſtus atque perfectus » fuit in generationibus ſuis: cum Deo ambulauit. & reliqua. Liber generationis » Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Itaque cognoſci prius oportuerit ad quaſnam vel res, vel perſonas narrationis argumentum pertineat; earumq; deſcriptiones hoc pacto obſeruari. Tribus igitur iam explicatis verbis* GHOLAM, *id eſt, ſeculo vel orbe, & centro cuiuſcumque rei: &* DOR, *id eſt, æuo, ſiue duratione: atque* THOLDAH, *hoc eſt hiſtoria, ſiue deſcriptione promiſſum de diuino* GHOLAM, *ſiue de Deo, ea ratione qua* MAKOM, *id eſt, locus dicitur: quáque omnia continet argumentum, repetentes exponere conabimur.*

12. Spiritus. *Naturarum omnium agiliſſimum & efficaciſſimum promptiſſimumq; ſpiritum eſſe ſacra doctrina didicimus. S.S.E.* Ioan. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, & audis vocem eius, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat. &,* Iſaiæ 31. *Aegyptus homo eſt, & non » Deus: & equi eorum caro, & non ſpiritus. &, Qui facis angelos tuos ſpiritus.* Corporei. *Sunt autem ſpiritus multiplices, nam corporei partim ſunt, vt venti exhalationes & vapores:* Incorporei. *partim verò incorporei, quibus tamen corpora informantur, aguntur, & mouentur, vt ſpiritus qui eſt in homine, & qui animalibus & plantis, aliiſq; rebus naturalibus vel inſunt, vel adſunt: quos ad corpora eadem relatos, & illis comparatos, omnino corpore carẽtes dixerimus, ad animum verò humanum appoſitos, corporeos dicere non fuerit abſurdum. quippe cum immenſo*

*ſubti-*

ſubtilitatis atque perfectionis, atque adeò actionum interuallo ab illo diſtent: alij tamen magis, alij minus hoc habeant, vt poſtea in rerum naturis deſcribendis oſtendemus. Iam verò ſi ſpirituum vis efficaciſſima, agiliſſima, indefeſſa probatur cùm ad corporum molem comparatio fit. (vt in Vatis Iſaiæ ſententia fiebat: & equi eorum caro & non ſpiritus) manifeſtè conſequitur, eum ſpiritum fore efficaciorem & agiliorem, ac penetrantiorem, qui minus cum corpore affinitatis, aut commercij & conſuetudinis habebit: atque ita angelorum & cæleſtium animarum ſpiritus humanos his partibus & viribus anteibunt. S. S. E. Quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minùs ab angelis. Itaque quo puriores à corpore, quoq; remotiores fuerint, eò præſtantiores eniteſcent ſpiritus. Quamobrem Deus, cùm puriſſimus, & nihil cum corpore prorſus commune habens, imò à corporibus infinito diſcrimine diſtet: idem ceteros omnes ſpiritus per infinitum ſpacium perfectione, vi, agilitate, atque tota prorſus natura, & naturæ efficacitate tranſcendere iure dicetur: neque vllam aliam ex iis quæ in cælo ac terra, atque in omni rerum genere, non ſolùm corporum, ſed ſpirituum naturam ſibi, neque ſecundò, neque vllo alio gradu comparationis admittere, non hominem, non angelum, nedum iſtis generibus minus quidpiam aliud. Ad quam quidem rationem illa apud Iobum doctrina pertinet. Numquid homo Dei comparatione iuſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles: & in angelis ſuis reperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, & qui terrenum habent fundamentum. & illud: Ecce, luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt nitidæ in conſpectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Itaque Deum vt puriſſimum ſpiritum, ita perfectiſſimum, immenſum, efficientiſſimum omnibúſque rationibus maximum & præſtantiſſimum, atque adeò totum centrum dicimus.

Pſal. 8. — Iob 4. — Iob 25. — Orbis Ω.

13\. Huiuſmodi verò centri aliquod ſpacium ipſa rerum natura & conſecutio poſtulare videtur, atque adeò poſtulat, mutuo enim ſe conſequuntur nomina hæc centrum & ſpacium, eandemq; naturam ſimul denominant. Ita vt cùm figuram dicimus, id quod in figuræ meditullio fuerit centrum intelligamus. Corporibus omnibus ſua centra eſſe aſſeramus, in quibus corporum præcipua vis conſtituitur ponderibus, viribus, atque facultati omni motibus etiam & actionibus opportuna centra tribuimus: atque adeò ſpiritibus ipſis tenuiſſimis ac ſubtiliſſimis corporum omnium huius nominis rationem & veritatem non ſubtrahimus. Spiritum verò illum infinitum & maximum atque puriſſimum: ideo totum eſſe centrum docemur: quod totum pariter præſtantiſſimum & efficaciſſimum conſideremus. Sed finitorum centrorum quæ certo loco ſignari poſſunt, finita quoque ſpacia, eaq; certis terminis cohibita conſtitui oportet, ſiue ea corporibus, ſiue figuris, ſiue viribus & facultatibus, aut actionibus & motibus adſcribantur. In corporibus autem & figuris rotundam ſiue ſphæricam, ſiue orbicularem ſpeciem capacitatis, agilitatis, efficientiæ vniformis ac per omnia æquabilis, opportunitatis & commoditatis ad motum, atque multis aliis nominibus præcipuè ac maximè commendatam accepimus. Tum verò ac ſingulari prærogatiua, quod huiuſmodi ſpecies certo principio ac fine careat: vnoq; tantùm termino ſe ipſam, & cetera quæ in ſe continet, amplectatur. Quamobrem Deo, quem infinitum centrum eſſe modò diximus, eidem infinitum ſpacium (quocumque modo, quocumque nomine

*mine de ſpacio cogitandum fuerit ) tribuere neceſſe eſt. Spacium autem eiuſdem*
*prorſus naturæ virtutis & efficacitatis qua centrum conſtat : ita vt idem ſibi*
*centrum ſit, idemq́; ſuum ipſius ſpacium in infinitum pertendat nullis metis ter-*
*minabile. Cui ſi vel cogitãdo diſciplinæ cauſa ſpeciem quampiam aſsignari ope-*
*ræpretium fuerit, nullam aliam rei natura admittit quàm ſphæricam, ſi quo mo-*
*do cogitatione poni poſsit ſphæra terminis omnino carens, & omnibus nominibus*
*infinita : namque hanc adnotationem ſibi ſingulariter arrogat, & adiudicat il-*
*lud, de quo nunc agimus, diuinum ſpacium: ceteras omnes quæ cum infinitudine*
*non pugnant : imò conueniunt potius , admittit præter motum illum, cui quies*
*opponitur. Cùm centri natura immobilitatem & quietem vẽdicet, ſicut ſcriptum*
*eſt: Ego Deus, & non mutor. Itaque capacitatem, agilitatem, efficacitatem, vir-*
*tutumq́; omnium ſummam , atque omnia hæc infinita , & principio ac terminis*
*carentia, diuinæ ſphæræ natura tenet, propriaq́; tuetur vnà cum æternitate, quæ*
*quidem infinitudinis germana eſt ſoror. Ex his verò conſequitur Deum infini-*
*tum ſpacium, infinitam ſphæram, infinitumq́; centrum eſſe, atque omnium horum*
*nominum non modò notiones , verùm rationes, vires, efficacitatéſque vnicè ac*
*ſingulariter omni termino ſemoto poſsidere. Eademq́; cuncta , & quæ præterea*
*cogitari humana mente poſſunt , & qua humanæ cogitationem mentis infinito*
*interuallo excellunt, ſpiritui illi infinito, quem Deum nominamus, conuenire.*
*Quidquid itaque his verbis perfectionis & infinitudinis, virtutis efficientiæq́;*
*ſignificatur : Dei proprium & perpetuum æternumq́; eſt : quidquid verò modi,*
*menſuræ ac termini, id ceteris à Deo rebus pro cuiuſq́; natura notatũ adſignatur.*
14. *Atqui infiniti vis & natura illud habet, vt ipſum ambiri & teneri à nullo*
*alio quàm à ſeipſo poſsit: ambiat verò & contineat cetera omnia, quæcunque vel*
*ſint, vel eſſe poſsint. Namque minus à maiori , non maius à minore continetur:*
*infinitum autem non maius aut maximum tantummodo dicitur, ſed quod nul-*
*lam magnitudinis comparationem cum ceteris admittat ; ſuamq́; infinitudinem*
*ſingulariter tueatur : neque figuram repræſentet vllam, cuius termini deſcribi*
*vel cogitando queant. Namque vt comparationis, ita & ſimilitudinis nulla alia*
Iſaiæ 40. *natura cum Deo collata compos eſſe poteſt. S. S. E. Cui ſimilem feciſtis Deum,*
Ibid. 46. *aut quam imaginem ponetis ei ? & iterum , Cui aſsimilaſtis me, & adæquaſtis,*
*» & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? Igitur Deum ſphæram dicemus principio*
*ac fine, terminoq́; carentem omni, cuius infinitum quoque centrum ipſe eſt. Sphæ-*
*ram autem non corpoream, neque corporibus quicquam ſimile in ſe habẽtem , ſed*
*ſpiritum infinitum ſingulariter purum , ſingulariter efficacem, ſingulariter ſa-*
*pientem, ſingulariter bonum, omnibusq́; ſimpliciſsimũ nominibus , nullius egen-*
*tem rei, nullo definitum, aut cohibitum loco, omnia complentem, ſuperantem om-*
*nia ſpatia , tempora , ſecula , ceterorum quæ infinita non ſunt , illorúmque ac-*
*ceſſu, aduentu, & præſentia nihil ſibi aſciſcentem, nihil illorum defectu, & in-*
*teritu deſiderantem.*
15. *Porrò ſpiritus natura atque virtus illud ſibi vendicat, non ſuſtineri, aut ful-*
*ciri, ſed neque moueri ab aliis quæ ſe minora fuerint; ſed potius alia minora ſe*
*fulcire , ſuſtentare & mouere. Vt enim à denſioribus , & corpori congeneribus*
*primum ſpiritibus experimentum petamus: conſtat neque mari, neque terra, ne-*
*que terra genitis rebus ſuſtineri ventum , neque ab illis moueri aut agitari : ſed*
*ipſum potius ventum continere interdum ac ſedare, interdum excitare, & mo-*
*uere*

*uere maria, flumina, terras, montes, & cetera quæcumque obuia & obſtantia, pro virium ratione & modo rapere, impellere, & mouere, atque agere: quidquid enim mouetur, ſpiritus virtute & efficientia vel impulſu mouetur, ſiue rariora corpora, vt ignis, aqua, aër, ſiue denſiora quæcumque fuerint quibus motus tribuatur. Itaque corporeus ſpiritus quamquam finitus ſeſe ipſum mouet, atque alia pro virium ponderúmque modo. Præterea corporeus ſpiritus propter tenuitatem atque ſubtilitatem penetrare omnia poteſt, pro ratione tamen naturæ ac generis tum ſui, tum eius quod penetrat: ipſe tamen non penetratur à craſsiore aliquo, findi tamen poteſt & permeari ſine vllo ſui detrimento: quia corpus eſt, idémque leue & rarum, quod facillimè & citiſsimè coaleſcit: id quod in liquida aqua, cui corpus eſt longè denſius, conſpicimus: quæ prætereunti naui cedens finditur, nec rumpitur tamen propriè, neque corrũpitur: ne dum ventus, ne dum aër idipſum longè præſtantius habeat. S. S. E. Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, &c. Penetrari quidem poteſt denſius & craſsius à ſubtiliore, ſicut acutiſsimum quodq; id quod denſum eſt, penetrat: quamquam vtrumque corpus habeat: at verò acutum ab obtuſo non penetratur, neque tenuiſsimum & ſubtiliſsimum à denſiore & craſsiore; quare & ſpiritus tenuior ex iis, quibus corpus adſcribimus, craſsiorem ſe penetrabit, quãquam non findat: hoc vapores ab aqua, vino, & aceto, aliisq; liquidis corporibus & ſpiritui affinibus exhalati, atque interdum recepti docent. Itaque ſpirituum propria eſt penetratio aduerſus craſſiora ac minus tenuia genera. Sic enim frigus & calor quæ ſpiritibus fulciuntur ſuis, liquida corpora penetrata ſubeunt, vt aquam, vinum, acetum, lac, & mel, & alia omnia & denſiora, vt carnes, neruos, oſſa, atque adeò lapides & metalla. Quamobrem quo ſubtilior & acutior fuerit ſpiritus, eò erit penetrantius: vnde Solis corporeus ſpiritus ad vltima vſque terræ viſcera, atque ad altiſsimum pertinet mare. S. S. E. Neque eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Ita ventus penetratione aquas exugit, & in ſublime tollit, atque etiam ferme ad certos vſque terminos exſiccat ſuperficiem. S. S. E. Cumque extendiſſet manum Moyſes ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſaq; eſt aqua.*

Prou. 30. — Pſal. 18. — Exodi 14.

16. *Ex his conſequitur ſpiritum, qui verè ſpiritus ſit, & nihil corporeum ſecum commixtum habeat, & eſſe ſubtiliſsimum & penetrantiſsimum, atque etiã promptiſsimum & agiliſsimum, qualis Angelorum Dei ſpiritus, de quibus Vates cecinit: Qui facis Angelos tuos ſpiritus. qualesq; humani animi ſunt, qui breuiſsimo temporis ſpacio vniuerſum orbem cogitatione percurrunt. Atqui humani animi cæleſtes angelos inuadere, excitare, & mouere non poſſunt, quam diu hãc quam obtinent naturã, tuentur: quare nec rapere, neque docere, ab illis verò hi mouentur, excitantur, & rapiuntur interdum: docenturq; ſæpè; qua de re plena ſunt Vatum ſacrorum ſcripta. Quin & maligni atque nocentes ſpiritus hominum corpora obſidere, animos agitare, vexareq; ſæpe deprehenſi. S. S. E. Spiritus autem Domini receſsit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino. Dixeruntq; ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te.*

Pſal. 103. — 1 Sam. 16.

17. *Spiritus qui nullam cum corpore generis ſocietatẽ affinitatemq; habet, quamquam corpus occupet, inſtruat & moueat, ſine corpore tamen eſſe & manere poteſt, & quo fuerit præſtantior ſecundùm naturam, eò magis immortalitatem*

vendicabit. qui ſi infinitæ virtutis eſt idem propriè viuens, idemq́ propriè & ex natura immortalis erit, neque tempore vllo aut orietur, aut finiet. Quamobrem vndiquaque æternus iure dicetur, & infinita virtute atque efficacitate ſua, omnia alia finita ſuſtinebit, omnia penetrans peruadet, ipſe à nullo ſuſtinebitur, & peruadetur. Cumq́ centrum idem ſit infinitum, erit etiam omnium quæ ſunt, præter ipſum veriſſimum, & maximè proprium centrum omnibus quæ mouentur & agunt: omnibus etiam quæ quieſcunt vnicè proprium & oportunum. Atque ita nihil erit, quod ſpiritum hunc latere poſſit, vt nihil eſt quod ſuum ipſius centrum lateat, ſine quo minimè eſſe, conſiſtere, aut moueri valet. Quandoquidem corpus à ſpiritu agitur & mouetur, & minus à maiore ſuſtinetur & ambitur, & quod non eſt, ab eo fit. quod eſt, & quod in tempore exiſtit, ab æterno editur: neque verſa vice hæc fiunt. Conſequitur omnia alia præter diuinum ſpiritum à diuino ſpiritu & fuiſſe facta, & ſuſtineri, quibus nondum editis, nihil auctori ipſi deerat, aut deſiderabatur. Editis verò nihil acceſſit. Neque enim æternitati tempus, quod nondū aduenit, deſideratur: neque quod aduenit, quippiam attulit & adiunxit: ſeiuncta longeq́ diuerſa vtriuſque ratio eſt æternitatis ac temporis.

Æternitas. Tempus.

Tempus enim ab æternitate producitur & ſuſtinetur: non vt ſui pars aliqua, ſed vt ludus & ſpectaculum exterius ab ipſo, à quo editur, natura diuerſus: vt vmbra quæ momento horæ creſcere ac decreſcere poteſt, ab eo cuius vmbra, non cuius pars eſt: & quod nec vmbra creſcente creſcit: nec decreſcente minuitur. Igitur quidquid hoc eſt, cui mundi cæliq́ nomen indidimus, auctoris ſui vmbra eſt: quamquam res vera ſit, & certum natura tueatur genus: tamen ad auctorem ſuum comparatum, vmbræ imaginem ſubit, quæ oriri & creſcere, ac minui occidereq́ poſſit citra vllum auctoris vel augmentum, vel detrimentum.

Vmbra non eſt neque mouetur, ſi eius cuius eſt vmbra.

Hoc tamen diſcrimen inter vmbras corporum ac diuinæ virtutis vmbram reperimus: quod illæ nihil aliud ſunt quàm corporis figuræ quædā luminis opacitate deſcriptæ & effectæ: quæ cùm lucem ex ſeſe non habeant, lucis tamen munere fruuntur: ita vt in vmbra agentes videre & agere certū ad vſque modum poſſint. Diſtatq́ vmbra à tenebris immanè multum naturæ genere & bonitate, verùm ad lumen comparata vmbra infinito ſuperatur exceſſu.

Vmbra ad eandem figuram refertur cum corpore.

Vbi non eſt corpus, vmbra eſſe non poteſt. Quocumque autem corpus declinat aut intendit, eodem quoque vergit, & conſequitur vmbra. At verò diuinæ virtutis vmbra, res vera, certa, atque in naturæ ordine conſtat, virtutemq́ ipſa obtinet, quam variis modis ac generibus diſtributam ſortitur: Lucisq́ illius æternæ imaginem finitam tamen lucendo repreſentat, conſpicuamq́ exhibet: quippe quæ non eiuſdem naturæ ac lucis eſt, ſed naturæ ac luminis illius vmbratilis figura ſuo tamen in genere lucens: vt ſtellæ aliæ ab aliis claritate differunt, quæ ſi cum ſolis comparētur lumine, vmbræ potius quàm luces dicendæ fuerint. Ita quidquid præter Deum eſt, eſſeq́ poteſt, naturam lucemq́ pro ſuo genere tuetur propriam, quam cum diuino lumine vnde ſuas claritates naturasq́ ſortiuntur proprias collatam infinito interuallo minorem fatentur. Namque hæc omnia non minùs videri, & ſenſibus percipi poſſunt quā caligines & nebulæ, vmbræ ac nubes. Diuina verò lux nec mortalibus oculis, nec humanis mentibus conſpici poteſt. Hoc enim diuus Paulus arcanorum diuinorum oculatus teſtis docendo pronunciauit.

1. Tim. 6.

» Rex regum & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem, quam nullus homo vidit, ſed neque videre poteſt. Hanc etiam lucis immen-

immenſitatem, qua ſola diuina fruitur natura, atque ceterarum ſub illa rerum
lucem vmbræ & caligini aſsimilem ſacri Vates cantando venerati ſunt: Bene- Pſal. 103.
dic anima mea Dominum: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.
Confeſsionem & decorem induiſti: amictus lumine ſicut veſtimento. Extendis
cælum ſicut pellem: qui tegis aquis ſuperiora eius. Qui ponis nubem aſcenſum
tuum. & iterum: Inclinauit cælos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius. Et Pſal. 17.
aſcendit ſuper cherubim, & volauit: volauit ſuper pennas ventorum. Et poſuit
tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebroſa aqua in
nubibus aëris. Et ſapiētiſsimus ille philoſophus naturæ omnis indagator, à Deoq́;
edoctus ait: Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt Prou. 25.
maieſtatis, opprimetur à gloria. Et quæ multa de diuinæ naturæ præſtantia ab
Iſaia indicata, & noſtris commentariis diſerta ſunt: Ea quæ ſub ipſo erant, re- Iſaiæ 6.
plebant templum, & domus repleta eſt fumo.

Iam verò ſpiritum illum ſapientiſsimum, efficaciſsimum, & optimum, ſuóque 17.
lumine atque omnibus nominibus infinitum nullius naturæ extra ſe egentem,
ſphæricum ſiue rotundum quod ad perfectionem, ſimplicitatem, & capacitatem,
commoditatem oportunitatemq́; pertinet: quod verò ad figuræ terminos, infini-
tum figura ac ſimilitudine immunem omnia ambientem & continentem ſpacia,
eundemq́; totum centrum. Vbi mundum hunc edere & condere iuuit, nihil omni-
no volentem remorari aut impedire detineréve potuit, quo minus voluntatem
ſuam perfecto opere expediret. Nam cùm præter ipſum nihil eſſet niſi tenebræ,
nullum impedimentum offendit, ſed ſolo verbo, eoq́; vnico, ex mente, voluntate,
ac bonitate pronunciato. IEHI, ſiue erit orbis omnis cum ſuis partibus & or-
namentis concinnatus & compactus, perfectus decoratusq́; extitit. S.S.E. Ipſe Pſal. 148.
dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum in ſe-
culum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit. Et quidem tenebræ cùm exte-
riores, id eſt, à diuinæ naturæ veritate, & præſtantia infinito diſcrimine diuer-
ſæ, nullum cum illo commercium, nullam prorſus affinitatem, nullam ſocietatem
habent: imò nec vicinitatis vllo iure ſeſe illi miſcere aut occupatione, aut alio
modo vel obeſſe, vel obſiſtere. S. S. E. Deus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt 1 Ioan. 1.
vllæ. &, Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Igitur
vbi placuit luci illi, aliam lucem tamquam luminis ac bonitatis virtutisq́; ſuæ,
imaginem certis terminis definitam proferre, eamq́; ſuæ laudis ac maieſtatis præ-
conem conſtituere, cælum ac terram prima huius lucis exempla dicto iuſſuq́; crea-
uit, atque creationem illa, qua id quod eſt, ab eo quod nō erat diſcreuit, lucem ap-
pellans edidit. Fiat, inquit, lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quod eſſet Gen. 1.
bona (erat enim optimi & infiniti imago, quamquam finita) & diuiſit lucem à
tenebris: & appellauit lucem diem, & tenebras appellauit noctem. Itaque Deus
in ſe ipſo manens, alia volens & potens edidit, quæ & in ipſo & cum ipſo eſſent: De rerum
neque tamen ſe comprehenderent, aut æquarent. Namque finitum ab infinito natura fini-
comprehenditur, ac tenetur, & ſuperatur: non autem vice verſa infinitum à fi- ta & rotun-
nito comprehenditur, & vincitur: imò neque æquatur: Sed velut vmbra corpus da.
pro naturæ & generis modo imitatur, & vt exemplum exemplar reſpicit, ac pro
ratione ſua refert. Ex quo efficitur vt vnaquæque mundi huius pars & natura
genus tutata proprium, lucis & veritatis nomine honeſtetur. Quidquid enim
Deus condidit, & verum eſt, & illuſtre eſt à tenebris & à falſo ficto & vano

 diſtans.

diſtans: idemq́; exemplaris imaginem virtute & efficientia atque propria natura pro iure, ſorte, munereq́; ſuis imitatur: certo tamen & præſcripto magnitudinis & ſpeciei fine, eoq́; circulari. Quidquid enim ab illo immenſo & infinito orbe (cuius centrum eſt vbique, circumferentia nuſquam) editum fuit, rotunditatem imitatur partim terminis & figura tota, vt in corporibus quamplurimis obſeruamus, partim virtute & poteſtate, atq; actione & motu, vt in corporibus & ſpiritibus qui corpore carent, obſeruare eſt. Quamquam verò multarum rerum & corporum figura oculorum ſenſui non ſemper oſtendatur ſphærica: tamen motu, actione, & efficientia ſphæram ſiue orbem obſeruandum contemplatione ſui exhibet; id quod generibus rerum deſcribendis oſtendetur. Mundus ipſe totus à figura orbis nomen ſibi vendicat: quam figuram mundi maximæ partes, & loca magnorum corporum imitantur, vt terra, ignis, aër, aqua, & liquida omnia, ſed in liquidis clarius apparet propter facilem partium redintegrationem, vbi findi, vel diuidi contigerit. Singulæ namque partes etiam ſeorſum rotunditatem appetunt, eo modo quo facilius conſequi poſſunt, vt in ſtillis & guttis manifeſtum fit. Ceterorum corporum ſolidiorum bona pars eandem exhibet figuram, vt in arboribus, herbis, floribus, & fructibus quamplurimis conſpicimus. Atqui ea quæ videntur manifeſtè eorum quæ non ita ad ſenſum apparent, ſimilem naturam intellectu ac mente cognoſcendam præbent, maximè verò ſi ad vires, ingenia, horumq́; motus & efficientias animum aduertamus. Ita ſingulorum ſecula, ac durationes à principio ad finem vſque obſeruata rotundi orbis vim & rationem oſtendunt: atque hoc eſt quod aliàs vniuſcuiuſque rei GHOLAM, ſiue ſeculum dicebamus. Animalia ſingula ſuorum orbium non excedunt terminos, atque adeò hominum generi ſuus eſt conſtitutus orbis, quem diuus Iacobus Natiuitatis rotam, id eſt, naturalem ſphæram appellauit. Ex qua ratione ac veritate Microcoſmi cognomentum homini à Græcis tributum eſt. iam verò non ſphæricæ modò, ſed cuiuſcumque figuræ atque rei centrum proprium eſſe, natura duce inueſtigantes comperiebamus. Centrum inquam non formæ ac ſpeciei, ſiue figuræ tantummodo, ſed virium & ponderis atque efficacitatis, quo cetera vel innixa moueantur, vel hæreant, vel quieſcant: quotq́; fuerint res, totidem centra, ſiue integris ſiue diuiſis ac diſſitis dari oportere.

Ex figura centrũ formæ & virium. Centrum in centro infinitè nititur.


Iac. 3.

18. In figurarum affinitate, vicinitate & compoſitione ac ſitu concentrici & eccentrici nomina & rationes conſiderantur: dicimus enim concentricas figuras, quarum idem vnicumq́; centrum eſt, quarum verò diuerſa, hoc eſt, alio atque alio ſitu ſignanda centra eccentrica vocamus: eadem ratio non in planis modò faciebus ac figuris, ſed in corporibus atque etiam in ponderibus viribuſq́; corporum aut rerum: & in omni virtutum genere conſideranda ac tenenda eſt, idem quod pupillæ totius oculi centrum: idem manus, palmæ, ac digitorũ in ipſa manu conſtitutorum centrum; quamquam ſinguli digiti ſecundùm propriam rotunditatem ſingularia quoque centra dicantur habere: idemq́; de omnibus in animalis corporis membris dicendum, quæ corpori toti concentrica ſunt. Atq; eiuſdem centri virtute nituntur & mouentur: concentricarum figurarum exemplum deſcri-
19. bimus. a. b. c. eccentricæ verò d. Centrum à figura quam fulcit, ambitur: ex quo fit vt ſi multa concentrica ſint, omnia idem ambiant centrum. Secùs verò fit in eccentris, quæ ſuum tantùm ambiunt centrum. Intra figuram maiorem non ſolùm concentricam minorem, ſed eccentricam quoque conſtitui poſſe res ipſa docet,

Concentricum. Eccentricũ.

cet,

cet. Illud quoque prudenter adnotari oportuerit, cùm in maiori figura infinitæ à centro ad circumferentiam proficiſcantur lineæ, fieri non poſſe, quin minoris figuræ centrum aliqua ex illis maioris centri lineis tangatur: & ſi ita loqui libeat, interſecetur, vel penetretur: ita quidquid in minori figura fuerit, à maiori tangi ac ſentiri poteſt, ſi modò maior figura ſenſus compos fuerit: verùm hoc minori figuræ commutata vice non conuenit: quippe cuius lineæ ſuum non excedentes ambitum, ad maioris centrum non perueniunt.



Poteſt quidem minor figura dum tangitur, maiorē cognoſcere: non vt contactam ſibi, ſed vt ſeſe contingentem ac penetrantem; itaque dum patitur, agitur, mouetur, aut aliàs quouis modo à maiori accipit, aut accipitur, cognoſcere maiorem poteſt vt comprehendentem ſeſe aut mouentem: vt ſibi verò comprehenſam aut motam minimè poteſt. Manifeſtum verò ex iis quæ iam diximus eſſe poterit, craſſiora ac denſiora à ſubtilioribus ac tenuioribus corporea, à ſpiritualibus non penetrari modò, ac diuidi cùm opus eſt: verùm etiam teneri, fulciri, & vt ita loquamur, animari & agi. Id quod vice verſa non fit. Namque in animatis corpus ab anima ſiue ſpiritu, non anima vel ſpiritus à corpore fulcitur, & ſuſtinetur, ac agitur.

Igitur ſi animo ac mente ſphæram contemplemur magnitudine ac virtute 20.
infinitam cuius etiam centrum vbique ſit, & quæ omnis centrum ſit, id eſt, virtus, robur, & firmitudo, ac δύναμις circumferentia & ambitu carens: illud planè conſequetur quidquid præter illam ſphæram fit, inter eandem eſſe, ab eademq́ ambiri, & contineri: atque in illius centro eſſe, non vt concentricum, ſed magis eccentrici rationem habere, vti tactum & contentum, non vti tangens & continens: nihilq́ à minori agi poſſe, quod à maiore non ſentiatur. Contra tamen maiorem, hoc eſt, infinitam quamplurima facere & præſtare poſſe, quæ minor non ſentiat, aut aſſequatur: quæ finita ſit, neque vlla ſui parte maioris centrum attingens, à qua tamen ipſa non per lineas modo, ſed per ipſum centrum prorſus tangitur quacumque ſui parte. Illud quoque diducitur, ſi infinitum & maximum præſtantioris naturæ fuerit, quàm id quod finem habet, hoc ab illo contineri, non contrà: & ſi ſpiritus infinitus ſit, eumdem corporea omnia finita continere, penetrare, pertingere, agitare, & mouere: nihil verò ſimile his ab illis accipere, aut pati: quare neque corporum denſitate denſari, nec raritate rareſcere, nec alteritate alterari, nec augmento creſcere, nec decremento minui, nec vita viuere, nec morbo ægrotare, nec morte mori. Poſſe autem ipſum omnia hæc, & quàm plurima alia vel iuuamenta, vel nocumenta ipſis abſque vlla ſui mutatione inferre. Ipſum præterea propter ſui infinitudinem omnibus aliis concentricum eſſe, hoc eſt, cetera omnia vt efficaciſſimum centrum continere; nullum verò ex aliis natura concentricum huic infinito eſſe, quippe finitum fine carens, centrum ambire & complecti nullo pacto poteſt. At hæc ſi finitum aliquo iure, vel benefi-

*cio, vel priuilegio ad infiniti naturam perficiatur: ita vt ſpirituale viuens, diuinumq́ verè dici poſsit, ipſum tamen non poſſe id quod natura infinitum eſt, in ſe conuertere & abſorbere: imò potius ipſum ab infinito abſorberi, & conuiuificari, atque ad idem diuinitatis centrum referri poteſt. Eſto enim, dicis cauſa, maxima & efficaciſsima aquæ ſphæra virtute prædita efficiendi ac mutandi quidquid velit, in id quod velit, quàm ſuum centrum proprium obtinere manifeſtum eſt; ac verò complures contentæ ambiantur, & moueantur: minoris multo ſphæræ inter quas vna ſit, maximæ illi aliquo nomine congener, vt vapores aut alias humēte natura conſtans globus, vel ampulla ſiue bulla, quales plurimas in aquis videmus, fieri poteſt, imo perſæpe fit, vt minor ille globus ſiue bulla, ſiue orbis cui antea ſuum proprium ex natura centrum erat, à maxima aquæ ſphæra abſorptus in aquam abeat, & conſortis naturæ cum maxima ſpæra effectus non ſuum iam deinceps priuatum, ſed idem cum maximo globo centrum habeat: atque eodem nobilitatum nomine, non vapor, non bulla, non exhalatio, ſed aqua verè dicatur propter voluntariam & liberalem communicationem à maxima aquæ ſphæræ ſummo beneficio acceptam.*

21. *Atque vt ad ſcopum, quem intendebamus, noſtra referatur diſputatio. Ex omnibus earum generibus rerum quarum ſingulares attigimus rationes, ſimilitudinem aliquam adumbrare licet, quæ diuinæ cognitionem virtutis aliqua iuuet. Dicimus itaque Deum natura eſſe ſingularem, ſpiritum puriſsimum, nullo corpore conſtantem aut mixtum, multitudinis expertem, vnicum magnitudine, virtute, & efficacitate infinitum, per omnia ſibi ſimilem, inuariabilem, à mutatione alienum, ſe ipſum poſsidentem, omnia penetrantem, omnia implentem, efficientem, mouentem, & moderantem: omnia, atque pro cuiuſque generis natura & ratione animantem, nullius indigentem aut cupientem: totumq́ ſui met centrum, atque aliorum omnium quæ finita ſunt ſuſtinentem & ambientem: atque adeò peruadentem, ſcrutatumq́ omnia nullius contactu aut commixtione intaminatum: nihil ab alio ſibi contrahentem aut vſurpantem, omnia animantem, atque plenius ac melius cuncta hæc habentem quàm ſol, qui cùm omnia viſitet & luſtret, omnia calefaciat, nullius tamen aut naturam aut vim expetit, nullius calore caleſcit impenſius, nullo frigore frigeſcit, nullo denique modo afficitur, virtutem verò ſuam & efficientiam ſingulis corporibus pro ratione & vſu communicat: nec ideo quicquā ex ſe remittit, amittit, aut minuit: neque auget etiam aut amplificat. Cetera omnia tam maxima quàm exigua continet, ſuſtinet, & fulſit, atque etiam mouet, & agit ſpiritus ille diuinus centraq́ ſingulorum tenet: cùm ſit ipſe infinitum centrum, quare conſequens fuerit, nihil ſine ipſo eſſe, moueri, aut agere, aut agi poſſe, non corpora denſiora, & quæ ſenſu capiuntur, non puriora & ſpiritui affinia, non demùm ſpiritus ipſos ab omni corporea mole & natura ſeiunctos. Præterea hunc ſpiritum omnibus eſſe concentricum rebus naturiſque aliis, nullam verò aliam idem cum ipſo centrum naturæ prærogatiua ſortiri.*

22. *Huic verò ſpiritui cùm placuit mundum naturamq́ rerum condere volenti ac iubenti cuncta, cito ſuis ordinibus diſtincta & concinnata extiterunt edita, & ſuum ſingula orbem, ſuum mundum, ſuum ſeculum, ſiue* GHOLAM *ſortita continuerunt & ſeruarunt: nihil minus aut maius auctore habente quàm antea in ſe virtuteq́ ſua habuerit: cuius varia, & numero carentia dona creatis editiſque*

tiſque

*tiſque rebus communicata ſunt, & conſeruandis pro conditoris liberalitate, veritate, & ſapientia communicantur. S.S.E. Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe* Pſal. 32.
*mandauit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum & in ſeculum ſeculi: præceptum* "
*poſuit, & non præteribit. Atque alphabeti Græci imago veritatem hanc nobis* "
*certa quadam ratione adumbrat: vt enim nulla res eſt quæ illarum literarum poteſtatem ad ſui appellationem excedat, atque omnium nomina intra* A & Ω *coercentur: Ita nihil in rerum natura eſt quod principium ſuum Deo non acceptum referat, quod infinitatis diuinæ magnitudine non contineatur. Et ex conſequenti, quod ſuo principio pro ratione propria non reſpondeat, & ad idem vt finem referendum non ſit: hoc enim verbum Dei nos arcano illo ſermone docet: Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis.*

*Naturæ rerum principiis & exordiis communi commentario indicatis, atque* 23.
*ipſo omnium opifice & conſeruatore Deo vtcumque cognito & reuerenter adorato, conſequens eſt de orbis creati partibus quo ſingulæ modò ſint, vtq́ habeant diſſerere. Ac primum de cælo, quod corpora omnia reliqua continere ambireq́ intelleximus, nihilq́ vltra ſe excludere quod mole, corpore, menſuraq́ definiri*
*poſſit. S.S.E. Cælum ſurſum, & terra deorſum. Cùm primis verò illud ſtatuen-* Prou. 25.
*dum, omnia quæ à Dei ſapientia ac virtute facta, conditaq́ fuerunt, certam naturam obtinuiſſe certo rerum genere comprehenſam ac definiendam, ſinguláque actionis ſiue muneris & officij cuiuſpiam faciendi cauſa fuiſſe edita: ita vt nihil ſit otioſum, nihil ludicrum, nihil quod non ad mundi concinnitatem & vſum faciat; ac tam generis quàm facultatum & virtutum ratione: nihil ſibi infinitudinem arroget, quæ vnius Dei propria eſt, ſed omnia certis limitibus & formis tum naturæ, tum virium & efficacitatis claudātur, iis verò decoris & pulchris, & ad ſingulorum generum rationes concinnatis, atque ad totius communionem & ſocietatem attemperatis: hoc enim ipſa rerum contemplatio obſeruandū præ-*
*bet, ac diuinæ ſapientiæ oracula concipiendum tenendumq́ produnt. Omnia in* Sap. 11.
*menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti. Menſuram hoc loco ſingularum fines* "
*deſcriptionesq́ formarum ac rerum interpretamur: quas non omnes promiſcuas, ac temeraria varietate diſtantes, ſed certis ordinibus & generibus diſtinctas, nomen numeri declarat, in ſacra lingua valde affine generis ſiue formæ, ſiue ſpeciei nomini* MANAH *numerare dicimus: ex quo verbo nomen* MIN, *& numerum & genus Latinis præſtat. Namque genus omne ad numerum refertur, & numerus omnis proprium reſpicit genus: ſiquidem nihil promiſcuè & confusè, perturbatéve numeramus, nec dicimus centum boues, equos, oues, camelos, ſeruos, ancillas: ſed decem ſeruos, ancillas totidem, equos viginti, boues triginta, camelos decem, oues quadraginta. Ita omnia quæ à Deo condita ſunt, ad eos certos generum numeros redacta conſtitere: neque vanum quidquam, otioſum aut inutile à conditore extitit, ſed ſuæ cuique generi vires, facultates propriæ, atque efficacitates tributæ, ſuaq́ temporis momenta, ſuæ maturationes, ad cauſæ propriæ rationem adſcripta & indicata, has facultates & efficacitates certo virium examine trutinatas diuina ſapientia Pondus vocat. quod enim pondere caret, vanum, caſſum, inutileq́ arguitur. Atque tribus iiſdem verbis menſura, pondere & numero, omnium horum oportunitatum & maturationum atque productionum, fructuum & partium, totiusq́ durationis rationes & habitudines indicantur. Id autem ſingularum rerum circulus orbis id fuerit, ſeculum videlicet*

licet numeri, ponderis, ac menſuræ vniuſcuiuſque conſtantia & veritas. Atq; grauiter Iſaias eos reprehendit, qui cæli ac terræ mundanæq; fabricæ contemplatione relicta, qua nulla mortalibus voluptas maior eſſe poteſt: vino & lucernis,
Iſaiæ 5. atque epulis, iocis & luſibus operam ac tempus impendunt. Væ qui conſurgitis
» manè ad ebrietatem ſectādam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtue-
» tis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris: &
» opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Propterea ca-
» ptiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam: & nobiles eius perie-
» runt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Digniſſimum omni hominum generi & ordini mundani opificij cognoſcendi ſtudium hoc, & multis aliis diuinis re-
Pſal. 91. ſponſis declaratur. Quia delectaſti me Domine in factura tua: & in operibus
» manuum tuarum exultabo.

23. Cæli natura ex illo duplici conſtat liquore, cui MAIM nomen impoſitum declarabamus, videlicet ex pingui & ſalſo, ſiue ex pinguedinis ac ſalis, puriſſimis corporibus ac defæcatiſſimis, quorum puritas ſupremum ſibi arrogauit, occupauitq; locum, id iubente verbo IEHI & Spiritu ELOHIM iuſſa expediente. Namque hîc dum liquores exercet, tenuiora à craſſioribus diducens certis ordinibus, vnamquamque portionem diſtribuit: atque ita principia ſeponuntur, ac definiuntur: quæ rerum variæ naturæ componendæ, concinnandæ, & producendæ idonea ſint. Id autem factum eſt variis alterius liquoris generibus, cum oportuna alterius quoque ſelectione commixtis & coniugatis: ex qua coniugio fœtus productus eſt, qualem Dei verbum productum voluit: idq; perpetuo conſtánſque permanet. Tum in præcipuis & principibus rerum corporibusq; durationem perpetuam pro conditoris conſilio ſortita ſunt. Tum etiam in indiuiduis & minoribus corporibus, minusq; durantibus: quorum copia, ope & frequentia genera perpetuò ſufficiuntur. Hos vtriuſque liquoris multiplices variosq; ordines ſacer ſermo facies aquarum, ſiue, vt ex verbo diſſeramus, aſpectus, ſiue reſpectus MAIM vocat. Ita enim Latinè vtcumque verba illa declarari poſſunt GHAL PENE HAMAIM iuxta, circum, ſupra gemini liquoris aſpectus & ſpecies, qua breuiſſima definitione plures vtrique liquori facies complures ordines eſſe docemur. Namque in his quæ in terra ac mari, in fluminibus & fontibus viſuntur, & diſcernuntur: liquoribus multi vtriúſque generis vel ad ſenſum, & ad tactum diſcernuntur ordines, vel ex artis peritia atque indagine deprehendūtur. Quorum tamen ſumma genera pingue & ſalſum eſſe dicimus. Pingue id nominamus, quo ignis paſci aliq; poteſt. Salſum verò, cuius naturæ vim tamquam ſibi inimicam & letiferam perpetuò aduerſatur. In quo genere ſummum & puriſſimum locum aqua obtinet, non quælibet, ſed quæ ſaporis, coloris & odoris prorſus expers fuerit: atque ſalis fundamentum potiùs quàm ſal dici poſſit, qualē haud ſcio an in inferiori hac mundi parte reperiamus: huius liquorem formæ aquam viuam & ſimpliciſſimam, puriſſimamq; vocari in ſacris myſteriis obſeruamus: cuius imagine vim efficacitatemq; ſuam ad ſitim animorum ſedandam Deus per
Ierem. 2. tranſlationem indicare ſolet. S. S. E. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, &
Ioan. 4. foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. &, Omnis
» qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei,
» non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis
» in vitam æternam. Itaque puriſſimus in ſalis natura liquor huiuſmodi aqua eſt,
craſſiſ-

*craſſiſſimum verò ac fæculentiſſimum id quod Latinis argentum viuum, Chymicis verò Mercurius nominatur, inter vtrumque tenuitatis & craſſitiæ terminum quam plurimi ſalis locantur ordines: quorum ſingulares deſcriptiones & appellationes ad plenum tradere, nec facultatis noſtræ, nec præſentis eſt tractationis. Idemq́; de pingui dicimus cuius tenuiſſima ac poſtrema à natura oleum eſt, non ex his quodpiam quorum vſus nobis eſt familiaris ac notus vt oliui, ſeminum ac fructuum quorumdam, quamquam hæc puriſſima videantur, verũ aliud longè iſtis leuius ac ſubtile maximè quod ceteris omnibus eiuſdem generis innatat, atque imperat. Cuius aliquando exempla è cælo deriuata, olfaciendo ſentiuntur: quamquam huiuſmodi oleum ſi ad illud quod ſibi cælorum ſuprema natura vendicat, referatur, craſſum atque à fæce non immune arguendum veniat. Atque craſſiſſimam ac denſiſſimam in hoc genere ſulphuris naturã eſſe arbitrámve, non vno contentam ordine, ſed in plurimas quoque diſtributam formas.*

*Prima igitur per ſpiritum* ELOHIM *vtriuſque generis liquorum ſecretione parata tenuiora omnia corpora ſuis quoque ordinibus diſtincta, à craſſioribus diſiuncta ac ſepoſita fuere interiecto medio corpore* RAKIAGH, *ſiue fiſſione, ſiue expanſione, vel firmamento, per quod inſtar cribri cuiuſdam ſuperiora cum inferioribus communicarentur, atque inferiorum vaporationes fumi & halitus à ſuperiorum contaminatione arcerentur. Cùm enim illa deſcendunt certis ad tranſitum viis excepta & excolata, ad terras vſque demiſſa perueniunt. Has vias cataractas cæli atque ſua lingua* HHARVBOTH HASAMMAIM *vocatas legimus: quæ ſi laxiùs aliquando aperiri ſinantur, terram illorum liquorum inundatione, vt quondã in diluuio obruerent. Sic enim de hac re legimus: Et clauſi ſunt fontes abyſſi & cataractæ cæli, & prohibitæ ſunt pluuiæ de cælo. hoc de tenuiore liquore, qualis imbriũ eſt, obſeruamus. De pingui verò, eoq́; craſſiſſimo & fæculẽtiſſimo illud: Igitur Dominus pluit ſuper Sodomã & Ghomorrhã ſulphur & ignem à Domino de cælo. Non ex infernarũ exhalationum & vaporũ aſcenſu & incendio conflagrationem illam ortam ait Moſes: verùm à Domino de cælo. quippe qui ſpiritus Elohim miniſterio æthereum illud ſulphur, quamquã tenuiſſimum, tamen concreſcere ac denſari, & ignem concipere iuſſum ſupplicij ciuitatibus inferendi cauſa immiſit à Domino de cælo. Itaque ſingulare conſilium & intentionem Dei pro temporis ac iudicij ratione oportunam illo in loco intelligimus. Pluit Dominus, non vt ceteri imbres aut vt fulgura & fulmina ignéſque ab æthere deduci ſolent, ſed pluit Dominus: non caſu, aut ex loci bituminoſi exhalationibus à Domino de cælo.* 24. Gen. 7. Gen. 19.

*Cælum autem totum ſpacium totumq́; corpus dicitur à terræ & maris ſuperficie vſque ad vltimum poſtremúmque altiſſimi orbis terminum. Ita audimus è cælo pluere, & volucres per cælum volare, atque expanſionem ipſam ſiue firmamentum ab hoc nomine non excludimus. Verùm enimuerò cùm exactior ac diſtinctior habetur ſermo, cælum cæli, & cæli cælorum legimus: ex quo intelligimus triplicem totius machinæ ſuperioris regionem eſſe: vnam ad firmamentum vſque extremũ: alteram à firmamento ad vltima & poſtrema ſtellarum loca, aliam ſuper has quæ beatis & ſimpliciſſimis tribuuntur ſpiritibus. Quod à diuo Paulo tertium cælum vocatur, in quo ſibi arcana Dei viſa legimus: quamquam ea ſint quæ mortalibus enarrari non ſit phas: atque in ipſis arcanis tertij quoque cæli nomen ſortitur. De vſu atque fructu liquorum omnium quæ in cælo ſunt, paulò* 25.

 poſt

poſt diſſeremus. Nunc tres in cælo regiones accipimus, quarum nomina ſunt Fir-
Deut.10. mamentum, cælum, & cælum cæli. Sic enim legimus: En Domini Dei tui cælum
Deut.26. eſt, & cælum cæli, & terra, & omnia quæ in eis ſunt. Et reſpice de templo ſancto
„ tuo, & de excelſo cælorum habitaculo. Quamquam verò Deum ea ratione qua
infinitum dicimus, nullus locus, nulláve ſedes capiat: ea tamen qua ſpiritũ quá-
que centrum eſſe infinitum diſſerebamus omnem locum implere, & cælum tam-
quam regiam ex qua inferiora gubernentur, tenere confitemur: non ipſum tene-
ri à cælo, ſed cælum ab ipſo compleri, poſſideri, & gubernari vltrà cælum etiam
per infinitum ſpacium conſtante, atque ita mundi omnis intima & extima te-
3 Reg.8. nente, qua de re ita ſcriptum legimus. Ergóne putandum eſt quòd verè Deus ha-
„ bitet ſuper terram? ſi enim cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto
„ magis domus hæc quam ædificaui? Sed vt exaudias deprecationem ſerui tui &
„ populi tui Iſraël, quodcumque orauerit in loco iſto, & exaudies in loco habita-
„ culi tui in cælo. & rurſus: Tunc exaudies de cælo: & facies, & iudicabis ſeruos
„ tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput eius, iuſtificanſq;
2 Par.7. iuſtum, & retribuens ei ſecundum iuſtitiam ſuam. Diuinum oraculũ ita reſpon-
„ dens ait: Ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo ter-
„ ram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationẽ eius
„ qui in loco iſto orauerit. Itaque præſtantiæ nomine Deo omnia tenenti, omnia
Pſal.113. complenti, gubernanti omnia, ſupremum cælum vt regia ſedes tribuitur. Cælum
„ cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum. &, Deus noſter in cælis om-
„ nia quæcumque voluit, fecit. Atque de immenſitate Dei, deq; infinita virtute
antiqua etiam gentium diſciplina à diuino citata ſpiritu ita pronunciabat: For-
Iob 11. ſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum Omnipotentem repe-
„ ries? Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces?
„ Longior terra menſura eius, & latior mari. Si ſubuerterit omnia, vel in vnum
„ coarctauerit, quis contradicet ei? Eadem etiam antiquiſſima doctrina efficiendi
& condendi ex liquoribus cæli verbum Dei auctorem & ſpiritum ELOHIM
Iob 26. agnoſcit miniſtrum. Spiritus eius ornauit cælos, & obſtetricante manu eius edu-
Pſal.102. ctus eſt coluber tortuoſus. & Pſaltes: Initio tu Domine terram fundaſti: &
„ opera manuum tuarum ſunt cæli.

25. Cælum cortinæ inſtar terras & maria operire protenſum terramq́; ſub ſe con-
tinere, atque ſuprema ſui parte ex MAIM, ſiue liquoris gemina materia & na-
Pſal.103. tura conſtare ſic declarat Vates. Extendens cælum ſicut pellem, qui tegis aquis
„ ſuperiora eius. Hoc verò maxima fuiſſe ſapientia & prouidentia conſtitutum,
Prou.3. illo ſapientiæ altiſſimo ſermone docemur: Dominus ſapientia fundauit terram,
Ibid.8. ſtabiliuit cælos prudentia. & rurſum: Quando præparabat cælos, aderam:
„ quando certa lege & gyro vallabat abyſſos. Quando æthera firmabat ſurſum.
Cælorum ſuperiorum inſtitutionem naturam, & leges priori verſu expanſionis,
ſiue RAKIAGH, ſiue firmamenti ſitum, ſeriem, pondus, vel officium poſterio-
re indicauit ſapiens.

26. Forma verò cæli & ad motus, & ad capacitatis vſum atque etiam ad pulchri-
tudinis & ſpeciei elegantiam rotunda eſt, & ſphærica figura conditoris imagi-
nem refert. Finitam tamen & certis cohibitam terminis: id quod pluribus re-
ſponſis, & ſacrorum ſcriptorum documentis accepimus. Nam cortinarum exten-
ſio illa à Pſalte deſcripta tentorij imaginẽ refert, quæ omnes qui intus habitant,
velan-

velantur, ambiuntur, atque ab imbribus defenduntur. Id quod plano tecto fieri
non poteſt huic miniſterio motus & orationis opportunitas addita, rotundita-
tem vendicat. S. S. E. Gyrum cæli ego circuiui ſola. &, Gyrauit cælum in cir- Eccleſ. 24.
cuitu gloriæ ſuæ. & Iſaias: Cælum quo terra ambitur, ad extimam vſque ſu- Ibid. 46. Iſaiæ 40.
perficiem rotundum indicat. Qui ſedet ſuper HHVGÆ terræ. Quo vocabulo "
rotundi orbes ſignificantur, certi termino ambiti, qualem circino artifices deſcri-
bunt: cui inſtrumento ad orbes deſcribendos inuento, ex eadem ſignificatione
nomen eſt MEHHVGAH. מחוגה

At verò cæli ſupremi altitudinem hominum ingenio, arti ac ſtudio nũquam 27.
deprehenſam fuiſſe complura teſtimonia adſtruunt. Arenam maris, & pluuiæ Prou. 25.
guttas, dies ſeculi quis dinumerauit, altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & "
profundum abyſſi quis dimenſus eſt? Et cælum ſurſum, & terra deorſum, & cor "
Regum inſcrutabile. Tria hæc ſagacitatem ac ſolertiam humanam longè fugere "
ſignificat Sapiens.

Verùm enimuerò cælorum altitudo & magnitudo quamquam noſtram omnem 28.
menſurandi facultatem excellant: tamen modis ac definitionibus certis tenentur
ſapientiæ diuinæ cognitis, ad ſummamq́ examinatis. Vtpote neque molem, neque
virtutem infinitam vendicantes: adeò vt cum ſingulæ ſtellæ cum cælo compara-
tæ, admodum exiguæ videantur, & omnium ſimul numerus nemini hominum
comprehenſus conſtet. S. S. E. Tolle oculos tuos in cælum, & numera ſtellas, ſi "
potes. Ex quo conſequitur cælorum ingentem eſſe molem: tamen Deo omnia hæc
vel minutim emenſa & numerata conſtant. S. S. E. Quis menſus eſt pugillo Iſaiæ 40.
aquas, & cælos palmo ponderauit? Et Ieremias: Qui facit terram in fortitudi- Ierem. 10.
ne ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos. Orbem "
appellat mundum totum, & cælorum extenſionem prudentia & cognitione. At-
que ex conſequenti, menſura factam ait: nam quatenus pertingeret extenſio vt
haberet, vtque ad motum & ambitum concinnarentur cæli, quæ pars cui ex in-
ferioribus corporibus ad orbis atque ſphæræ proportiones reſponderet, prudentiæ
diuinæ fuit conſtituere. Natura autem cælorum quod illis liquoribus puris ac
defecatis conſtat, puriſſima nitidiſſimaq́ eſt, & pellucida omnis: atque hac ratio-
ne nulli mutationi, turbationi, vetuſtatis aut reſidentiæ vitio nulli rubigini ob-
noxia, ſed vt ab initio diſpoſitis partibus ac regionibus extitit: ita etiam perpe-
tuo conſtat, conſtabitq́ omnes diſtributasq́ vires iiſdem illis locis quibus primum
accepit: ex conditoris voluntate verbiq́ IEHI iuſſu conſeruabit. Hoc planè aſ-
ſeueratum apud Iobum legimus. vbi Latinus codex habet. Tu forſitan cum eo Iob 37.
fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt. Non hoc ad denſitudinem, "
ad duritiem rigorémve æris aut ferri æmulũ, ſed ad conſtantiam & perpetuita-
tem puritatis eſt referendum: quod ipſa primæua lingua ſic pronunciatum:
Extendiſti ne cum illo SAHHAKIM, perſeuerantes vt ſpecula fuſionis? Latinus "
ſermo propter verborum inopiam complura vno vocabulo vertere cõſueuit. Ita-
que SAMAIM & SAHHAKIM Cælos nominat. Cùm tamen SAMAIM totum
id quod à terræ ambitu ad vſque cælorum poſtremum terminum continetur, ſi-
gnificet. SAHHAKIM verò eam firmamenti partem in qua condiuntur ac in-
formãtur imbres, pluuiæ, niues, glacies, fulgura, tonitrua, rores, pruinæ, & quæ-
cumque horum generum naturæ in terram dimitti ſolent. Cuius exempla ſigni-
ficati complura ſunt. vt: Magnificentia eius diſcurrunt SAHHAKIM, cri- Deut. 33. nubes.

2 Sam. 22. brans aquas de nubibus. SAHHAKIM. Et ſuſpice cælum, & intuere, contem-
cæli Iob 35. plare SAHHAKIM, quod altior te ſit, & qui aufert ſtillas pluuiæ, & effun-
æthera Ibidem. dit imbres, ad inſtar gurgitum qui de SAHHAKIM fluunt, quæ prætexunt cun-
nubibus Iob 36. cta deſuper. Et ad nunc non vident lucem, ſubitò SAHHAKIM cogetur in nu-
aër Iob 37. bes, & ventus tranſiens fugabit eas. & tenebroſa aqua in nubibus SAHHA-
Psal. 17. KIM. & vocem dederunt SAHHAKIM. & quis in SAHHAK æquabitur Do-
aëris Psal 77. mino? & ſapientia illius eruperunt abyſſi. & SAHHAKIM rore concreſcunt.
nubibus Prou. 3. & quando SAHHAKIM firmabat ſurſum. Et quoniam peruenit vſque ad cæ-
nubes Prou. 8. lum iudicium eius, & eleuatum eſt vſque ad SAHHAKIM. Quamquam idem
æthera Ierem. 51. exemplaris verbũ diuerſis vocibus referant interpretes nubes, cælum, æthera, &
nubes aëra reponentes, rerum tamen de quibus agitur obſeruata ratio inferiorem cæli ſecundi partem, hoc eſt, expanſioni, ſiue RAKIAGH, ſiue firmamento proximam indicat, quæ quamquam variarum defluxionum locus & officina ſit, ſua tamen ſponte & natura pura ac terſa nitidaq́ perſeuerat, nitoremq́ ſpeculi puri recèns fuſi, vt apud Iobum legimus, in ſe conſeruat. Atque hæc tanta huius partis conſtantia altiorum etiam regionum puritatem longè maiorem indicat. Atqui inferioris cælorum regionis decantata à Iob, puritas, nitorem, & munditiem ſuperioris acceſſerit. Atque cælum in gyrum diuino iuſſu moueri, vel ipſum gyri nomen docet. Mouetur autem cælum quod ſtellarum aſtrorumq́ imagines & ſigna omnia continet, idq́ vnius lucis ac notis coniuncto ſpatio fit. Mouetur verò circa terram cuius lex perpetuam firmamq́ ſtationem centri inſtar conſeruat. Cùm enim nondum ſtellæ neque luminaria illa magna eſſent, primus dies
Gen. 1. ex mane & veſpere conſtitutus, diuinam temporis menſuram confecit. S.S.E. Et
» fuit manè, & fuit veſperi dies primus. Idem de ſecundo ac tertio legimus die, vſque ad quartum, quo ſol conditus enituit. Lucis verò & obſcuritatis, ſiue veſperis & manè viciſſitudinem cælorum motu & gyratione confici oportuit: qui alterutram vim ambitu ſuo terris communicabant. Id quod tam ipſis quàm aſtris & luminaribus magnis, atque adeò firmamento perpetua lege eſt obſeruandum.
Psal. 18. S.S.E. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Non ſunt lo-
» quelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram
» exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sonus eorum KAVAM, linea, regula, ſiue præceptum illis traditum, & ab illis cum omni terra communicanda.

## DE CAELORVM ORNATV.

29. NON ſimplici colore & ſpecie, ſed vario & multiplici luminum genere depictum ornatumq́ cælum Deus eſſe voluit. quod ſuis imaginibus & ordinibus auctoris ſapientiam, prudentiam, elegantiſſimam indicaret artem, & ſpectantibus tum angelis, tum hominibus admirationem tantæ maieſtatis faceret, & per-
Iob 26. petuam contemplationem & conſequentem laudem ſuaderet. Spiritus eius orna-
Ibid. 35, 38. uit cælos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus. Suſpice cælum
» & intuere, & contemplare æthera quòd altior te ſit. Numquid noſti ordinem
» cæli, & pones rationes eius in terra? Quis enarrabit cælorum rationem, concen-
Psal. 103. tum cæli quis dormire faciet? Extendens cælum ſicut pellem, qui tegis MAIIM
Psal. 135. Eccleſ. 43. aquis ſuperiora eius. Qui fecit cælos in intellectu. &, Species cæli gloria ſtella-
Iſaiæ 40. rum, mundum illuminans in excelſis Dominus. Qui extendit ſicut nihilum cælos,

*los, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum. Hæc dicit Dominus:* Ierem. 32.
*Si menſurari potuerint cæli ſurſum, & inueſtigari fundamenta terræ deorſum,* ""
*& confeßio eius ſuper cælos. Qui fecit terram in fortitudine ſua, & præpara-* Pſal. 148.
*uit orbem in ſapientia ſua. & , Prudentia ſua extendit cælos. Benedicite aquæ* Ierem 51.
*omnes quæ ſuper cælos ſunt Domino. Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam, &* Dan. 3. Amos 9.
*faſciculum ſuum ſuper terram fundauit. Dicit Dominus extendens cælum, &* Zachar. 12.
*fundans terram. His omnibus, pluribusq́ aliis teſtimoniis docemur cælorum hominibus immenſam ſoli Deo notam altitudinem & extenſionem, quæ pellis inſtar inferiorem terræ ac maris orbem velet, & motu circumeat perpetuo: certiſq́ ordinibus æquabiliq́ lege concinnato, atq́ magnas temporum & munerum commoditates maximoſq́ vſus oportunè afferente, communicatione videlicet vafra carminis atque virtutum & ſpirituum de quibus mox diſſeremus.*

## DE MILITIA CÆLI.


CAELORVM *naturam, ſitum, ordinem & motum efficientia conſecuta eſt* 30.
*legibus ac temporibus à conditore inſtitutis. Vt verò hæc habeat ratio, vtq́ expediatur operæpretium inquirere, & contemplari, atque ita artificis infinitam ſapientiam, bonitatem, & pulchritudinem admirari, qui omnia fecit in numero, menſura & pondere. Hoc eſt, vt Architectorũ vtamur verbis, quidquid factum eſt, & vtile, & commodum, & pulchrum conſtitit. Atque vtilitas tum ædificiorum, tum rerum in efficientia ſpectatur, commoditas verò in temporum ac locorum & corporum oportuna & concinna diſtributione decor ſeu pulchritudo in menſurarum figurarumq́ finitionibus ac terminis. Omnia hæc tum cælorum cumprimis corpora, ſpatia, motioneſq́ probant: tum Aſtrorum quæ in cælis ſpectantur infinita ferè frequentia, & numquam ſatis homini perſpecta ac laudata concinnitas, nunquam exactè expreſſa imaginum varietas & venuſtas declarant. Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ* Pſal. 8.
*tu fundaſti. Fundaſti, Latinum verbũ ex primæuo vocabulo* CHONANTHAH, *redditúmque vocabulo concinnitatis, firmitudinis, vſus, atque decoris omnis continetur definitio. De horum itaque corporum natura & vſu diſſerendum.*

## DE SOLE.

EX *purißimis cæli* MAIIM *ſolis corpus & natura conſtitit volentis ac iuben-* 31.
*tis Dei verbo illo efficaciſsimo* IEHI, *& ſubſequente ſpiritu* ELOHIM *obſecuto & MAIIM liquorem geminum ad id operis concinnante. Fecitq́ Deus duo luminaria magna: Luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti. Horum primæuum nomen* MAOR *lucem cum calore coniunctam declarat, à verbo* VR *deductum, quod illuſtrare, lucere, & inflammare, calefacereq́ ſignificat. vnde ad Latinos verbum* VRO *emanauit. Eſt autem luminari maiori conceſſa triplex vis lucis, flammæ, & caloris: quarum nulla ab ipſo luminari vel cogitando ſeiungi poteſt: neque enim illud ſi quicquam ex his perdiderit, nomen* MAOR *à Deo ſibi inditum præſtare tuerive poßit, perinde ac nec ignis niſi calefaciendi obtineat vim, dici poſſet ignis. Atque luminare hoc naturam corporis non expertem ſortitum eſt: verùm tenuißimam, purißimam, agilißimam, celerrimiq́ motus compotem, eandemq́ penetrationi ac perſuaſioni maximè idoneam*

Pſal.18. quod ad calefaciendi vim efficientiámque attinet. S.S.E. In ſole poſuit taberna-
,, culum ſuum : & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt
,, gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius,& occurſus eius vſque ad
,, ſummum eius: neque eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

32. *Præter illud verò commune nomen* MAORHAGADOR, *id eſt, luminare magnum ſiue maius, quod huic naturæ condendæ & cōditæ Deus impoſuit, duo alia ſiue ſingularia, ſiue propria dicere libeat, impoſita celebrantur* SEMES *&* HHAMMAH, *quorum prius miniſtrandi facultatem perpetuam ſignificat, & maximam affinitatem habet cum nomine* ES, *cui Latinum* Ignis, *ex æquo, ac fortaſſe ex etymo obtinet. Poſterius verò calorem, vti propriam naturæ vim adnotat. Huic igitur ſiue ſoli, ſiue aſtro, ſiue miniſtro, ſiue quacumque appellando voce, cognatus coniunctusq; eſt vnicus radius, neque tempore, neque vlla alia mora poſterior, ſed ſimul cum ipſo exiſtens, eiuſdem prorſus cum ſole naturæ, virtutis, efficientiæ, nominis ac vis, quadamq; tantùm relationis forma diſtinctus quali filius quiſpiam homo à patre diſtingui ſolet, non definitione & virtute, cùm vterque homo ſit, ſed ea ratione qua genitum à generante diſtinguitur. Quamquam verò ſingularis quiſpiam homo à ſingulari homine parente ſuo ſeparari poteſt loco, tempore, atque efficientia: ſolis tamen radius eiuſdem naturæ, luminis, caloris, & coloris cum parente ſuo ſole, atque eiuſdem planè efficacitatis & efficientiæ compos permanet, eodemq; cum patre ſole nomine appellatur* SEMES *&* HHAMAH, *atque adeò idem ferè nomen in Latina, Græca, aliisq; obtinet linguis: ſed in ſacra & antiqua diſtinctiſſimè atque aptiſſimè. Ex quo fit vt quidquid ſolis radius in terris agat & efficiat, idem prorſus in cælo & è cælo ſol agere & efficere dicatur veriſſimè. Rurſusq; quidquid in terrarum orbe, in aëre, in firmamento, atque in cælo ſol agit & facit, idem per radium ex ſe ſemper genitum & generandū agat & fiat. Neque enim radius accidens quodpiam ſoli eſt, ſed congener, eiuſdemq; ſubſtātiæ & naturæ : eaſdemq; obtinens vires lucendi, calefaciendi, & candendi : quas accidenti nulla ratio adſcribere poſſit. Quocumque ſol in cælis motum curſúmque ſuum intendit, eodem in terris quoque ſolis intendit radius, qua tendit ille, eadem & hic, ac demùm eodem vterque pariter peruenit. Eſt itaque ſolis radius ſolaris ſubſtantiæ forma expreſſa, non accidentium, ſed ſubſtantiæ, iiſdem illuminandi, inflammandi, & ceteris omnibus quæ ex his conſequuntur viribus planè ac plenè prædita: nihilq; minus obtinens aut minus efficiens & potens. Cuius magnitudo inferiorem firmamenti, maris, ac terræ orbem ambit, eodem fulta centro, eiuſdem diametri quibus ſolis corpus conſtat, columnæ inſtar habens, cuius fundamentum ſol in cælo eſt: ipſa verò columna à ſole initium ducens in longitudinem perpetuam procedit, ſuamq; in latum dimenſionem nuſquam imminutam conſeruat.*

33.



*Vnicum verò eſſe ſolis radium argumento ſunt opaca omnia ſoli obiecta, quorum quamuisplurimorum quocunque loco eminētium, tamen vnica vmbra in alteram aduerſamq; ſolis motui regionem tenditur. Id quod ſi plures radij eſſent, plures non plurium modò, verùm vnius quoque opaci vmbræ arguerent, vt in variis lucernis etiam eodem loco accenſis, cernere expeririq; licet: quarum ſingulæ obiecti corporis opaci vmbram*

umbram in aduerſam ſibi partem iaciunt: cùm ſol tamen, ſoliſque radius in vnam tantùm cæli plagam toto mane in aduerſam huic toto veſperi, meridiei verò proximis momentis pro terræ ſitu ac regione vel nullam notet, vel in dexteram aut ſiniſtram ſolùm declinet. Atque hanc ſolis ac radij ſolaris congenerem, unicam, eandemq́ prorſus naturam, vim, efficacitatem, efficentiamq́, & tenere, & meminiſſe operæpretium fuerit iis, qui de diuina Dei Patris, ac Filij Dei, id eſt, Verbi, eademq́ utriuſq; natura, virtute, facultate, & efficientia ex Vatum carminumq́ ſacrorum, atque ex Apoſtolorum doctrina rectè & ſapienter philoſophari ſtuduerit. Quippe hanc rationem & figuram intuiti ſcriptores illi ſancti, Verbum Dei orientem ex alto, Solem, & iuſtitiæ ſolem appellare ſolent. Qui cùm Heb. 1.
ſit ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, "
purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. De "
quo etiam ſole ſoliſq́ radio, qui idem ſol eſt, Iſaias: Non occidet vltra ſol tuus, Iſaiæ 60.
& luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam. & "
Malachias: Orietur, inquit, vobis timentibus nomen meum, ſol iuſtitiæ: & ſa- "
nitas in pennis eius. & Zacharias ſacerdos ac Vates: Per viſcera miſericordiæ Lucæ 1.
Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto illuminare iis qui in tenebris "
& in vmbra mortis ſedent. Ad quam interpretationem cetera quæ ſub huiuſ- "
modi imagine velantur myſteria referentur. vt illud: Tanto tempore vobiſcum Ioan. 14.
ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui me videt, videt & Patrem meum. &: "
Neſcitis quia ego in Patre, & Pater in me eſt. &, Vt cognoſcant quia tu me mi- "
ſiſti. Et complura alia quæ eandem cū Patre & Filio maieſtatem, virtutem, præſentiam, & efficientiam docent. Quibus indicatis, naturalis, de quo ſermo eſt, contemplationem ſolis proſequamur.

34. Conſtat luminare hoc maius ſiue MAOR, id eſt, lucens & calefaciens maior, rotundo prorſus corpore, eoq́ planè cæleſti, ex puriſſima alterius liquoris, quem pinguem vocabamus, materia: eaq́ propter puritatem à corruptione aliena, quæ calorem, ſplendorem & colorem ſuum velut perennis fons obtinet, atque in omnem mundum effundit radij illius, de quo iam diſſeruimus, opera & miniſterio, veluti fons humorem liquoremq́ ſuum fluminis, qui idem cum fonte eſt, miniſterio omnibus qua peruadit locus, communicat.

35. Solis nomen vltra illud vtrique luminarium commune MAOR aliud magis etiam ſingulare eſt SEMES, quod ex etymologiæ ratione varia, triplicem ſibi vendicat interpretationem ad eaſdem efficientias referendum: nam & ſimplicis & compoſiti formam obtinet. Simplicis tres conſonantes eædem quæ verbi SAMAS, quod miniſtrare apud Latinos ſignificat: à quo etiam tranſpoſitis literis, Latinum verbum originem ducere videtur, quippe cui conſonātes duæ eiuſdem ſignificationis conſeruatæ retineantur. Itaque idem eſt SEMES in illa lingua quod in Romana miniſter. quod antiquum & primæuum ex naturæ efficientia factum nomen aſtrum ſiue luminare hoc naturæ, hoc eſt, verbi IEHI miniſtrum eſſe docet: cuius miniſterio cetera omnia corpora & loca quæ in cælo, ac ſub cælo horum efficentiarū capacia ſunt, illuſtrantur, colorantur, & calent. Atq́ id eſt à Vate ſignificatum illo hemiſtichio: Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Pſal. 18.
Compoſitione verò idem nomen SEMES ſignificat quod SAMES, vno tantùm ſpiritu א in compoſitione alliſo. atqui SAMES idem valet quod ibidem ignis, atque idem etiam SEMES quod nomen ignis dici apud nos poteſt.

Semel

37. *Semel autem admonuiſſe expedierit, vocabulum* SEM, *pro quo Latini reddere ſolent* NOMEN, *in ſacra lingua affine valde eſſe verbis* SVM *&* SAM, *&* SAMAS, *& ad eandem vocis radicem referri. Quorum prius ſignificat* ponere, conſtituere, & collocare, ordinare, decernere, *& quæcumque huiuſmodi rationem ſpectant.* SAMAS *verò* miniſtrare *atque* ſufficere, *apud artium profeſſores doctoreſq́; ſignificat.* SAM *idem quod Latinis* ibi *ſignificare videtur: niſi quod locis, perſonis, ac rebus adiungitur. Inter alia verò vocabuli* SEM, *id eſt,* nomen, *ſignificata vnum ſingulare atque inſigne obſeruatur, perſonarum, & rerum atque locorum deſtinatio, auctoritas, facultas, vis, efficacitas, &, vt medici loquuntur, virtus & proprietas indicatur: quoniam hæc à Deo indita, vt naturæ auctore aut munerum, virtutum, officiorumq́; inſtitutore, vel ab hominibus auctoritate præditis traduntur. Cui rei ſi nomen reſpondet, definitionis atque demonſtrationis vicem præſtat. Id quod nominibus cũctis declaratur quæcunque à Deo, ab Angelis, à Vatibus impoſita. Quam etiam rationem ſapientes quoque homines indendis nominibus imitati ſequuntur. Id autem cùm pluribus aliàs exemplis docemur, tum verò maximè in ſermonibus iis, qui cum vocabulo* nominis, vocare *verbum coniungunt. vt, Hæc vocabitur virago, quia de viro, ſiue* ISSA, *quia de* IS *aſſumpta eſt.* (Gen. 2.) *Et vocatus eſt locus ille Beerſebagh.* (Gen. 21.) *Et vocauit Deus firmamentum cælum, & aridam* Terram, *& congregationem aquarum vocauit* Maria. (Gen. 1.) Iohannes *eſt nomen eius.* (Lucæ 1.) *Et vocauit nomen eius* Moſes, *quia de aqua tuli eum.* (Exodi 20.) *Vocauitq́; Salomonem: dixerat enim Deus, Filius qui naſcetur tibi erit quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus* (1. Par. 22.)
„ *inimicis ſuis per circuitum. & ob hanc cauſam* pacificus *vocabitur, & pacem,*
„ *& otium dabit in Iſrael cunctis diebus eius. &, Quod futurum eſt, iam vocatum eſt.* (Eccleſ. 6.) *&, Nunc hæc dicit Dominus creans te Iaghacob, & formans te Iſraël: Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu.* (Iſaiæ 43.) *&, Domus* (Ibid. 56.)
„ *mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. &, Omne quod vocauit Adam*
„ *animam viuentem, ipſum eſt nomen eius. Ex hac animaduerſione & multa in ſacris libris explicari poſſunt loca, & illud quod intendimus, efficietur: vt cùm poſthac deinceps de rerum diſſeremus natura, aut perſonarum auctoritate, vocabulum* NOMEN *perinde vſurpabimus, ac ſi vim, poteſtatem, efficacitatem, & facultatem dicere velimus. Ita nomen ignis erit calfacere: aquæ, fluere & humectare, abluere: niuis, frigidè humectare.* ELOHIM, *creare & gubernare, prouidere.* IEHVEH, *humana curare, & miſericordiam præſtare.* EL, *valere, vincere.* TSEBAOTH, *copias ad vltionem parare.* IAGHACOB, *luctari.* ISRAEL, *vincere, præſtare: id eſt, huiuſmodi illis adſcribemus facultates.*

*Igitur* SEMES *nomen, quod huic, de quo agimus aſtro impoſitum eſt, cùm idem ſignificare videatur quod* NOMEN IGNIS, IBI IGNIS, *&* MINISTER, *vti expoſuimus, ei, cui inditum eſt, naturæ huiuſmodi adſcribemus virtutes & efficacitates, quas igni non cuicunque, ſed puriſſimo, clariſſimo, lucentiſſimo, efficientiſſimo: atque adeò igni miniſtranti, viréſque omnium aliorum corporum excitanti & apparanti (præterquàm frigoris) ad opúſque adiuuanti, quod miniſtrorum nomen eſt. Aliud enim eſt ignem dici & eſſe: aliud ignis nomen & locum, ſiue prærogatiuam & vices purè obtinere. Nam de altero igne, quem vſualem philoſophi, medici Latini actualem nunc vocant, ſuo diſſeremus loco.*

*Iam quid ſit ſol, quo nomine vocatus, cognouimus; quod verò munus officiumq́;*

*ciumq́; ſortitus, vt à conditore accepimus, poſt hac breuiter inferemus, vbi de altero luminari, atq; de ceteris aſtris egerimus, & quæ illis communia, quæ vnicuique horum partes diuiſæ dataq́; fuerint, ex ordine exponemus.*

## DE LVMINARI MINORE.

EODEM *liquorum genere quo cælum, minoris luminaris corpus conſtat, verùm diuerſa partium & elementorum habitudine. Quippe luminare maius, cui* Solis *nomen apud nos eſt, pinguiorem obtinet materiam ignis illius cæleſtis continendo, fouendo, atque conſeruando ſpiritui idoneam: quæ quamquam perpetuò caleat, numquam tamen abſumitur, deteritur, aut perit: quippe quæ ſuo in ſeculo, ſuoq́; in centro conſiſtit, & puritatis prærogatiuam obtinens illius ignis calorem puriſſimum etiam, nulliusq́; nouæ materiæ deſideratiuè pabuli egentem ſeruat ſibi congenitum: ſic enim nec ſcientia animum cui ineſt, lædit aut imminuit, vtpote pura ipſa puram etiam informans naturam. Hæc luminaris maioris præſtantia eſt.* 38.

*Alterum verò luminare quod paruum ſiue minus dicitur, humidiorem, & ſalſo congenerem materiam ſibi arrogat, non ſine aliqua purioris portione: quæ tamen ſi cum maioris pinguitudine comparetur, perexigua cenſenda ſit: quippe ad naturæ prouiſam rationem facit corpus hoc magis humidum, aqueum, ſalſumq́; eſſe quàm pingue, quod non ignea, ſed aërea magis atque ventoſa vi informandum erat. Quamquam enim & aſtrum hoc lumen caloremq́; habere videatur: habet quidem, verùm non innata, ſed accepta atque ſuffecta communicatione & ſocietate maioris luminaris, cui vtraque vis, caloris atque luminis, propria eſt & congenita. Atque vt ad rerum quæ videntur, quæq́; ſentiuntur ſimilitudinem ratio referatur, ſol ignis præſtat vim, minus verò luminare vitrei vaſis aqua, alióve liquido ſucco modò non prorſus pingui pleni, eiuſdemq́; igni admoti vicem obtinet, quod pro adiuncti ſiue ſeiuncti ratione ignis lucere, tepere, caleſcere, & calefacere magis minúſve poteſt. quamobrem & hoc* MAOR *quoque, ſiue luminare dicitur, verùm* KATON *paruum ſiue minus eſſe adnotatur. Non enim præcipuam aſtro huic efficacitatem vrendi & lucendi eſſe conueniebat, ſed dilatandi, expandendi, atque defundendi & complendi inferioris mundi naturas: nec non ventoſam, aquoſam humidamq́; materiam comparandi & ſufficiendi eo pacto quo vas aqua plenum igne calfactum caloris non proprij, ſed humori in ſe contento communicati vi cetera ſibi contigua & vicina vaſa & calfacit, & ad humores ſuccoſq́; quibus referta fuerint, attenuandos, exhalandos, dilatandos, &, qua peruaſio contingat, emittendos iuuat: idq́; temperatius ac maturius multo efficitur, quàm ſi igne vaſa ipſa contacta ebullirent. Ab huiuſmodi itaque decoquendi, vaporandi, & exhalandi vi nomen aſtro huic factum eſt* IAREAHH, *cuius vocabuli radix* RAVAHH *dilatare, ſpirare, ſpiritum ventúmque flare ſignificat. Eſt autem in futuri forma nomen* IAREAH, *quod perpetuitatis, vti iam ſæpius docuimus, adnotationem habet adnexam: ita tamen vt non ſemper continuatam ſibiq́; ſimilem, ſed pro rerum ac temporũ vſu oportunam actionem, eandemq́; indeficientem ſignificet. Luna enim & humectat, & exhalationes excitat, & ventos profert ſemper quidem, verùm non eodem ſemper modo, aut pari perſimiliq́; impetu, ſed pro ratione temporis, atque loci tum ſui, tum ſolis, tum verò terræ ad quam vtriuſque vis peruenit, atque* 39.

*adeò temporis ac decurſus, quorum alia atque alia ſoli obſeruatio eſt: quam*
Pſal. 103. *Vates illo indicabat carmine*: Sol cognouit occaſum ſuum. *At verò ſol, qui, quantum ex vi efficientiaq́ ſua eſt, radium ſuum ſemper eundem profert, & calorem lumenq́ æquabili perpetuitate ſufficit, præſentis atque continui, & inuariati verbi formam nomine tuetur impoſito* SEMES, *quam etiam rationem in ſpiritus* ELOHIM *efficientia animaduertebamus.* MERAHHEPHETH, *motitans, tremefaciens, excitans. Itaque ſoli caloris & illuſtrationis præcipuam Lunæ humectandi, dilatandi atque ſpirandi primariam, calfaciendi & lucendi minus efficacem & ſoli acceptam referendam tribuimus facultatem.*

## DE STELLIS ET ASTRIS.

40. Gen. 1. ET ſtellas] *Dum ſpiritus* ELOHIM *liquores illos duplices incubando agitat, & ferendo, mouendo, agitandoq́ excitat, variæ, multiplices, ac diuerſæ ex vtroque liquore portiones parteſq́ diſcretæ ſunt: ſic vt in agitato atque commoto lacte varias diſcerni videmus naturas quæ confuſæ prius ac permixtæ continebantur: Namque apud Belgas & Batauos, quibus lactis comparandi copia eaq́ per tempus omne perpetua, & in vſus hominum conficiendi ars dexteritáſque ſumma contigit, eadem mouendi agitandiq́ liquoris illius opera quatuor diſcretas res experimur, butyrum, caſeum, & lac illud ſubacidum, cui illi* Sur melck *nomen faciunt, & liquidum deinde ſerum, quod ſalſi liquoris & guſtum & vim obtinet: ex quibus omnibus vſum illi capiunt. Nec dubium eſt, quin plures aliæ formæ ex horum ſingulis arte diſcerni ac ſeparari poſſent: quæ tamen omnes in vno tantùm lactis liquore commixtæ & confuſæ continebantur. Verùm enimuerò liquorum illorum, quos rerum omnium materiam eſſe dicebamus, vtrumuis varijs & numero apud nos carentibus partibus, ſui tamen generis omnibus præditum eſſe, res ipſa, atque ex re natæ ac variatæ formæ oſtendere poſſunt: non ſolùm, ſicuti antea diximus, tenuitate & craſſitie differentibus, verùm ipſis quoque viribus & potentiis, vt in ſalibus ius quorum apud nos & in cibis, & in medicamentis, & in aliis oportunitatibus eſt vſus, alia ſalis gemmæ, alia ſalis terreni, alia eius qui ex marina ab eo qui ex dulci & Niliaca aqua, quem nitrum verè vocant, concreſcit, ratio, natura, virtus atque etiam efficacitas eſt, à tartaro, & talco, & aliis plurimis qui ad idem genus & nomen referuntur. In olei quoque natura aliud genus ex oliuis, aliud ex nucibus, aliud ex ricini, lini, rapæ, ſeſami, ceteriſq́ ſeminibus exprimitur: aliud ex pinguiorum arborum lignis vel ſponte manat, vel vi & arte liquatur & effluit. quorum quamquam genus ac nomen amplum communeq́ ſit, ratio tamen & natura, & vires, atque vſus variant. Ad hunc itaque modum varia pinguitudinis ac multiplex natura ad varias referenda ſpecies in illo primo pingui liquore commixta confuſáque erat. Cuiuſmodi quoque varia & multiplex in ſalſo illo liquore ratio & vis fuit. quæ omnia ſpiritus* ELOHIM *motitantis & agitantis opera in ſuas congeneres & conſimiles partes diducta & ſecreta, ſpecies & formas ſimul obtinuere ſuas; &, vt ita dicamus, telarum aut tunicarum inſtar ſingula ſuam regionem occuparunt: ita vt craſſiora tenuioribus ex ordine ſubderentur. Has ſpecies ſiue has tunicas, ſiue quocumque appellare nomine libeat, ſacra diſciplina Latinè nobis tradita, facies aquarum, in propria verò lingua* PANIM *liquorum nominat*, & ſpiritus Elohim ferebatur ſuper penei HAMAIM, *ſuper ſpecies illius duplicis*

plicis

*plicis liquoris. quorum exemplum hîc depingimus, paucis admodum faciebus concinnatum, quæ tamen doctrinæ cauſa ſufficiant. Diximus verò ſpiritum illum* ELOHIM *verbi diuini virtute inſtructum, varia & multiplici mixtione & contemperatione liquorum illorum tam multa rerum produxiſſe primùm, in lucémque edidiſſe genera, quibus mundus mundiq́; partes conſtant, ornamentaq́; cuncta quæ in cælo, quæq́; ſub cælo videri cognoſciq́; poſſunt, vel non poſſunt: corporea tamen illa eſſe omnia, quædã verò craſſioribus; tenuioribus verò corporum elementis conſtare alia: atque ita ſemel orbem omnem creatum & factum, iubentis Dei verbo extitiſſe, atque hoc eſſe quod Moſes docuit: Perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. quod Latinus interpres vertit* ornatus, TSEBA *in exemplari eſt, pro quo idem ſæpius aliàs* exercitus, *nonnumquam etiam reddidit* militiam. *Conuenit autem nomen* TSEBA *rebus ac perſonis quæ vel conſilio ac ratione, vel ſorte, vel etiam lege alicui rei augendæ fuerint deſtinatæ: cuiuſmodi milites ad bellum, remiges & nautæ ad nauigandum, mulieres in tabernaculo ad lanam ac telam, & cetera ad hanc rationem quamplurima. Atque ex hac notatione Dominus Deus exercituum perſæpe appellatur. de qua etiam in ſacro diſſerebamus apparatu, & in huius etiam operis capitibus primis, quæ oportuna viſa fuêre commemorauimus. Hinc iam, vt arbitramur, apparere incipit illorum verborũ ſenſus & explicatio,* cæli & terra, & omnis ornatus, *ſiue* exercitus, *ſiue* militia eorum, *cæli videlicet atque terræ, quorum vtrique parti ſuus ornatus, ac ſua conſtituta fuit militia. Id cuius rei cauſa factum fuerit, paucis aperiemus: atque de vtriuſque militia ex ordine quàm breuiſſimè licuerit, agemus.*



*Non omnia quæ primùm vnà cum cælo atque terra extitere, vel perpetua aut æterna manere, vel eodem modo conſimiliq́; tenore, perſeuerare diuina ſapientia decreuit: quædam enim ac ferè omnia quæ ſub ambitu clauduntur cæli, vel morti, vel defectioni obnoxia creata ſunt, id rerum ſingularum generibus ac naturis ferentibus, præter maxima illa duo corpora terræ ac maris, quorum quidem poſterius hoc nonnullis mutationibus expoſitum eſt: ſed illis tamen non ad corruptionem aut defectionem deducitur: cetera verò omnia fluminis ritu labũtur, creſcunt, decreſcunt, & intereunt pro cuiuſque vario exitu: qua de re ſcriptum eſt, Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat.* Eccleſ. 1.

*Huiuſmodi autem rerum maximè ſingularium, defectionem ad mundi perpetuitatem ſuffectione inſtaurari Deus voluit, atque ita genera conſeruari rerum, vt nulla noua in naturæ theatro forma aut ſpecies vel requireretur, vel viſeretur vſquam ab iis distincta & varia quas orbis conditi primi dies ſpectandas ediderant. S.S. E.*

Gen.1. *Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauit ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret. Quod verò ad ſingulares in vnoquoque genere naturas rerum attinet, ab illo ſeptimo die ad extremum vſque orbis totius æuum & finem ſuffectioni, ac fructificationi perpetuæ prouidet idem qui primus auctor fuit, quiq; perpetuò conſulit & imperat: idq; per verbum idem per quod omnia facta ſunt, & eò quo dictum decretumq; eſt pacto, conſeruantur inſtauranturq; omnia: ſemper enim illius Verbi vis & virtus, quam philoſophi* naturam, *nos* IEHI, *ſiue* ESTO *dicere edocti ſumus, manet, ſemper agit, ſemperq; efficit. atque, vt idem Verbum ait:*

Ioan.5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Verùm enimuerò ſuffectionem huiuſmodi rerum atque etiam gubernationem non ſex tantùm diebus, vt in primis initiis, ſed variis temporum tractibus atque horis variis, & multiplicibus terminis pro generibus ac rationibus definitam & continuatam idem auctor voluit: idémque legibus certis decretum ſtatuit quæ in verbi illius* IEHI *virtute ac efficientia fixæ perſeuerant, ſine quo verbo nec factum eſt, nec fieri quicquam poteſt.*

*Continuationis ſiue perpetuitatis atque inſtaurationis generum, de quibus nunc agimus, miniſtrum ſpiritus* ELOHIM *ſeſe indeſinenter præbet cum legionis ipſi commiſſæ militia, ſiue ornatu, ſiue exercitu ſpirituum quamplurium, de quibus loco proprio oportunè dicemus. Horum enim vnuſquiſque motus agitationesq; ſuas ſuper eas quæ ſibi creditæ ſunt, aquarum ſiue liquorū facies exercet.*

41. *Igitur ex illis liquorum faciebus, ſiue, vt Latinè loquamur, ordinibus multiplici forma diſtinctis, variæ & multiplices copiæ ſeiunctæ ſunt; quarū tenuior, ſimplicior, purior & efficacior, atque ideo magis durabilis pars in ſuperiorem recepta regionem, & ſibi conuenientem locum occupans, in certas ac diſtinctas claſſes ſecreta fuit, ſingularibus ac propriis virtutibus, poteſtatibus & efficacitatibus præditas: ita vt in regione illa cæleſti nihil confuſum, aut turbatum, aut temerè & inconcinnè diffuſum & vagabundum relinqueretur, ſed ſingula à Conditore in idoneis theſauris locata, ad mundani ornatus & cultus comparata reconderentur: inde pro temporum oportunitatumq; rationibus ac modis depromenda. De hoc autem toto genere variis corporibus formis ac virtutibus diſtincto canentes audimus Vates:*

Pſal.148. *Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt. Horum autem liquorum puriſſima & nitidiſſima, ac prorſus leuiſſima receptacula, vaſa quædam Deus auctor eſſe voluit: quorum nec numerum, nec efficacitatis abſolutam cognitionem hominum quiſpiam noſſe potuit, niſi priuato ac ſingulari dono fuerit edoctus. Quibus vaſis ac receptaculis Latini* ſtellarum, *Græci* ἀςρῶν *ſuis etymologiis vtrique: verùm Deus aptiſſimum nomen* CHOCHABIM *fecit. quod ex compoſitione qua compactum eſt, in parteis integras reſolutum* Virtutis receptacula, *ſiue capacitates dici apud nos poſſit: namq;* KABAH *verbum inter alia capere ſignificat, vnde Latinorum* capio *deductum. Ex eodem verbo* KAB *nomen ortum eſt, quod capacis vaſis eſt, interdum etiam certæ menſuræ, eiuſdemq; ex capaciorum claſſe. Hoc idem nomen parum immutantes Romani Cabum & cacabū pronunciarūt. quod multitudinis numero* CHABIM, *ſiue*

ſiue KABIM ſonat, vt Latinè cacabos dixeris. Altera compoſiti nominis, id eſt, prior pars eſt CHOAHH, cuius poſtrema aſpiratiſſima litera in vicinam & congenerem CH ex linguæ ratione & obſeruatione coaleſcit, ita vt CHOCHABIM concretum, idem ſit cum CHOAHHCHABIM: At verò CHOAHH vim, virtutem, poteſtatem, δύναμιν Latini & Græci vertunt. Ita fit vt CHOCHAB receptaculum, ſiue cabum virtutis & efficacitatis, CHOCHABIM virtutis cacabos plurali ſignificet numero. Atque hic omnis de ſtellarum vi & natura diſputationis fons eſt: quem nunc velut digito indicaſſe ſatis nobis fuerit, per ſingulos verò riuos deductum cōſectari vnius diuinæ ſapientiæ facultatem ſpectat: Qui Pſal. 136.
" numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Ex quo manifeſtè conſequitur nullam in tanta multitudine cum minorum & minimarum, tum maiorum ſtellarum eſſe quæ auctoris notitiam fugiat, aut imperium in ſtatione propria iuxta præſcriptas ſibi partes non exequatur: namque hoc ſignificat oratio illa: & omnibus eis nomina vocat. itaque nullum aſtrum virtute & facultate vacuum, nullum otioſum, nullum præter ordinem temerè vires promentem ſuas putari fas eſt. Quippe nullum non niſi nomine appellatum ſuo reſpondet, ſingulisq́ue ſuas opeis conſeruare puras atque ſimplices, & vbi opus fuerit, ex magiſtri regulis proferre legitimum eſt. Atque vt dicis cauſa ratio hæc exemplis fiat apertior, quidquid in terra, quidquid in mari & fluminibus eſt, quidquid in his oritur & viget ſuccorum aut ſpirituum, quibus numerandis noſtrum non ſufficit ingenium, id omne per genera varia diuerſasq́ue diſtractum formas in illis cæleſtibus theſauris, ſiue vaſis velimus dicere vel cacabis ad oportunos repoſitum eſt vſus: aliis aquarum dulcium, ſalſarum, acrium; aliis vinorum; aliis olei; vnguentorum aliis copiam cohibentibus; præterea mineralium & lapidum, metallorum, adde carnium, ſanguinis, lactis, & mellis, quibuſdā etiam niuis, glaciei, grandinis; nonnullis quoque ignis vim conſeruantibus: ita vt ſimilium ac diſſimilium rerum natura omnis pura ac fecis expers, eademq́ue tenuis & apprimè efficax illis diſtributa, & pro verbi Dei arbitrio & conſilio, próque oportunitatis modo promenda ſeruetur. Nec verò quicquam horum aut agere aut efficere quicquam poſſe præter eius, à quo facta ſunt & conſeruantur cuncta, voluntatem & nutum. Hoc multæ antiquorum ſanctorum, ſapientum, & Vatum etiam ſententiæ docent: hoc eſt, ſtellas eſſe præter humanam notitiam, & numerandi copiam plurimas, ſuis diſtinctas viribus & ordinibus, diuiníſque ſemper obtemperantes nutibus ac legibus certis & præſcriptis temporibus & horis tum alias, tum alias vim propriam exerere, eandemq́ue, vbi Deus iuſſerit, continere ac ſupprimere: quod etiam obſcurari dicitur. Ac de multitudine & varietate Nahum: Plures (inquit) feciſti negotiationes tuas quàm ſtellæ ſunt cæli. Nahum 3.
id eſt, non tot rebus conſeruandis ac exhibendis occupantur ſtellæ, atque tu varij generis negotiationibus tenebaris. De varietate facultatum atque miniſtrationum: Qui extendit cælos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris. Qui facit Ar- Iob 9.
cturum & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri. Facientem Arcturum & Amos 5.
Oriona, conuertentem in manè tenebras, & diem in noctem. &, An cogitas "
quòd Deus excelſior cælo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur. & Paulus: "
Stella (inquit) à ſtella differt in claritate. "

Atque ex huius doctrinæ Apoſtolicæ mentione commoda hoc loco erit luminum diſtribuendorum ratio. Luminis omnis, eius qui cælis ſpectatur, fons

*vnicus eſt Sol, à quo cetera, quæcunque lucent, lumen claritatemq́; accipiunt, & accepta ætheri ac terris reddunt: quædam ſpeculi inſtar ſolidioris ac terſi, vti luna. Alia verò pellucidi vaſis ex vitro aut cryſtallo confecti inſtar habent; vti ſtellæ omnes, quarum corpora pellucent, & pro contenti vel ſucci vel ſpiritus, aut cuiuſpiam naturæ facie ac ratione, tum viribus tum claritate diſtinguuntur, ita vt quædam ignis, aliæ ſanguinis, aliæ lactis colorem referant: aliæ puriſſimi cryſtalli, aliæ ferri, æris aliæ aut calybis ſpeciem præferant: nonnullæ virorem imitantur; pars etiam pallent: vt vel ex coloribus ac tincturis ipſis, qui diligenter atque attentè huic ſtudio operā dare ſtatuerint, vires etiam & efficientias coniicere poſſint, earum, quas numerare & conſequi liceat: Namq́; omnes, nec Abrahamus doctiſſimus, vt fertur in Chaldæis diſciplinis, aſſequi potuit: cui in patentem producto locum dictum eſt: Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. Ordines* Gen. 15. *verò ſtellarum munia & officia vni Deo auctori cognita, & pro temporū opportunitatibus imperata, ex quamplurimis apud ſacros ſcriptores, obſeruatis locis, indicare non erit difficile: De cælo dimicatum eſt contra eos, Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Iud. 5. *In libro Eſdræ adſcripto: Quarta autem die imperaſti fieri ſolis ſplendorem, lunæ lumen, & ſtellarum diſpoſitionem.* 4 Eſdr. 6. *Et Iob à Deo ſtellas quaſi ſub ſignaculo claudi ait. & idem: Numquid coniungere valebis micantes ſtellas, Pleiadas aut gyrum Arcturi poteris diſſipare.* Iob 9. *Et Sapientiæ libri ſcriptor Anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones à Deo ſe edoctum fatetur.* Sap. 7. *Et Siraci filius Ieſus apertè aſtrorum varias vires diuerſáque munia ſic deſcripſit: Vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cæli reſplendens glorioſè. Species cæli, gloria ſtellarum, mundum illuminans in excelſis Dominus.*

*Itaque non ornamenti modo, ſed vtilitatis etiam cauſa in cælo ſtellæ editæ atque in certos ordines redactæ fuere: nam quæ ſapienter & optimè inſtituta ſunt, omnia vtilitatem, commoditatem & pulchritudinem pariter præſtant, vt cælorum lumina omnia, quibus hæ, quas coniunximus rationes, militiæ nomen iure impoſuerunt. Cùm prima militaris diſciplinæ pars ordinibus ac legibus obſeruandis commendetur: Manus meæ tetenderunt cælos: & omni militiæ eorum mandaui.* Iſaiæ 45. *Quo loco duplicem à Vate militiam indicari cæleſtem intelligimus, Angelorum ſiue ſpirituum ſublimium alterā, & alteram aſtrorum: quæ ſuis vocatæ nominibus, muneribus quoque oportunè præſtandis reſpondent.*

42. *Ex ſacrorum voluminum lectione treis tantùm in cælo regiones obſeruare eſt, Primam & expanſioni viciniorem ſeptem aſtrorum domiciliis deſtinatam: quorum præcipui ſunt* Luna, Lucifer, *qui alio nomine & munere* Veſperus *dicitur, & Sol, cui (vti dicebamus)* SEMES *&* HHAMAH *ſunt nomina impoſita. vt ei aſtro, quod nunc matutino, nunc veſpertino tempore primùm lucet* נשף NESSEPH *vocabulum inditum eſt: quatuor verò reliquorum nomina certa nondum comperimus: verùm vnum ſeptem illis pariter conuenit* miniſtrorum, Iob 3. *ſiue* miniſtrantium: *quorum variæ pro tempore ſtationes & excurſiones id ſibi tituli arrogaſſe videntur. Secunda verò cælorum regio ſtellarum numquam numeratæ multitudini conſtat, quarum vnaquæque eam tuetur ſtationem, quam à principio conditi orbis cōditoris lege ac iuſſu ſortita eſt: ita vt in militiæ ordinibus obſeruari expedit: quamobrem & hæ omnes* militiæ, *ſiue* exercitus, *ſiue (vt ſuo vocabulo vtamur)* TSEBAOTH *appellantur, vt & illa quæ vagari ac moueri.*

*ueri diximus aſtra miniſtrorum, ſiue miniſtrantium titulum vendicant. De vtriſque au tem ſic ſacra pronunciant carmina: Benedicite Dominum omnes exercitus, ſiue virtutes, eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatē eius, ad audiendam vocem ſermonis eius: ita enim hæc nomina ac munera diſtinguere didicimus.* Pſal. 102.

43. Tertium cælum, *ſiue tertia in cælis regio omnino quieta immobilisq́; eſſe creditur, quæ nulli aſtro locum concedit, ſed arcanis cæleſtium ſpirituum exercitibus & ſtationibus inſtructa eſt. de qua nobis naturæ tantùm partes contemplantibus, nunc ſermo non videtur inſtituendus.*

44. *Atque vtrumque cælum, ſiue vtramque cæli regionem, quam videlicet militia occupat, & quam miniſtri percurrunt, ſua ſponte moueri, & intra mane ac veſperis tempus gyrum curſumq́; conficere, & noctem atque diem viciſſim afferre nouimus. S. S. E. Et factum eſt veſpere & mane dies primus, dies ſecundus,* Gen. 1.
*tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus. & rurſum: Poſuiſti tenebras, & fa-* Pſal. 101.
*cta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ agri. Ortus eſt ſol, & congrega-* "
*buntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationē ſuam vſque ad veſperam.* "
*Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: omnia in ſapientia feciſti.* "

45. *Atque motus hic cælorum ab vna eademq́; plaga ad alteram oppoſitam procedit, reditq́; eodem vnde cœperat rotarum inſtar: quippe cælis rotunda figura & huiuſmodi motui aptiſſima conſtat: & eadem opera ſecum aſtra omnia deferens,*
*circumagit: cuius rei manifeſtum ſignum ſol exhibet, de quo ſcriptum eſt, Et ipſe* Pſal. 18.
*tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendam* "
*viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. De* "
*vtroque verò, quod mouetur, cælo, déque horum militia & exercitu ita legimus:* "
*In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. &* "
*apud Iobum, circa cardines, ſiue circa* HHAG, *id eſt, circulum, vel orbem cælorum Deus ambulare dicitur.*

46. *Quantum verò ſit cælorum ſpacium, hominibus ignotum eſt: nec vlla humana*
*arte menſurari poteſt. S.S.E. Sicut exaltantur cæli à terra: ſic exaltatæ ſunt viæ* Iſaiæ 55.
*meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* "

47. *Præter hunc diurnum circularem curſum omnibus communem aſtris, ſingulis certæ motiones & progreſſiones imperatæ, diuerſis temporum ſpaciis abſoluuntur: id ita auctore ſummo ad rerum mundi omnium, ac præcipuè ad terrarum & maris gubernationem præſcribente, vti deinceps diſſeremus. Eas verò circuitiones in orbem fieri res ipſa ac temporum obſeruatio docet: aliis intra menſtruum viginti & nouem dierum, certarumq́; horarum ac momentorum quorūdam ſpatium vt lunæ, aliis intra dies trecentum ſexaginta quinque, & quartam ferè diei partem, aliis alio tempore longiore ad longiſſimum vſque quo ſupremæ ſtellæ (quas altiſſimo loco diſpoſuit Conditor) ſuos peragunt proprios circuitus, ſiue orbes, ſiue gyros, eodemq́; redeunt vnde cùm primùm creatæ ſunt, apparuerunt.*
*S.S.E. Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit, & non præ-* Pſal. 148.
*teribit. Mouentur verò aſtra ipſa ſuis in regionibus, non ſecus atque in aquis piſces, & in aëre pennigerorum genera omnia: ſuis tamen ſtationum interuallis, & progreſſionum legibus perpetuò obtentis. Præceptum, inquit, poſuit, & non præteribit. Ita vt Arcturus tantùm nunc ab Orione diſtet, quantum orbis conditi initio diſtabat: quamobrem gentium aliarum ſapientibus fixæ & immobiles putantur eſſe ſuperiori in loco ſtellæ, & cælum ipſum ab inferiori diſtinctum,*

moueri

*moueri creditum. Neque verò huiuſmodi motiones & progreſſiones cælorum corpori tenuiſſimo ac puriſſimo incōmodi aut detrimenti quicquam afferunt: quippe nec aquas nec æthera, vel auium volatus frequentiores vel piſcium ac reptilium natationes corrumpunt aut minuunt: nedum id non accidat puris ac fæcis omnis expertibus, & à corruptionis cauſa immunibus cælorum tractibus. Quod & Moſes inducta oportunè ſimilitudine indicauit.* (Exodi 24.) *Aſcenderuntq́ue Moyſes*
" *& Aaron, Nadab & Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël: & viderunt*
" *Deum Iſraël, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphyrini, & quaſi cælum*
" *cùm ſerenum eſt. Omnium verò motuum auctor verbum illud eſt, quo ſingula edita ſunt, & in propriis conſeruantur formis: proximus autem efficiens ſpiritus ille* ELOHIM, *cui in omnium aquarum ſiue liquorum facies & formas mouendi, agitandi, atque differendi facultas conſtat. Nihil enim in omni rerum genere moueri ſine ſpiritu vel proprio, vel alieno poteſt. Eſt autem illud regnum ſpiritus in natura omni latiſſimè patens, & multis adminiſtris ſpiritibus frequentiſſimum: ſcriptum eſt enim,* (Pſal. 103.) *Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros*
" *tuos ignem vrentem. & alio in loco: Millia millium miniſtrabant ei. Id quod tam de ſeparatis & cæleſtibus, quàm de iis qui corporibus mouendis deſtinati ſunt, accipimus. Itaque duo ſunt aſtrorum motus: alter cæli, quo illa vehuntur: alter verò in diuerſam partem intendens ipſorum proprius, pro cuiuſque ordine, ſtatione, loco ac lege. De hoc poſteriore ſcriptū eſt: Sol cognouit occaſum ſuum. ſiue vt in exemplari legimus* MEBOO, *ingreſſum ſuum. Cuius rationem fortaſſè explicabimus, cùm de cæli ac mundi ſphæra diſſerere Deus dabit. De gyro autem & rotatione cæli ſolis indicio notati, ita quidam ſub perſona ſcribæ illius inſignis diſſerebat.* (3 Eſdr. 4.) *Magna eſt terra, & excelſum eſt cælum, & velox curſus ſo-*
" *lis: conuertit in gyro cælum in locum ſuum in vna die. Nonne magnificus eſt*
" *qui hæc facit, & veritas magna, & fortior præ omnibus? Omnis terra verita-*
" *tem inuocat, cælum etiam ipſam benedicit, & omnia opera mouentur, & tre-*
" *munt eam: & non eſt cum ea quicquam iniquum. Obſequij cælorum & aſtrorum conſtantiæ veritatis nomen hoc loco eſt inditum.*

## De ingreſſu, progreſſione, congreſſu aſtrorum, deque horum efficientia.

48. MILITIAM *cæli variis ordinibus & ſtationibus perpetuò conſeruatis, lento ac militari progreſſu & gradu incedentem aſtra illa ſeptem, quorum celeriores diuerſi tamen ſunt motus, certis ſpatiis, terminis, & velut condictis momentis inſequuta, vel aſſequuntur, vel prætereunt, vel etiam oppoſito interuallo proſpiciunt: atque ita deinceps conuerſione facta, repetunt: non tamen eodem in termino quo antea idem confecerant. Nam cùm tertium cælum fixum immotúmque ponamus, neceſſe eſt quarto die, quo primùm aſtra omnia creata & ſuis ordinibus fuere digeſta, certas ac ſingulares in ſupremo cælo regiones quaſi terminos aſpexiſſe, eaſq́ue ſolummodo vno conſeruatas momento, vel vlteriore, vel citeriore motu pro vniuſcuiuſque lege tranſiiſſe: neque iterum donec totius orbis dimenſum eſſet ſuum cuiuſque ſpatium repetiſſe, niſi aliter pro breui tempore ſingulari Dei conſilio ac iuſſu oppoſiti aut differentis exempli quicquam editum & obſeruatum. Vt ſi, dicis cauſa, in ſupremo cælo ſignum ſtatuamus* A, *quod ea quæ ſub*

orbe

orbe illo aſtra mouentur omnia, certis interuallis reſpexerint; idem, poſtquam ſingula moueri cœperunt, numquam niſi ſuis orbibus peractis eodem modo ac pacto, ſimilive reſpectu aut aſpectu, aut pari diſtinctione obtinuerunt: Ita tamen variarunt, vt cognito vniuſcuiuſque circuitionis propriæ tempore facili calculo, & patente abaco dignoſcere, tenere, & indicare in promptu ſit ei qui menſuræ, numerandiq; nō fuerit prorſum rudis. Nam tum aliàs in omnia rerum genera, tum verò maximè in hos cælorum tractus, reſpectus ac motus illud à Sapientia pronunciatum teſtimonium quadrat: Omnia in numero, pondere ac menſura feciſti. & illud ſingulariter ſæpius memoria repetendum: Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Atq; hoc pacto cælis & aſtris conuerſo motu ſuos peragentibus gyros, & orbes deſcribentibus ex ſingulorum præſcripto diuina ſancito lege, aſpectus, reſpectus, comparationes, coniunctiones, oppoſitiones, &, quas obſeruatas nouimus, regreſsiones ac directiones facilè à ſiderum ſpectatorum peritis collectæ ad calculos reuocantur: idque longè promptius, quàm ſi, vt Gentium ſapientes opinantur, ſingulis planetis proprios ac ſingulares aut multiplices etiam orbes tribuendi ſint, & ſtellis etiam altioribus, quas militiam vocamus, communem orbem adſcribere libeat, quo ipſæ fixæ moueantur proprio, rapiantur verò diurno gyro.

Sap. 11.

## De regionibus, ſiue plagis mundi.

QVAMQVAM cælum perpetuis & continuis moueatur gyrationibus, terræ tamen (quæ fixa immotaq; perſtat, de qua inferiùs agemus) quatuor terminos motu ſpectat ſuo: quas regiones ſiue angulos, ſiue potiùs & magis propriè ventos dicere poſſumus, eum ſermonem obtinentes quo ſacri Vates, & maximus vtitur Præceptor. Sunt verò regiones illæ: Prima vnde ſol manè oritur; cui ea opponitur, qua demergi ſolet: Tertia, qua decurrit; & ex aduerſo Quarta. Hæ præcipuæ regiones & quaſi cardines orbis eſſe dicuntur: mundumq; omnem in longum latumq; diuidunt: Cuius rei cognitionem contemplantibus omnibus, certam eſſe oportet: ad quam complura in ſacris libris referuntur loca. vt: Hæc dicit Dominus: A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant. &, Per quatuor ventos menſus eſt murum eius vndique per circuitum: longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum: diuidentem inter ſanctuarium & vulgi locum. &, O, fugite a terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cæli diſperſi vos, dicit Dominus. & apud Marcum Ieſus: Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ vſque ad ſummum cæli. Diſtinguuntur verò ventorum ſiue regionum plagæ nominibus illis, Orientalis, Occidentalis, Aquilonaris, & Auſtralis. S. S. E. Menſus eſt autem contra ventum Orientalem calamo menſuræ quingentos calamos in calamo menſuræ per circuitum: Et menſus eſt contra ventum Aquilonis quingentos calamos in calamo menſuræ per gyrum: & ad ventum Auſtralem menſus eſt quingentos calamos in calamo menſuræ per gyrum: & ad ventum Occidentalem menſus eſt quingentos calamos in calamo menſuræ. De ventorum verò natura poſteà diſſeremus. Atque longitudinem quidem ab Occaſu ad Ortum, latitudinem verò à Septentrione in Auſtrum metiri ſolenne eſt. Ortum ſiue Orientalem ventum

49. Ezech. 37. Ezech. 42. Zach. 2. Mar. 13.

Summum cæli, *ſiue* Ortum, *Occaſum* infimum, *ſiue* poſtremum, *ſiue* ingreſſum, *Septentrionem* Siniſtram, Dextram *verò ex oppoſito Auſtrum, vocari accepimus. Sic Pſaltes: A ſummo cælo egreßio eius, & occurſus eius vſ-*
" *que ad ſummum eius. Quamquam verò aliæ ventorum regiones & alia ſunt nomina, quatuor tamen horum propter orbis diuiſiones ac terminos præcipua ratio ac frequens mentio habetur: ita vt perinde ſit ventos omnes ac mundi plagas*
Ezech. 12. *omneis dicere. S. S. E. Et omnes qui circa eum ſunt, præſidium eius, & agmi-*
" *na eius diſpergam in omnem ventum.*

## DE TERRA.

50. INFIMA *mundi pars terra eſt, &, vti iam expoſuimus, in medio ſita: quem locum iuſſu Dei obtinuit eundemq́; conſeruat, circa mundi totius centrum, vnà cum centro ipſo immota perſeuerans. Eſt autem centrum, vti diximus, motus omnis atque etiam quietis baſis & firmitudo, quæ in primæua & ſacra lingua* CHEN *dicitur, & Latino interpreti ſtabilitas appellatur. S. S. E. Qui fundaſti*
כן Pſal. 103. *terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Eſt autem quod ad figuram facit rotunda terra intra certum circulum concluſa: nō tamen planè deductum gyrum ſuperficie ſumma complet, ſed aſperioris globi inſtar habens, in quo quædam prominent, aliæ ſubſidunt, aliæ verò profundius reſidunt partes. Quippe quæ ad multarũ animantiũ alendas naturas, ac præcipuè ad hominum viuentium habitationem comparata fuit. quapropter plures huiuſmodi ſitus aſperitate & varietate commoditates præſtare potuit, quàm ſi perpetuo & æquabili filo omnis circumdaretur. variam enim opportunitatem varius præſtat ſitus. Principio autem (vti accepimus, & fide tenemus) anteaquam ad vſum prolata eſſet omnis natura hæc liquoribus illis, quas aquas nominari diximus, occulebatur; quibus Conditoris iuſſu extans* ARETS *nomen obtinuit, multis & variis liquoribus ſucciſq́; commixta & prædita partim ex congenito liquorum globo exuctis, partim à Dei verbo eodem quo extitit die, creatis & inditis, cùm ipſa aliàs initio ſterilis & ſalſa omnino fuiſſet, ideoq́;* IABASSAH, *hoc eſt, arida nominaretur. Et quoniam illa natura ſua, quamquam denſior & craßior ſit, non tamen ita ſolida eſt vt rumpi ac diſſipari facile non poßit, interiectis, atque interdum continuatis continetur ac retinetur montibus, qui ideo terræ fundamen-*
Mich. 6. *ta, ſiue firmamenta vel fulcimina dicuntur. S. S. E. Audiant colles vocem tuam,*
Pſal. 17. *audiant montes vocem Domini, & firmiſſima fundamenta terræ. &, Commota eſt & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt, & commota*
Pſal. 29, 103, & 95. *ſunt, quoniam iratus eſt eis. &, Quia in manu Domini ſunt fundamenta terræ [*IETSVDOTH*] & fortitudines montium ipſius ſunt. Conſtat igitur terræ facies omnis montibus, collibus, campis, vallibus & conuallibus aliis altioribus, mollioribus, aliis pro maximi opificis & rerum atque totius & partium decore, proq́; alendarum & nutriendarum plantarum, aliorumq́; generum oportunitate, ac demum pro animantium variarum, ac præcipuè hominum vſu. Namque hominum cauſa terram factam & conditam legimus. Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum. Quamquam cæli ac cetera quæ ſub cælo ſunt, perpetuo rotentur gyro, aut aliàs in latum vel altum moueantur, contrahantur, vel dilatentur (vt ſuis in locis diſſeremus) terra tamen ſuo loco, quem Dei verbo tenere iuſſa fuit, fixa immotaq́; perſeuerat, vti iam diximus: quamobrem ſcabellum*

bellum pedum Dei eſſe dicitur, ad ſignificandam diuinæ naturæ immobilitatem, quietem, & firmitudinem. Nam pedibus firmatis, totum corpus immotum eſſe dicitur: non quod Deo corpus affingatur, vti iam excepimus, ſed quod huiuſmodi imago humano ſermoni etiam in diuinis commodè vſurpetur. Nolite iurare, Mat. 5.
" neque per cælum, quia ſedes Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum illius. Itaque vt cetera virtute & efficientia diuina mouentur, ſic etiam ab immoto Deo poſſeſſa terra immota manet.

Perinde atque ſuperiorum corporum orbis omnis, terra etiam in quatuor plagas ſiue regiones diuiditur; quos ventos vel angulos Latinè dictos in ſacris foliis legimus. Poſt hæc vidi quatuor angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, Apoc. 7.
" tenentes quatuor ventos terræ ne flarent ſuper terram.

Atque terra qua ratione plurimos ac varios continet ſuccos ex duorum illorum liquorum varia mixtione, temperatura & conditura concretos nomen illud celebre à Deo impoſitum ARETS, vti dicebamus, tuetur. qua verò eadem culturæ hominum, & fructibus pariendis oportuna eſt, ADAMAH vocatur: quæ antè, cùm nihil horum haberet IABASSAH dicta fuit, Latinóque interpreti arida nuncupata. Eſt autem IABASSAH eiuſmodi ſoli natura, qualem in littoribus marinis, iiſdemq́ ſterilibus conſpicimus: vbi neque glebarum etiam denſitudo deprehenditur. Cuius rei cùm ſalſedo aliqua, tum verò præcipuè partium minutiſſimarum diſcretio, arena videlicet, aut aliquid arena minus in cauſa eſt. Nam quæ coniungi & concreſcere nequit, fouere & proferre valet nihil. Arena autem & ſabulum, & glarea, & quæcunque huiuſmodi ſunt, etiam ſi aquam bibant, non concreſcunt tamen. Tale nobis Ionæ hiſtoria indicat littus. Et dixit Ionæ 2.
" Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam. Ac de terra ſummatim hæc nunc ſatis fuerint dicta, cuius partes, vbi de aqua & mari dixerimus, repetere cogitamus.

## ההרים DE MONTIBVS.

TERRAE facies quamquam ad globi rotundam ſiue ſphæricam figuram tornata videatur, non tamen omnino teres & omni ex parte æquabilis conſtat. ſed magis humani capitis inſtar partim rotunditatem probat: partim prominentiis ac depreſſionibus variatur. ita vt aptè & frequenter ipſa terrarum exterior ſpecies quæ oculis videtur PENE HAARETS vocari ſoleat. Sunt autem in facie humana prominentiæ variæ: naſi, genarum, ſuperciliorum, & menti ac labiorum; ſunt cauitates oculorum, atque antra profundiora oris, narium, aurium, depreſſiones etiam inter naſum, genas, os & mentum: planicies porrò ſub genis in maxillis ad mentum vſque pertinentes, quæ omnia multitudinis numero PANIM, id eſt, aſpectus dicuntur: eademq́ Græcis πρόσοπος, Latinis facies appellantur. Terræ igitur facies eadem ab initio fuit. quæ nunc ſpectatur vario & multiplici extantium, depreſſarum, profundiorum & planarum partium ſitu qualem Conditoris opificisq́ Dei ſapientia ad producẽdarum vſum rerum commodam oportunamq́ ſtatuere decreuit. Atque ita eodem iuſſu, eodem efficacis verbi edicto APPAREAT ARIDA infima hæc animantum habitationi, hominumq́ vſibus diſtincta mundi pars, eam quam nunc tenet variis partibus diſtinctam faciem in luce videndam exhibuit: cui ob innatam varietatem THEBEL nomen eſt inditum à verbo BALAL, ſiue BYL affine, quod miſcere & confundere,

Margin: 1. — פני הארץ — תבל — בול

*dere, variariq; Latinè verti poteſt. Hanc varietatem ex locorum ſitu & forma ſic diſtinguere poſſumus, montibus, collibus, vallibus, campis, cliuis: ſic enim pri-*
Pſal. 103. *mam ſtantis terræ faciem diſtinxit Pſaltes: Qui fundaſti terram ſuper ſtabili-*
„ *tatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Abyſſus ſicut veſtimentum ami-*
„ *ctus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient: à voce toni-*
„ *trui tui formidabunt. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum quem*
„ *fundaſti eis. Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur, neque conuertentur*
„ *operire terram. Sunt autem montes terræ totius firmitudo, & veluti vallum & contignatio ad continendas totius corporis partes, cetera diuerſis locis interiecta: alias in longum procurrens: alias tranſuerſa, interdum continua, nonnuſquam interrupta, ſæpe etiam contracta ac reducta: plerumque verò ad maris littora continenter producuntur. Montes, ipſumq; mare tamquã vas continent, & firmiſsimis fundamentis penetrant: adeò vt marinũ ſolum iunctis in altũ montium cementis duret, hoc eſt, ſaxis & cautibus ac glareis, ſine quibus cenoſum aut lutoſum prorſus foret: neque ſolido contentum fundo, id quod Ionas non ſcientia*
Ionæ 2. *modò, verum & periculo etiam ſubito inſtructus docuit. Ad extrema montium*
Deut. 32. *deſcendi, terræ vectes concluſerunt me. Deuorabitq; terram cum germine ſuo,*
Pſal 64. *& montium fundamenta comburet. Præparans montes in virtute tua, accinctus*
Pſal. 79. Prou. 8. *potentia. &, Antequam fundarentur montes & orbis, à ſeculo tu es. Necdum*
Ierem. 51. *montes graui mole conſtiterant, ante omnes colles ego parturiebar. Qui fecit ter-*
Amos 4. *ram in fortitudine ſua, & montes in ſapientia ſua præparauit. Formans montes*
Iſaiæ 40. *& creans ventum. Et librauit in pondere montes, & colles in ſtatera.*

11. *Montes qui propriè* HARIM *&* HAROTH *dicuntur, ſaxoſi plerumque*
הרים *ſunt, varioſq; tenent, creant, & cohibent, aut etiam produnt lapides pro vario*
הרות *terræ & incluſi, aut accepti humoris ſucco, quos ſubeuntis caloris aut frigoris viciſsitudo excoquit ac durat. Inter has etiam venæ ſunt pinguioris liquoris refertæ, ex quibus eiuſdem viciſsitudinis oportunitate mineralia & metalla diuerſa, fluoreſq; varij conficiuntur, & formantur. Id quod virtute ſpiritus* ELOHIM, *liquoribus per miniſtros ſpiritus incubantes efficitur. Sunt præterea ſalibus multis, & aquis pleni partim dulcibus, partim ſapore, odore, ac vi efficacitateq; differentibus. Vnde & vario latice diſtincti fontes manant, quorum fluxu & copia multiplices animantum generi omni, atque homini præcipuè vſus capiuntur. Qua ex re & experientia ac veritate nomen huic terræ parti tributum eſt*
הרה *ab* HARAH *verbo deductum, quod grauidam eſſe, in vteróque habere ſignificat.*
Amos 1. *Atque ita Amos* HAROTH GILGHAD *dixit. pro quo Latinus vertebat prægnantes Galaad. Metallorum autem præcipua materia liquor eſt ſulphureus, quo variè temperato, atque liquori ſalſo variè etiam mixto & concocto, aurum, argentum, æs, ferrum, ſtannum, aut plumbum producitur, pro efficacitate ſpirituum hoc aut illud efformare & præſtare valentium. De quibus naturis aliàs diſſerendi locus beneficio Dei dabitur. Hæc itaque, & his affinia multa montes fouent, non omnia omnes, ſed alij alia pro conditoris conſilio & voluntate. cuius*
Deut. 8. *veritatis exempla illa nobis in promptu ſunt: Dominus enim Deus tuus intro-*
„ *ducet te in terram bonam: terram riuorum aquarumq; & fontium: in cuius cam-*
„ *pis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi: cuius lapides ferrum ſunt, & de*
Iob 28. *montibus eius æris metalla fodiuntur: Et habet argentum venarum ſuarũ prin-*
„ *cipia: & auro locus eſt in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur: & lapis ſolutus calore,*

*calore, in æs vertitur. Decreuit autem Salomon ædificare domum nomini Do-* 2 Par. 2.
*mini, & palatium ſibi. Et numerauit ſeptuaginta millia virorum portantium* "
*humeris, & octoginta millia qui cæderent lapides [varios] in montibus [diuer-* "
*ſis]. Atque huiuſmodi lapidum & materiæ ad ædificandum copia vna ex com-*
*moditatibus multis cenſetur, quibus electi homines vrbes & oppida in monti-*
*bus, aut ſecundùm montes condere & inſtruere ſolebant. Sic Ioathan vrbes ædi-* 2. Par. 27.
*ficauit in montibus Iuda, & in ſaltibus caſtella & turres.*

*Ex varij etiam & multiplicis ſucci copia qua rerum conditor hanc terræ par-* III.
*tem inſtruxit liquoribus illis primis vbique diſtributis, & ſpiritus* ELOHIM
*efficientia temperatis, innumerabilis & admiranda varietas plantarum, arbo-*
*rum inquam arbuſtorum & herbarum montanis, & editis in locis viſitur longè*
*maior & frequentior quàm in planis. Accedit etiam ad varium ſuccum diuerſus*
*ſoli ſitus, & cæli atque orbis cardinum aſpectus, variumq; aëris temperamẽtum,*
*& frequens mutatio. Quamobrem multa melius & commodius in montibus vel*
*ſponte naſcuntur & proueniunt creſcuntq;, vel cultu adhibito parantur & alun-*
*tur, cæli beneficio & niuium deſcenſu (vti iam aliàs dicebamus) irrigata. Rigans* Pſal. 146.
*mõtes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra, Producens* "
*in montibus fænum iumentis, & herbam ſeruituti hominum. Aperta ſunt prata* Prou. 27.
*& apparuerunt terræ virẽtes: & collecta ſunt fæna de montibus. &, Huic mon-* Iob 40.
*tes herbas ferent: omnes beſtiæ agri ludent ibi. Cumprimis autem vites editio-* "
*rem locum amant, & montanũ ſolum, modò non tenui aut breui fundo, laudant,*
*Terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus & malogranata, & olíueta* Deut. 8.
*naſcuntur: vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium ab-* "
*undantia perfrueris. Et erit, in die illa ſtillabunt montes dulcedinem, & colles* Iocl. 4. &
*fluent lacte. Et Ozias vineas habuiſſe & vinitores dicitur in montibus [plu-* Amos 9. 2 Par. 26.
*ribus] & in carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus. Sunt autem quidam*
*montes certæ cuiuſdam naturæ generum fertiles, & eo nomine interdum cele-*
*bres, vel propter plantas & fructus: vel propter lapides, metalla, aut mineralia:* Ioſue 9.
*ſic montem Gerizim interpretamur multis lapidicinis notum: montẽ Ghephron* Ibid. 16.
*mineralibus refertum: quorum genus commune eſt, Ghaphar. Samir monti ſmi-* עפר
*ris lapis nomen dediſſe cenſetur. Selmon vmbroſus vocatur, vel quòd denſiſſimis* שמיר
*inſtructus fuerit ſiluis: vel quòd Septentrionem ſpectaret, quæ mundi regio ar-* צלמון
*borum etiam frequentiam adiuuat maximè verò ſterilium. Carmel mons à viti-* כרמל
*bus & vinetis hortiſq; dictus, montem* HAMASHHITH *Hieroſolymis proxi-* הרה
*mum oliuarum copia commendabat & nominabat. & in Canticis: Ibo ad mon-* משחית
*tem myrrhæ. &, Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum ſuper* 2. Reg. 9. 4 Reg. 23.
*montes aromatum. Montem quoque Samariæ vicinum, qui poſteà vinetis fre-* Cant. 4. Ibid. 8.
*quens fuit, montem* TSEMARIM, *quoque vocatum legimus propter vellerum* צמרים
*elegantiam, qui ex gregibus illic paſcentibus detondebantur, vt arbitrari licet:*
*quamquam Latinè paulò immutato vocabulo montem Semeron legamus. Nam-* 2 Par. 13.
*que ex paſtubus & latibulis, ac frequentia tum gregum, tum etiam ferarum, aut*
*aliarum animantum nomina montibus indita nouimus. Veni de Libano ſponſa* Cant. 4.
*mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir &* "
*Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. &, Montes excelſi cer-* Pſal. 103.
*uis: petra refugium herinaceis. Cognoui omnia volatilia* HARIME *iumenta in* Ibid. 50.
*mille montibus. Et vbi nos legimus à montibus æternis, in exemplari reperimus*

 *à mon-*

טרף à montibus TEREPH prædæ ſiue venationis. Et relinquentur ſimul auibus
Pſal.75. montium. Montes quoque aliqui vt paſcuales laudantur præcipuè cum capris
Iſaiæ 18. (vt plerique omnes eſſe ſolent:) ita Idumæorum tractus montes Seghir appella-
Ioſue 16. tos identidem legimus, quod capris oportunos eſſe conſtaret. Venationis copiam
Ierem.16. in montibus præcipuè reperiri indicabat Vates. Et poſt hæc mittam eis multos
» venatores: & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis
petrarum. Omnibus autem vel celeberrimis montibus, Libanus anteferri nobis
Deut,3. videtur illud Moſis elogium æſtimantibus: Tranſibo igitur & videbo terram
» iſtam optimam trans Iordanem, & montem iſtum egregium Libanum.

IIII. Hominum etiam habitationi oportunæ in montibus quæruntur ſitus, cùm
propter liberioris aëris vſuram, quæ priori reſpiratione ſanitati prodeſt: Tum
propter aquarum commoditates, & lignorum ac ſiluæ copiam: tum verò propter
natiuum loci munimentum ab hoſtium incurſione magis tutum, & aſperitatem
ſuſpectis temporibus in tutelæ rationibus habitam. Atque adeò propter latibu-
la, quæ vbi cetera iam minus proſunt, in rupibus & cauis, atque ſpeluncis repe-
riuntur. idq́ ex animantibus & feris homines didiciſſe exiſtimantur. Quon-
Gen.19. dam Loto ex Sodomorum incendio euaſuro conſultum fuit, in montem ſeruare.
Emorrhæorum gentem in montibus propria oppida tenuiſſe legimus. Item Pha-
riſæos & Iebuſæos, quorum loca poſtea Iudas occupauit, & multæ Iſraelitarum
Ioſue 11. familiæ idem nactæ ſunt ſolum & ſitum. Et Ioſue dixit ad domum Ephraim &
Ibid.17. Manaſſe, Populus multus es, & magnæ fortitudinis: non habebis ſortem vnam,
» ſed tranſibis ad montem, & ſuccides tibi atque purgabis ad habitandum ſpacia,
» & poteris vltra procedere cùm ſubuerteris Chananæum, quem dicis habere cur-
» rus, & eſſe fortiſſimum. Quin belli tempore atque in magna trepidatione rerum,
montana & editiſſima loca ſpeculis, exploratoribusq́ inſtituuntur, quorum pro-
ſpicientia, obſeruatione & monitu alij qui in oppidis degunt, vel per agros ver-
ſantur, doceri, & cauere ſibi poſſint. Adde quod vox ex editiore loco latius ten-
ditur, longiusq́ pertinet: atque adeò dies longior toto anni tempore ſentitur:
Iudic.4. namque vtrumque crepuſculum diutius durat: Vade & duc exercitum in mon-
» tem Thabor, tollesq́ tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthalim, & de
» filiis Zabulon: ego autem adducam ad te in locum torrentis Ciſon, Siſaram prin-
» cipem exercitus, & currus eius, atque omnem multitudinem: & tradam eos in
Ibidem 5. manu tua. &, Fecerunt autem filij Iſraël malum in cælum in conſpectu Domini:
» qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis. Feceruntq́ ſibi antra & ſpe-
Ibid.9. luncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca. Et poſuerunt inſi-
» dias aduerſus Abimelech in ſummitate montium: Et dum illius præſtolaban-
2 Reg.16. tur aduentum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus. Ambu-
» lauit itaque Dauid & ſocij eius per viam cum eo. Semei autem per iugem mon-
» tis ex latere contra illum gradiebatur, maledicens & mittens lapides aduerſus
3 Reg 22. eum, terramq́ ſpargens. Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus quaſi oues
Iſaiæ 18. non habentes paſtorem. Omnes habitatores orbis qui moramini in terra cùm ele-
Ibidem 30, & 51. uatum fuerit ſignum in terra videbitis, & clangorem tubæ audietis, & donec
Nah.2. relinquamini quaſi malus in vertice mõtis, & quaſi ſignum ſuper collem. Quàm
» pulchri ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis
Ioel.2. bonum, & prædicantis ſalutem. Quaſi mane expanſum ſuper montes populus
» multus & fortis. At verò quamquam firmiſſima natura, multisq́ partibus ſo-
lidi,

lidi, denſi, & conſtantes montes videantur & ſint : tamen terræ tremoribus interdum quatiuntur, & ſæpe etiam fulminibus infeſtati & icti laborant, multo etiam frequẽtius id paſſi quã valles, campi, & plana loca. Tremorem tantæ moli ac denſitudini ventus tenuiſſimum & rariſſimum corpus efficit, quod vehementer mirabile euadit, id quod ſignificans Vates aiebat: Firmans montes & creans Amos 4.
ventum. Id quod etiam volente Deo, & maxima concutiente citra venti impetum fieri poſſe nouimus. Qui tranſtulit montes, & neſcierunt iniquos ſubiicere Iob 9.
in furore ſuo. Qui commouit terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur. Iob 14, & 28.
Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo. Ad ſilicem extẽdit manum ſuam, ſubuertit à radicibus montes. Commota eſt, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata ſunt. &, Commota ſunt, quoniam iratus eſt eis: Pſal. 17. Pſal. 45.
conturbati ſunt montes in fortitudine eius. Extendit manum ſuam & percuſſit Iſaiæ 5.
eum, & conturbati ſunt montes. Triturabis montes, & cõminues, & pones quaſi Ibidem 41.
puluerem colles. Vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati Ierem. 4.
ſunt. Contendi iudicio aduerſus montes. Montes commoti ſunt ab eo, & colles Nahum 2.
deſolati ſunt, & contremuit terra à facie eius.

V. De fulminum verò efficientia & vaſtatione, atque adeò de diuinæ indignationis vi, multa in ſacris documenta ac teſtimonia reperiuntur. Domine inclina cælos, & deſcende : tange montes, & fumigabunt. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini. Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes: à facie tua montes fluerent. Quia ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ, & conſumentur montes ſubtus eum. Contriti ſunt montes ſeculi, & incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. Viderunt te, & doluerunt montes, & ſeparabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem. Pſal. 143. Ibidem 96. Iſaiæ 64. Mich. 1. Habac. 3. Zachar. 14.

VI. Non parum præterea detrimenti montes à ventis accipere ſolent: terræ nimirum ſuperficiem verrentibus ac nudantibus, & ſublatum in aëra diſſipantibus puluerem: qui ſubiectas demũ impulſus valles fertiliores, atque frugibus alendis vberiores reddere ſolet : id quod Eſaias ex ſimilitudine ſinificauit. Et rapietur ſicut puluis montium à facie venti, & ſicut turbo coram tempeſtate. Iſaiæ 17.

## Nomenclatura.

VII. In ſermonibus de Montibus huiuſmodi vocabula reperimus, quibus montium vel præcipuæ partes vel vicinæ ſignificantur. Radix ſiue fundamentum quo mons nititur, MOZZED vocatur. vt, Deuorabitq; terram cum germine ſuo, & montium MOZZEDEH comburet. Horum fundamentorum extrema KETSABIM dicuntur. Sic Ionas IERATSBE montium deſcendi. Summæ & editiſſimæ montium parti ROS nomen eſt, quod Latinus in caput ſæpe vertit. vt, Decimo menſe prima die menſis apparuerunt ROSE montium. Infimus ac fere planus montium locus THAHHATHITH dicitur. Cũmque eduxiſſet eos Moyſes de loco caſtrorum, ſteterunt ad THAHHATHITH montis. Mediæ inter ſumma & infima partes IARKETHIM nominari audimus. Et pergimus ad locum noſtrum qui eſt in IARKETHE montis Ephraim. Demum planiora vel depreſſa loca monti ſubiecta & adiacentia, vel SAPHELAH, id eſt, humilis planicies, vel BIKGHAH, id eſt, interſciſſa. quæ verò non omnino plana, ſed ſalebroſa

מוסר Deut. 30. קצבים Ionæ 2. ראש Gen. 8 תחתית Exodi 19. ירקתים Iudic. 19. שפלה בקעה

ערבה ſalebroſa eſt, GHARABAH nuncupatur. Tradiditq́ eam Ioſue in poſſeſsionem
Ioſue 12. tribubus Iſraël ſingulis partes ſuas. BEKAR VBSAPELAH VBGHARABAH, Latinus vertit, tam in montanis, quàm in planis atque campeſtribus. Vallis
עמק profundior GHEMEK dicitur. vt, In GHEMEK ad Septentrionalem
Iudic. 7. plagam collis excelſi.

## גבע GABAGH COLLIS.

VIII. ALTITVDINE colles montibus cedunt, quamquam alij aliis editiores viſantur, corporis verò denſitudine maiore & æquabiliore ſunt pro ratione magnitudinis. Neque enim cauitates, antra, & ſpecus, nec fornices inſtar montium habent: nec illis rebus grauidi ſunt, quas in montium viſceribus gigni dicebamus. & plerumque terra conſtant ſolida, aut quæ frumenta ferat vel herbas: aut dumeta, atque aliarum rerum ſit fertilis. Interdum ſterili ac gypſea, argilloſa aut glareoſa. Nomen huic tumori ex duobus verbis factum apparet GAB, quod tumorem ſignificat. vnde Latinis GIBVS acceptus. &, GHAB vice litterarum verſa, quod contignationem & ſoliditatem craſsitiémque interpretari licet. Eſt itaque collis terræ gibbus denſior: ſic ab orbis conditore ſapientiſsimè ad certas
Prou. 8. rerum commoditates effictus. Nedum montes graui mole conſtiterant: ante omnes colles ego parturiebar. Quoniam verò montes ſolidiore integrantur corpore, hoc eſt, lapidibus, ſaxis, metallis, & cautibus diſtincti ſunt: ex quibus ſuſpendi & appendi poſſunt: colles verò cùm plerumque turrei ſint, vnde ſuſpendantur, anſas non præbent: ac ſuſpenſi propter terræ naturam diſsiparentur. Vſus eſt Iſaias duplicis inſtrumenti vocabulis altero pondere, quo integra quæque, modo
Iſaiæ 40. anſam habeant, penduntur. & bilance qua acerui & quæ diſsipari poſſunt, ponderantur. Quis menſus eſt pugillo aquas? & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere monteis & colles in ſtatera? BEMOZNAIM in bilance.

IX. Colles herbæ graminisq́ fertiles ſunt, ſi terra conſtent bona, atque cæli non deſtituantur rore, & ex diuina efficacitate frugibus & frumentis ſufficiendis red-
Ezech. 34. duntur idonei. Et ponam in circuitu collis mei benedictionem, & deducam imbrem in tempore ſuo, pluuiæ benedictionis erunt.

## התרים DE MONTIBVS.

### De aquarum congregatione, quæ Maria dicitur, ac de Fluminibus.

XI. Ex mari & terra ſimul infima ſphæra confecta fuit, partitis diuerſa ratione regionibus: alias enim mare in terras inſinuatur, alias reductum terræ promontoria alluit; atque ita vtraque natura mutuis commoditatibus viciſsim iuuatur: & quamquam inuicem hæreant, qua tamen continguntur terra altior extat, ſiue montibus obiectis, ſiue aliàs editiore, ac paulatim ſurgente littore id ob-
Pſal. 102. tineat. S.S.E. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis
Ionæ 1. multis. &, Surrexit Ionas vt fugeret in Tharſis à facie Domini, & deſcendit in Ioppen, & inuenit nauem euntē in Tharſis, & dedit naulum eius, & deſcendit in eam, vt iret cum eis in Tharſis. Eſt autem terminus quo mare à terra ſecernitur,

*cernitur, plerumque arenoſum littus; quamquam aliàs, vbi terra anguſtior in mare procurrit, montium repagulis & petrarum ſoliditate intermiſſa diſcernitur. Et quamquam arena minutiſſimis ac minimè coaleſcentibus conſtet partibus, tamen nec maris aquis, nec fluctibus diſsipatur: ſed ſuopte pondere preſſa iacens, metas liquori ſtatutas tuetur. Eſt enim ponderoſa arena, & onere ſuo ſeſe continens, ac ſaxis & lapidibus pondere plerumque præſtat: quamobrem vtrumque genus, ſaxorum atque arenæ, grauitate ſui preſſum, firmitudinem maris terminis moliuntur. & quamquam lapides duriores ſolidioreſq́; ſint, arena tamen partium, non coaleſcentium quidem, ſed facillimè concurrentium, & mutua ſocietate ſeſe coniungentium curſu & æquabilitate, & minus detrimenti accipit quàm ſaxa, & ex conſequenti minus pugnat, & commoti maris impetum conceſſione ac dilatationis oportunitate temperat & placat. De vtriuſque grauitate, deq́; arenæ conceſsione & æquabilitate ſcriptum reperimus: Graue eſt ſaxum, &* Prou 27.
*oneroſa arena. &, Qui poſui arenam terminum maris, præceptum ſempiternum* Ierem. 5.
*quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illum. Atque (vti iam diximus) maxima marini littoris pars arena iacenti æquabiliterq́; decliui ſternitur, ſolummodo in anguſtiis marinis, vel in promontoriis paulò acutioribus, & marinæ æſtuationi torrentium inſtar obnoxiis ſcopuli & cautes, ac alia ſaxorum genera, munimenti cauſa à conditore ſunt infixa. quod ex lectione ſacra obſeruatum quoque nobis conſtat. Madian autem & Amalec, & omnes orientales populi fuſi iacebant* Iud. 7.
*in valle vt locuſtarum multitudo, cameli quoque innumerabiles erant ſicut are-* “
*na, quæ iacet in littore maris. &, Scopuli torrentium inclinati ſunt.* “

*Aquæ verò omnis fundum, & vas quo liquor ille continetur, terra eſt: ne-* 52.
*que enim ſeorſum eſſe poteſt, quandoquidem fluxa ac facilè mobili natura conſtat. Quamobrem locum, in quo recepta quieſcat, poſtulat ſemper, atque ideo mouetur & fluit quoad receptaculum, & quo ſidat, & quo ambiatur, nacta ſit, ſuaq́; ſponte illam ſuperficiem quærit, quæ totius terræ eſt infima, qualem eam eſſe Deus voluit, quam olim, qui totam terram ambibat humor, deinde Conditoris iuſſu reductum occupauit. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſta-* Pſal. 103.
*bunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Aſcen-* “
*dunt montes, & deſcendunt valles in locum quem fundaſti eis. Terminum po-* “
*ſuiſti, quem non præteribunt, neque conuertentur operire terram.* “

Liquor *ille marinus in vnum reductus ac receptus locum* THEHHOM, *ſiue* Abyſſus *nuncupatur: ita dictus, quòd infimum ſemper locum in ſuperficie terræ amet; & quamquam reuera vnum ſit, tamen plures eſſe videntur: quia maxima ex parte alluit & ambit terram, ab* Ortu *per Meridiem ſiue* Notum *ad* Occa*ſum, ac deinde Boream verſus dimidio circulo maius ſpacium occupans. Interim verò ſeſe in ipſam terram inſinuat nunc anguſtis, interdum latioribus apertis oſtiis, vt in ſuperioribus indicabamus. Qua igitur terram penè ambire videtur,* Abyſſus magna, *ſiue* multa *dicitur, qua verò aperit atq́; intrat, plurali nomine* Abyſſi *nũcupatur. Magnæ ſiue multæ abyſſi meminit Amos. Hæc oſtendit mi-* Amos 7.
*hi Dominus, & ecce vocabat iudiciũ ad ignẽ Dominus Deus, & deuorauit* Abyſſum *multam. & apud Pſaltem: Adaquauit eos velut in* Abyſſo *multa. &, De* Pſal. 77.
*benedictionibus cæli deſuper, & de benedictionibus abyſſi iacentis deorſum. De* Gen. 49.
*aliis verò Abyſsis frequens apud ſacros auctores mentio. Viderunt te aquæ Deus,* Pſal. 76.

Psal. 41. *viderunt te aquæ, & timuerunt: & turbatæ ſunt abyßi. &,* Abyſſus *Abyſſum inuocat. Atque Abyßi, hoc eſt, fundi, quo liquor ille maximus continetur varium & inæquale, atque nulli mortalium exploratum & cognitum fundum, ſæpe altius, aliàs breuius, & nonnuſquam breuißimum. Cuius abſoluta notitia vni Dei ſapientiæ certa eſt & conſtans. quod apertè apud Iobum Deus excipit:*
Iob 38. *Numquid ingreſſus es profunda maris, & in nouißimis Abyßi ambulaſti? Et al-*
" *titudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum Abyßi quis dimenſus eſt?*
Eccli. 1. *Et Sapientia, Gyrum, inquit, cæli circuiui ſola, & profundum Abyßi penetraui,*
" *& in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti.*

53. *Eſt autem Abyßi humor plerumque ſalſus, quamquam alicubi magis, alicubi minus hoc habet. atque hoc à Conditore tributum obtinuit, gemino illo liquore per ſpiritum Elohim diſcreto & craßiore parte, hoc eſt, ſalis natura à pinguiori diſtincta. Atque durationem corruptioni minus obnoxiam ſal cumprimis, & id quod ſale contemperatum eſt, melius tuetur: quod ſi euaneſceret, inutilis red-*
" *deretur humor, minimumq; tempus incorruptum perſeueraret. S. S. E. Quod ſi*
" *ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà. Conſeruatur autem ſalſedo cùm primis natura ipſa Abyßi (vt ſolis lux ſua etiam conſeruatur natura) deinde ſocietate & communicatione nonnullarum terræ partium, quibus tamquam vaſe continetur; quas ſuum antiquum obtinere ingenium, & cum ingenio nomen* IABASSAH *quoque tueri Deus voluit. Quamobrem littora illa quæ ſalſiora ſunt, & propter ſalſuginem ſterilia viſuntur, Iabaßa in ſacra lin-*
Agg. 2. *gua, in Latina verò arida vocantur. S. S. E. Hæc dicit Dominus exercituum,*
" *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam. Illa tamen ſalſedo ne vſquam ſubſidat, néve in aliquam partem præter modum ac rationem deferatur, continua agitatione temperatur: ita vt ad totam Abyſſum pro ratione locorum atque cæli pertineat, quibuſdam locis magis, quibuſdam minus acris, nullibi tamen prorſus eluta, niſi aliquo pacto (vt poſtea dicemus) excolatur aut miſceatur. quod tamen in Abyſſo nō accidit: verùm in nonnullis ex Abyſſo deriuatis fluentis. Atque motionis & agitationis huius, quæ dicta eſt, quæq; in aßiduo maris fluxu & refluxu cernitur, miniſter eſt ille ſpiritus* ELOHIM, *cuius opera ſuperficies liquorum mouentur & commiſcentur, id natura ad producendarum & alendarum rerum oportunitatem & aptum idoneumq; temperamentum exigente. Ideoq;, vti adnotauimus, ſpiritus ille perpetua ac præſente ſemper opera* MERAHHEPHETH, *motitans, agitans, diſtendens, ac fouens dicitur.*

*Huiuſmodi autem terræ cum aquis exempli cauſa deſcribi poteſt figura: quæ ſinuum & promontoriorum imaginem referat, & breuioris fundi notas punctis interdum indicet. Non quòd hæc figura ad Geographiæ & hydrographiæ veritatem exacta ſit: ſed quòd ad vtriuſque partis coniunctionem & connexionem ſatis poßit inducere. Quibus ex rebus omnibus terræ totius moles, tam eius partis, quæ aquis operta fundum præbet, tam eius quæ ad vſuram hominum exſtare iuſſa permanet, longè maior eſt quàm Abyſſus & aquarum congregatio omnis. Quandoquidem vel ea quæ extat pars ab ortu in occaſum tantùm extenditur, quantum abyſſus, à Borea verò in Auſtrum (quod latitudinem dicere ſolemus) maius alicubi globi ſpacium terra occupat, vltra medium circulum protenſa ea parte qua noſtrum hemiſpherium eſt: qua verò latius occultari deprehenditur.*



Et alias quidem frequentioribus, alias verò latioribus inſulis & iſthmis ſeſe exerit: atque ita magnitudinem ſuam Abyſſo longè maiorem oſtendit. Certè in Eſdræ qui inſcribitur quarto, ſcriptor ille ſeptemplicem Abyſſo terram ponit. Magna eſt terra, & excelſum cælum. & , Die ſecundo creaſti ſpiritum firmamenti, & imperaſti ei vt diuideret, & diuiſionem faceret inter aquas, vt pars quædam ſurſum recederet, pars verò deorſum maneret. Et tertia die imperaſti aquis congregari in ſeptima parte terræ, ſex verò partes ſiccaſti & conſeruaſti, vt ex his ſint coram te miniſtrantia ſeminata à Deo & culta. 3 Eſdr. 4. 4 Eſdr. 6.

Quam abyſſum vocatam diximus, eandem & mare & maria nominatam dicimus: in ſacra lingua IAMMIM, permutatis elementis, & ex duali numero in pluralem tranſlatis: Namque ex illo duplici liquorum genere maxima ſalſuginis pars, eademq́; craſſiſſima huic naturæ obtigit: non tamen concreta, ſed humida, & liquida ſemper manens, & ſpiritus ELOHIM opera & agitatione vt nō ſidat, & concreſcat commota. quæ nihilominus alterius pinguis liquoris communione pollet, multis permixta partibus varieq́; temperatis, & ex illa motione in varias regiones actis ac reductis: quod ad maximam cùm plantarum atque lapidum, & aliarum rerum, tum verò animantum varietatem producendam & alendam ita diſcerni ac diſtribui componiq́; opus fuit, vt non omnia paſſim ac promiſcuè nec vno in loco nata & educata verſarentur; ſed varietate tum naturæ, tum locorum & conditoris ſapientiam bonitatemq́; probarent, & varium ſui vſum hominibus præberent. S. S. E. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipſi viderūt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. In aquis multis monet agendum iis, qui varia opera Domini, & mirabilia eius in profundo ſiue in Abyſſo (nam idem nomen eſt) contemplari amabunt. Itaque, quamquam vna tantum aquarum huiuſmodi naturæ congregatio ſit: multa tamen maria conſtituit, multa, inquam, IAMMIM liquorum temperaturis ac locis etiam diſtincta pluribus. 54. Pſal. 106.

## De Aquarum motu.

ALIA terræ, cæli, liquorum ſiue aquarum ratio eſt qua corpora ſunt; alia verò qua ſingularibus ac propriis definiuntur naturis. Corpora omnia vel grauia, vel leuia ſunt, vel medium quiddam inter graue & leue habent: quod non tam ad motum proprium, quam ad ſitum facit. Nam grauia omnia eo quòd grauia ſunt, commodius in inferiore loco ſidunt: contrà verò, leuia ſuperiorem occupant locum. Verùm hæc communis vtrique generi ratio non indicat proprium ſingulorum motum & exercitium; hoc enim à figura potiùs quàm à pondere aut leuitate proficiſcitur. Quæ natura rotunda ſunt, ea rotari & volui amant; aliumq́; motum quemcumque non ſponte, ſed inuita exercent. quæ alterius ſunt figuræ, 55.

recta mouentur via, niſi impedimento aliquo declinare cogantur. Quamquam verò aqua cuiuſcumque vaſis figuram propter liquoris facilitatem ſubeat & compleat, ſuapte tamen natura & virtute rotunda & ſphærica eſt. cuius figuræ ſignum tum maiuſculæ, tũ verò minores ac minutiſſimæ ſtillæ & guttæ produnt, & maiores etiam partes quæ in planiſſimo fuſæ ſpatio in gyrum expanſæ diffunduntur: ex qua re conſequitur aquæ liquorúmque omnium naturam rotationis motu exerceri. Cuius motus in illo genere omni magnus & oportunus ad ea quæ imperantur, vſus eſt, vt poſtea indicabimus. Hanc motus huiuſmodi rationem

Amos 5. & veritatem Amoſo Vate docente didicimus. Et reuelabitur quaſi aqua iudi-

יגלגל cium, & iuſtitia quaſi torrens fortis. IIGALGEL reuoluetur, ſiue rotabitur propriè ſignificat. Hæc itaque erit aquæ reuelatio, ſiue reuolutio. Corpus autem rotũdum in plano & æquabili loco non voluitur, niſi impulſum aliàs fuerit: in decliui autem loco ſponte rotatur, neque quieſcit, niſi in metis quas tenere tendit, & ſi in ipſo volutionis decurſu impediatur, ægrè ferens veluti querulo ſono ſe inuitum teneri vel retardari arguit. Atque hæc ratio eſt quamobrem aquæ ſpiritus dum molliter decliue nactus eſt viæ ſpatium, ſponte & placidus atque taciturnus humorem ſuum voluit: idem ſaxis aut aliis interceptus offendiculis, quæ vincere, protrudere, aut ſuperare valeat, hoc agit quidem, rapit, inquam, & propellit, vel tollit vehitq́ leuiora: ſi verò trudere non poteſt, vel ſeſe findit, vel eadem ſuperare atque poſt ſe relinquere conatur, & ſeſe ægrè id pati murmure & querulo teſtatur ſono. Quod ſi ex alto præceps ruere cogatur, indignabundus & clamans longè lateq́ auditur.

56. Quo magis tenuis liquor eſt, eò tenuiore ſpiritu mouetur, atque ideo & curſu rotationéque agilior eſt, & argutiore ſentitur ſono. vt aqua hæc quam vocamus Abyſſi, & huic cognatæ omnes, & vinum, acetum, & ceteri omnes his affines vel ſimiles liquores. Contrà verò deprehenditur in iis qui vel pinguiores, vel craſſiores fluunt, vt in lacte, oleo ac melle, & horum generum ordinibus variis.

57. Puriores liquores omnes, qui nullum natura ſua colorem ſingulariter ſortiuntur, quiq́ tenuiores habentur, facilius longè miſcentur cum aliis generibus liquorum conſimilis naturæ, atque diſſimilis etiam, quàm illi qui pingues habentur. Quod ſi aliæ res liquidæ ſunt, citiſſimè commiſcentur: ſin verò aridæ, non ita citò, tamen commiſcentur tandem, modò ſubtiliores fiant vel radendo & alluendo, vel penetrando. Ita facile aqua omnis terræ commiſcetur, & pulueribus omnibus, maximè illis, qui natura ſua minus aridi minuſq́ arenæ ſimiles ſunt, nec tam citò aut ſubſidere poſſunt, aut propter leuitatem innatare certant.

Pinguia omnia innatant quidem ſalſis aut ſali cognatis liquoribus, ídque oleum habet præcipuè: verumtamen ſic innatantia feruntur, ſiue vehuntur potius ea via atque in eum locum quo illi contendunt. Ita fit vt vel ſibi commixta vel ſublata cetera liquorum genera à progenie ſalis deferantur. Appellamus autem progeniem ſalis abyſſum, & abyſſi ſiue maris ſobolem omnem, in cuius ordinibus aqua hæc quæ animantum potui idonea & commoda eſt, ſi modò pura ſit, ſimpliciſſima, & ad commixtionem aptiſſima, & ad motum ſuum, hoc eſt, ad rotationem maximè eſt comparata & habilis. Nam cùm nullo ſapore, colore, odore nullo ſua ſponte ſit prædita, facilè alios rerũ, quas vel penetrat vel abluit, colores, ſapores & odores recipit atque induit, & plerumque conſeruat. Aqua vino permixta, vinum ſapit: vinum odore & facie refert. atque ita omnibus infecta colori-

*coloribus tincturas quaſlibet & accipit, & præſtat. Præterea quæ lauari poſſunt omnia, hoc liquoris genere, hoc eſt, aquis ſiue ſalſis, ſiue ſalis expertibus optimè omnium lauantur. Nihil verò aliud eſt lotio, quàm alienæ vel ſordis, vel infectionis in ſeipſum ſuſceptio. quod enim ex alio aufertur, ſibi vel commiſcetur, vel inhæret. atque hoc pacto id quod abluitur, ſorde illa vel infectione liberatum euadit. Nec verò integra eſt ablutio vbi quicquam eiuſmodi reliquum fuerit. Conficitur autem ablutio perquam commodiſſimè rotatione liquoris abluentis: Hoc enim pacto longè melius quàm alio ſordes vel infectiones, vel ea quæ abſtergenda ſunt, ſuſcipiuntur & commiſcentur: quamobrem abluendis vaſis liquorem agitamus vel commouemus, vel in orbem & gyrum voluimus. atque ita omnes facies aquarum explicantur & permutantur: vt quæ exterior fuerat, cum exceptæ infectionis parte ad intima centrum verſus voluatur, & quæ intima, ad circumferentiam emergens partem etiam ſibi aſciſcat, quoad nulla maneat facies, cui non aliquid adhæreat: atque ita toto infecto liquore, quæ abluenda erant, purgata euadant: quamobrem viuæ, quæ dicuntur, aquæ, hoc eſt, perpetuo fluentes, omnium optimè hæc perficiunt propter continuam rotationem. Nam ſi planum ſit id quod abſtergit, non ita omnes peruadere poteſt partes eius quod abluitur abſtergiturq́. Aquæ autem & propter liquoris naturam omnia ſubire & ingredi poſſunt quâ pertingunt loca, omnia ambire, & propter figuram & rotationem omnia ſecum deferre: vel commixta, vti diximus, vel ſublata: ſi tamen eiuſmodi fuerint vt ſubiri vel ambiri, vel ſuſcipi ab illis poſſint. Purgat quidē ignis, verum alio modo, vt poſtea dicemus, non abluendo, ſed conſumendo.*

## De terræ & abyſſi ſocietate & communione.

QVANDOQVIDEM *præcipuæ ac maximæ mundi partes ita à Conditore comparatæ ſunt, vt quamquam locis ac ſedibus regionibusq́; diſcretæ, cælū, abyſſus, ac terra: tamen efficiente communicatione, coniunctiſſimæ ſemper maneant, & ſuperiores non ſua, ſed inferiorum cauſa in actione ac motu perpetuo ſint, vt teſtimoniis citatis inferius intendemus. Prius videndum quemadmodum inferiora corpora Abyſſus ac Terra, & horum corporum ſpiritus habeant, & agant. Deinde verò de ſuperiorum ſocietate & fauore diſſeremus.* 58.

*Viuentium genera omnia, quæ naſci & creſcere, minui atque interire poſſunt, quæq́; ſobole ſufficiuntur & conſeruantur, duo tantùm loca & regna, ac veluti theatra eſſe Deus voluit, aquam & terram, in quibus edita & producta ſuas vnumquodque parteis agere pro conſtituti ſibi temporis portione, & pro naturæ ſuæ vſu poſſent: & his peractis, vel in ſua principia reciperentur, vel perfunctæ officiis ac muneribus præſcriptis, aliò migrarent. Atque omnia hæc quæ Abyſſo terræq́; ſpectantur & viuere dicuntur, in duo maxima & ampliſſima diuidimus genera plantarum & animantum: de quibus aliquid etiam oportuno ac præſente ſermone dicemus. Vtrique generi vel abyſſus, vel terra ad generationem ſui, vel ad vitam alendam, & officia propria exercenda pro ſede & ſpatio atque ſcena conceſſa fuit. Inter terram verò atque Abyſſum mutui iuuamenti, ſubſidij, auxilij, ac ſuppetiarum communicatio æterno fœdere ſancita eſt, ratione ac legibus iis, vt altera natura alteri ſuas vires temperatè ſuppeteret: hoc eſt, liquores communicaret ſuos: nec Terra ſine abyſſini liquoris, nec Abyſſus ſine terrenæ*

*pinguedinis generibus variis quicquam edere aut alere poſſent. Huiuſmodi verò communio per vtriuſque partis varios ſpiritus fieret in hunc modum.*

Terra *infinitas fere ſuccorum vires, quibus abundè prædita eſt, continuò edendo, augendo, mutando, conuertendo amplificat: eademq́ remittendo, profluendo, & exhalando aut ſudando profert: atque adeò diffundendo quoque extendit. Ex his verò ſuccis non ſolùm lapides mineralia & metalla, aliiq́ fluores varij generantur, coaleſcũt, & conficiuntur: ſed plantæ vel iam genitæ & ſeminis virtute propagatæ aluntur: vel deficiente ſemine gignuntur: & animalia quæ in terris degunt, nutriuntur, vel aliàs ad ſui iuuantur nutritionem & alimentum. Sed hæc omnia, quamquam ſuos, quibus mouentur & aguntur, ſortita ſunt ſpiritus, non ſola ac ſeorſum quicquam perfectè edere & conficere poſſunt abſque abyſsi ſpirituum ope, atque adeò abſque actione & efficientia ſpiritus illius* ELOHIM, *qui vtrumque liquorum genus perpetuò, vti iam edocti ſumus, mouet, agit, fouet, ac (vti ſic loqui liceat) viuificat & animat. Rurſus etiam abyſsi omnes plurimis ac variis viuentum animantumq́ generibus, iiſdemq́ frequen-*
Pſal. 103. *tiſsimis referti ſcatent. S. S. E. Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic*
» *reptilia quorum non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis. quæ tamen non ex vnico ſalſo liquore gignũtur: neque illo ſolo ali viuereq́ poſſunt, niſi iis etiam liquoribus pinguioris naturæ admixtis, quorum maximam & copioſam, perpetuamq́ officinam in Terra ſtatutam nouimus. Atque hos pinguiores, de quibus iam dictum eſt, ſuccos intra intima viſcera terræ maxima ex parte gignuntur: atque partem etiam non exiguam, vel in ſumma ſuperficie extant, vel non ita altè occultantur, vt facilè rimari eruiq́ non liceat. Quam quidem ob rem ſpiritus ille* ELOHIM *Abyſsi liquorem ſiue aquam nominare placeat, per occultos meatus & cuniculos alias anguſtiores, laxiores alias, id eſt, per terræ venas protrudens, in fontes erumpere, atque inde variis aſcitis & coniunctis augmentis, in flumina creſcere atque deuolui, decurrere, & ſuſceptos commixtosq́ ſecum pro ſingulorum tractuum natura terræ ſuccos in locum vnde prodierant, hoc eſt, in Abyſsi regnum, atque in ſuum ipſorum centrum reuertentem adducere cum vſura fructúque iubet, admirando ſummi conditoris artificio & imperio, per-*
Ibid. *petuiſque obſequiis obſeruato: de quo etiam gratulabundus Vates cecinit: Et*
» *mirabilia eius in profundo.*

59. *Maximam autem humoris illius partem, qui ex ſalo ſiue Abyſſo per occultos canales inductos in fonteis erumpit primùm, deinde in flumina coniunctus augetur & manat, dulcem, liquidum, pellucidumq́ prodire experimur: hoc eſt, ſaporis, coloris atque odoris prorſus expertem, id ita iubente* IEHI *ad plantarum plurimarum irrigationem & nutritionem, atque adeò ad animantum ſitim ex-*
Ibid. *tinguendam, & calorem atque ariditatem potu temperandum. S. S. E. Qui emit-*
» *tis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ. Potabunt*
» *omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua. Super ea volucres cæli habita-*
» *bunt: de medio petrarum dabunt voces.*

60. *Et quanquam humor ille abyſsi dum in ſuo vaſe ac centro tenetur propter craſſitiem propriam, & propter ſoli in quo conſeruatur, ingeniũ ſalſus ac penè amarus eſſe deprehendatur: tamen eiuſmodi facilitate præditus eſt, vt quamuis ſalis omnis fundamentum ſit; tamen ſaporem & colorem ſuum deponere arte ac medicamento poſsit. nulla verò commodior ad hanc rem excogitari poteſt ars, quàm*

*exco-*

excolatio vna cum mixtione confecta. Fit autem excolatio terræ dulcis, & ſale omnino carentis mixtione & ablutione: cuius terræ dum penetrantur & madefiunt glebæ, ſalſi humoris craſſitiem combibunt, & dulcedinem propriam elui & auferri aſportariq́ patiuntur. Dulcedinem autem hoc loco appellamus guſtum illum ſaporis expertem omnis, quam ſimplicitatem quoque vocari nihil prohibet.

Igitur vbi perpetuam terræ inuenit humor ille ſimplicitatem, excolatus omnino, ac ſapore, colore, odoreq́ omni immunis tandem prodit, & ſeſe animantum potui & plantarum ſalubri humectationi idoneum præbet. atque hoc pacto nullius aut guſtus aut frigoris aut caloris compos puriſſima aqua nobis dicitur, tantumq́ humoris vim ſua ſponte præſtat, idemq́ facilè in omnem aliam immutatur vim, eò citiſſimè quo fuerit ſimpliciſſimus. Quod ſi dum terras ſubit atque intrat ſaporem, colorem, odorem, aut aliquid huiuſmodi offenderit, eodem, quo de ſimplicitate diximus, pacto, idem ſibi aſciſcens atque commiſcens vbi in lucem erumpit, reapſe repræſentat, & vi atque efficientia præſtat. Hinc eſt quod nonnulli fontes perpetuis venarum varij ingenij tractibus infecti varios liquores proferunt & ſufficiunt, hos calidos, illos frigidos, quoſdam ſalſiſſimos, amaros alios, nonnullos vltra ſimplicitatis rationem dulciſſimos, partim ſulphur, partim alumen, calchantum, bitumen guſtu referentes, ſalubres etiam aut venenatos: varius præterea colorum generibus & formis conſpicuos, oleaginoſos, vltra modum craſſos, & his contrarios: efficiente hoc Abyſſi ſpiritu ex commercio & ſocietate variorum ſpirituum, qui diuerſos glebarum ſuccos cum hoſpitibus liquoribus communes eſſe facilè patiuntur. Hos verò liquores ita mixtos, ita varios, vbi terris ac regionibus quacunque tendunt & voluuntur flumina obiter impertita fuerint, in Abyſſum, vnde profecta primùm fuerant, redeuntia cum fœnore & fructu referunt, vſui futura animantibus illis, quæ plurima & varia, atque aſſiduo & multiplici alimento indigentia in illo ſalis regno gignuntur & viuunt. Ex quo fit vt frequentiſſimi & varij piſces apud fluuiorum oſtia comperiantur: illam ſibi ex prouidentia Dei comparatam annonam ſumma alacritate expectantes & excipientes iuxta ſingulorum generum naturam. Namque vt alia aliis nutriuntur eſcis, ita non omnia omnibus in oſtiis capiuntur, ſed quæ congenerem ſortiuntur naturam, aut aliàs aptam & amantem his vel aliis paſci ſuccis & cibis, quibus illa flumina onuſta redeunt. quæ cùm mare, vnde prodierāt, repetitum obtinuerint Gholam exactum gaudent, ſuoq́ iam centro fulcita diffunduntur, nec ideo tamen redundare cogunt: quippe huiuſmodi natiui centri & orbis vim naturamq́ eſſe antè dicebamus. Nec minus vel imbribus, vel niuibus ex media regione demiſſis terræ irrigatæ & ablutæ, multa etiā propriæ pinguedinis elementa tum ex ſuperficie ſublata, tum etiam ex ſuperiori glebæ parte vnà cum exucto imbris vel niuis humore excolata, & in natantia fluminibus in mare deferenda ſuppeditant. Quidquid enim flumina obuium habent, quod vel trudere vel tollere valeant, ſecum in mare deuoluta conferunt: ita vt nulli generi cui præſtare potuerint, parcant: nec non & terræ limiq́ partem abraſam quantum impetu, quantum viribus valent, auferunt: atque inter eundum diſſolutam ita ſecernunt, vt, quamquam bonam partem, eamq́ craſſiorem & magis grauem magisq́ ſidere promptam, ſecundùm ripas relinquant: pinguiorem tamen & lacteum ſiue oleaginoſum, & facile innantem ſuccum vt inſtituto ſuo commodiſſimum, ſublatum deferunt: atque ita apium inſtar in alueum

ueum redeuntia deponunt. quod ubi reginæ ſuæ ac parenti, id eſt, Abyſſo tradiderint, rurſus eandem quam conſueuere viam idem actura & expeditura inſiſtunt. Hanc autem doctrinam ita diuinus ſpiritus explicandam ſapienti & mundi totius peritiſſimo dictauit. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina reuertuntur, ut iterum fluant. De alimento autem quo varia & multiplicia viuentiū animantumq; genera ſub aquis generantur & nutriuntur, deq; perpetua Dei in illo regno & loco prouidentia, ita ſacri Vates cecinere. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis: ipſi videbunt opera Domini, & MIRABILIA eius in profundo. &, Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis: illic naues pertranſibunt. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei: Omnia à te expectant ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcas illorum in tempore oportuno: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Eccleſ. 1. Pſal. 106. Pſal. 103. Pſal. 144.


## De circulo aquarum & fluminum.

61. IN iis corporibus, quorum partes nulla alia re quàm magnitudine & breuitate differunt, eadem partium atque totius natura, ſimilis ratio, efficacitas, appetentia, & conſimilis experientia eſt: ut in oleo, aqua, melle, vino, aceto, lacte, & ſucco ſiue liquore quolibet: item in vento, aëre, igne, & aliis, quæ facilè cedere, concedere, conuenire, iungi, diuidi, & rurſus coniungi poſſunt. In his omnibus atque horum affinibus idem quod in parte cognoſcitur, in toto exiſtimari licet: pro modo tamen & portione tum magnitudinis, tum virium: nec hoc ad efficacitatem tantummodo, ſed ad motū quoque fuerit referendum. Quod enim unaquæque pars vel maior, vel minor aut efficere aut perpeti obſeruatur, idem eodemq; pacto natura illa omnis efficere, idemq; poteſt pati.

Quæ mouentur corpora vel ſponte vel coacta mouentur. Ea moueri ſponte dicimus, quæ locum ſuum petentia, niſi aliàs impediantur aut prohibeantur, quo uſque nacta fuerint, moueri non deſinunt: idq; nullius impulſu externo agunt, ſed inueniēdæ propriæ quietis, hoc eſt, centri ſui cupiditate inſitoq; ſpiritu aguntur. Hoc motus genere aqua in Abyſſum rotata voluitur. Spiritus ELOHIM liquorum ſuperficies agitat, dilatat, temperat, & miſcet. Eodemq; motus genere cælorum aſtrorumq; corpora propriis ac deſtinatis aguntur ſpiritibus. Coactus motus is dicitur, qui ex accepta ab altero vi incipitur & profertur, eademq; vi ceſſante aut remittente, motus ipſe ceſſat aut remittitur. Prior nulla eius quod mouetur laßitudine exercetur: Poſterior & impellenti pro viribus renititur, & ei quod impulſum mouetur, laßitudinem efficit, ſi modo fuerit laßitudinis compos. Spontaneus motus omnis perpetuus eſt, donec finem ſuum id quod mouetur, obtineat, niſi aliundè impedimento quopiam afficiatur. Contrà verò coactus natura ſua perpetuus eſſe nequit, ſuſtineri verò & prorogari poteſt, modò id quod mouetur, labori non ſuccumbat, & id quod mouet vel propriis ſemper, vel ſuffectis præſtet viribus. Si inito ſponte motui coactus addatur, uterque creſcit quidem ſimul, ſed ita ſeſe impediunt, ut demum præter rationem aut deſinant, aut deficiant. Indignatur enim rerum natura qualibet impulſa vi, & laſſa fatiſcit: nec

*nec niſi ſuis modis relicta durare nimium agendo vel ferendo poteſt. Verum enimuerò ſi inceptus ab impulſu motus in facultatem ſpontanei deſinat, tum verò durare poteſt, & ea parte qua ſpontaneus eſt plerumque durat. Vtriuſque autem generis rationem in hac de qua agimus, liquorum natura vnico explicabimus exemplo, inſtrumento à mechanica diſciplinæ petito.*


*Discebamus Abyſsini liquoris, quam Latinè aquam nominamus, locum & vas proprium terræ ſuperficiem eſſe, eam præcipuè quæ totius orbis centro vicinior iaceat: ita vt infimam omnium quæ contingere poſsint, oportuniſsimam quoque eſſe conſtet. Igitur ſtatuatur fiſtula, cuius alterum caput intra vas aqua plenum ſit: ita vt aquam etiam eadem regione cum vaſe ad libellam contineat inferius, ſuperius verò aërem claudat: quando fieri non poteſt vt omnino vacuus reperiatur in rerum natura locus. Iam verò ſiue ore, ſiue alio quouis inſtrumento & modo, aër, qui in ſuperiori parte eſt, extrahatur; eueniet continuo vt aqua illum locum omnem, hoc eſt, fiſtulam, aſcendens, quaſiq́; protracta impleat: id quod protractionis impulſu factum eſt. Quando maioris & communis incommodi vitandi cauſa loco vnde vnum corpus exceſsit aliud, quod moueri poſsit, neceſſario ſuccedit. Tam diu autem fiſtula ſiue tubus aqua plenus durabit, quamdiu nullus aëri ſuperiorem regionem repetituro aperiatur aditus: quo, vel anguſtiſsimo, aperto, aqua, quæ propter illatam vim aſcenderat, admiſſo repentè aëri cedens, propria regione ad libellam reſidet. Verùm enimuerò ſi tubo illi, quo humor coactus aſcenderat, alia pars adiungatur, qua deſcenſuro inferior, quàm vnde impulſus extractúſve & profectus fuerat, regio, hoc eſt, depreſsior ac centro vicinior ſuperficies oſtenſa promittatur, commodioris loci ſpe facilè impulſum feret, & perpetuo motu aſcendet quam diu vel copia vnde proficiſcitur ſuperſit: nec fiſtula vel tubus, qua aſcenſurus deſcenſurusq́; ſit, vitium capiat. Quamquam verò id quod diximus naturæ rerum obſeruatoribus facilè animo ac mente capiatur: tamen ad ſenſum & experimentum figura id oſtendere operæpretium fuerit.* 62.




*Eſto vas aqua ferè plenum,* A: *in quo ſit tubus* B, C. *Extrahatur aër, qui eſt in tubo, qua parte aqua non eſt, hoc eſt, ſuperiore: idq́; fiat exſugendo aut alio quouis pacto: aſcendet aqua vſque ad* C, *contingétque exſugentis os. Verùm quamprimum* C, *patuerit aëri supernè ſubeunti, loco cedet quæ vi continebatur aqua, ſuamq́; vtrumque corpus occupabit regionem. Quod ſi eadem vel ſimili vi impulſus humor per alterum canalem,* D, E, F, *vſque ad* F *conſcenderit ad inferiorem ſuperficiem, quàm vnde profectus fuerat, inuitatus, id eſt, ad* H, I, *per oſculũ* F *tam diu defluet, quoad nihil in vaſe fuerit reliquum: quippe qui facilè ſe compelli ferat melioris loci obtinendi ſpem, copiam, & facultatem nactus. Atque ita duobus continuis, altero vi, altero ſponte ineundo, perpetuus conficitur fluxus. Ex hoc verò diſciplinæ illius quam Mechanicen dicimus, elemento complura inſtrumenta concinnari artificum induſtria poſſunt: inter hæc autem frequentiſsimi vſus Cteſibica habetur machina, qua humor ab inferiore loco pulſus per cauum canalem ad ſuperiora aſcendere cogitur, ad certam tamen*

 alti-

altitudinem quatenus impellentis pertingere virtus valeat. Quæ ſi maxima ſit, firmiſsimis canalibus impetus ferendi cauſa indiget, aliàs multis partibus erumpente humore vitium facturis. Ea autem hoc paratur modo: Eſto canalis A, B, ſiue rectus & ad perpendiculum fixus, ſiue decliuus aut aliàs obliquus, cuius inferior apertura intra aquam ſit, loco C: ſuperior verò extra aquam editior D. Inferiori adnexus eſto malleus perpetuo mobilis, qui reſpirantium animalium laringis inſtar canalis aperturam viciſsim obturet & liberet. Hic perpetuo motu aquam inferiori parte ſubeuntem trudet, atque ſuccedentibus plagis protrudet per ſuperius foramen ſiue oſculũ A, prodituram: quæ cùm prodierit, libera deflu et, atque perpetuum continuabit fluxum, quoad impellentis durabit plaga. Hãc machinam nemo ex nautis non nouit. In Belgia etiam omni variis concinnatam & vſurpatã modis vidimus. Cuius auctorẽ, quamquàm Cteſibium quemdam Vitruuius laudet, nominiſq́; accepti initiũ dediſſe ferat: nos tamẽ Deum ab initio mundi auctorem credimus & agnoſcimus




Pſal. 103. cum canente Vate: Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ. Et quidem arte comparatæ machinæ ratio, ita, vti deſcripta nobis eſt, habet. Verùm ea ex imitatione Abyſſi obſeruata & confecta fuit. Namque per media terræ viſcera certos canales venarum inſtar Deus deduxit, vel lapide, vel creta, vel alio bitumine munitos, interdum ampliores, anguſtiores alias, & aliquando ſpongiæ inſtar habentes, aut per tophum, aut per arenam immiſſum humorem nunc excolaturos, nunc copioſè exceptum contenturos, atque continuatis viis promanare permiſſuros. Horum canalium initia Abyſſo adnectuntur, poſtremi fines ad ſuperficiem vſque terræ pertingunt. Prima capita laxiora ſunt, quà ſuſceptus liquor abundè ſubire poſsit, poſtremi verò fines plerumque anguſtiores, intermediæ partes variæ, iam laxæ, iam anguſtæ, pro natura & oportunitate glebæ, ſaxi, arenæ, argillæ vel tophi. Atque ſpiritu ELOHIM aquarum facies perpetuo mouente & agitante, liquor in canales vicinos ſuccedit; canales verò ſemel ſubiens retrorſum verti aut refluere non valet, tum propter Abyſſi ambientis magnam molem, quam repellere nullo modo poteſt, tum propter ſuccedentis retro liquoris, & à ſpiritu ELOHIM, aut aliàs à vento impulſi vim, cui vt cedat, prorſum per continentes canales proruit, ſiue illos decliuiores, ſiue paulatim ſeſe attollentes nanciſcatur, donec aut in editiore montium iugo, aut in depreſſiore conualle & campo ianuam qua erumpat inuenerit. Cuiuſmodi ianuas ad eruptionem conceſſas certaq́; menſura definitas Latina verſio fontes Abyſſi, ſacra verò lingua GHENIM, oculos, ſiue MAGHIENOTH oculationes vocat. S. S. E. Anno ſexcenteſimo vitæ Noë menſe ſecundo, ſeptimo die menſis rupti ſunt omnes fontes Abyſſi magnæ. At verò vbi liquor ille impulſus ad fontes perueniens erumpit, tunc verò decliuem nactus tractum, rotationem exercet ſuam; atque in riuo primùm, deinde in maiori alueo fluens, in mare pro ſui copia fluuius factus deuoluitur, ea ſecum vehens ac deferens quæ vel ex terræ viſceribus exucta ſibi miſcuit, vel ex ſuperficie rapta & ſublata concepit, aut inuexit.

In

*In ipſo verò itineris tractu non ſeſe ſterilem præbet, ſed plantas, piſces, animaliaque profert & educat: quæ pro regionis liquoribus vt foueret naturæ auctor Deus atq; vox illa* SARTSVHAMAIM, producát aquæ, *ſiue* liquores, *creare & nutrire iuſſit, ſemperq́; iubet. Atque hoc pacto terræ cum mari perpetua communicatio eſt, duplicis liquoris in variam ac multiplicem rationem attemperati & commixti, vnde varia rerum origo ac nutritio certis legibus ac terminis conſtat iuxta perpetuum* IEHI *imperium omni rerũ generi, quod ad naturam pertinet, obſeruatum. Itaque mare liquores ſuos terræ ſuggerit: rurſusq́; terra ſuos mari eueſtigio rependit; & vtraque natura proprios producit & fouet, aut alit fœtus, & primorum generum formas, quibus orbis ornatur, perpetuò ſufficit.*

## De cæli atque terræ ſocietáte.

63. IN *ſuperiore mundi parte nihil à primo communis creationis tempore conditum eſt: quia quæ cælo aßignatæ ſunt formæ, quàm quæ corpore præditæ ſunt, quàm eæ quæ carent, perpetuam & immortalem incorruptibilemq́; naturam fuere ſortitæ. Verùm neque illæ, neque liquores etiam tenuißimi & purißimi, quales in ſupremis regionibus ſunt, omnino ſteriles aut inutiles manent: ſed vim ſuam terræ ac mari pro temporum oportunitate, ac pro rerum vſu & commoditate ex* IEHI *præſcripto ac lege impertiuntur. Id autem fit duorum luminarium, hoc eſt, ſolis ac lunæ miniſtratione & opera, quorum alter dum terras illuſtrat, ſtellarum, ad quas certis reſpicit ſtationibus, virtutes varias caloris vi elicit, ac terram verſus interdiu deducit: idémque muneris in terris exercens liquorum genus omne quotquot in terra & in Abyſſo abyßique regionibus & cognationibus reperiuntur, exuctos in ſublimi verſus* RAKIAGH *attollit, ſublatosq́; cum iis, qui ex ſuprema parte defluxerant, coniungit: atque hoc pacto illis maris, his feminæ vicem agentibus, maritatio & contemperatio fit varia ac multiplex, ſingulis generibus ad cognatas vires & facultates cõmigrantibus; ita vt ex vtriſq; pariter coëuntibus, ac terram de integro repetentibus varia illa & innumerabilis rerum, quæ ab initio orbis productæ fuere, ſufficitur & alitur ac ſuccreſcit ſoboles. Atque has inter cetera ſol partes perpetuo agit: ideoq́; ſingulas cæli regiones proprio motu ab occaſu ortum verſus certa per tempora inuiſens recenſet. De qua re ſcriptum eſt:* Sol cognouit occaſum ſuum. *Cuius rationis & notitiæ,* Pſal. 103. *atque obſeruationis certæ ſignificantius multo eſt verbum primæuum* MEBOO, *quam Latinum* OCCASVM: *ingreſſum enim, progreſſum & acceſſum illa ſignificat vox. Tempus verò quo terra huiuſmodi ſolis miniſterio vtitur, diurnum eſt, id eſt, quam diu luminaris illius luce & calore fruitur ea qua fruitur parte. Namque noctis adminiſtratio minori luminari, lunæ, inquam, imperata eſt; cuius vltrà lucis communicationem illud eſt præcipuum opus, ſuperiores atque inferiores vires, quas vtrimque ſol elicuerit, quasq́; elicitas coniunxerit & miſcuerit, humectare ac diffundere, ſuoq́; femineo quodam modo fouere calore. vnde nomen* IAREAH *ſortitur à ventilationis ac diffuſionis facultate; quas vt proprias parteis conſtitutis etiam exercet temporibus, ipſa quoque omnes cæli regiones ambiens, breuißimo præter ceteros miniſtros tempore, nempe intra triginta dierum terminum, quos non plenè ambiendo cælo totos ponit. Verùm hæc temporum exacta ratio ad mathematicam diſciplinam pertinens, non huius*

*diſputationis ac loci eſt. Vt verò lucis & caloris proprius ac primus præcipuusq́; fons & certiſsima origo ſol eſt; ita etiam luna humoris ac ventorum genitrix & altrix habetur: quam rem venti nomen* RVAHH *indicat, cuius perpetuam & indeficientem facultatem futuri forma factũ vocabulum* IAREAHH *declarat: quod etiam ad menſis tempus & ſpacium ſignificandum vſurpatur; vt apud Iobum: Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mẽſibus.* BEMIZZPAR IERAHHIM ALTHABO. *Atque vt ſol quacumque pergit, & lucem expandit, & calorem communicat, variis tamen temperatum modis pro regionum, cæli ac terræ, & pro temporum atque acceſſus & receſſus interuallorumq́; aliorum varia ratione: ita luna munere ſuo obeundo ſemper lucet, ventilat, humectat, & quæ diffuſioni oportuna offendit, expandit ac diffundit: eademq́; ſpiritus aëreos & aqueos etiam excitat, qui excitati mouendis agitandisq́; aquis & ventis impellendis functiones exercent ſuas, magna cum totius inferioris orbis vtilitate, quamquam interim priuatis & ſingularibus noceatur vel locis vel rebus per loca offenſis. Oportet enim ad rerum in Abyſſo gignendarum rationem Abyſſum turbari interdum, quamquam id nauibus officiat, terram ventorum vi verri, purgari, ſiccari, aut etiam humectari oportet pro ſingulorum ventorum miniſterio: quamquam plantarum, florum, fructuum, & ædificiorum quoque nonnunquam detrimento id fiat. Nihil tamen omnino fit quod à præſcriptis* IEHI *legibus & ab ſpiritus* ELOHIM *officiis alienum ac diſcrepans argui poſsit, modò ratio quamobrem fiat rectè ac ſapienter ſubducta ſit. Verùm ſingula hæc nominatim ac diſtinctè non omnibus hominibus quamuis maximam eruditionem ac doctrinam profeſsis in promptu eſt cognoſcere. S.S.E. Spiritus vbi vult ſpirat, & audis vocem eius: & neſcis vnde veniat, aut quo vadat.* Ioan. 3.

64. *Solitaq́; præterquam quod luminis ſui ac radij virtute omnia tum ſuperiora, tum inferiora illuminat, & aſtris cunctis lucem communicat, caloris quoque efficientia ſingulorum aſtrorum vires excitatas atque ad ſeipſum, vt ita loquamur, eductas, pro temporum atque ſtationum ratione ad* RAKIAGH, *id eſt, expanſionis ſiue firmamenti mediam regionem remittit, eodemq́; inferioris orbis, hoc eſt, abyſsi ac terræ halitus humores & ſpiritus attollit, ibidemq́; vtraque coniungens & commiſcens, cognata & affinia aſſociat, diſsimilia diſgregat, eóque pacto illa plurima generat & fouet, quæ paulatim ſuis temporibus concreſcentia ac demùm perfecta in pluuias, niues, gelu, grandines, ignes, fulgura ac fulmina, atque adeò in alias naturas, nimirũ ſalis, olei, roris, mellis, ſulphurisq́; euadunt. Demùm vbi concocta, abſoluta & maturata fuerint, lunæ ac ventorum opera in terras diffundenda, & ad rerum quæ in terra quæq́; in Abyſſo generantur, ſuis etiam temporibus conficiendam generationem communicanda. Hanc omnem vtriuſque luminaris & ſtellarum facultatem ex diuini conſilij ac dicti interpretatione cognoſcere licet.* Dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, [1] & diuidant diem ac noctem, [2] & ſint in ſigna, [3] & tempora, [4] & dies, [5] & annos, [6] vt luceant in firmamento cæli, [7] & illuminent terram. Et factum eſt ita, *rectè, oportunè, commodè, aptè (Namque omnia hæc ſignificat vnica vox* CHEN*)* Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti, & ſtellas. *Verbum* præeſſet *Latinum, non ad ſolis aut lunæ, verùm ad vnius Dei referimus auctoritatem, qui dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt; ſtatuit ea*

*in æternum, & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit. Namque in exemplari lingua legimus* LEMANSELETH, *ad gubernationem, ita vt alius indicetur gubernator ab iis rebus, quarum oportunitate & exercitatione gubernatio facienda erat: id quod Latinus interpres ex horum locorum ſimplici ver-* Pſal. 8.
*ſione quoque exiſtimandum reliquit. Quoniam videbo cælos tuos opera digito-* Pſal 103.
*rum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti. &, Fecit lunam in tempora. Sol* 135.
*cognouit occaſum ſuum. Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum miſericordia eius, ſolem in* POTESTATEM *diei, lunam & ſtellas in* POTESTATEM *noctis. &, Hæc dicit Dominus, qui dat ſolem in lumine diei: ordinem lu-* Ierem. 3.
*næ & ſtellarum in lumine noctis: qui turbat mare & ſonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen eius. Si defecerint leges iſtæ coram me, dicit Dominus, tunc & ſemen Iſrael deficiet, vt non ſit gens coram me cunctis diebus. Hæc dicit* Baruch 6.
*Dominus, Si menſurari potuerint cæli surſum, & inueſtigari fundamenta terræ deorſum, &c. & illud, Sol quidem & luna & ſidera, cùm ſint ſplendida & emiſſa ad vtilitates obaudiunt. Similiter & fulgur cùm apparuerit perſpicuum eſt; id ipſum autem & ſpiritus in omni regione ſpirat, & nubes quidem cùm imperatum fuerit à Deo perambulare in vniuerſum orbem, perficiunt quod imperatum eſt eis. Ignis etiam miſſus deſuper vt conſumat monteis & ſiluas, facit quod præceptum eſt ei. Atque de omni hac, quam indicauimus, militiæ cæleſtis diſciplina eleganter & appoſitè citari lectio illa poteſt, Altitudinis firmamentum,* Eccli. 43.
*pulchritudo eius eſt, ſpecies cæli in viſione gloriæ. Sol in aſpectu annuntians in exitu, vas admirabile opus excelſi. In meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris. Tripliciter ſol exurens montes, radios igneos exſufflans & refulgens, radiis ſuis obcæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter. Et luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum æui. A luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione. Menſis ſecundùm nomen eius eſt creſcens mirabiliter in conſummatione. Vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cæli reſplendens glorioſè. Species cæli gloria ſtellarum, mundum illuminans in excelſis Dominus. In verbis ſanctis ſtabunt ad iudicium, & non deficient in vigiliis ſuis.*

## De calore & frigore.

TERRA *principio arida fuerat, verùm* VERBI *iuſſu & ſpiritus* ELOHIM 65.
*opera multiplici ſucco & liquore prædita ac ditata manſit, ſimulq́ Abyſſi iacentis deorſum humore madefacta maxima ex parte quantum conueniat perſeuerat. Aqua etiam ſua natura humida eſt, & humectandi vim præſtat. Neutrum horum corporum calidum aut frigidum proprio ingenio, ſed pro temporum atque rerum ratione, oportunitate & vſu interdum calet, interdum verò friget; cui efficiendæ rei duo idonei ſpiritus creati ſunt, idemq́ præter ceteros corporeos ſpiritus ſubtiliſſimi & penetrabiliſſimi, alter calidus, frigidus alter: quorum miniſterio frigus & calor omnibus oportunè comparis rebus & corporibus diſpenſata communicantur. Eſt autem caloris efficientia celerior, frigoris contrà lentior, verùm vtriuſque vis magna & efficax; caloris ad ſeparandum, coquendum, purgandum, & promouendum, condiendum ac maturandum & exſiccandum:*

*frigoris ad congregandum, conſtipandum, indurandum, firmandum & conſeruandum.*

66. *Atque communis ille ſpiritus cui caloris commiſſa eſt copia, à ſole iuuatur (quem lucis & caloris fontem diximus) ille verò alter qui frigefaciendi vim obtinet, ab illo ſpiritu qui liquorum facies mouet, nonnihil virium accipit ea ex parte qua ſalis natura exhalat: atque iis acceptis denſior pro tempore euadit: ſed è cælo etiam ab aſtris iuuatur, inter quæ præcipuam huius efficacitatis prærogatiuam illi tributam didicimus. Hoc enim cumprimis agnoſcere frigoris natura & ſpiritus videtur: cuius ope proprias parteis commodius & efficacius præſtet: ſole interim non obſtante, ſed pro præſcriptæ legis normis ac momentis & oportunitatibus concedente, caloremque ſuum ex obliquæ poſitionis rationibus minuente. Qua de re legimus, Qui facit Arcturum & Oriona. &, Ab interioribus orietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus. Sunt autem communes illi caloris ac frigoris ſpiritus inuicem velut in ſtatera ſeparati ea lege vt nunquam vnà coëant, aut maneant, ſed alter ſuperam orbis partem, alter verò inferam viciſſim viſitent & occupent. Ita vt cùm frigus auram hanc, quæ ad expanſionem vſque pertinet, obtinuerit, calor terræ viſcera ſubeat, & quæ illic fuerint omnia vel tepefaciat, vel calfaciat, pro liquorum ac rerum ingenio & vi: frigus verò interim ea quæ ſuper terra ſunt, pro vniuſcuiuſque generis portione & patientia frigefaciat: rurſusq́; viceuerſa vterque locum mutet eadem quæ valet, quoquò venerit præſtiturus: ita euenit vt per hyemem frigus ſuper terram ſentiatur, calor verò inferna penetrans foueat: rurſum per æſtatem calor editior ſupera peruadat, contrà verò frigus altius intra terram penetret: cuius rei argumento ſunt aquæ ex profundioribus venis manantes, vel ex puteis hauſtæ; quæ æſtate frigentes, hyeme verò vel calidæ vel tepentes deprehenduntur. cuius viciſſitudinis vſuram ad diſputationem de cultu agrorum reſeruamus: eò deducente Deo tam concordis diſcordiæ, tamq́; vtilis temporum temperamenti auctore ac dictatore. S. S. E. Cunctis diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems non deficient. De frigore autem per hyemem ſumma congelante, per æſtum verò aquam refrigerante: ita Ieremias per ſimilitudinem pronunciauit. Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ & defluentes. Ad vtrumque enim tempus illa referenda ſimilitudo eſt. Atque vtrumque hunc ſpiritum vnà cum alius, quibus efficacia diuinitus conceſſa eſt, ad gratulationem appellans vates, ita canebat: Benedicite omnes ſpiritus Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. Benedicite ignis & æſtus Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. Benedicite frigus & æſtas Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.*

Iob 9. Amos 5. Iob 37. Gen. 9. Ierem. 18. Dan. 3.

## De TAL & SEMEN, *id eſt*, rore & pinguedine.

67. טל VARIVM *illum & multiplicem naturæ apparatum, quem ex cæleſtium influentiarum, & terreſtrium exhalationum ac vaporum commixtione ſpiritus* ELOHIM *opera inſtrui dicebamus, ampliſſimo vocabulo* TAL *in ſacra ſchola ſignificatur, pro quo Latinus interpres ampliore egens* ROS *reddere ſolet, cùm* ROS *Latinis non ſolùm aquam, ſed omnem etiam liquorem modò tenuem referat. Verùm* TAL *& hunc & copioſam pluuiam, imbres, niues, & grandinem, & man-*

*nam,*

nam, & melleos, & lacteos, & oleaginoſos quoque influxus complectatur. Ea autem omnia liquorum genera quibus terra prædita abundat, præter vnicum ſal SEMEN comprehenduntur nomine, quod Latinus ſermo aptius in pinguedinis vertit vocabulum. Ex vtriuſque verò generis pura, legitima, & ritè comparata mixtione intra & ſuper terram atque adeò in Abyſſo ac fluminibus omnia generantur & aluntur atque augentur & conſeruantur ea quæ ad mundi ornatum, decorem & plenitudinem ſufficienda cõmunis auctor & conditor conſtituit, tribus diſtincta ampliſsimis generibus ſubterraneorũ, plantarum & animantium: de quibus ſuo agemus loco. Quidquid ergo ad mortalis hominum vitæ commoditatem vſuramq́; pertinet, ex duorum huiuſmodi generum commixtione, vt ex naturali coniugio proficiſcitur, quorum alterum ſine altero ſterile & frugis eſſet expers. Id quod Iſaacus filio ſuo feliciter ominatus, ac bene precatus indicauit, obſeruandumq́; nobis tradidit. Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ Gen. 27.
abundantiam frumenti & vini. & rurſus: In pinguedine terræ, & in rore cæli "
deſuper erit benedictio tua. Atque huiuſmodi generationum, procreationum, "
& nutritionum ac maturationum initia, progreſsiones & conſummationes certis temporibus aſsignata, & certis etiam ætatibus ac ſeculis, quas Græci ὥρας, Latini tempora, dies, & oportunitates vocant, Sacer verò ſermo MOGHEDOTH, id eſt, condictiones conſtitutionesq́; nominat; quorum ratio & obſeruatio inter leges maiori ac minori luminari datas præſcripta & imperata eſt. VT SINT IN SIGNA, ET TEMPORA, ET DIES, ET ANNOS: VT LVCEANT IN FIRMAMENTO CÆLI, ET ILLVMINENT TERRAM.

68. Atque hanc ſuperorum atque inferorum liquorum maritationem & expectandam ex vtrorumque legitimo ac naturali fœdere rerum procreationem, felicitatem & copiam, compluribus diuinæ elocutionis effatis indicatam, certo tamen quorumdam locorum adnotato ac citando numero commonſtrabimus. Cùm primis Iahacobus ille duodecim liberorum pater & magiſter filio Ioſepho fauſta precabundus ait: Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi Gen. 49.
benedictionibus cæli deſuper, benedictionibus Abyſsi iacentis deorſum. Et Deus "
ad Moſem: Ecce, inquit, ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus, & Exodi 16.
colligat quæ ſufficient per ſingulos dies. &, Si in præceptis meis ambulaueri- Leu. 26.
tis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus "
ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet "
meſsium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis pa- "
nem veſtrum in ſaturitate. Rurſus verò contrà: Sin autem nec ſic obedieritis "
mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra, & conte- "
ram ſuperbiam duritiæ veſtræ, daboq́; vobis cælum deſuper ſicut ferrum, & ter- "
ram æneam. Conſumetur incaſſum labor veſter, non proferet terra germen, nec "
arbores poma præbebunt. Terra ad quã ingrederis poſsidendã, non eſt ſicut terra Deut. 11.
Aegypti de qua existi, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur ir- "
riguæ: ſed montuoſa eſt & campeſtris, de cælo expectans pluuias: quam Domi- "
nus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque "
ad finem eius. Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt "
diligatis Dominum Deum veſtrum, & ſeruiatis ei in toto corde veſtro, & in to- "
ta anima veſtra: dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, vt colligatis frumentum & vinum, & oleum, fœnumq́; ex agris ad paſcenda iumenta, "

*& vt ipſi comedatis ac ſaturemini. Cauete ne fortè decipiatur cor veſtrum, & recedatis à Domino: ſeruiatiſq́; diis alienis, & adoretis eos: iratuſq́; Dominus*
Deut.26. *claudat cælum, & pluuiæ non deſcendant, nec terra det germen ſuum. &, Reſpice de ſanctuario tuo, & de excelſo cælorum habitaculo tuo, & benedic populo tuo Iſraël, & terræ quam dediſti nobis: ſicut iuraſti patribus noſtris, terræ lacte &*
Ibidem. *melle mananti. &, Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo: benedicétque cunctis operibus manuum tuarum. Et contrà: Sit cælum quod ſuper te eſt æneum, & terra quam calcas fer-*
Deut.28. *rea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem: & de cælo deſcendat ſuper te ci-*
Deut.33. *nis, donec contereris. Et habitabit Iſraël confidenter & ſolus, & oculi Iacob in terra frumenti & vini, cælíque caligabunt rore.*

Ioſue 10. *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo vſque ad Azecha, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quā quos gladio percuſſerant filij Iſraël.*

Iudic.5. *Domine, cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cælique ac nubes diſtillauerunt aquis. Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Iſrael.*

2 Reg.21. *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium, ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo.*

2 Reg.22. *Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulū: cribrans aquas de nubibus cælorum.*

3.Reg.8. 2 Par.6. *Si clauſum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto pænitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis ſuis conuerſi fuerint propter afflictionem ſuam: exaudi eos in cælo, & dimitte peccata ſeruorum tuorum, & populi tui Iſrael, & oſtende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluuiam ſuper terram tuam, quam dediſti populo tuo in poſſeſſionem.*

2 Par.7. *Si clauſero cælum & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locuſtæ vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pænitentiam à viis ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.*

## De igne deuorante.

69. INTER *cætera quæ ad inferioris orbis vſum condita fuerunt rerum communium genera, ignis numeratur ſingularis natura ſuo etiam ſpiritu prædita. cuius cauſa expurgatio fuit earum rerum & ſordium, quæ in terris & in aëre redundant: deinde etiam vſus & vtilitas hominum generi præcipuè accedens. Munus autem proprium & officium depaſcendo, vorando, & abſumendo præſtatur. Neque enim natura hæc quicquam ex ſe gignit aut producit, aut alij naturæ gignenti ſociam ſeſe addit, id quod ſolis calori, atque ei etiam de quo ſuperius egimus, proprium eſt; imò contrà, genita omnia depaſcitur & conſumit, modò pabulū in illis quo alatur ac nutriatur, nacta fuerit. Quamobrē* ESOCHELETH, *id eſt, comedentis ignis nomen eſt ſortita.*

70. *Eſt autem proprium & vnicum naturæ huius pabulum omne genus liquoris illius quem in rerum principiis pinguedinē vocabamus. Nihil enim aliud quàm oleum vorat & conſumit: cuius ſecernendi cauſa alterum rerum principium, hoc eſt ſalem, vel aquam ſali congenerem, admirabili diligentia ac ſubtilitate*

*& pene-*

& penetratione ſeiungit ac reiicit, vtpote quod ſibi non minus inimicum, incommodum, lethiferum, quàm illud alterum commodum & aptum experiatur. S. S. E. Ignem ardentem extinguit aqua. Cuius inimicitiæ argumentum ſtrepitus ille eſt, quem vel ipſe maiori aquæ vi oppreſſus edit, vel ſale inſperſus ciet, vel aqua minor ab igne impugnata & expulſa tanquam conqueſta mouet. Contrà verò amicitiam inter ignem & pinguedinem indicat quieta ac tacita depaſtio, qua purum & pinguem liquorem, qualem olei, exugit & abſumit. Ex olei verò generibus omnibus illud quàm citiſsimè inuadit, corripit & incendit, quod maximè acre & aſperum fuerit minimeq́; continuum, quanquam in ſpeciem continuum videatur: huius formæ ſunt ſulphura tum viua, tum præcipuè ea, quæ iam ſemel eliquata concreuerint, & liquores ij qui ignis efficientia & humana arte depoſito ſale tenuiſsimi & acerrimi euaſerunt, quos huiuſmodi rerum periti aquam vitæ & quinctas eſſentias nominare ſolent. Hi enim omnes ab omni ſale exempti acrem tenuemq́; igni ad abſumendum magna velocitate materiam præbent. & quæcumque incompoſitorum corporum natura tenuitatem acrimoniamq́; illam imitantur, admoti ignis vi quàm celerrimè corripiuntur; cuiuſmodi ſpinarum genera omnia ſunt, quàm primum vel aruerint vel areſcere ac pungere poſſint. S. S. E. Succenſa eſt enim quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam vorabit, & ſuccendetur in denſitate ſaltus. & iterum, Erit lumen Iſraelis in igne, ſanctus eius in flamma, & ſuccendetur & deuorabitur ſpina eius & vepres in die vna. Rurſus etiam, Erunt populi quaſi de incendio cinis: ſpinæ congregatæ igne comburentur. &, Sicut ſonitus flammæ ignis deuorantis ſtipulam. &, In die illa ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut faſcem ignis in fœno, & deuorabit ad dexteram & ad ſiniſtram. &, Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.

Eccli. 3. Iſaiæ 9. Iſaiæ 10. Ioel. 2. Zachar. 12. Pſal 117.

71. Nullum igni certum locum in mundi ſuperiore aut inferiore parte adnotauimus; cuius tamen elementa & vim in omnibus corporibus præterquam in aqua latere deprehenſa ſunt, modò quippiam eius pinguedinis inſit, quam aſperiorem acrioremq́; ſuperius indicabamus, hoc eſt, ſulphureæ, qua interim fouetur ac latet, dum non excitatur: ſolet verò excitari atque irritari plaga vel tractu & agitatione vehementi, vel compreſſione nimia, quæ ad plagam omnia referuntur. Namq́; hoc modo vim ſuam iratus exerit, qua coniunctam ſulphuris portionem citiſsimè corripit proximo aëre ad auxilium aſcito & incenſo: vnde vel carbo comprehēdi ardereq́; occipit, vel excuſſa proſilit ſcintilla, quæ exiguo principio aridam, nec pinguedine tamen carentem nacta materiam, niſi maiore vi opprimatur & extinguatur, præter modum auctus obuiaq́; cuncta corripiens ac depaſcens in immenſum vaſtabundus procedit. quippe cuius naturæ primum ac præcipuum opus & munus depaſcendi, deuorandi, abſumendique ſit; quod cùm abſque ſeparatione fieri nequeat, accidit, vt pinguedinis, qua nutritur, à ceteris corporibus ſecernendæ cauſa coniunctiſsima quæq́; & mixta ſeparet, corpora penetrans omnia: quæ ſeparata pro leuitatis & grauitatis ratione vel ſupremum, vel medium, vel infimum occupant locum, id verò quod pingue eſt caloris tractum vi deuoranti concedit igni. Atque hanc rationem obſeruandam nobis exhibent diſciplinæ ſacræ documenta illa. Ecce quantus ignis quàm magnam ſiluam incendit. Et ſicut ignis qui comburit ſiluam, & ſicut flamma comburens montes. &, A ſcintilla vna augetur ignis. &, Tria ſunt inſatiabilia, & quartum

Iacobi 3. Pſal 82. Eccli. 11. Prou. 30.

*tum quod numquam dicit, ſufficit, infernus, & os vuluæ, & terra quæ non ſa-
tiatur aqua: ignis verò numquam dicit, ſufficit.*

72. *Atque ignis adeò efficax natura, adeò celeris efficacia eſt, vt quamprimum
ei rei, cui admouetur, ſentiatur (ſi ſenſus tamen capax illa fuerit) & nullius vel
duriſſimi corporis vim non peruincat, modò illud vel tenuiſſimam in ſe conti-
neat pinguedinem. Ex quo fit vt lapides frangat, metalla emolliat, eliquet & ſe-
paret: lutum pellendi humoris occaſione exſiccet. Et ita corpora omnia molliora
vel craſſioris liquoris exuctu vel ſalſioris depulſu macriora atque aridiora red-
dat, ſi tamen non contingat: nam contacta nulloq; medio aut ſpatio interiecto*
Nahum 1. 5 *correpta, vt iam diximus, depaſcendo conſumit: quocumque verò modo ſiue at-
tingat, ſiue medio interiecto ſpatio calefaciat, ſalſum liquorem tanquam inimi-
cum ſolicitat & ſeparare à pinguiori ac pellere conatur ſpe inuadendi aliquan-
do & corripiendi reliquum, hoc eſt, pinguem, cuius inſatiabili auiditate ſemper
tenetur, nulli quantumlibet magnæ parcens materiæ. quam vbi iam peruſſerit,
inutilem, ſterilem, & ad nullius rei procreationē relinquit idoneam. Id quod ſi-*
Iſaiæ 30. *gnificanter à vatibus edocti ſumus. Præparata eſt enim ab heri Topheth, à rege
præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus*
Neem. 3. *Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam. &, Numquid ædificare pote-*
Eccli. 38. *runt lapides de aceruis pulueris qui combuſti ſunt? &, Sic faber ferrarius ſedens
» iuxta incudem & conſiderans opus ferri? vapor ignis vret carnes eius, & in
» calore fornacis concertatur.*

73. *Ignis calor nullum certum ordinem tenoremq; ſeruat, ſed pro materiæ atque
pinguedinis, quam conſumit, vel magnitudine vel denſitudine vel acrimonia,
proq; auræ ſpirantis, quam incendit, celeritate aut ariditate, vel denſitate ſuam
vim vel remittit vel auget: adeò vt liquidiſſima ac tenuiſſima pinguedine con-
ceptus & exardens ignis conſtantiora corripiens corpora, non vrat, vt in ea,
quam Chymici aquam vitæ ſiue quinctam eſſentiam vocant, incenſa flamma ne-
que linum quidem vrat. Sunt autem in variis rerum corporibus varia etiam
pinguedinis genera, quorum rationes diſtinctas ignis etiam vel auctiore vel re-
miſſiore calore & exuſtione arguit. Atque ex hac obſeruatione geniſtæ carbones*
Pſal. 120. *ardentiſſimi & acerrimi feruntur. S. S. E. Sagittæ potentis acutæ cum carbo-
nibus deſolatoriis. carbonibus* RETHAMIM, *id eſt, geniſtarum, habet exemplar.*

74. *Eſt autem diuerſa admodum ignis huius atque ſolis quod ad calorem attinet,
natura & ratio: namque præcipua caloris in ſole cauſa eſt rerum procreatio,
promotio, fomentatio, ac maturatio & conſeruatio pro ſingulorum generum
momentis, temporibus & oportunitatibus: id quod ex præſcriptis legibus con-*
Gen. 1. *ſtat,* Vt præeſſet diei, *ſiue,* ad gubernationem diei. *quod & certas in ſingu-
los dies partitiones rectæ gubernationis cauſa conſeruandas adiunctas habet: ſic*
Eccli. 43. *enim à Sapiente adnotatum legimus, Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris.
& paulo pòſt, Magnus Dominus qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit
iter. Quamobrem quamquam variis in locis & anni horis diuerſa ſolis perci-
piatur in terris vis; tamen in ſe atque in fonte ipſo eadem perpetuo eſt, ac ſibi ſi-
» milem conſtantemq; eſſe illa doctrina declarat,* Fornacem cuſtodiens in ope-
» ribus ardoris. *Contra verò ignis huius, quem vſualem dicimus, calida vis non
creationi aut maturationi aut perfectioni rerum, ſed exuſtioni & conſumptioni
tantum ſuopte ingenio intenta eſt, neque vmquam aliquo alio inſignita obſer-*

*uatur*

ñatur titulo quàm OCHELETH comedens abſumens & vaſtans. Ab externa verò oportunitate aut arte, aut ratione aliqua euenit vt tēperatior huius ignis cōtia vſum aliquem ad ſolaris caloris imitationem præbeat, magis ex analogia, quàm ex mera ac certa virtutis efficacitatiſve ſimilitudine: atque hoc pacto calfaciens molliendi, ſecernendi, coquendi, ac pro rerum natura exiccandi facultatem probet; numquam tamen certo continuatoq; ductu æquabilem, quippe quæ, vti iam diximus, pro materiæ, qua fouetur & alitur, ratione diſpari diſparem etiam efficientiam exhibeat. Ex quo fit vt ea, quæ ab artificibus compoſita & concinnata ignis vi maturantur, coquuntur & patrantur, numquam quippiam ſimile iis, quæ natura conſtant, aut reapſe perfectum, aut ſapore, colore, odore ſine vlla exceptione perfectum exhibeant: nihilominus tamen complura & vtilia & commoda vitæ hominumq; parent vſibus. Ita nouimus ab antiquis lapidum inopiam lateris igne decocti copia leuatam. Agni arcani carnes igne aſſas Gen. 11.
ad edendum hominibus à Deo conceſſas. Lucernas magno cum vſu incenſas, quæ Exodi 12.
& lumen noctu, & ignem perpetuo conſeruarent. Thuris & aromatum ſuaueis 2 Par. 35. Exodi 31.
exhalationes & ſuffitus temperati ignis vi eductos. Vaſorum quorumdam pur- Leu. 16. Num. 13.
gationes & abſterſiones, atque metallorum ſecretiones & ad purum excoctiones. Pſal. 16.
S.S.E. Igne me examinaſti, ſicut examinatur argentum. &, Ignis probat ferrum Prou. 17.
durum. Et in atrio principis ſacerdotum Petrus, quia frigus erat, cum miniſtris Eccli 2. Eccli. 32.
calefaciebat ſe. Atque huius ignis quamquam multis in rebus abſcondita & compreſſa natura contineatur, non tamen niſi excitata, vti diximus, extat; vbi verò extiterit, materiam omnem ad ſui nutrimentum idoneam conſumit, ſine qua viuere ac manere minimum valet. S. S. E. Cùm defecerint ligna, extin- Prou. 26.
guetur ignis.

75. De lumine ignis.

Vt prior ac præcipua igni vrendi, ita poſterior ac minus præſtans lucendi vis eſt. quamobrem minus propriè lucis vocabulum huic adiungitur naturæ, ſed lampadis potius arrogatur verbum. Eſt autem lampas fulgor ex incenſo aëre conſpicuus, cuius lux ad exiguum dilatatur ſpatium pro ardentis materiæ colore vel denſitate aut raritate vel nitore aut aſperitate varius. Namque non in omni materia accenſus ignis fulget, ſicut in eo arguitur, qui animantum depaſcitur artus: is enim vrit quidem, minimè tamen lucet aut fulget. Ignis verò ex ſulphurea materia nutriti fulgorem luridum ac tetrum peneq; atrum conſpicimus. olei verò ex oliuis expreſſi ſpiritus igne accenſi flammam referunt puriorem: cui ea præſtat, quæ ex ſeminibus nonnullis oleo remiſſo & incenſo profertur. vt ſemine illo plantæ KIKAION, Græcis κικι, Latinis Ricinus dictæ. atq; ita in melius vel in deterius variari poteſt igneæ flammæ color & fulgor. adeò vt in maximè perſpicuo oleaginoſo liquore, qualis pinguiorum ſpirituum in expanſione vagantium eſt, concepti ignis fulgor vehementer clareſcat, quod in ful- Matth. 24.
gure experimur, qui ab oriente exiens apparet vſque in occidentem. Cuiuſmodi ignem illum fuiſſe arbitramur, qui Iſraelitis in Arabiæ ſolitudine vagatis totis quadraginta annis noctu fulgebat. Cometarum verò & crinitæ ſtellæ fulgor propter ſulphuream, qua producitur, tametſi puriorem, materiam, colorem admixtum carbonibus conſimilem habet. Atque huiuſmodi fulgorum nullus in luce diurna aut locis ſole illuſtratis, ſed tantùm noctu aut in reductis velatis vel nube obductis locis oportunus eſt vſus: vnde lampadum & lucernarum inuentio & vſurpatio. His autem rationibus ac nominibus multa in ſacris libris exem-

Gen. 15. pla elucidantur, vt illa. Cùm ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & » apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas. &, Exodi 20. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ montemq́ fumantem. Et de vſuali lampade illuſtre exemplum Gedeonis recolitur; & Iudic. 7. Act. 20. quo loco Paulus aliquando concionabatur, copioſæ lampades erant. Ac de lucernæ ſplendore eadem ratio eſt, niſi quantum breuior, atque ideo habilior & familiarior vſus cùm in domibus tum verò in templis. Exod. 25. Facies lucernas ſeptem, & pones eas ſuper cãdelabrum vt luceant ex aduerſo. Lucæ 15. &, Si perdiderit mulier drach» mam vnam, nónne accendit lucernam & euerrit domum, & quærit diligenter 2 Pet. 1. donec inueniat? &, Habetis firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis » attendentes tamquam lucernæ ardenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat. Atque hæc de ignis natura breuiter indicata ad artis obſeruationem, contemplantisq́ cognitionem quod ſatis eſt præſtiterint, aditumq́ ad ſingulares huius naturæ vſus aperient. Cuiusvis, vti iam repetimus, præcipua in conſumptionem Baruch 6. exercetur. S. S. E. Ignis etiam miſſus deſuper vt conſumat montes & ſiluas, » facit quod præceptum eſt ei.

## De fulgure, fulmine, cometa & ſtellis caudatis, reliquoq́ue ignis ſuperioris fœtu.

In liquoribus iis, quos vel ſolis calor è terra exuctos in ſublime verſus expanſionem tollit, vel ex ſtellarum influxu detractos cum his miſcet, varij pinguium corporum tenui natura conſtantium ordines ſunt, variis etiam terrenæ pinguedinis ordinibus congeneres, nonnumquam commixti, ſeparati interdum, atque alicubi etiam continuati: ita tamen vt craſſiores partes infimam, tenuiores ſupremam, mediæ inter has, mediam regionem teneant. Nulla verò pars ſuo caret ſpiritu, quo fouetur & à corruptione conſeruatur, tamquam ab anima corpus animale, qua ſi careret, quamprimum corrueret. Atque his ſpiritibus omnibus ille ELOHIM ſpiritus tamquam imperator præeſt, qui IEHI legibus & ſeſe & omnes naturæ ſpiritus & liquorum genera omnia exercet. His autem dum obtemperatur legibus, varia in ſublimi incenduntur flammarum genera. Namque in liquori pingui omni ignis latentis exigua ſemina dum vel vẽtorum concuſſione, vel ſalſo liquore vallante & coarctante comprimuntur (Quippe compreſſio & condenſatio agitationis vel concuſſionis vim etiam obtinent) irritato proprio ſpiritu incenſa ſulphuream primùm pinguedinem corripiunt, quæ dum plus iuſto acrior eſt, acredinis aſperitatisq́ propriæ vi tremere ac motari incipit, ſimulq́ finitimos ac proximos liquores, ſalſos inquam & aqueos ac natura algidiores, calfacere & incendere, quorum ſpiritus inimicum calorem propulſare ſatagentes ſeſe comprimunt, coniunctisq́ viribus cum ſtrepitu & fragore tamquam irati incenſam illam protrudunt materiam, quæ vlteriorem partem proſcindens, non ſecus atque primam acerbitate & calore irritat; hæc verò dum finditur, dum cedit, dúmque à tergo propulſans vento adiuuante porrò hoſtem trudit quò maxima feſtinatione ac celeritate incenſum ignem, eumdemq́ acerrimum & penetrantiſſimum à ſe pellat, in aliam partem impellit: vnde ille ex alio in alium locum nunc dextrorſum, nunc ſiniſtrorſum, iam prorſum, iam verò retrorſum, ſurſum deorſum pro impellentis aëris & ſpiritus vi, tortuoſam nimiumq́

miũmque variam viam maximo cum impetu inuitus oberrat, quoad demiſſus ignis ille obuia quæque pro rerum, quas offendit, natura, vaſtans, incendens, findens ac diſsipans, vel intra terræ viſcera, vel intra aquarum humorem abſorptus extinguitur. Atque huiuſmodi acerrima & contentioſiſsima ignis natura, quæ ad terram vel aquam vſque protruſa durat, fulmen dicitur; eadem verò minus pabuli nacta, aut minus acrem ſortita pinguedinem, quo antequam terram tangat abſumpto euaneſcit, fulgur, vel fulgetrum appellatur, vtrumque autem in ſacra lingua LAPID, ſiue lampas ignis vocari ſolet cum maioris aut minoris incendij atque efficientiæ adnotatione. Fulmen verò ſagitta Dei interdum dicitur. vt, Miſit ſagittas ſuas & diſsipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos. Repentina ac celerrima aëris diruptione & rarefactione ab igne tum diſcindente tum impulſo & protruſo effecta fragor fit, augeturq́ idem vicino impulſo ac denſato & proximum ſibi propellere coacto, alioq́ deinde atque aliò antrorſum & ad dextram læuam atque ſurſum deorſumq́, qua ignis ille tendit, quaq́ errat ſolicitato, & illo etiam, qui retrorſum relinquitur, in vacuum ſiue rarum locum ſuccedente: idq́ tamdiu viget quoad ignis extinguatur, vis aut impetus remittatur. Ex omnibus namque ſiue tenuioribus ac liquidis ſiue craſsioribus ac ſolidis corporum generibus vnicus aëreus ſpiritus ſonum edit, numquam tamen hoc niſi vel plaga affectus vel percuſſus, vel ad aliud corpus eliſus aut congenere ſpiritu colliſus vel compreſſus murmur ſonitumve ciet, quaſi acceptam conqueſtus vim & iniuriam accuſans: quod ſi tantùm inter ſe atque in ſuum collidatur genus, murmur, ſin in aliud illidatur vel comprimatur ſolidius corpus, tum verò ſonum ac ſonitum facit, varium pro temperamento corporis cui illiſus fuerit: idem ſi intra animalis viſcera compreſſus, ore prodire cogatur, ſonum exprimit Latino ſermone vocem dictam. Sed quæ ad cetera corpora colliſiones, alliſiones, aut compreſsiones fiunt, ſonum dicuntur efficere: ſacer verò ſermo ille primæuus omnium, omne genus hoc RAGHAM & KOL, atque eodem vocabulo hæc, de quibus agimus, tonitrua ſignificat; quas & KOLOTH ELOHIM, ſiue IEHVEH KOLOTH appellat. S. S. E. Fulgura, voces & tonitrua. & alibi, Subter omnes cælos ipſe conſiderat, & lumen illius ſuper terminos terræ. Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inueſtigabitur cùm audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter, qui facit magna & inſcrutabilia. Alibi quoque, Si habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas. Extenditq́ Moyſes virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua & grandinem ac diſcurrentia fulgura ſuper terram, pluitq́ Dominus grandinem ſuper terram Aegypti.

Psal. 17. De tonitru. De ſono. De voce. Apoc. 4. Iob 37. Iob 40. Exod. 9.

## DE VENTIS.

VENTVS eſt aëris fluens vnda vel à ſui vel ab alterius generis vi impulſa. 66.
Atque venti ſpiritus natura nihil ab aëris differt, poteſtate verò & efficientia plurimum refert.

Ventorum origo varia eſt, vt varij aëris theſauri à Deo inſtituti ſunt: alios enim in terra, alios in Abyſſo locatos nouimus: exhalatus enim ex vtrouis loco aër vndam occipit; quæ, vbi deuolui inceperit, proximum denſat aërem: hic denſatus propriæ habitudinis auiditate & ſtudio caleſcit ac tumet, continuatumq́ ſibi propellit ſpiritum, atque vnda ſuperueniente auctus ad maximam vſque

*vim excreſcit, & pro loci atque itineris vel anguſtia vel laxitate nunc denſior & preſſior arctiórque, nunc verò liberior & magis extenſus procurrit, viamq́ facit in regionem ei, unde flare cœperat, oppoſitam, eamq́ quàm rectiſſimam tenere optat, nunquam niſi obicis interiectu vel in latera declinans vel retrorſum verſus. Obicem autẽ offendere ſolet, vel ſolidius aliud corpus, vel alterius venti è regione ſpirantis aut curſum interrumpentis vim & occurſum ſiue cõcurſum; ex quibus procellæ ac tempeſtates pro impetus & materiæ varia ratione multiplices, leues, validæ ac validiſſimæ exiſtunt. Huius naturæ celerrimus ac liberrimus habetur motus, neque vllo certo fine terminatur decurſus, ſed pro exhalationum copia & pro* IEHI *imperio vel compeſcitur & ſedatur, vel porrò longius ac longiſſimè propagatur. S. S. E. Spiritus vbi vult ſpirat, & audis vocem*

Ioan. 3. Psal. 148. Psal. 103. *eius, & neſcis vnde veniat aut quò vadat. &, Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. &, Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui*
» *ambulas ſuper pennas ventorũ. &, Quis eſt iſte? quia venti & mare obediunt ei.*

67\. *Atque ventorum opifex in naturæ ordinibus luna eſt, quæ ſublatas à ſole exhalationes, proprio dilatatas ſpiritu extendit & aucto etiam exacuit ſpiritu: vnde & ipſi & illis affinia maximè nomina obtigerunt. ventis* RVAHH, *Lunæ verò* IAREAHH: *quod nomen futuri forma obtenta perpetuam ſpirandi ac dilatandi vim lunæ tribuit. Verum enimuerò & lunæ opera, cùm naturæ rerum exigit ratio, & luna etiam quieſcente, cùm res poſtulat, ſolo diuinæ voluntatis imperio venti ſurgunt, tolluntur, inſoleſcunt, miteſcunt & ſedantur. De altero*

Psal. 103. Psal. 134. Ierem. 46. Iob 28. Amos 4 Psal. 106. *ordine ſcriptum eſt, Fecit lunam in tempora. de altero verò, hoc eſt, ſingulari Dei imperio, Qui producit ventos de theſauris ſuis. Qui fecit ventis pondus. &, Ecce formans monteis, & creans ventos. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. &, Statuit procellam eius in auram, & ſiluerunt flu-*
» *ctus eius.*

68\. *Ventorum quatuor præcipuæ ac ſtabiles regiones cenſentur, Ortus, & Occaſus, Dextera & Siniſtra mundi pars; quas certis nominibus notatas diſciplina ſacra tradit,* KADIM, MAGHARAB, THEMAN *&* TSAPHON. *quæ ex verbo vtcunque tranſlata,* Anticus, Commiſcens, Dextrorſus, Cælator, *ſonare nobis poſſunt. Hos Græci Eurum, Zephyrum, Notum, & Boream vocant; Latini aliis indicant nominibus. Præter hos aliorum obſeruantur nomina è mediis regionibus flantium, non tamen ita in ſacra diſciplina frequentia. quorũ cognitio*

Act. 27. *nautis magis quàm ceteris propter vſum conuenit, vt Typhonicus & alij.*

*Ventis omnibus modò vehementius efflantibus vis & impetus tribuitur ad validiſſima quæque quatienda, ferienda, & infeſtanda, ad mare turbandum, ad*

Ierem. 4. *vaſtiſſimas etiam arbores confringendas & funditus eruendas. S.S.E. In tem-*
» *pore illo dicetur populo huic & Ieruſalem, Ventus vrens in viis quæ ſunt in de-*

Psal. 48. *ſerto. &, In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.*

69\. *Item venti omnes pluuiarum, grãdinis, fulgurum, & fulminum miniſtratores impulſoresq́ ſunt, & pro regionum, horarum ac temporum oportunitate in-*

Psal. 28. *ſeruiunt, Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia, Vox Domini*
» *confringentis cedros Libani, & comminuet eas tamquam vitulum Libani, &*
» *dilectus quemadmodum filius vnicornium. Vox Domini intercidentis flam-*
» *mam ignis, Vox Domini concutientis deſertum, & commouebit Dominus de-*
» *ſertum Cades.*

Nec

*Nec verò vehemens ventus retineri poteſt: quippe detentus & concluſus* 70.
*erumpit tandem ac prodit, vnde terræ tremoris origo obſeruatur. S. S. E. Tecta* Prou. 27.
*perſtillantia in die frigoris & litigioſa mulier comparantur, qui retinet eam* "
*quaſi qui ventum teneat.* "

*Certæ verò efficacitates ac miniſtrationes quædam certis adſcribuntur ven-* 71.
*tis: nam Subſolanus ſiue* KADIM *plantas omneis exurere ac terram ſiccare di-*
*ctus nocentiſſimus & infeſtiſſimus atque etiam inſalubris habetur. Quippe qui*
*natura calidus ac tenuis longo ab Orientis oris tractu exhalationibus ac ſolibus*
*aſcitis intemperiem auget propriam. Sicut ventus vrens diſpergam eos coram* Ierem. 18.
*inimico.* Ventus vrens KADIM *in exemplari eſt. &, Ecce plantata eſt, ergóne* Ezech. 17.
*proſperabitur? Nónne cùm tetigerit eam ventus vrens, ſiccabitur, & in areis* "
*germinis ſui areſcet? &, Euulſa eſt in ira, in terramq; proiecta, & ventus vrens* Ibidem 19.
*ſiccauit fructum eius, marcuerunt & areſactæ ſunt virgæ roboris eius. &, Eph-*
*raim paſcit ventum & ſequitur æſtum* KADIM. *Hoc vento Deus rubri maris* Exod. 14.
*fundum ſiccaſſe dicitur, iter inſtructurus, quo Iſraelitæ per ſiccum tranſmitte-* "
*rent. Cumq; extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flan-*
*te vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum. Idem Ionam af-*
*flicturus ad tempeſtatis æſtum hunc addidit ventum. Et cùm ortus fuiſſet ſol,* Ionæ 4.
*præcepit Dominus vento calido & vrenti, & percuſſit ſol ſuper caput Ionæ* "
*& æſtuabat.* "

*Auſter humidior natura, atque ex longinquiſſimo maris procurrens tractu* 72.
*pluuias hymbresq; ciet, ac tempeſtatum & procellarum auctor eſt. Et Dominus* Zach. 9.
*Deus in tuba canet, & vadet in turbine Auſtri. Hîc aliquando propter nati-*
*uum teporem æſtum efficit. S. S. E. Cùm videtis auſtrum flantem, dicitis, quia*
*æſtus erit, & fit.*

*Ille verò ventus, qui ab occaſu flat propter vicini maris oportunitatem, Pa-* 73.
*læſtinis finitimis imbrem affert. Cùm videritis nubem venientem ab occaſu, ſta-* Lucæ 12.
*tim dicitis, Nimbus venit: & ita fit.*

*Porrò is, quem* TSAPHON *vocari dicebamus à læua flantem cùm ex altiſſi-*
*mis & frigidiſſimis montium regionibus demittatur, & aridus ac frigidus na-*
*tura eſt, & repertas in expanſione nubes nebulaſq; omnes diſcutit & è medio*
*ſublatas fugat & abſcondit: ex qua re & ex ignoto mortalibus originis natali*
*ac proprio loco nomen duxiſſe cenſetur. S. S. E. Ventus Aquilo diſſipat pluuias,* Prou. 25.
*& facies triſtis linguam detrahentem. Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum* Iob 26.
*[pluuiis & nubibus] & appendit terram ſuper nihilum. Tempeſtas Aquilonis &* Eccli. 43.
*cõgregatio ſpiritus, & ſicut auis deponens ad ſedendũ, aſpergit niuem, & ſicut lo-* "
*cuſta demergens deſcenſus eius. Pulchritudinẽ candoris eius admirabitur oculus,* "
*& ſuper imbrem eius expaueſcet cor: Gelu ſicut ſalem effundet ſuper terram, &* "
*dum gelauerit fient tanquã cacumina tribuli. Frigidus ventus Aquilo flauit, &* "
*gelauit cryſtallus ab aqua, ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, &* "
*ſicut lorica induet ſe aquis, & deuorabit montes, & exuret deſertum, & extin-* "
*guet viride ſicut ignem.* "

*Spirantes ex plantis ac floribus odores ventorum flatus æquo plus diripere* 74.
*ac differre ſolent; atque ſi vehementius vim inferant floribus, arboribus atque*
*herbis, & plantis omnibus nocent. S. S. E. Surge Aquilo & veni Auſter,* Cant. 4.
*perfla hortum meum, & fluant aromata illius. &, Ventus vrens ſiccauit fru-* Ezech. 19.

Iob 27. ctus eius, marcuerunt & arefactæ ſunt virgæ roboris eius. &, Tollet eum ven-
» tus vrens & auferet.

75. Maximè verò in ventorum natura vires miramur maximorum corporum ponderibus pares aut etiam ſuperiores. Atque rei tam tenuis tantum eſſe impulſum, vt non ſolùm magnæ naues retinere, ſed neque etiam moles, ædificia, arbores proceræ, & alia quæ firma ſtabiliaq́; videntur, poßint ferre ac peruincere; quod ſingulari Dei efficientiæ tribuit Iob, eiuſmodi vim magni momenti
Iob 28. compotem pondus vocans, Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit menſu-
» ra. Et ſi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter poſita à vento commoue-
» buntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. Et apud eundem, Filiis tuis &
» filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, re-
» pente ventus vehemens irruit à regione deſerti, concußit quatuor angulos do-
» mus, quæ corruens oppreßit liberos tuos, & mortui ſunt.

## De pluuia & imbri atque niue.

76. Ex rerum naturæ partibus quædam perpetuo conſtant, quæ maximæ & principes habentur, orbisq́; corpus tanquam membra concinnant & conſtituunt, vt cælum, terra, abyſſus, ſol, luna, ſtellæ: quædam verò materia ſemper & origine, ſpecie autem & forma non ſemper conſtant; ſed pro conditoris & gubernatoris, id eſt, pro ELOHIM, voluntate vel certis vel incertis temporibus horiſque exiſtunt. In quo genere ſunt ignes, venti, nubes, imbres, niues, ros, grando, fumus, nebulæ. Quæ omnia ab illo diuinæ prouidentiæ ſpiritu ELOHIM confecta & parata depromuntur. Quæ certum obſeruant tempus, oportuna; quæ incerto tempore fiunt, vel importuna vel miranda & prodigioſa, vel ſingulari ex cauſa profecta dicuntur. Principio autem omnia hæc certam gubernatoris Dei voluntatem ſequi multis docemur teſtimoniis. Ac partitionem illam in res tum ſtabiles ac perpetuas, tum verò pro tempore extantes, indicabat pſalmi auctor, Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen: Laudate eum cæli
Pſal. 148. cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini. Quia ipſe dixit,
» & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum & in ſecu-
» lum ſeculi, præceptum poſuit, & non præteribit. Laudate Dominum de terra
» dracones & omnes abyßi. Hactenus prior pars, cui poſterior ſubiungitur. Ignis,
» grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Hæc autem
3 Reg. 17. dicit Dominus Deus Iſrael, Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minue-
» tur, vſque in diem in qua Dominus Deus daturus eſt pluuiam ſuper faciem ter-
» ræ. Vtramque etiam partem Vates ille canendo ſignificabat. Dij, qui cælos & ter-
Ierem. 10. ram non fecerunt, pereant de terra & de iis quæ ſub cælo ſunt. Qui fecit terram
» in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit
» cælos. Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cælo, & eleuat nebulas
» ab extremitatibus terræ: fulgura in pluuiam facit, & educit ventos de the-
Ibid. 14. ſauris ſuis. &, Numquid ſunt in ſculptilibus gentium qui pluant, aut cæli
» poſſunt dare imbres? Nónne tu es Dominus Deus noſter, quem expectauimus: tu
» enim feciſti omnia hæc. Ac de auctoritate quidem Dei frequentia paßim obſeruantur teſtimonia. Pluuiarum autem & ceterarum, quæ in ſublimi fiunt, rerum cauſa duplex adnotatur. Altera naturæ vſum ac terræ fœcunditatem ſpectat: altera ad hominum ſingulare vel ſubſidium & commodum, vel debitam caſti-
gationem

*gationem & correptionem refertur: iiſdem enim, quibus commodis humanum genus abutitur, incommodis etiam non raro punitur. Id quod eadem quæ citabimus capite oracula declarabunt.*

*Quemadmodum verò hæc omnia conficiantur cognoſcere operæpretium cum primis fuerit. Duplicem calorem eſſe iam docuimus: Alterum perpetuum ſolis; alterum ſpiritus à Deo creati, qui frigori ex aduerſo nunc inferna terræ, nunc ſupera occupans agitur. Alterius vis eſt, humida quæque tum in mari tum in terra exugere, & exuctum humorem vaporiſq; in formam redactum in ſublime attrahere: Alterius verò ſimilem in terræ vel internis partibus vel externa ſuperficie ex reperto & oblato liquore vaporem attenuare, attenuatum ſurſum verſus protrudere, cumq; his coniungere, quæ à ſolis calore & efficientia exucta ſublataq; fuerint. Hi liquores ſiue ex ſalis ſiue ex pinguedinis natura ſublati, non vltra* RAKIAGH, *ſiue firmamenti regionem attolluntur: ſed eò vſque cùm maximè aſcenderint, pertendunt vbi conſimiles generi ſuo ſpiritus è cælo, luna, ſtelliſq; demiſſos nacti tamquam feminæ maribus commiſcentur ſinguli congeneribus ſuis, aquei aqueis, ſalſi ſalſis, pinguibus pingues coëuntes: ex quo cõuentu & connubio vnumquodq; genus iam ſuo modo ſuaq; lege efficax & ad vſum ſui habile & commodum conflatur, & conflatum quoad auctor gubernatorq; decreuerit in ſublimi longè lateq; diſtenſo firmamenti ſiue* RAKIAGH *tractu conſeruatur rariori quidem ac tenuiore tunc corpore expanſum, quod à ſubiecto aëre ſuſtentari poſsit: nec tamen motus expers aut ſegne, ſed pro ſui ſpiritus agilitate, & pro ſpiritus* ELOHIM *temperata impulſione vagatum, varia ac multiplici figura & imagine, ac non vno colore ſpectandum, nunc denſius & obſcurius, nunc pellucidius ac rarius inter ſe diuersè conglomeratum, aliquando expanſum, nonnumquam in breue coactum, donec excitatis Dei voluntate & Lunæ efficientia ventis in congeneres naturas ſeparatum ac diſtinctum, iamq; maturatum ad varios terræ vſus comparatum demittendum fuerit.* 77.

*Namque vaga ac tenuis humidi vaporis natura à vento vel paulatim, vel celeriter coacta denſatur, denſataq; grauitatem ponduſq; accipit, & in rotundam ſiue ſphericam figuram efformatis guttis diffiſo aëre, vtpote leuiore ac rariore deſcendit, à quo rurſus coëunte impellitur, & à vento etiam protruditur. Itaque nunc maiore nunc minore demiſſa impetu inferiorem orbis partem Abyſſum ac terram præcipuè petens irrigat, rigatam, dum oportunè deſcendit, magnis & multis cùm ad plantarum tum ad animalium vſum afficit commodis. Namque illa cum terræ pingui liquore commixta multiplici germini producendo, alendo & perficiendo variam ac multiplicẽ ſuppeditat materiam, omniumq; generum naturalibus ſpiritibus ad proprium vniuſcuiuſque opus conficiendum, diſcretos commodat ſuccos. Atque ita omnium plantarum inſtauratur natura, animaliumq; omnium annona ſufficitur. Itaque pluuiæ & imbris auctor Deus eſt, materies vapor è terra atque mari ſublatus, concinnator ſpiritus* ELOHIM, *condimentum cæleſtis influxio, condiendi locus expanſio ſiue firmamentum; impulſor, ventus; exceptrix, terra præcipuè; efficientia, irrigatio; euentus, liquorum commixtio; effectus, ſubterraneorum corporum plantarúmque productio, cauſa demùm fructuum inſtauratio, & viuentium animantiumq; nutritio.* 78.

*Niuis eadem cum imbri & pluuia natura eademq; cauſa eſt: ſed habitus prouidentiæ ordine & ratione diuerſus. Hæc enim frigoris exceſſu ſuperat, diutiuſq;* 79.

concreta ſuper terram durat, & non niſi ſoluta delabitur : poſtulante videlicet natura ac ſitu montium præcipuè editiſsimorum quorumque, quibus imbres & rariores pluuiæ celeri & continuo fluxu humoris minimam copiam, detrimenti maximum damnum afferrent. His itaque niuis oportunitate conſultum voluit Deus; quæ ſubiecti ſoli fundum non procliui defluxu, ſed recto fere deſcenſu terreni caloris vi exucta inebriat & fecundum reddit, diutiusq; commorata antequam penitus eliquetur ad perferendam æſtiui caloris vim, communicato temperat frigore, & ad frigidioris naturæ producendas & alendas plantas ad cryſtalli aliorumq; concretionem lapidum oportunitates idoneas præſtat.

80. Atque de roris, gelu, pruinæ & glaciei natura, ex horum, quæ diximus, mixta ac temperata intemperatioreq; ratione diſſerere in promptu fuerit. de quorum etiam vſu nonnulla poſtea perſtringemus. Igitur vapor in ſublime latus in nubes diſsipatur, nubes varia ventorum vi in alia atque alia expanſionis regione coactus in pluuiam, rores, niues, pruinam & glaciem pro tempore concreſcit, ac pro auctoris Dei iuſſu & lege terras afficit.

Quæ omnia variis librorum ſacrorum lectionibus obſeruanda monemus, certis tamen locis indicatis, qui ad huiuſmodi diſciplinarum fontes inueniendos

Iſaiæ 55. admodum fuerint oportuni. Quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc
» vltrà non reuertitur : ſed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam
Amos 5. facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti. &, Qui vocat aquas maris, &
Iſaiæ 5. effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen eius. &, Nubibus mandabo, ne
Oſeæ 2. pluant ſuper eam imbrem. &, Erit imber inundans, & dabo lapides prægrandes
Oſeæ 3. deſuper irruenteis, & ventum procellæ diſsipãtem. Et erit, in illa die exaudiam,
» dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet tri-
» ticum & vinum & oleum, & hæc exaudient Iezreghel. Et miſericordia veſtra
Mich. 5. quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens. Et erunt reliquiæ Iacob
» in medio populorum multorum quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam
Zachar. 9. quæ non expectant virum, & non præſtolantur filios hominis. &, Petite à Do-
» mino pluuiam in tempore ſerotino, & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris
» dabit eis, ſingulis herbam in agro.

Atque de vento pluuias, imbres, niues, grandines ac cetera ſupernè agente ita
Pſal. 28. Pſaltes, Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper
Pſal. 65. aquas multas. &, Viſitaſti terram & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare
» eam. Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præ-
» paratio eius. Riuos eius inebria, multiplica genimina eius : in ſtillicidiis eius læ-
» tabitur germinans. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ ; & campi tui reple-
» buntur hubertate. Pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingen-
» tur. Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, ete-
Pſal. 72. nim hymnum dicent. &, Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtil-
» lantia ſuper terram. &, Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes.
Pſal. 135. &, Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. &, Educens nubes ab ex-
» tremo terræ [à mari ac regionibus marinis] fulgura in pluuiam fecit. Qui pro-
Pſal. 147. ducit ventos de theſauris ſuis. Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter cur-
» rit ſermo eius. Qui dat niuem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mit-
» tit cryſtallũ ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Emit-
» tet verbum ſuum [IEHI] & liquefaciet ea : flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.

Specioſa

*Speciosa miſericordia Dei in tempore tribulationis: quaſi nubes pluuiæ in tem-* Eccli.36.
*pore ſiccitatis. Atque Dei iuſſu flumina erumpere, imbres niuesq́ comparari in*
*agrorum fertilitatem & animantum vſum, breuiter atque eleganter commemo-*
*rauit Pſaltes. Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium per-* Pſal.103.
*tranſibunt aquæ. Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua.* “
*Super ea volucres cæli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces. Rigans* “
*monteis de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum [niue, quam opus Dei vo-* “
*cat Vates cum Zacharia] ſatiabitur terra. Producens fœnum iumentis, & her-* “
*bam ſeruituti hominum. Vt educat panem de terra: & vinum lætificet cor homi-* “
*nis. Vt exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet. Saturabuntur* “
*ligna campi & cedri Libani quas plantauit: illic paſſeres nidificabunt. Qui dat* Iob 5.
*pluuiam ſuper faciem terræ: & irrigat aquis vniuerſa. Qui extendit Aquilo-* Iob 26.
*nem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum: qui ligat aquas in nubi-* “
*bus vt non erumpant pariter deorſum. Qui fecit ventis pondus, & aquas ap-* Iob 28.
*pendit in menſura. Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis ſonanti-* Iob 29.
*bus. Radix mea aperta eſt ſecus aquas: & ros morabitur in poſſeßione mea. Qui* Iob 36.
*aufert ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum. Qui de nubibus* Iob 37.
*fluunt, quæ prætexunt cuncta deſuper. Si voluerit extendere nubes quaſi tento-* “
*rium ſuum, & fulgurare lumine ſuo deſuper, cardines quoque maris operiet. Per* “
*hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus. &, Subter omnes cæ-* “
*los ipſe conſiderat, & lumen illius ſuper terminos terræ. Poſt eum rugiet ſonitus,* “
*tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inueſtigabitur cùm audita fuerit vox* “
*eius. Tonabit Deus in voce ſua mirabiliter, qui facit magna & inſcrutabilia.* “
*Qui præcipit niui vt deſcendat in terram, & hyemis pluuiis, & imbri fortitu-* “
*dinis ſuæ. Qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera* “
*ſua. Ingredietur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur. Ab interioribus* “
*egredietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus. Flante Deo concreſcit gelu, & rur-* “
*ſum latiſsimæ funduntur aquæ. Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt* “
*lumen ſuum. Quæ luſtrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis* “
*duxerit: ad omne quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum: ſiue in vna* “
*tribu, ſiue in terra ſua, ſiue in quocunque loco miſericordiæ ſuæ eas iuſſerit inue-* “
*niri. Numquid ſcis quando præcepit Deus pluuiis vt oſtẽderent lucem imbrium* “
*eius? Numquid noſti ſemitas nubium magnas & perfectas ſcientias? Nónne* “
*veſtimenta tua calida ſunt cùm perflata fuerit terra Auſtro?* “

## De duplici opportuniſſima pluuia.

81. PINGVIORIBVS *calidioribusq́ regionibus, qualis Cananæa quondam poſtea Iſraelitarum dicta fuit, duplex tantùm expectatur & commendatur pluuia: atque vtraque ſuo tempore demiſſa fruges hominum generi commodas abundè ſufficere prædicatur. Altera autumni tempore, quæ terræ vim ad ſeminis ſegetum & culmi cauſa temperandi comparet, inſtruat, & expediat: cui nomen in ſacris eſt* IOREH. *Altera verò poſt veris initia, quæ eandem virtutem ad concepti iam fructus vbertatem & fertilitatem lætificet, foueat, ac iuuet. Hanc à Vatibus* MALKVS *vocitatam obſeruauimus. Vtramque verò ita à Ieremia celebratam audire eſt operæpretium. Populo autem huic factum eſt cor incredulum, & ex-* Ierem.5.

„ aſperans: receſſerunt & abierunt, & non dixerunt in corde ſuo, Metuamus Do-
„ minum Deum noſtrum: qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in
„ tempore ſuo, plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis. & apud Hoſeam,
Hoſ. 6. Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, & veniet quaſi imber nobis tem-
» poraneus & ſerotinus terræ. Et Ioël, Filij Sion exultate, & lætamini in Domi-
» no Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos
» imbrem matutinum & ſerotinum ſicut in principio: & implebuntur areæ fru-
» mento, & redundabunt torcularia vino & oleo.

## De eorum omnium, quæ in ſublimi fiunt, cauſis & vſu.

82. PRIMVM Deo antiquumq́ conſilium fuit, ea omnia, quæ è cælo demittuntur, quæq́ à terra ac mari ſublata comparantur & condiuntur, omnis arborum ac plantarum animaliumq́ naturæ vtilitate commodè ac oportunè proſpecta diſpenſari, eademq́ omnia ad hominum, quorum cauſa orbis fabrefactus
Gen. 1. fuerat, vſum præſtare. S. S. E. Benedixitq́ illis Deus, & dixit, Creſcite & mul-
» tiplicamini, & replete terram & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris
» & volatilibus cæli, & vniuerſis animalibus quæ mouentur ſuper terram. Di-
» xitq́ Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, &
» vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in
» eſcam & cunctis animantibus terræ, omniq́ volucri cæli, & vniuerſis quæ mo-
» uentur in terra, in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Verumenimuero perturbato ac prodito humano officio, peccatiq́ culpa in orbem per fas & crimen admiſſa, Dei iudicio exigente effectum eſt, vt iiſdem ipſis rebus, quibus abuſus fuerat homo, aleretur quidem, nutriretur & viueret ex Dei miſericordia, idq́ ſæpius contingeret; ſed interdum etiam corriperetur, puniretur & obrueretur ac pœnas daret, earumdem rerum acerbitate & importunitate incommoditateq́ nonnumquam affectus, quarum copia vti neſciuiſſet. Huc illa
Gen. 6. Dei primæui orbis temporibus offenſi ſententia & vox pertinuit: Delebo homi-
» nem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque
» ad volucres cæli; pænitet enim me feciſſe eos. & iterum: Finis vniuerſæ carnis
» venit coram me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum; & ego diſperdam eos
» cum terra. Id quod ſemel diluuij tempeſtate exercitum iudicium ſæpiſſimè etiam repetitum in ſacris libris legimus; non pari tamen ſeueritate, ſed miſericordia iudicium præeunte temperatum, ita vt vtantur quidem homines naturæ rerum facultate & commoditate ad vitam, verùm eadem cùm non rectè vſi fuerint, ſeſe abſterritos, vexatos, cruditos, ac ſi minus correpti pertinacius errauerint, punitos ſentiant. Hinc duplicem eſſe naturæ rerum vſum paulo antè apud Io-
Iob 37. bum obſeruabamus, dicentem: Per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus. Ad poſteriorem vſum huiuſmodi referuntur oracula. Odoratus eſt
Gen. 8. Dominus odorem ſuauitatis: & ait ad Noë: Nequaquam vltrà maledicam ter-
» ræ propter homines: ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona
» ſunt ab adoleſcentia ſua: Non igitur vltrà percutiam omnem animam viuen-
» tem, ſicut feci: cunctis diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtas & hyems,
» nox & dies non requieſcent.

Quantum

*Quantum verò diuinis obſeruandis reſponſis edocti ſumus, imbrium atque niuium, quorum præcipuæ & communes magis in his generibus commoditates vel incommoditates habentur, ſubductio & inopia, vel temperata copia, vel nimia & incerta redundantia terris accidere commemoratur; ex quibus id quod primum & quod poſtremum etiam eſt incommodum atque calamitoſum prorſus fuerit vbicunque eueniat: quod verò inter vtrumque erit cumprimis commodum atque vtile arboribus, plantis atque adeò animantibus omnibus, hominiq́; præſertim cenſetur. S. S. E. Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam. Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio eius. Riuos eius inebria, multiplica genimina eius: in ſtillicidiis eius lætabitur germinans. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur hubertate. Pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.* 83. Pſal. 64.

*Atque de hac omni, quam indicauimus ratione, ita cogitandum atque exiſtimandum ſacra diſciplina docuit. Nempe hominum publicas res communéſque mentes erga diuinam naturam ſibi cognitam tribus modis habere conſueuiſſe. Aut enim rectè & purè, ſimpliciter & candidè pro acceptæ doctrinæ ratione colendus Deus ab hominum ſuſcipitur genere; Aut prorſus negligendus, vel ſuis ipſorum ſtudiis & conſiliis poſtponendus putatur, vel confuſo quodam modo de vtroque agendum curatur: nimirum vt neque negligatur omnino diuini ratio numinis, & certis colatur temperamentis ac ritibus, nec huic tamen priuatum & proprium humanæ mentis conſilium & propoſitum poſthabeatur, imò præponatur potius; ita vt communes ac ſingulares vitæ actiones non tam ex præſcripto diuino, quàm ex prudentiæ propriæ rationibus tractentur. Prima ratio ſimplex ac pia ſanctis legibus ac reſpōſis Vatum probari laudariq́; ſolet: Secunda vt impia prorſus damnari & explodi: Tertia verò ſententia fere omnium hominum eſt diuina carentium lege; vel eorum certè, qui iſtorum ſequuntur viam, & ingenium ac mores imitantur. Primi piè & ritè candideq́; agere dicti ſunt, Sanctique ſuo modo ac pij iuſtiq́; & gens iuſta cuſtodiens veritatem vocantur: Secundi impij, inimici atque vltores dicti: quos aduerſum ſcriptum eſt, vt deſtruas inimicum & vltorem: Tertij verò Gentes, gentiles, mundus & mundani audiunt: atque iidem in ſacro ſermone* KARI, *hoc eſt, vtcumque ſiue indiſertè ſiue contingenter incedere commemorantur: quos Latini interpretes* ex aduerſo, *ſiue* præpoſterè, *ſiue* peruersè ambulare *explicant.* 84. Iſaiæ 26. Pſal. 8.

*Igitur pro huiuſmodi publicorū inſtitutorum ac morum vario exemplo ſuam erga eos, quibus ex vera doctrina notus fuerit, Deus prouidentiam oſtenſurum ſeſe recepit ac prædixit, his naturis immittendis & exercendis, quæ, dum humanæ naturæ res integra maneret, ad vtilitatem & commodum comparatæ deſtinatæq́; fuerant, id eſt, ventis, pluuia, niue, rore & ceteris. Ita vt quibuſcumque vera ac ſimplex pietatis ratio publicè, communiter ac ſingulariter culta fuerit, omnia ea, quæ ad vitæ huius mortalis commoditatem pertineant, oportuna admodum, grata & læta, boníſque vſibus idonea contingant: Impiis verò & vltoribus diuina vltio grauiſſimæq́; pœnæ, huiuſmodi naturæ generibus vel ſubducendis prorſus ac negandis, vel incommodè & importunè immittendis inferantur. Illis demùm qui in tertia cenſentur claſſe, qui pietatis videlicet ac religionis* 85.

rationes cum humanis conſiliis & commodis, artibus & vſibus miſcendas & confundendas duxerint, illa etiam naturæ miniſteria mixta, confuſaque accidant, interdum vtilia, nonnumquam incerta, ſæpius verò inutilia proueniant. Id quod ſemel in legitimis conditionibus prædictum repetitis perſæpe exemplis editum eſt, atque à vatibus frequenti commemoratione eruditionis doctrinæ & moniti cauſa decantatum. Deut. 28. Si audieris præcepta Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie; faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus quæ verſantur in terra. Venientq; ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendent te: ſi tamen præcepta eius audieris. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. & paulo pòſt: Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum: benedicetq; tibi in terra quam acceperis. Videbuntq; omnes terrarum populi quòd nomen Domini inuocatum ſit ſuper te, & timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ quam iurauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo: benedicetq; cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies. Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris ſemper ſuprà, & non ſubter: ſi tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & cuſtodieris & feceris, ac non declinaueris ab eis nec ad dextram, nec ad ſiniſtram, nec Leu. 26. ſequutus fueris Deos alienos, neque colueris eos. Rurſusq; alio in loco: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate. Paulo pòſt, Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera nouis ſuperuenientibus proiicietis. Atque hæc primæ & optimæ mentis hominibus prædicta ſors atque deſtinata pars eſt: ſecundæ verò & deterrimæ oppoſitæq; illis ſententiæ illa, quam ſubiungemus, de- Deut. 28. nunciatur. Quòd ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias & facias omnia mandata eius & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus ſuper te famem & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinuentiones tuas peſſimas in quibus reliquiſti me. & paulo inferiùs: Sit cælum quod ſupra te eſt, æneum, & terra quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris. & poſt quædã etiam: Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locuſtæ deuorabunt omnia. Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vaſtabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo: quia defluent & deperibunt. Omnes arbores

tuas

*tuas & fruges terræ tuæ rubigo conſumet. Et quod antea prædictum fuerat, hîc* Leuit. 26.
*referre non pigebit. Quòd ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata* “
*mea, ſi ſpreueritis leges meas, & iudicia mea contempſeritis, vt non faciatis ea* “
*quæ à me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque* “
*hæc faciam vobis, Viſitabo vos velociter in egeſtate & ardore, qui conficiat ocu-* “
*los veſtros, & conſumat animas veſtras. Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſti-* “
*bus deuorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus* “
*veſtris, & ſubiiciemini iis qui oderunt vos. Fugietis nemine perſequente. Sin* “
*autem nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum propter* “
*peccata veſtra, & conteram ſuperbiam duritiæ veſtræ. Daboq́ vobis cælum de-* “
*ſuper ſicut ferrum, & terram æneam. Conſumetur incaſſum labor veſter, non* “
*proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.* “

*Atque tertiæ ſiue mediæ notæ animos, mentes & ſtudia hominum, qui non* 86.
*ex recta ac ſimplici diſciplina, ſed ex propriis conſiliis ac moribus vitæ ſuæ ipſi*
*ſibi muniunt vias; qui arcano ſermone* KARI, *ex accidenti ſiue ex aduerſo, di-*
*cuntur, conſimiles* KARI, *mixtos, turbatos & incertos manere euentus idẽ Deus*
*auctor declarauit. Si ambulaueritis* KARI, *ex aduerſo, ſiue vtcunque ac temere,* Leuit. 26.
*mihi, nec volueritis audire me: addam plagas veſtras vſque in ſeptuplum pro-* “
*pter peccata veſtra: immittamq́ in vos beſtias agri, quæ conſument vos, & peco-* “
*ra veſtra, & ad paucitatem cuncta redigant, deſertæque fiant viæ veſtræ. Quòd* “
*ſi nec ſic volueritis recipere diſciplinam, ſed & ambulaueritis* KARI, *ex aduerſo* “
*mihi: ego quoque contra vos* KARI, *aduerſus incedam, & percutiam vos ſepties* “
*propter peccata veſtra, inducámque ſuper vos gladium vltorem fœderis mei.* “
*Cumq́ confugeritis in vrbes, mittam peſtilentiam in medio veſtri, & trademini* “
*in manibus hoſtium, poſtquam confregero baculum panis veſtri: ita vt decem* “
*mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis,* “
*& non ſaturabimini. Ita didicimus naturam rerum, quæ ad hominum vtilita-* “
*tem primùm inſtitutæ fuerant, ex iuſto Dei iudicio ad correptionem & caſtiga-*
*tionem aliquando, cùm res poſtulat, conuerti & vſurpari. Ad quam rationem*
*complura vatum reſponſa, & ſacrorum librorum carmina referuntur. Et erit* Ezech. 13.
*manus mea ſuper prophetas qui vident vana, & diuinant mendacium: in con-* “
*cilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſrael non ſcribentur, nec in* “
*terram Iſrael ingredientur: & ſcietis quia ego Dominus Deus. Eo quòd decepe-* “
*rint populum meum, dicentes, Pax, & non eſt pax: & ipſe ædificabat parietem,* “
*illi autem liniebant eum luto abſque paleis. Dic ad eos qui liniunt abſque tem-* “
*peratura, quòd caſurus ſit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægran-* “
*des deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem. Siquidem ecce cecidit pa-* “
*ries: numquid non dicetur vobis, Vbi eſt litura, quam liniſtis? Propterea hæc di-* “
*cit Dominus Deus, Erumpere faciam ſpiritum tempeſtatum in indignatione* “
*mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in conſum-* “
*ptionem. Et deſtruam parietem quem liniſtis abſque temperamento, & adæqua-* “
*bo eum terræ. Et erit in die illa, in die aduentus Gog ſuper terram Iſrael, ait Do-* Idem 38.
*minus Deus, aſcendet indignatio mea in furore meo, & in zelo meo, in igne iræ* “
*meæ locutus ſum, Quia in die illa erit commotio magna ſuper terram Iſrael:* “
*& commouebuntur à facie mea piſces maris, & volucres cæli, & beſtiæ agri, &* “
*omne reptile quod mouetur ſuper humum, cunctiq́ homines qui ſunt ſuper fa-* “

» ciem terræ: & ſubuertentur montes, & cadent ſepes, & omnis murus corruet in
» terra. Et conuocabo aduerſus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Domi-
» nus Deus: gladius vniuſcuiuſque in fratrem ſuum dirigetur. Et iudicabo eum
» peſte, & ſanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immenſis: ignem & ſul-
» phur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum eius, & ſuper populos multos qui
» ſunt cum eo.

Hagg. 1. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus, & intuliſtis in domum, &
» exſufflaui illud: quam ob cauſam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea
» deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam. Propter hoc ſuper vos
» prohibiti ſunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita eſt ne daret germen ſuum:
» & vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper
» vinum, & ſuper oleum, & quæcumque profert humus, & ſuper homines, & ſu-
» per iumenta, & ſuper omnem laborem manuum. Et Dominus ſuper eos vide-
Zach 9. bitur, & exibit vt fulgur iaculum eius. &, Dominus Deus in tuba canet, & va-
Pſal. 17. Pſal. 28. det in turbine Auſtri. Commota eſt & contremuit terra, fundamenta montium
„ conturbata ſunt, & commota ſunt: quoniam iratus eſt eis. Aſcendit fumus in
„ ira eius, & ignis à facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Vox Domini
„ ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit. Dominus ſuper aquas multas, Vox Do-
„ mini in virtute: vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis ce-
„ dros: & confringet Dominus cedros Libani: Et comminuet eas tamquam vitu-
„ lum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium. Vox Domini interci-
„ dentis flammam ignis: Vox Domini concutientis deſertum, & commouebit Do-
Pſal. 76. minus deſertum Cades. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: & timue-
» runt, & turbati ſunt abyſſi. Multitudo ſonitus aquarum: vocem dederunt nu-
» bes. Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt: vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruſca-
» tiones tuæ orbi terræ: commota eſt & contremuit terra. Dominus regnauit,
» exultet terra: lætentur inſulæ multæ. Nubes & caligo in circuitu eius: iuſtitia &
» iudicium correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in cir-
» cuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota eſt
» terra. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis ter-
Pſal. 143. ra. Annunciauerunt cæli iuſtitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam
» eius. Domine, inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.
» Fulgura coruſcationẽ, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

87. Atque hæc eadem, quæ ad hominum (vti diximus) caſtigationem, vbi opor-
tuerit, vſurpantur, ad eorumdem alimentum & vitæ vſum benignè & liberali-
ter conſuli & ſuppeditari legimus à Deo, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos
Pſal. 146. & malos: & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Præcinite Domino in confeſſione:
» Pſallite Deo noſtro in cithara. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ plu-
» uiam. Qui producit in montibus fœnum: & herbam ſeruituti hominum. Qui
» dat iumentis eſcam ipſorum: & filiis coruorum inuocantibus eum.

88. Vt verò quæ ſingillatim tractauimus, in ſummam redacta breuem cognoſcen-
tium mentibus exhibeant & ſtatuant imaginem, dicimus: Cælum ac terram, in
cuius etiam regione abyſſus iacet, variis rerum ac virtutum generibus inſtructa
ac diſtincta auctore Deo conſtare & gubernari, atque ad hominum eruditionem,
exercitationem & vtilitatem comparata, interdum etiam ex prouidentiæ iudi-
cio ad impietatis improbitatisq; vltionem vſurpari. Hanc verò argumenti huius
contractam

*contractam imaginem ſubiunctis laudare & inſtruere teſtimoniis licebit: Sol* Baruch 6.
*quidem & luna ac ſidera cùm ſint ſplendida & emiſſa ad vtilitatem obaudiunt.*
*Similiter & fulgur, cùm apparuerit, perſpicuum eſt. id ipſum autem & ſpiritus*
*in omni regione ſpirat. Et nubes, quibus imperatum fuerit à Deo perambulare in*
*vniuerſum orbem, perficiunt quod imperatum eſt eis. Ignis etiam miſſus deſuper*
*vt conſumat montes & ſiluas, facit quod præceptum eſt ei. Date nomini eius* Eccli. 39.
*magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum veſtrorum, & in canticis*
*labiorum, & citharis, & ſic dicetis in confeſſione: Opera Domini vniuerſa bona*
*valdè. In verbo eius ſtetit aqua, ſicut congeries: & in ſermone oris illius, ſicut*
*exceptoria aquarum: quoniam in præcepto ipſius placor fit, & non eſt minora-*
*tio in ſalute ipſius. Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quicquam abſcondi-*
*tum ab oculis eius. A ſeculo vſque in ſeculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in*
*conſpectu eius. Non eſt dicere, Quid eſt hoc, aut quid eſt iſtud? omnia enim in*
*tempore ſuo quærentur. Benedictio illius quaſi fluuius inundauit: & quomodo*
*cataclyſmus aridam inebriauit, ſic ira ipſius gentes quæ non exquiſierunt eum,*
*hæreditabit. Quomodo conuertit aquas in ſiccitatem, & ſiccata eſt terra: & viæ*
*illius viis illorum directæ ſunt, ſic peccatoribus offenſiones in ira eius. Bona bo-*
*nis creata ſunt ab initio, ſic nequiſſimis bona & mala. Initium neceſſariæ rei vitæ*
*hominum, aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, & panis ſimilagineus, & mel, & botrus*
*vuæ, & oleum, & veſtimentum. Hæc omnia ſanctis in bona, ſic impiis & pecca-*
*toribus in mala conuertentur. Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in*
*furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua. In tempore conſummationis effundent*
*virtutem: & furorem eius qui fecit illos, confundent. Ignis, grando, fames, &*
*mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt. Beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſer-*
*pentes, & romphæa vindicans in exterminium impios. In mandatis eius epula-*
*buntur, & ſuper terram in neceſſitate præparabuntur, & in temporibus ſuis non*
*præterient verbum. Propterea ab initio confirmatus ſum, & conſiliatus ſum, &*
*cogitaui, & ſcripta dimiſi.* OMNIA OPERA DOMINI BONA, *& omne opus*
*hora ſua ſubminiſtrauit. Non eſt dicere, Hoc illo nequius eſt: omnia enim in tem-*
*pore ſuo comprobabuntur. Et nunc in omni corde & ore collaudate & benedicite*
*nomen Domini.*

## De fine atque exitu corporeæ naturæ.

EARVM, *quæ à Deo creatæ ſunt, rerum quædam perpetuò manent: in quo ge-* 89.
*nere ſpiritus illi ſublimes & corpore carentes cenſentur, & hominum etiam ani-*
*mi, de quibus poſtea dicemus. Quædam corpore conſtant, diuturnæq́; ſunt atque*
*æternorum fere æmula: non enim in ſe ipſis quicquam habent, cuius vitio perire*
*poſſint, ſed conditoris Dei voluntate vt extiterant, ita etiam finem poſſunt ha-*
*bere, vt cælum, aſtra, mare ac terra in vniuerſum. S. S. E. Initio tu Domine ter-* Pſal. 101.
*ram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem per-*
*manes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis*
*eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Neque ve-*
*rò his alia obſtant ex vatibus ac pſalmis teſtimonia, quibus in æternum duratu-*
*ra hæc aſſeri videntur, cuiuſmodi iſta ſunt, Qui fundaſti terram ſuper ſtabili-* Pſal. 103.
*tatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Namque hìc de ſtabilitate agitur*

terræ, tota GHOLAM, id eſt, ſeculi, ſui duratione nuſquam euertendæ aut men-
» turæ. Qua etiam ratione illud excipiendum erit, Statuit ea in æternum & in
» ſeculum ſeculi, præceptũ poſuit & non præteribit. Ideo appellantur apud Iſaiam
Iſaiæ 66. nouæ partes hæ. Quia ſicut cælum nouum & terra noua, quæ ego ſtare facio co-
Iſaiæ 51. ram me. Coram ſe ſtare ea facit Deus quæ cùm idem voluerit deficient. Leuate in
» cælos oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum: quia cæli ſicut fumus liqueſcẽt,
» & terra ſicut veſtimentum atteretur: ſalus autem mea in ſempiternum erit.
Poſtremum partitionis huius membrum ea ſortiuntur, quæcunque ſub cælo in his
regionibus abyſſo vel terra certis eduntur temporibus, quorum vt principium
Eccleſ. 3. conſtat, ita etiam fines præſcriptis clauduntur terminis. S. S. E. Omnia tempus
» habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Tempus naſcendi, & tempus
» moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt. Tempus
» occidendi, & tempus ſanandi: tempus deſtruendi & tempus ædificandi.

90. ITA verò natura ipſa rerum ex conditoris Dei ſapientia & ſpiritus Elohim
opera comparatum eſt, vt quæcunque corpora ex terra quoquo pacto conſtiterint,
in terram rurſus, quæ verò ex abyſſi liquoribus deſumpta fuerint, in eandem
abyſſum ſingula ſuis in locis Dei virtuti & prouidentiæ obſecundatura conuer-
Eccli. 40. tantur: cuius rei teſtimonium illud fuerit apertiſſimũ. Omnia, quæ de terra ſunt,
» in terram conuertentur, & omnes aquæ in mare conuertentur.

## De grandine ac de terræ tremore.

91. EX rebus, quæ miniſtrorum ſpirituum opera in correptionem animaduerſionemq́; hominum cauſa fiunt, duo genera ſunt, alias nullius in natura rerũ vſus; in ſublimi regione, grando; & in inferna terræ parte, fragor ac tremor. Vtrumq; verò calidi ſpiritus vi & impetu effici obſeruauimus. Grandinis enim materia & corpus omne aqua conſtat eadem ex qua pluuia in terram demitti ſolet; hæc autem venti calidioris ſpiritu & impulſu coacta frigus in firmamenti ſublimiori parte conceptum comprimit, vt caloris externi vim propellat vel ſuſtineat ac perferat ſaltem: quam pugnam Græci philoſophantes ἀντιπαρίστασιν dicunt. Atque huiuſmodi ſui compreſſione ita concreſcit, vt pondus etiam duritiemq́; accipiat, ſimulq́; deorſum pondere proprio preſſa deſcendere incipit, deſcendentem verò vehemens ventus non impellit modò, ſed magno deturbat impetu. Argumento verò eſt huiuſmodi concretionis aquæ ex pugna cum calido ſpiritu, quod ſæpiſſimè grando vel ineunte, vel media æſtate, vel ſi hyeme accidat, non niſi calida venti tempeſtate decidit: idq́; fulgure & interdum etiam fulmine præeunte euenit, ſuccedente quoque tonitru, quod, vti diximus, aëris ſulphure infecti incendium arguit. Huiuſmodi verò iam concreta atque in terram demiſſa aqua quoad formam illam obtinet, necdum liquefacta eſt, ABEN, id eſt, lapidis nomen in ſacro eloquio obtinet, diſtinctè ac diſcretè tamen. Nam cùm minore conſtat corpore, & ciceris nõ excedit modum BARAD, cùm verò excedit, cryſtallinos aut beryllinos imitatur globulos, ALGABIS dicitur. Prius genus illo appel-
Iſaiæ 32. latum eſt reſponſo, Grando autem in deſcenſione ſaltus, & humilitate humiliabi-
Ezech. 13. tur ciuitas. Poſterius verò illo, Et erit imber inundãs, & dabo lapides prægran-
» des deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem.

92. Terræ verò tremorem & fragorem calido & penetrabili venti intra caua

ſepta

*ſepta præter modum incluſi & coacti ſpiritu fieri tormenta docent; quæ propter conceptum ſulphure carbone & aceto ignem nitroſæ materiæ compreſſum aërem & incendio rarefactum anguſtiore quàm par eſt coactum loco exitus inueniendi cauſa ad ingentem tonitrum adigunt, & niſi qua effletur, inuenire contingat, æs vel ſolidiſſimum diſrumpere cogunt; nec non & montes ac montibus impoſitas moles deturbare & obruere, vbi eiuſmodi ſubiecta materia incluſa incenditur. Id quod apud Samuelem à Dauide canente ſignificatum edocti didicimus, Commota eſt, & contremuit terra, & fundamenta montium concuſſa ſunt & conquaſſata; quoniam iratus eſt eis. Quo loco verbum* iratus eſt, *à Latino interprete pro verbo* HARAH *redditur. At verò* HARAH *voce ac ſignificatione affine eſt verbo* HHAMAH, *quod caleſcere & incendi ſignificat. Namque ira omnis ex accenſo circa præcordia aëre excandeſcit. Et Ieremias, Ab indignatione* Ierem. 10. *eius commouebitur terra.*

## De ſapientia & ſcientia breuis admonitio.

SAPIENTIAM *diuinarum humanarumq́ rerum cognitionem definimus: Diuina verò vocamus ea omnia quæ æterna ſunt: humana, quæcumque fluxa & caduca habentur. Ad diuinarum partes præter Deum optimum & maximum ea, quæ non videntur, referimus, vt ſpiritus ſublimes, de quorum natura & virtute diſſeruimus: poſt hos corpora omnia ponimus, quibuſcunque totum hoc quod mundus cælumq́ dicitur, conſtat; quod quamquam Deus non eſt, tamen quia à Deo factum eſt, diuinaq́ virtute & efficientia conſeruatur, ad Dei contemplationem & laudem referimus. Quidquid enim in vniuerſo hoc boni ac veri eſt, id omne ex Dei veritate, virtute & bonitate manat, extat & permanet, ſuam tamen vnum quodque conditionem & ſortem ſeruat, ſiue æternum id ſit ſiue caducum & fluxum. Quamquam verò quicquam in ſe quoquo pacto deficiat, in Deo tamen nihil deficit, qui ſuper omnia præſtans atque ſingulariter integer, immenſus & infinitus perſiſtit. S. S. E. Multa dicemus, & deficiemus in verbis, conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in omnibus.* Eccli. 43.

*Diuinorum autem & humanorum notitia duplici ex cauſa quærenda commendatur, cognitionis, & vtilitatis ſiue vſus. In cognitione ſcientia eſt, in vſu verò prudentia ſiue intelligentia ſtatuitur. Hæc vtraque quiſquis aſſecutus fuerit, verè ſapiens iure dicetur. Totum hoc non humanæ facultatis, verùm diuini beneficij eſſe, quamplurima ſacra ſcripta teſtantur, idq́ à Deo petendum & poſtulandum commẽdant. Sapientia vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligentiæ?* Iob 28. *Neſcit homo pretium eius: neque inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit, Non eſt in me: & mare dicit, Non eſt mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, neque appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho pretioſiſſimo vel ſapphyro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vaſa auri. Excelſa & eminentia non memorabuntur comparatione eius: trahitur autem ſapientia de occultis. Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componetur. Vnde ergo ſapientia venit, & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium: volucres quoque cæli latet. Perditio & mors dixerunt, Auribus noſtris audiuimus famam eius. Deus intel-*

ligit viam eius, & ipſe nouit locum illius. Ipſe enim fines mundi intuetur: & omnia quæ ſub cælo ſunt reſpicit. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura. Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis ſonantibus. Tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit, & inueſtigauit. Et dixit homini, Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia.

Duo autem ex hoc loco docemur: alterum, eam quæ propriè & abſolutè Sapientia dicitur, nulli mortalium ex propria facultate contingere; cui non ſolum hoc de cognitione ipſa diuinarum humanarumq́ rerum negatum ſit, verùm etiam de intelligentia ſiue abſolutiſſima prudentia: Alterum verò, aliam ſapientiæ & prudentiæ rationem hominibus propoſitam conſtare poſſe, videlicet, pietatem, quæ Dei timore & vitiorũ odio definitur: quæ cui contigerit, & ſatis ad vitam beatè agendam ſubſidij afferre, & ad maximæ altiſſimæq́ ſapientiæ beneficium & poſtulandum & accipiendum viam munire poſſit. Id quod & à Pſalte
Pſal. 110. decantatum Sapiens etiam confirmauit, Sanctum & terribile eſt nomen eius,
Prou. 16. Initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in ſeculum ſeculi. Timor Domini diſciplina ſapientiæ, & gloriam præcedit humilitas. &, Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum
Eccli. 1. time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo. Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum, & plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius. Corona ſapientiæ timor Domini, replens pacis & ſalutis fructum. Et vidit & dinumerauit eam: vtraque autem ſunt dona Dei. Scientiam & intellectum prudentiæ ſapientia compartietur, & gloriam tenentium ſe exaltat. Scientiam & intellectum conſtare ei, qui timore Domini, id eſt, vera pietatè imbutus fuerit, ait Spiritus ſanctus. Atque hoc loco ſcientiam interpretamur eam, quam pij ſtudio adhibito & labore poſito conſequuntur: Intellectum verò eiuſdem ſcientiæ vſum & vitæ inſtituendæ rationem. De quo ſcriptum legimus, Intellectus bonus omnibus facientibus ea. Quæ quidem omnia ſapientia quoque & ſcientia dicuntur; non illa ſapientia & ſcientia, quam Iobus ab oculis omnium viuentium abſconditam volucrum quoque cæli oculos latere ait; & quam ſanctorum ſcientiam aliàs diuina ſchola appellat; ſed alia longè illa inferior, quæ tamen digniſſima quæſitu ſit, & magnos vbereſq́ fructus ad omnem vitæ partem cultoribus ſui afferat. Cuius copiæ com-
Sap. 7. poſita pronunciauit. Propter hoc optaui, & datus eſt mihi ſenſus: & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentũ in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus: quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater eſt. Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati. Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum, quæ mihi dantur: quoniam ipſe ſapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator. In manu enim illius & nos, & ſermones noſtri,

ſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientiæ diſciplina. Ipſe enim dedit mihi ho- “
rum quæ ſunt, ſcientiam veram: vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & vir- “
tutes elementorum, initium & conſummationem, & medietatem temporum, vi- “
ciſsitudinum permutationes, & diuiſiones temporum, anni curſus, & ſtellarum “
diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogita- “
tiones hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque “
ſunt abſconſa & improuiſa, didici. Omnium enim artifex docuit me ſapientia. “
Quam etiam ſapientiam ab illa æterna & ſublimi deductam & communicatam
diuinitus dari idem ipſe auctor exemplo declarauit ſuo. Adij (inquit) Dominum, Sap 9.
& deprecatus ſum, & dixi ex totis præcordiis meis, Deus patrum meorum, & “
Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientia tua conſtituiſti “
hominem, vt dominaretur creaturæ quæ à te facta eſt, vt diſponat orbem terra- “
rum in æquitate & iuſtitia, & in directione cordis iudicium iudicet: Da mihi “
ſedium tuarum aſsiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à filiis tuis: quo- “
niam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui tempo- “
ris, & minor ad intellectum iudicij & legum. Et ſi quis fuerit conſummatus in- “
ter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur. “

Sapientiæ huius poſterioris facultatem vel repentè vt Salomoni factam, vel ſtudio etiam quæſitam & comparatam Deo ſpiritum excitante & inſtruente, ingeniumq́ſ ſufficiente, à Dei præceptis inſtitutis ac documentis diſcrepare, non oportere, neque quicquam rectum aut verum putari, quod cum illius pugnet oraculis, aut ab illis deduci & colligi non poſsit, cautio eſt iis, qui ſtudiorum rationem rectè & prudenter initam volunt. Quippe cuius doctrina eiuſmodi ſit, vt quæcumque vera, quæcumque ſincera exiſtimari verè poſſunt, ea tradat; quæ verò aut celet, aut prætermittat, eadem vel non vera & certa, vel hominum vitæ
ſuperuacanea cenſeantur. S.S.E. Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die Pſal. 118.
meditatio mea Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in “
æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua medi- “
tatio mea eſt. Ex qua confeſsione illud efficitur, nullis aliorum auctorum præceptis, conſiliis aut monitis prudentiæ veræ rationem & inſtitutionem accipi, quæ cum ea comparari poſsit, quam diuinorum eloquiorum aſsidua & recta meditatio præſtat. Nullam porrò bonam diſciplinam eſſe, quam eorumdem oraculorum diligens & accuratum ſtudium non doceat. Super omnes docentes me, quæcumque doceri à quibuſlibet poſsint, doctrinæq́ mereantur nomen, eadem plenius
ac melius diuinæ legis ac diſciplinæ contemplatione percipi. Verba congregantis Prou. 30.
filij vomentis. Viſio quam locutus eſt vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum mo- “
rante confortatus, ait: Stultiſsimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt “
mecum. Non didici ſapientiam, & noui ſcientiam ſanctorum. Quis aſcendit in “
cælum, atque deſcendit? quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? quis colligauit “
aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? quod nomen “
eſt eius, & quod nomen filij eius, ſi noſti? Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt “
ſperantibus in ſe: ne addas quicquam verbis eius, & arguaris, inueniariſque “
mendax. “

## De terræ partu & frequentia.

92. TERRÆ *partus frequentia & ornamenta prima prius quàm animalia, quorum cauſa edita ſunt, erupiſſe narrantur, vt videlicet iam iam futuris habitatoribus alimentorum copia parata ſuppeteret. Primò autem terræ partus dicimus germen omne, quo agri ſuperficies veſtita niteſcit, & ſui aſpectum variè iucundum præſtat in ſacra lingua* DESSE *dictum. Idem, vbi iam creſcere incipit, in duo ſumma abit genera, quorum alteri* GHESEB, *alteri verò* GHETS *nomina facta ſunt; eademq́ue Latino ſermone* Herba *&* Arbor *dicuntur. Vtriuſque generis exacta cognitio difficillimè parari poteſt, ſi per ſingulas formas, vti hactenus eius rei ſtudioſi factitarunt, diſciplina hæc tractanda eſt. Id quod nobis quoque ſtudiũ dum peregrinantibus & inquirentibus frequentabatur magnum fecit negotium, donec diuinorum ſcriptorum obſeruationi attentis compendij ac methodi in hac etiam parte inueniendi ratio indicata fuit. Quod etiam beneficium diuinis quoque chartis referimus acceptum.*

עץ עשב

Primum עשב Gen 1.

*Ac primi quidem generis prærogatiua naturæ ſerie atque temporis anticipatione herbæ obtigit, poſterior autem arboris appellatio fuit. S. S.E. Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum, & faciens " fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.*

93. *Atque ex verbi* IEHI *efficientia hæc ſemel initio edita ſuum perpetuum conſeruauere tenorem, hoc tantum diſcrimine, quod vno eodemq́ue, hoc eſt, tertio à mundi initiis die hæc omnia extitere; quæ deinde tamen non eodem omnia tempore, verùm oportuna pro ſingulorum ingenio tempeſtate inſtaurari iuſſa ſunt, id quod eiuſdem verbi diuini decreto, id eſt, natura ipſa conſtitutum indicatur.*

ויהי כן Et factũ eſt ita. *quod arcana lingua ſignificantius exprimitur,* VAIHI CHEN, *& erit ſic rectè & aptè ad amuſſim.*

94. Herbarum genera duo. *Herbarum verò naturam in duo præcipua & prima partimur genera, quorum ex vſu ratio conſtituitur. Siquidem huius naturæ pars vſum ſui virens antequam ſemen proferat, plenè præbet, pars verò non ante in vſus venit, quàm ſemen confecerit ſuum. Atque vtriuſque partis binæ formæ quoque capitales obſeruantur, videlicet, quæ ad eſum præcipuè, & quæ ad medicinam & ægritudinum curationem comparantur, vt ſuo diſſeremus loco. Vtramque autem hanc* Herba virens. Faciens ſemen. *rationem ex illo edocti ſumus iuſſu,* Herbam virentem: & facientem ſemen, *quem diſiunctiuo potius quàm coniuncto ſenſu legimus:* Et protulit terra herbam virentem : & facientem ſemen iuxta genus ſuum. *Voculam &, partitionem hoc loco adſtruit, Herbam virentem, & herbam facientem ſemen; vtrique autem parti illud ſubiungimus,* iuxta genus ſuum: *quod vtraque & vireat, & faciat ſemen iuxta genus ſuum.*

95. Genus. MIN. מין *Quod verò Latinè genus legimus in primæua lingua* MIN *eſt. Nomen à* MANAH *verbo deductum, quod numerare, cenſere & manere, partiri, dotaréque ſignificat. quo nomine docemur huius naturæ vtrique generi certas certis numeris comprehenſas ſubeſſe formas, eaſdem verò certis recenſitas ſignis ac notis, certisq́ue vnamquamq́ue viribus donatas, efficacitatibus & præditas & addictas. ita vt vel hanc vnicam vocem* MIN *idem quod definitionem vel deſcriptionem interpretari liceat.* Numeratio. Definitio.

96. *Summa itaque tractationis huius ars in hu..c inſtitui modum poteſt.* Germen

men omne in duo maxima & ſumma genera euadit, GHESEB videlicet, id eſt, herbæ: & GHETS, id eſt, ligni ſiue arboris. Herbarum item genus duplex ad ſummam eſt, Herba virens, & Herba faciens ſemen. hoc eſt, eius cuius ex virore atque ipſa herbæ forma, & eius, cuius ex ſemine præcipuus capitur vſus. Priori generi duæ ſubſunt communes quoque formæ; aut enim homini in eſcam vel in medicinam ſeruiunt & dicuntur IEREK, olus & herba ſeruitutis hominum. Aut iumentis & animantibus aliis paſtum conferunt & nomen fœni obtinent. S. S. E. Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis. Et, Melius eſt vocari ad olera cum caritate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio. &, Qui autem infirmus eſt, olus manducet. Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum. &, Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Quo carmine diſcrimen etiam obſeruatur inter olera & herbam ſeruituti hominum addictam: namque genus hoc omne in montibus præcipuè ſponte prouenit: quorum ſolo varia naturæ ad varia etiam proferenda germina ſubeſt. In montibus quoque fœnum nullis hominum colentibus prouenit. Eſt autem nomen fœno HHATSIR, vnde Græcis χόρτος deductum. Olera autem quamquam initio à terra producta fuerint, & proferri etiam nonnullis in locis poſſint; tamen hominum cultura & cura feliciora ac meliora fiunt, magiſq; veſca redduntur. Ita enim legimus: Locutus ergo eſt Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum: quia vicina eſt, & prope domum meam. &, Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus. Et apud alium Euangeliſtam, Quod cùm ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit maius omnibus oleribus. Cùm ſeminatum fuerit, inquit, culto & præparato agro: namque aliàs non ſeminatum, ſed ſponte naſcens, non ita feliciter ſurgit. Olerum verò generis media quadam natura formas nonnullas præcipuè adnotationis in ſacris legimus chartis, mentham, cuminum & rutam, & omne olus. Namque hæc non ſimpliciter vt olera, ſed oleribus vſu proxima excepiſſe Scribæ arguuntur, vtpote quorum & in herba & in ſemine vſura eſſet. Qua de re in elucidationibus noſtris ad Euangelia diſſeruimus.

[Margin: Summa. | ירק | Gen. 9. | " | Rom. 14. | Pſal. 103. | Pſal. 146. | חציר | 3 Reg. 21. | Matth. 13. | " | " | Mar. 4. | Mat. 23. 23. | Luc. 11.]

Herbarum verò partem ad vſus medicinæ expeti ſubindicauit Sapiens. Etenim neque herba neque malagma ſanauit eos. Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.

[Margin: Sap. 16. | Eccli. 38.]

Ita quatuor iam conficiuntur genera, vnum iumentis, hoc eſt, fœnum: cetera homini in vſum conceſſa; quæ tria in ſumma ſunt, olus, & herba ſeruituti hominum, & faciens ſemen, id eſt, cuius præcipua vis & vtilitas in ſemine eſt. Primus autem homini recens in mundum edito oleris iam parati vſus fuit, & antiquiſſimus, quod ad hoc genus attinet: cui adiunctus eſt ſeminum vſus magis homini, quàm cetera conueniens. Deinde herba ſeruitutis hominum variis modis diuerſiſq; temporibus cognita & vſurpata. 97.

[Margin: Genera quatuor. | Oleris vſus. | Seminum. | Herbæ vſualis.]

Herba ſemen faciens, id eſt, quæ ſeminis cauſa expetitur, in duas præcipuè formas diducitur, DAGAN & KETANITH: quibus cùm æqua latina non reperiantur nomina, ea quæ contingunt adſcribemus. DAGAN, vel frumentũ, vel far dicemus, ſed far à poëtis vſurpatur pro omni ſemine ex quo panis cõfici poſſit eſui aptus, & nutritioni idoneus. KETANITH verò legumen Latinis erit. 98.

[Margin: Faciens ſemen. | דגן כטנית | Far. | Legumen.]

Farris

99. Farris quinque præcipua genera & legitima habentur: præſtantiſſimum
Farris genera. omnium HHITIM, huic proximum SIGHVRIM, deinde CVZZEMET,
חוטים Quartum SIBOLETH SVGHAL. Quintum SIPHON. Quæ vt Latinus vel
שעורים verbis vel numeris affictis reddamus, dicentur TRITICI formæ variæ, ordea,
כוסמת ſecala, ſpelta. Quinti nomen nondum liquet: quorum vſus ad vitam alendam
Pſal. 103. præcipuæ commendationis eſt. S. S. E. Et panis cor hominis confirmat. &, Prin-
שבולת cipium, ſiue ſufficientia vitæ hominis in pane & aqua.
שועל Leguminum plurima genera cùm ſint, plurima eſſe poſſunt nomina. Om-
שיפון a uena fortaſſis. nium tamen congeneres in floribus formæ, quamquam magnitudine diſpares, &
coloribus variæ, & conſimiles ſeminum thecæ, hoc eſt, ſiliquæ vaginarum ha-
100. bentes inſtar.
כסמת Oleris præterea multiplex & varium genus, atque in floribus ſeminibusq́;
ירק magna diuerſitas, quæ tamen ad artem redacta, non difficilem admodum cogni-
101. tionem ſui præbeat.
102. Herbarum ſeruitutis hominum cauſa procreatarum maxima multiplexq́; co-
pia. Ex qua quædam eſui aptæ ſunt: quædam ad medicinam comparatæ; nonnul-
læ venenatæ quidem ex proprio ingenio, non tamen nullius cognoſcētibus vſus:
Gen. 27. aliæ quæ odore iuuant; aliæ verò ſpecie perplacent. De illis ſcriptum eſt: Ecce
" odor filij mei ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. De his verò, Conſide-
Mat. 6. rate lilia agri quomodo creſcunt. Dico autem vobis, quòd neque Salomon in om-
" ni gloria ſua habuit ſicut vnum ex iſtis. Id quod omnia hominum cauſa facta docet, & magno vſui vel ad vitam alendam, vel ad recreandum fouendúmque ſenſum, vel ad animum contemplatione ac doctrina afficiendum, conferre poſſe affirmat.

## De cognitione ac definitione herbarum.

103. HERBARVM, imò plantarum omnium facilis & certa notitia non aliundè melius quàm ex ſemine petitur: quo cognito, & ad comparationis exemplum collato, qui maximus hactenus labor huius naturæ ſtudioſis fuit, breui negotio & iucundo ſtudio minuetur, ſimulq́; nominum imponendorum diuerſitas penè immenſa ac memoratu difficillima in compendium redigetur, ingenio ac iudicio potius quàm memoria comprehendendum. Manifeſtum enim eſt, omnia à Deo in numero, pondere ac menſura fuiſſe condita & facta: quare & naturam hanc ab illa eadem ſapientiæ diuinæ voluntate, auctoritate iuſſuq́; profectam, eaſdem ſubiiſſe leges conſequitur. Genus autem omne certis formarum conſtituitur numeris, quas ſpecies dicere licet. Vnde & numerum pro genere, & genus pro numero integro vſurpamus, & primæuum nomen MIN hæc vtraque ſignificare diximus, & præterea aptitudinem, ſiue ingenium, ſiue efficacitatem aut vires velimus dicere. Atqui herbarum, quæ aliàs innumerabilis videri poſſet, varietatem ad certa genera redactam auctoris Dei ſapientia voluit, eamq́; omnibus conſtituram legem terræ harum genitrici edixit verbo futuri temporis, hoc eſt, perpetuæ aſſiduæq́; ſignificationis pronunciato, THOTSI HAARETS, Terra illa per verbi noſtri efficientiam multiplici ſucco imbuta producet herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum. Ex primæuæ linguæ vi MAZRIACH ZERAGH, ſeminificantem ſemen LEMINE HV ad

ſuum

ſuum vniuſcuiuſque MIN, *numerum, modum, ingenium ac decorem. Eſt igitur terræ iniuncta conditio producendi herbam virentem, herbis communis lex poſita ſeminificandi ſemen iuxta genus ſuum. Nam quæ terra nihil profert, infelicißima habenda eſt; quæ verò herba ad ſemen meſſemq́ non peruenit, vilis quoque infelix & abiectißima cenſetur. S.S.E. Terra enim ſæpe venientem ſu-* Heb. 6.
*per ſe bibens imbrem, & generans herbam oportunam illis à quibus colitur, ac-* "
*cipit benedictionem à Deo, proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt &* "
*maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem. & illud, Fiant ſicut* Pſal. 128.
*fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit: de quo non implebit ma-* "
*num ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui manipulos colligit. Ex qua lectione do-* "
*cemur, herbarum opus ſuum cuiuſque ſemen eſſe, ad idq́ vnamquamque ex illis contendere, idq́ illarum proprium* GHOLAM, *ſiue ſeculum eſſe. atque vnicuique rei ab opere proprio generis notationem adſcribi, & nomen imponi oportere.* Facientem ſemen iuxta genus ſuum. *ergo ex ſemine genus cognoſcitur, & ex genere vice verſa in ſpecierum cognitionem deducimur. Cuius rei nonnulla apponere exempla libet: neque enim omnia perſequi conſilium eſt nobis nunc digitum in fontes ipſos dirigere contentis, & plenam diſciplinæ huius tractationem iis qui ſtudioſißimi & peritißimi fuerint, relinquere. Cuius laudis antiſtites noſtro æuo Rembertum Dodoneum hoſpitem noſtrum iam vita functum, & Carolum Cluſium amicum ſuauißimum in Belgio nouimus, & his recentiorem Mathiam Lobelum, &, qui in hac & omni naturæ parte plurimum cognitione & vſu valent, Simonem Touarem & Franciſcum Sanctium Oropeſam doctores medicos præſtantes de nobis ac de omni ſtudioſorum collegio optimè meritos.*

*Herbarum ſemina, quædam in ſpicis gignuntur, & ad maturitatem vſque* 104.
*ſeruantur, vt frumenti ſiue farris genera omnia. S. S. E. Terra primùm produ-* Spica. Mar. 4.
*cit herbam, deinde ſpicam, dein plenum frumentum in ſpica. Huc illud Pharaonis pertinet ſomnium de ſeptem ſpicis. Quæcunque igitur hoc modo habebunt, in frumentorum cenſebuntur genere.*

*Leguminum ſemen fere omnium in ſiliquis naſcitur: vt cicer, eruum, erui-* 105.
*lium, aphaca, faba, & phaſeolorum varij ac multiplices colores, piſum, lens, &* Siliqua.
*quæ plurima alia generis huius amplißimi reperientur partim regionibus communia omnibus, partim exotica & certis familiaria terris.*

*Aliud genus thecas format, quibus proprium condit, fouet, conſeruatq́ ſe-* 106.
*men: vt olerum ſpecies multæ, quibus rotundum plerumque gignitur ſemen.* Theca.
*Braßica, rapa, napi, raphani, ſinapi. Quorum etiam quod ad herbã & caulem attinet, non vna ſimplexq́ figura eſt: ſeminis tamen conſimilis admodum deprehenditur. Sed ex oleribus quædam ſuum ſemen botri inſtar caulibus hærens, alunt: & quæ huiuſmodi ſunt,* Botrydes *dici poſſunt.*

*At verò ex herbis quæ ſeruituti hominum comparatæ ſunt, quædam eſules* 107.
*totæ, quædam radice tantùm, nonnullæ foliis & caulibus. Cæteræ verò quæ non veſcæ fuerint, ad medicinam, vel ad odoris gratiam, vel ad formæ ſpeciem, vel ad iumentorum aliarumq́ animantium pabulum productæ videntur.*

*In his, quarum radix ad cibum vſurpatur, triplex diſcrimen inuenitur, bul-* 108.
*boſarum, tuberoſarum, & carnoſarum. Bulboſas dicimus, quæ acriores ſortitæ ſunt ſuccos, ſiue illæ capitatas, ſiue tunicatas radices habeant, vt cepæ, allia, porri: quæ omnes tunica exterius præmuniuntur. Tuberoſas verò quæ tuberum in-*

ſtar ſolidam ac teneram materiam continent, nullis fibris intertextam tenaciore veluti corio, vel potius corticula aut libro conteguntur: vt aſphodeli, caſtaneæ terreſtres, & dulcioris radicis genera complura peregrina qualia ex Oceani inſulis & Aethiopia atque ex India allata nouimus: ex quibus nonnulla noſtram non ſunt aſpernata culturam. Carnoſas verò radices vocamus, quæcumque intra mollem tenacemq́ pellem teneriorem cohibent veluti carnem fibris nonnullis intertextam, quæ initio quidem propter lentorem non bene mandi poſſunt, multo verò minus cùm ſeneſcunt propter fibrarum tum frequentiam, tum faſtidioſam tenacitatem atque ingratum etiam ac plerumque amarum ſucci guſtum. In hanc turbam apij veniunt complures formæ, & dauci ſiue paſtinacæ variæ, quarum omnium carnoſæ ſunt radices, & ſemen plerumq́ in vmbellis producitur.

109. Thecarum complures natura formas confecit, partim rotundas & oblongas, ac teretes: partim quaternis, quinis, ſenis, octonis, ac duodenis etiam diſtinctas angulis & lateribus, in quibus ſemen confectum fouet & maturat, vel ſimplici vel multiplici conſtans grano, eoq́ vel nudo & certis ordinibus contiguo, vel interiectis vallis & loculis diſtincto, atque alio etiam intra papos ac tenuia vellera inuoluto & foto pro naturæ cuiuſque vel teneritudine & mollitie, vel firmitudine: qua in re mirabilis non luſus, ſed prouidentiæ conſideratio eſt. Nam quæ plus lactei & pinguis quàm ſalſi ſucci habent, ea molliori lecto & ſtrato videntur gaudere & indigere.

110. Seminis ferendi loca vel ſumma caulium ac ramorum faſtigia ſunt ſingularia aut frequentia, vel ramorum internodia & alæ, velut in bulbis fere omnibus tum in capite, tum in radice propagationis oportunitas ac vis conſpicitur.

111. Ad thecæ genus admittendæ vaſorum & calicum variæ elegantesq́ figuræ, diuerſa capacitatis ratione concinnatæ: in quibus rotundæ quædam & concluſæ humani ſimiles capitis. Hæc vaſa capitula dicimus: quædam coronata punici inſtar mali, ſicut papauer omne: quædam omnino ſpherica, nonnulla orbiculo aut cuſpide ſummo capiti addito, alia faſtigiata, quædam vituli, quædam canis, nonnulla aliarum animantum caput referentia, vt quæ antirhina Græcis appellantur. Capita plerumque concluſa ſpectantur, ſunt verò quæ magis minúſve dehiſcant & pateant, vt in Ocymoidis multiplici genere deprehendi poteſt: itémque in Saponariæ frequenti, ſed variis ornamẽtis diſtincta florum familia. quæ vulgo caryophylatæ vocantur: monococcum genus hoc eſt vnico ſeminis grano contentum; rarum admodum, & quod commodius radice propagatur, quàm ſemine. Omnis itaque vel vaſculi, vel thecæ, vel ſpicæ, vel cuiuſuis alias botri aut ſtraguli in quo ſemen profertur, fouetur, & maturatur ac duratur, formam & rationem obſeruari & componi, atque certis adnotare ac diſtinguere nominibus magnum operæpretium fuerit iis, qui iucundiſſima prorſus huius naturæ partis cognitione delectantur.

## De ſeminum cognitione.

112. EXAMINATO cognitóque ſemine de herbæ genere ac nomine facile decerni ſtatuíque poteſt, & inter diſciplinæ huius amatores conuenire: id quod ex ſacra docuimus lectione. Siquidem huius ignoratio documenti cauſas ad nominum infinitam fere diuerſitatem & inconſtantiam dederat, aliis aliunde nominis imponendi

*ponendi rationem petentibus. ut in huius operis tertia parte (quam* VESTES *inſcribimus) Deo duce & propitio, oportunè notabimus.*

*Seminum varia ac multiplex natura & vis, diuerſumq́ ingenium eſt: ex multiplici quoque ac varia pinguis ac ſalſi ſuccus ſiue liquoris concretione conſtanter profectam. Nam quamquam pinguedinis natura & vis nullibi in omnibus herbæ atque adeò plantæ omnis partibus æquè, vel copioſa, vel matura & perfecta atque efficax reperiatur, atque in ſeminis non cortice, ſed corpore (pro magnitudinis ratione & portione loquimur) tamen pinguedo illa à ſalſi ſuccus mixtione & concretione (in recenti præcipuè ſemine) aliena & immunis cenſenda non eſt: ex quorum varia tum ratione, tum temperatura vel æquabili, vel in vtramuis excedente partem varia exiſtit virtutis & efficacitatis, & ad propagationem & ad vſum experientia & ratio. Quamobrem, quorum ſeminũ temperamentum congener fuerit, ac tantùm certis vtriuſuis liquoris in germana natura puritatis vel impuritatis, vel in vtriuſque mixtura gradibus diſcrepauerit, eorumdem ſeminum idem fuerit genus iiſdem differentiis diſtinctum, atq́ idem in genere ſtatui nomen poteſt, certa etiam vnicuique differentiæ vel ex ordinibus primò, ſecundò, tertiò, & ceteris, vel ex alio cenſu appoſita nota. Vt tamen quàm fieri poßit commodè & aptè ipſa deſcribatur indiceturq́ res.* 113.

*Præterea ſemina diuerſa corporis viſuntur figura, ſpheram quædam imitata ſolidam & teretem, vel certis diſtinctam circulis, ſeſe ad vtrumque ſpheræ polum interſecantibus, vel ſcamulis aut reticulis aſperũ, vel ſupernè infernéq́ faſtigiatam, & qua germen erumpet indicantia: nonnulla rhombum referunt, alia verò rotunda quidem, verùm cõpreſſa, ex quibus partim vmbilico inſignia, partim carentia, læuia quoque & aſperiuſcula in hac reperias forma, quædam verò orbiculata quidem, ſed planè preſſa. Sunt & oblonga etiam, tum tereti prorſus, tum interciſa per longum figura: aſpera item aut leuia: nec deſunt quæ cylindros, & quæ radios referant. Multa ouum imitantur gallinaceum, aut animalium renes, aut phaſelos. Rariora plana ſenis vel quinis, vel quaternis aut ternis quoque lateribus & angulis cohibita. Mira demum in hac natura diuerſitas, ac diligenter ad auctoris laudem, & cognoſcentis honeſtam voluptatem obſeruãda.* 114.

*Supereſt externus color, qui item varietate plurimum etiam in eodem genere iuuat: nullus enim fere color ex ſimplicibus eſt, quem natura ſeminibus variis* IEHI *& ſpiritus Elohim opera non vſurparit, interdùmque miſcendo notis ac maculis variis decenter vſa. Vt in lapidum quoque genere vario ludere conſueuit, præcipuè in Iaſpide.* 115.

*Ex trium, quas diximus, rerum, ſuccus in corpore concreti, figuræ, atque coloris collatione, comparatione, & examinatione congenerum, cognatorum, affinium ac differentium ſeminum paratur cognitio: ita tamen vt ſuccus examinatio primas, figuræ ac formæ contemplatio ſecundas, coloris verò ſpecies poſtremas, atq́ non rarò incertas aut ſuperuacaneas obtineat partes.* 116.

*Quæcumque eodem probata fuerint ſucco, eadem forma, colore eodem fuere, ea modo & magnitudine differant, ſiue conueniant, eiuſdem cenſentur formæ. His agnata habentur ea quibus in ſucco conuenit, quamquam figuris & coloribus diſcrepantibus, tum pro conuenientiæ ratione affinitates adſcribendæ.* 117.

*Ad huiuſmodi aliasq́ rerum cognoſcendas notas ſenſus quinque homini ex diuino beneficio & opificio contigere. Tactus, quo corpora; auditus, quo ætas &* 118.



matu-

*maturitas ex ictu & ſono; viſus, quo colores; guſtus & olfactus, quo ſpiritus & ſuccus examinantur. Et quamquam omnium officium conſtare poßit, tamen auditus poſtremæ fidei appellatio eſt, niſi quis velit omnes ad amuſſim abſoluere numeros: viſus & tactus mediæ interdum otioſæ ſunt partes, vti indicauimus. Guſtus verò & olfactus primam & maximam merentur fidem. Olfactus enim pinguis liquoris ſpiritum, guſtus verò ſalſum examinat: cuius mixtione & indicio pinguedinis natura & vis, & modus proditur. Eſt enim odor certißimus in-*
Isaiæ 11. *ternæ virtutis index. S.S.E. Odor eius in timore Domini: non ſecundùm viſio-*
» *nem oculorum iudicabit: nec ſecundùm auditum aurium arguet. Hoc ſenſu quòd maximè valent canes, animalium atque aliorum rerum varia genera indagare, reperire, & indicare poſſunt. Guſtus ex ſalſo liquore & ſucco præcipuè percipitur. Namque fructuum aliarumq́; rerum ſapores varij ex ſalis vi proficiſcuntur: cuius cum pinguedine varia mixtura & conditura innumerabiles guſtui varietates comparat. Alias enim pinguedinis guſtus adeò ſimplex ac ſibi perpetuo ſimilis conſtaret, vt neque ferri quidem guſtu poſſet: & ſi perferretur, tamen nauſeam moueret. Salis ergo mixtio quamdiu recentem viuidamq́; pinguedinis vim & pondus etiam oportunum conſeruat, odorem quoque excitat, & ad olfactum afficiendum adiuuat: cuius rei ſignum illud eſt, quòd vbi ex odoratis malis & pomis ſalſus ſuccus prorſus exhalauerit, odor omnino perit, & quæ remanent vtriuſque ſucci ſedimenta ac veluti excrementa è veſtigio putreſcere, aut areſcere occipiunt. Itaque vbi ſapor genuinus omnino deſiderabitur, nihil certi iu-*
Mat. 9. *dicij ſtatuendum, nihil propriæ vtilitatis relinquitur ſperandum. S.S.E. Bonum*
Lege Græcè *eſt ſal; quòd ſi ſal infatuatum fuerit, ad nihilum valet vltrà, niſi vt proiiciatur*
Lucæ 4. *foras, & conculcetur ab hominibus. Habete in vobis ſal.*

119. *Igitur incogniti ſeminis examen ex guſtu & olfactu præcipuis in hac re ſenſibus ad nota alia comparandum petitur: cuius vel idem, vel perſimilis, vel aßimilis, vel affinis, vel diuerſus omnino ſenſus quemadmodum de genere, de natura & vi, deq́; ordinibus & gradibus decernendum fuerit, deliberando ſuadebit. His duabus partibus, quantum cetera ſuffragari refragariue poßint, iam docuimus.*

## De radice.

120. IN *ſemine omni tria inſunt, liquor duplex, & ſeminalis ſpiritus, qui ab ſpiritu* ELOHIM *exercitatus, vtrumque liquorem extenuatum calfacit, calfactum incubat & fouet: atque in duo præcipua futuræ plantæ membra informat. Primum omnium germinis cacumen extat, quod pedis in animali inſtar habet, in cuſpidem formatum. Huic eueſtigio ſubnexum radicis initium ſphericum in pleriſque, in nonnullis rotundum quidem, verùm oblōgum aut latum, lentis inſtar, idemq́; natura ſpongioſum minuſq́; denſum quàm cacumen. Huic inferiori parti* SORES *arcanum eſt nomen, quod Græcis inuerſo vocabulo* ῥίζα, *Latinis eodem fere* radix *appellatur. Significat autem* SORES *id quod verè caput eſt, & ex vocabuli partitione ac diſtinctione præſtantem ignem ſiue calorem ſibi vendicat. Siquidem elementa prima* SR, *principem præfectumq́; ſignificant,* ES *verò, ignis vim naturamq́; interpretamur. Eſt itaque radix certum & verum plantæ caput, principe, id eſt, efficaciſsimo ingenuoq́; igne præditum, in quo natiua ſeminalis ſpiritus vis præcipuam ſedem efficientiamq́; obtinet. Huius opus eſt, in-*

tra

*tra ſeminis cortice contentum ſuccum vtrumque temperato ſimul tepore & alſo*
*humore colliquare, & in lactis redigere formam: eademq́; opera terræ quoque,*
*qua obrutum ſemen fuerit, cognatos afficere, & affectos exugere ſuccos, atq; cum*
*ſeminis miſcere ſuccis: ita vt ſeminis ſucci terrenos ſibi immixtos, & caloris ac*
*ſpiritus virtute fotos, ſibi perſimiles reddant: & ex vtriſque liquatis, coniun-*
*ctis, & in eandem redactis naturam illa, quam vocamus terræ fœcunditatem,*
*efficitur. qua in re ſeminales ſucci maſculinam, terreni verò femininam vim*
*efficientiamq́; ſortiuntur. Ex vtrorumque itaque complexu, coniunctione, amo-*
*re, & conformatione planta gignitur initio breuis, quæ tamen ab ipſo genitali*
*aruo membrorum artuumq́; omnium veritatem, quamquam exiguo admodum*
*corpore, tamen contineat; videlicet radicis fibras omnes, ramorum cauliúmque*
*diſtinctiones, foliorum ornamenta, atque ſpicarum, ſiue loculorum vaſorumq́; ad*
*ſemen capiendum formas, & futuræ etiam ſobolis, hoc eſt, ſeminis tenuiſſima*
*elementa, quæ per totam plantæ ætatem, niſi aliàs externo impediantur incom-*
*modo, augentur & prouehuntur: ſuggerente perpetuò ſeminali illo ſpiritu ſuccis*
*illis natiuis cognatæ, è terræq́; ſuccis exuctæ & oportunè temperatæ materiæ pa-*
*bulum quantum pro ſeminis virtute ac modo, proq́; terræ ac ſoli copia ad incer-*
*tum quidem, fine tamen non carentem propagandæ ſobolis numerum poſſit ſuffi-*
*cere. In quo naturæ opificio oportunus quoque cæli fauor, & cōmoda terræ com-*
*paratio, aut his contrariæ affectiones vel prodeſſe, vel obeſſe non vno, ſed pluri-*
*bus nominibus poſſunt. Huiuſmodi genituræ, germinationis, productionis, & ad*
*perfectum vſque conformationis hiſtoriam omnem compluribus in ſacra diſci-*
*plina documentis obſeruandis diſcere poſſumus. Ex quibus illa celebratiſſima,*
*Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet:* Ioan. 12.
*ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. &, Qui enim habet, dabitur* Mar 4.
*illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Sic eſt enim regnum* "
*Dei quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat* "
*nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit illi. Vltrò enim terra* "
*fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.* "
*Et cùm ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis. Et* "
*ſicut granum ſinapis, quod cùm ſeminatum fuerit in terra, minimū eſt omnibus* Ibidem.
*ſeminibus quæ ſunt in terra: & cùm ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit maius* "
*omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt poſſint ſub vmbra eius aues cæli* "
*habitare. &, Exiit ſeminans ad ſeminandum, & dum ſeminat, aliud cecidit cir-* "
*ca viam, & venerunt volucres cæli & comederunt illud. Aliud verò cecidit ſu-* "
*per petroſa, vbi non habuit terram multam: & ſtatim exortum eſt, quoniam non* "
*habebat altitudinem terræ: & quando exortus eſt ſol, exæſtuauit, & eo quòd* "
*non habebat radicem, exaruit. [namque radix plantæ caput (vti diximus) eſt,* "
*quod & terræ inhærens, ſuccos exugit & excipit: exceptos, concoquit: concoctos,*
*per totius plantæ membra diuidit: atque ita alimentum partibus ſingulis pro ra-*
*tione vniuſcuiuſque præbet] Et aliud cecidit in ſpinas, & aſcenderunt ſpinæ, &* "
*ſuffocauerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam: &* "
*dabat fructum aſcendentem & creſcentem, & afferebat vnum triginta, vnum* "
*ſexaginta, & vnum centum. Terram autem bonam appellat hoc loco Præceptor* "
*eam, quæ congenere ſeminibus, & oportuno abundat ſucco, & venenatis acri-*
*buſq́; humoribus liberior exiſtit, ac ſeminis virtuti & ſpiritui obſecundatur.*

121. *Itaque ſeminis vis & ſpiritus præcipuam in radice ſedem habet, efficacita-
temq́; exercet ſuam; indéque totius plantæ rationes & gubernat, & oportunos
membris omnibus ſuppeditat ſuccos. Quamobrem quidquid plãtæ vel commen-
dationis laudisq́;, vel infamiæ & nocumenti arrogatur, id omne radici, tãquam
capiti & perpetuo vtriuſuis facultatis fonti adſcribendum cenſetur. Et quam-
quam ceteras plantarum partes quoquo modo intercidi accidat, quamdiu viua
integraq́; perſeuerat radix, reſtituendæ malæ vel bonæ plantæ minimè abiicien-
da expectatio eſt: quoad funditus radices omnes euulſæ aut exiccatæ funditus
Deut. 29. tollantur. S. S. E. Ne ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem. &,
4 Reg 19. Quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorſum, & faciet
3 Eſdr. 8. fructum ſurſum. Et nunc quantum eſt hoc quod contigit nobis miſericordia abs
" te Domine Deus, relinque nobis radicem, & nomen in locũ ſanctificationis tuæ.
" & ibidem: Non iraſceris nobis perdere nos quoaduſque non relinquatur ra-
" dix & nomen noſtrum. Domine Deus Iſrael verax es, Derelicta eſt enim radix
" vſque in hodiernum diem: ecce nunc ſumus in conſpectu tuo in iniquitatibus no-
Iob 14. ſtris. &, Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit: & rami eius
Pſal 79. pullulant ſi ſenuerit in terra radix eius. &, Vineam de Aegypto tranſtuliſti,
Prou. 12. plantaſti radices eius, & impleuit terram. &, Non roborabitur homo ex impie-
Ibidem. tate, & radix iuſtorum non commouebitur. &, Deſiderium impij monumentum
Sap. 3. eſt peſſimorum, radix autem iuſtorum proficiet, & bonorum laborum glorioſus
Iſaiæ 11. eſt fructus: & quæ non concidit, radix ſapientiæ. &, Egredietur virga de radice
Iſaiæ 14. Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. &, In die illa erit radix Ieſſe, & qui ſtat in
Idem 37. ſignum populorum. &, De radice enim colubri egredietur regulus, & ſemen eius
" abſorbens volucrem, & mittet id quod ſaluatum fuerit de domo Iuda: & quod
Ierem. 17. reliquum eſt, radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum. &, Erit quaſi lignum
" quod plantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittet radices ſuas, & non time-
Ezech. 17. bit cùm venerit æſtus. Et tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemi-
" ne, vt firmaret radicem ſuper aquas multas, in ſuperficie poſuit illud. Cúmque
" germinaſſet, creuit in vineam latiorem, humili ſtatura reſpicientibus ramis eius
Dan. 11. ad eam, & radices eius ſub illa erant. Facta eſt ergo vinea & fructificauit in pal-
Rom. 11. mites, & emiſit propagines, & ſtabit de germine radicum eius plantatio. &, Si
" radix ſancta, & rami: quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter
" eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli glo-
" riari aduerſus ramos: quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. &,
1 Mach. 1. Exiit ex eis radix peccati Antiochus illuſtris filius Antiochi regis, qui fuerat
" Romæ obſes. Itaque præcipua in plantarum omnium tum ad naturæ commodi-
Sap. 7. tatem, tum ad efficientiæ & vſus facultatem radicis habetur vis. Differentias
" virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque ſunt abſconſa & improuiſa,
" didici, Sapiens aiebat. Radicibus verò funditus euulſis, plantam prorſus perire
Ezech. 17. ſæpius docemur. Hæc dicit Dominus Deus: Ergóne proſperabitur? nónne radices
" eius vellet, & fructus eius diſtringet, & ſiccabit omnes palmites germinis eius,
Malach. 4. & areſcet. &, Non in brachio grandi, nec in populo multo vt euelleret eam ra-
" dicitus. &, Ecce dies veniet, dicit Dominus, Succenſa quaſi caminus, &
" erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula: & inflammabit
" eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem
" & germen.*

*Vt verò radicum omnium in herbis differentias culturæ etiam cauſa ad certum redigamus caput, ſummam omnem quatuor præcipuis partimur nominibus: de quibus nonnihil iam diximus. Quædam enim bulbi naturam ſortitæ, ſiue in caput denſum & ſolidum ea compacta fuerit, ſiue in tunicas aut in ſcamas, vel radios diſtincta ſit. Hæc autem omnia tenui & aridiore veſtiuntur tunica, quæ facilè detrahi poteſt. Quædam verò ſolida etiam conſtant materia, ac terræ tubera carne imitantur, cortice inducta craſſiore ac tenacius adhærente, interdum etiam duriore, ad libri tenuioris inſtar; cuiuſmodi aſphodelorum, cyclamini, & peregrinarum plantarum quas* batatas *vocant, fabæ etiam Aegyptiæ & Bryoniæ vtriuſque, & Ari radices, & Satyrij formæ omnes viſuntur. Alia verò carnoſam radicem ſortitæ ſunt, nonnullis intertextam filamentis, & veluti neruis ac tendonibus cortice lentiore, & animantis imitato pellem, qui facile delibratur quamdiu tenerior eſt planta, vt in raphanis, rapis, betis, & dauci genere omni, atque in cicuta, ferula, & paſtinacis experiri licet. Præter hæc tria genera ceteræ herbæ omnes lignoſam habent radicem duriore cortice, & interno corpore filamentis, fibris, neruis ac tendonibus ſparti: aut funiculorum in modum apprime tenacibus; quæ vbi euulſæ fuerint, ſalſo euaneſcente ſucco citò areſcunt: quædam tamen minus, alia magis hoc habent & patiuntur. Atque in has quadrifariam inſtructas claſſes, herbarum omnium radices à conditore concedere iuſſæ paruerunt: exceptis quibuſdam, quarum compoſitis, vel geminatis radicibus, nomen in vtramque partem dare idem auctor annuit. Quas bulbotuberoſas, vel tuberobulboſas nihil prohibet appellari: in quo cenſu nonnullæ liliorum & narciſſorum formæ ſunt.* 122.

*Vt verò de herbarum radicumq́ omnium oportunitate & importunitate, quod ad communicationis & tralationis vſum faciat, nonnihil dicamus: operæpretium fuerit nouiſſe & obſeruare: earum herbarum, quibus bulboſa contigit radix, aſportationem omnium facillimam, minimæq́ eſſe curæ: quippe quæ anteaquam ad floris ætatem deueniant (namque hoc genus maxima pars non eodem anno floreſcit quo ſemine iacto natum fuerit) quocumque tempore euulſæ radiculis ſiue capillamentis, & foliis omnibus præciſis, ſolo capite cum tunicis ſuis relicto, & in charta inuoluto, ſemeſtri ſpacio integrum, & ſui ſucci plenum durat, atque vel mari vel terra etiam in remotiſſimam regionem transferri poteſt. Sin verò iam ætate grandiore, & ad florem proferendum idonea fuerit, expectandum erit quoad flos quamprimùm emarcuerit, & antequam ſemen concipiat, eodem modo præciſis infernè capillis ſiue barbulis, & supernè foliis omnibus caput ſeponi, ſeruari, & chartis inuolutum, quocumq́ libeat deferri poteſt. Cuius rei vltrà ſtudioſorum experimentum, vulgaria cepe notiſſimum faciunt indicium, quæ vel temere poſita, vel fumo ſuſpenſa, domi diu aſſeruari videmus. Nam interea quæ ſibi abundè & gratis in Aegypto ſuppeditata deſiderabant, Iſraelitæ nullum herbæ commemorabant genus, præter eas quæ aſſeruata diutius pauperioribus vel nullo, vel vili pretio toto fere anno ſuppetunt: in quibus alliorum, cepe, & porri copia requiſita eſt. Atque huiuſmodi bulboſorum capitum ratio eſt.* 123.

*Tuberoſa non ita temperatum & commixtum ex pingui & ſalſo ſuccum obtinent: ideoq́ effoſſa non ita diu durant: ſed in hoc genere durationum, differen-* 124.

tias ex loco ac tempore experientia monſtrare poteſt. Certè ad tertium vſque menſem conſeruata & aſportata vidimus.

125. Carnoſa vix ad menſem vtilia durant radicum capillamentis omnibus detractis, & cunctis foliis ad viuum ferè reſectis: neque id omnibus contingit: nam raphani omnes & apij formæ variæ citò flacceſcunt.

126. Oportunæ terræ deſiderium radices lignoſæ omnes minimum ferre poſſunt, quòd ſalſum humorem, quem conceperant propter ſpongioſam corporis raritudinem citiſsimè remittant, & ab ambiente aëre quocumque modo habente, tentatæ & penetratæ lædantur: quamobrem genus hoc omne radicum cacabis, alióve vaſe terra aſsiduè temperanda, ex natiuo in alium ſolum transfertur: commodius verò ac tutius cum proprio ceſpite.

127. Regula. Seminum cognationem radicum ſimilitudo & cognatio conſequitur. Namque herbarum omnium ſeculum in ſemine abſoluitur: quo præcipua plantæ appetentia intendit. Huius cauſa rami, folia, & caules floresque interim producuntur, quæ ſuſcepto & maturato ſemine ſeneſcunt, & intermoriuntur. Horum verò omnium conceptabulum & fomentum, atque diſpenſationem in radicum penetralibus natura inſtruxit: in quibus natiuus ſpiritus præcipuam operam ponit, & naturalem generis vniuſcuiuſque facultatem nullibi efficacius probat.

128. Herba omnis quæ ab arbore diſtinguitur genere DESSE GHESEB in ſacris vocatur, quam Latinè vtcumque dicere poſſumus GERMEN VIRORIS, Latinius verò GERMEN HERBÆ. Germinet terra DESSE GHESEB, herbam virentem. Hoc maximo & ampliſsimo nomine omnis illa plantarum natura comprehenſa eſt. Sic planta GHESSEB appellatur, aduſque ætatem qua ſemen gignitur; tunc enim omne naturæ opus in ſemen intenditur. S. S. E. Terra enim ex ſe germinat primùm herbam, deinde ſpicam, dehinc plenum frumentum in ſpica. Obſeruamus autem diſcrimen inter herbam ſeminificantem, id eſt, cuius in ſemine præcipuus eſt vſus, & GHESSE BIEREK, herbam oleris, cuius non tam ſemen, quàm radix vel folia, vel vtrumque ad victum expetuntur humanum. S. S. E. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram. id quod de frumenti & leguminum generibus interpretamur. De his verò quorum non ſemen, ſed ipſum, vt ita dicamus, corpus vſui eſſe poteſt. In eiuſdem verſus fine vbi Latinè apud vſitatiſsimam verſionem legimus: Vt habeant ad veſcendum. in primæuo exemplari reperimus KOL IEREK GHESEB LE OCHLAH. Omne olus herbæ ad cibum. Atque de vtriuſque generis varia tum forma, tum facultate nos in operis huius tertia parte, Deo propitio, nonnulla producemus exempla quantum ad artem ſufficiat.

Gen. 1. ,, ,, Gen. 1. ,, ,,

## DE FLORE.

129. PINGVISSIMVS in planta ad ſeminis concretionem lacteſcens & feruens ſuccus florem, tamquam ſpumam, præmittit naturæ ſuæ certum agnoſcendumque indicem & anteſignanum, duplici etiam parte inſtructum, oleo videlicet & ſale: quæ ignis vi & chymica arte ſeparari ac dignoſci poſſunt. Olei natura prima ac potior intra ſalis apparentem veſtem latet: quippe vt nutriendi & alendi vis atque odoris vel gratus vel ingratior ſpiritus oleo, ita tenacitatis, figuræ, & coloris

*coloris decoriſq; differentia omnis ſali adſcribenda eſt. Huius generis omnis du-
ratio breuis: quarumdam verò formarum breuiſſima eſt, earum præcipuè, quæ in
fœni ſiue* HHATSIR *cenſu numerantur. S. S. E. Conſiderate lilia agri, quomo-* Mat. 6.
*do creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon* “
*in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum quod hodie* “
*eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos minimæ fi-* “
*dei? Ita autem hoc verum perpetuumq; eſt, vt ea quæ genus hominum plus iu-
ſto afficere & eludere ſolet proſperitas, nullirei aptius quàm florum comparetur
naturæ. vt, Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſe-* Pſal. 101.
*riis: qui quaſi flos egreditur, & conteritur. Homo, ſicut fœnum dies eius, tam-* “
*quam flos agri ſic efflorebit. Omnis caro fœnum, & gloria eius quaſi flos agri:* Iſaiæ 40.
*exiccatum eſt fœnum, & decidit flos. Quamobrem aptiſſimum huic generi omni
& ex vero productum nomen primum inditum fuit* PERAHH, *à verbo* PA-
RAHH, *quod volare interpretamur, deductum: propter breue & volatile,
quod ſortitur, durandi tempus.*

## Florum partitio.

COMMVNE *& amplum florum omnium genus in quatuor tantùm parti-* 130.
*mur collegia: ex quibus variæ, ſuis tamen collegiis annumerandæ diducuntur
familiæ. Ea autem ſunt* LILIVM, ROSA, VIOLA, *&* HERBACEVS *flos.
Roſa, vel arborum, vel arbuſtorum flos eſt, pluribus vel paucioribus inſtructus
foliis, quibus ſeminis vel fructus muniuntur initia, eaq; propriè flores dicuntur.
Lilium ex bulboſa vel tuberoſa, vel mixta radice prouenit. Ex ceteris omnibus
herbis* VIOLA *multo quàm lilium tenuiore, minuſq; pinguedinis habente folio;
ſed minimum omnium* HERBACEVS *habet flos: qui vel virenti, & herbas
imitato colore, vel facilè deciduo pediculo, ſiue potius filo ſeſe prodit. vt in vm-
bellatis caulibus & herbis, & in frumenti generibus animaduertere eſt. Florum
omnium in foliis, coloribus, & odore varia eſt gratia, ſed lilium ceteros omnes
flores forma & pulchritudine ac ſpecie vincit, decoriſq; ſummi repræſentat ima-
ginem. S. S. E. Ex omnibus floribus orbis elegiſti tibi lilium vnum. &, Flo-* 4 Eſd. 5.
*rete flores quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate* Eccli. 39.
*canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis. &, Quaſi lilia quæ ſunt* Eccli. 50.
*in tranſitu aquæ. &, Lætabitur deſerta, & exultabit ſolitudo: & florebit quaſi* Iſaiæ 35.
*lilium. &, Ero quaſi ros, & Iſrael germinabit quaſi lilium. Huic generi no-* Oſeæ 14.
*men antiquiſſimum* SVSANAH, *à gemino deriuatum verbo,* SVS, *quod lætari
gaudereq; interpretamur, & à* SES, *vnde ſenarius dictus numerus. (Namque
Latinum* SEX, *& Græcum* ἕξ *ex antiquiſſima petita ſunt lingua.) Nam quæ
propriè vocantur lilia, ſenis tantùm conſtant foliis.*

*Elegantia, pulchritudine & varietate lilio proximum roſa tenet locum: cu-* 131.
*ius prius in anni temporibus editur ſpectaculum. S. S. E. Monteis immenſos* 4 Eſd. 2.
*ſeptem, habentes roſam & lilium: in quibus gaudio implebo filios tuos. &, Quaſi* Eccli. 24.
*palma exaltata ſum in Cades: & quaſi plantatio roſæ in Iericho. &, Obaudite* Ibid. 39.
*me diuini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate. &,* “
*Quaſi flos roſarum in diebus vernis. Ceteræ verò formæ omnes quocumque* Ibid. 50.
*modo habeant, quocumque colore fuerint, florum ſimplici gaudent nomine, deq;*

4 Eſdr. 6. *omni hoc genere ita legimus. Proceſsit enim ſubitò fructus multitudinis immen-*
*„ ſus, & concupiſcentiæ guſtus multiformes, & flores colore immutabili, & odores*
*„ odoramenti inueſtigabilis. Vitis & oliuæ quamuis tenuiſsimos, flores tamen ap-*
Gen. 40. *pellatos accepimus, Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines,*
Cant. 7. *creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere. &, Videamus ſi*
Iob 15. *floruit vinea. &, Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius: & quaſi oliua*
*„ proiiciens florem ſuum. Atque huiuſmodi minutiſsimi ac facile decidui flores*
ניץ *ſingulari nomine* NITS *dicuntur, quòd ſcintillis non ſint diſsimiles. vt, Poſt*
*flores vuas matureſcere,* CHALTHAH HANETSAH. *& apud Iobum, Et quaſi*
*oliuæ proiiciens* NITSTHO.

132. *Similes florum figuræ ſimile præſignant ſeminis vas, & ſemen demum, quan-*
Regulæ. *quam magnitudine diſpar, forma tamen non fore diſsimile. Rurſus etiam, Simi-*
*lia ſeminis vaſcula ſimiles florum figuras præceſsiſſe docent. Similia vaſa quæ*
*dici poſsint, iam diſſeruimus. ita videmus, Siliquas omnes tam in arboribus,*
*quàm in herbis perſimilibus florum prænunciatas figuris iis quæ in vulgatiſsi-*
*mo geniſtarum arbuſto conſpiciuntur, aut in fabis, phaſeolis & medica. ad quod*
*genus vaſorum & ſeminum innumerabiles ferè plantæ referuntur. Alterum*
*exemplum in illo herbarum ſtatuitur genere, quarum ſemen intra baccas nutri-*
*tur. Baccas verò in herbis appellamus vaſcula omnia quæ pellicula ambiuntur,*
*interiuſq́ue ſuccum cohibent nonnulla liquidum, alia lentiorem ac tenaciorem,*
*quædam denſatum magis, & in carnis aut abſceſſus tumoriſque in carne inſtar*
*habentem, quædam in tuberis modum ferè coactum. Omnibus enim huiuſmodi*
*vaſis conſimile continetur ſemen; ita vt ex vna tantùm cognita forma, ceteris*
*imponi poſsint nomina cum differentiarum adiunctis diſtinguenda. Nos genus*
*omne hoc mandragoras dicimus cùm Græco vtimur vocabulo. ſi verò Latino*
*Solanum; Sacræ linguæ aptiſsimo nomine* DOD, *id eſt, hubera vocantur.*

133. *Inuento genere ad quod planta referenda eſt, cetera quæ ad deſcriptionem at-*
Regula 2. *tinent, obſeruare & adiungere facillimũ eſt. Obſeruata verò vel recenti ſignan-*
*da ſunt nota, vel antiquorum aut noſtri temporis de eadem re ſcriptorum con-*
*ſultis & examinatis & artis cauſa ad methodum reuocatis vtendum eſt notis*
*ac deſcriptionibus. Cuius rei exempla plura in tertia operis huius parte Deo pro-*
*pitio exhibebimus, & locos indicabimus, ex quibus notæ ac deſcriptiones duci*
*poſſunt. Interim verò vnuſquiſque ſibi ex prima & notiſsima ſpecie, quam caput*
*faciat, parare notas per numeros poſsit, hoc modo, ſolani genus primum, ſecun-*
*dum, tertium, & quartum, & ceteris ad vſque vltimum ſibi reperiendum.*

134. *Quamquam ſuis vnamquamque plantarum formam certis coloribus proprios*
Regula 3. *ab initio flores tinxiſſe credimus, eoſdemq́ue perpetuò conſeruatos cupere, eóque*
*modis omnibus contendere obſeruamus: tamen id non perpetuò obtineri depre-*
*henſum eſt. Cuius rei in cauſa eſſe dicimus vel temporum varietatem, vel ſemi-*
*nis degenerationem: vel, quod præcipuum fuerit, Soli in quo plantæ naſcuntur*
*& creſcunt, naturam & ſalſi ſucci ex terra exugendi temperamentum varium*
*(ſiquidem huic ſucco colores, odores verò alteri adſcribimus.) Multum verò*
*referre quonam qualiq́ue ſolo committantur ſemina ad totius futuræ plantæ ex-*
*pectationem & felicitatem ſiue infelicitatem: nedum etiam ad coloris & odoris*
*in floribus mutationem, correctionem & incrementum vel detrimentum & ex-*
*perientia commonſtrat aſsidua, & omnis illa* IESV *præceptoris noſtri de ſemine*
*in*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA • SEVILLA •

in varia terra decidente docet ſimilitudo. Qua etiam de re ſcriptum legimus, 4 Eſd. 9.
Qualis ager, talia & ſemina: & quales flores, tales & tincturæ: qualis operator, talis & creatio: qualis agricola, talis cultura. Vnde quaſi ad miraculum obſeruatum eſt, herbarum flores, quæ in Britaniam inſulam aliunde transferuntur, quocumque colore in primæuis nituerint locis: tamen illic tandem mutatos candere albosq́; reddi. Quî verò hoc efficiatur ita coniicere licet. Salſus illius terræ ſuccus natura candidiſſimus eſt: id quod vapores ij qui iam propè nauigantibus terram indicant proximam albarum nubium inſtar viſuntur. Vnde antiquiſſimum inſulæ illi nomen Albion fuiſſe Geographi tradunt. quam rem & nos in illam ex Hibernia inſula traiicientes cernebamus: cùm qui ex aliis terris tolluntur halitus fumum plerumque referant obſcuriorem aut vario colore confuſum. Atque hanc eandem cauſam eſſe intelligimus perpetuæ copiæ ſtanni eiuſdemq́; optimi, quanta in illius inſulæ mineralibus effoditur. Ex hac igitur diſputatione illam proferre placet ſententiam. Floris mutato colore non variari ſpeciem, quamquam vires nonnihil immutari ſiquis contendat nil contra ſimus conaturi. Nam cùm omnia eodem ſe habent modo quo ab initio vel ab antiquo habuiſſe accepimus, vires quoque integras conſeruari cenſendum eſt. Hic enim ſuccus pinguis cum hoc ſalſo temperatus id perpetuo ex ſe præſtabit, quod hactenus præſtiterat. S. S. E. ET FACTVM EST SIC. In exemplari verò lingua legimus VAIHI CHEN, & erit ita rectè firmiter.

## DE ARBORIBVS.

ARBORVM ſumma genera duo ab initio fuere, eodem cum herbis die à terra, quam diuinum fœcundauerat iuſſum edita & producta. Alterum certis fructuum formis diſtinctum: alterum verò ramorum, frondium foliorumq́; pulchritudine & varietate ſpectabile. Neutrum autem ſine ſui vſu otioſum euaſit, vt inferiùs commodè indicabimus. Prius genus GHETS PERI vocatum, pro quo Latinè legimus, lignum faciens fructum. Poſterius verò ASER ZAR GHO BOLEMINO dictum, quod Romano ſermone interpres ita explicat, Cuius ſemen in ſemetipſo ſuper terram. id eſt, quod non ex fructu, vti prius, propagatur, genus: verùm ex ſui ipſius corporis partibus ac membris ſeminis vim & efficacitatem propagationis cauſa præſtantibus. Atque prima & perpetua huius rei inſtitutio illa fuit, Et ait [Deus] Germinet terra herbam virentem, & facientem Gen. 1.
ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum: cuius genus in ſemetipſo ſit ſuper terram. Non vnam tantùm hoc dicto, verùm duas nationes proferre terram iuſſam accepimus: alteram Lignum pomiferum faciens ſemen iuxta genus ſuum. Alteram verò, Cuius ſemen in ſemetipſo ſit. non in pomo ſiue fructu, ſed in ſemetipſo ſit ſuper terram. & factum eſt ita: atque hoc pacto in perpetuum conſtituto: Protulit terra herbam virentē, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignúmque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam. ASER ZARGHO BOLEMINEHV. Cuius ſemen in ipſo ad proprium MIN: Et vidit Deus quod eſſet bonum, & factum eſt veſpere & mane dies tertius. 136.

Eſt autem arbori primæuum nomen GHETS, quaſi durum & clauſum obturatumq́; dicamus, quod denſiore materia, & non ita vt herbarum penetrabili 137.

conſtet. Quamobrem & lini generibus inter herbas nominis huius prærogatiuam conceſſam obſeruauimus. Et abſcondit eos in PISTEI HAGHETS in lino ligni, in integro nondumq́ contuſo lino.

## De arborum differentiis ac diſtinctione.

138. VT in herbis ita in arboribus penes fructum atque ſemen cognoſcendæ formæ examen ſtatutum eſſe Conditor voluit. Nam duplicem naturæ huius propagandæ rationem conſtituit: alteram fructu, alteram ligni ipſius prolibus aut ramis transferendis. quas propagines dicere licebit. vt, Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. Ex vtriuſque rei obſeruatione arborum omnium tum formæ variæ, tum vtilitates vel incommoda dignoſcuntur: atque vſus etiam percipitur oportunitas. Quam rem tum ex inſtituentis lege, tum ex compluribus ſimilitudinibus ab hac natura petitis docemur. Lignumq́ faciens fructum iuxta genus ſuum, & habens vnumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam. Ex quo conſequitur non à radice, aut ramis & floribus, verùm à fructu & ſemine ſingula arborum genera eſſe cognoſcenda. Nihil enim obſtat, earum arborum quarum in ſpeciem pulcherrimi flores viſuntur, deterrimos exſpectari fructus. Id quod animaduertendum noſter ille veri & recti doctor monebat. Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere: nec arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur: igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. & iterum, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ſiquidem ex fructu arbor cognoſcitur.

Pſal. 79. Gen. 1. Matth. 7. Matth. 12.

139. Alteram etiam partitionem arborum in ſacris carminibus factam obſeruauimus in duo etiam genera ſumma diductarum, earum videlicet quæ, quòd fructum ferant, humanam expectant curam ſaltem ad fructuum promotionem, vel ad minimum colligendi cauſa; & earum quæ ſine humana cura ſponte creſcunt, & ſuam naturam integram commendabilemq́ tuentur ſolo diuinæ prouidentiæ beneficio oportunè curata. Prius genus ligna fructifera dicuntur; poſterius verò ARAZIM, pro quo Latini cedros reddere ſolent: quo tamen nomine omnia complecti oportet, quæ latiſſimo vocabulo EREZ comprehenduntur. Alio etiam modo hoc ampliſſimum genus à Vatibus diuidi bifariam ſolet, fructiferam partem ligna campi vel agri, vel regionis appellantibus: & ea quæ in montibus & ſiluis ſponte creſcunt: nec fructuum ergò curantur ARAZIM quoque dicentibus. Campus, vel ager, vel regio in Latina lectione pro nomine SADEH ponuntur: quod affine maximè eſt duobus vocabulis SADAD, quod arare & glebas ſcindere; & SAD, quod vber ſignificat: quo nomine admonemur agri vbertatem cultura augeri. Quæcunque itaque hoc modo curantur arbores, ligna, ſiue arbores campi vel agri dicuntur, & fructum ſeſe curantibus oportunum reddunt operæ pretiumq́ faciunt: cetera, vti diximus, quæ ad alios petuntur vſus, ad ARAZIM referuntur, eademq́ Deum vnicum ſui curatorem vendicant. S. S. E. Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit. &, Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri. &, Sicut malus inter ligna ſiluarum: ita dilectus

Pſal. 103. Cant. 2.

*dilectus meus inter filios. &, Secundum enim ligna ſiluæ, ſic ignis exardeſcit. &,*
*Sicut mouentur ligna ſiluarum à facie venti. &, Reſonate montes laudationem:* Eccli 18.
*ſaltus, & omne lignum eius. &, Montes & colles cantabunt coram vobis lau-* Iſaiæ 7.
*dem: & omnia ligna regionis plaudent manu. &, Ecce furor meus & indignatio* Iſaiæ 44.
*mea conflatur ſuper locum iſtum: ſuper viros, & ſuper iumenta, & ſuper lignum* "
*regionis, & ſuper fruges terræ. &, Quia lignum de ſaltu præcidit: opus manus* Iſa 55.
*artificis in aſcia. &, Scient omnia ligna regionis quia ego Dominus humiliaui* Ierem. 7. Ezech. 17.
*lignum ſublime, & exaltaui lignum humile: ſiccaui lignum viride, & frondere* "
*feci lignum aridum. Ego Dominus locutus ſum & feci. &, Dabit lignum agri* Ezech. 47.
*fructum ſuum: & terra dabit germen ſuum. &, Super torrentem orietur in ripis* "
*eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non* "
*deficiet fructus eius.* "

## Prioris arborum generis partitio ex fructuum generibus.

QVEM *ſermo noſter* fructum *à fruendo fortaſſe, linguarum antiquiſsima* 140.
PERI *vocat; aptiſsima videlicet notatione: namque nomen hoc à verbo* PARAH
*deductum creſcendi ſignificationem præfert: eò vſus Deus animantibus fœcun-*
*ditatis copiam fecit*, PERV, VRBV. creſcite & multiplicamini. *Quod ergo*
*fructus ipſe mirum in modum pro naturæ ſuæ ratione creſcat: idq́ breui, hoc eſt,*
*intra ſemeſtre tempus perficiatur: atque eiuſdem virtute ſui generis plantæ pro-*
*ſeminatæ ſuccreſcant: nec non & animantibus iis, quibus vſui fuerit, alimenti*
*& incrementi materiam ſuppeditet, hoc nomine dictus eſt, quod etiam affine*
*valde eſt verbo* PARA, *quod extendere & multiplicare interpretamur, eadem*
*ferè literatura craſsiore ac tenuiore tantùm ſpiritu differente. Atque arboribus*
*ac terræ primùm, deinde verò animantibus idem nomen conuenit; non ex analo-*
*gia, ſed ex germana potius ratione: Legimus enim* GHETS PERI, lignum fru-
ctus *ſiue* fructiferum. *&* PERI HADAMAH, terræ cultæ fructum. *&* PE-
RI BETEN, fructum ventris. *&* PERI HAARETS, fructus omnes, quos
terra profert. *&* PERI CHERAMIM, vinearum fructum. *&* PERI MA-
GHASSE ELOHIM, fructum operum Dei. PERI THEENA, ficulneæ
fructum. *Ceteris elocutionibus fructus nomen per tralationem aſciſcitur. Ab*
*antiquiſsima verò lingua idem verbum nulla ferè conſonantium mutatione in*
*Latino ſermone hæſit illi fructuum generi adſcriptum, quod plurimis ac variis*
*formis eſt frequentiſsimum, hoc eſt, pyrorum.*

*Eſt itaque fructus cuius cauſa arbores omnes fructiferæ genitæ videntur, quo* 141.
*producto ſingulæ ſuum officium facere, atque ſuum vnaquæque* GHOLAM *ab-*
*ſoluere cenſetur. Nam quæcunque huic defuerit legi, modo iis, quibus ad eam opus*
*habet, non fuerit fraudata, inutilis atque ex rerum theatro pellenda iudicatur.*
*S.S.E. Omnis arbor quæ non faciet fructum, exſcindetur, & in ignem mittetur.*

*Fructus autem omnes, quod ad genera facit, quadrifariàm partimur, in* MA- 142.
LVM, BACCHAM, NVCEM, *&* SILIQVAM. *Malum dicimus quemcun-*
*que arborum fructum qui pelle tenaciore, carne denſiore minus fluida conſtat,*
*circum cuius medium ſiue centrum ſemen gignitur & conſeruatur, ſiue vno ſiue*
*pluribus id conſtet granis. Baccham verò eam vocamus, quæ molliori atque hu-*

*mida magis prædita eſt carne tenuiq́ pellicula contegitur, ſemenq́ cohibet ligneo concluſum cortice. Nucis autem nomen fructibus omnibus conueniet, quicunq́ ſub duro ſiue nudo, ſiue tunicis veſtito cortice ſemen continet, & propagando generi idoneum & animantum victui oportunum. Siliquam demum, quæ longiore, ſicciore, nec nimium craſſo cortice ſuccū magis etiam quam baccha tenuem certis internodiis diſtinctum fouet, quo ſemen apprimè durum & contumax concreſcit, dureſcit, & aſſeruatur.*

143. *Ad quatuor hæc tanquam ad ampliſſima collegia fructibus referendis omnibus, in quonam genere vnaquæque arbor cenſeatur, ſiue nota ea ſiue peregrina ſit, exiguo aut nullo cognoſcetur negotio. id quod tertia operis huius parte compluribus indicabimus exemplis; nunc verò paucioribus contenti, ita rem hanc expediemus.* TAPVAHH *nomen horum generum primo inditum, pro quo Latinis* malum *vſurpabitur, non vſquequaque quidem conueniens: tamen eorum, quæ contingunt, rei naturæ proximum. Secundo generi nullum prorſus idoneum in antiqua lingua obſeruare meminimus præter commune omnibus* PERI. *Tertium verò genus omne* AGVZ *complectitur: quod in illo myſtico carmine Vates vſurpauit, Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.* Cant. 6.

*Quarto generi nomen* HHARVB *primæuæ linguæ ſtudioſi dedere à corticis ariditate factum. Primi generis mala omnia & pira erunt, quocunque diſtinguantur nomine, vt apud Latinos aureum, apium, picenum, cruſtumium: Secundi verò oliua, palma, ficus, vua, & quæ punica etiam dicuntur Latinis & medica quoque prunorum & cereorum, ſiue cereolorum formæ omnes. Tertij autem, glandes iuglandesq́ cunctæ, caſtaneæ, auellanæ, amygdalæ, vel quæ in ſacris chartis* LVZIM *à noſtris piſtacea dicuntur, vel quæ* SEKEDIM, *id eſt, omnium arborum feſtinantiſſimè florentes, quæ amygdali ſibi nomen apud nos addixerunt. Porrò poſtremo in genere ſiliquæ tum vulgares, noſtráque cælo creſcentes, tum peregrinæ, ac nauibus aliundè petitæ & aſportatæ, quales caſias fiſtulas ac tamarindos vocari audimus.*

144. *De arborum floribus, quos ad roſæ &* NITS, *id eſt, ſcintillarum genera referre nihil obſtat: in priore plantarum conſideratione diſſeruimus.*

קעיף *Arboris ramo multiplex contigit nomen,* ZZAGHIPH *commune omnibus*
קעף *quacunque ex parte erumpentibus. cuius imponendi ratio à* ZZAGHAPH *deducta videtur; quod verbum intumeſcere interpretamur: tumet enim arbor ea*
שוך *parte qua ramum profert. Secundum nomen eſt* SOCH, *à* SACHAH, *hoc eſt, à ſepiendo tractum, ſiue à denſando dicere malimus: quippe ramorum denſitate vmbra paratur, qua arboris truncus & fructus ab æſtu ſolent defendi.*

פאר *Tertium nomen* PEAR *à* PARAH *factum, quod creſcere & promoueri, ac*
פרה *decere ſignificat. idq́ propriè tribuitur ramis iis, quibus tota arboris coma & figura contexitur, hoc eſt, maximis & firmiſſimis. Medius autem ac præcipuus*
דליה *ramus, qui ceterorum rectiſſimus & longiſſimus aſſurgit,* DELIAH *dicitur,*
דלה *à* DALAH *verbo, hoc eſt, haurire apud noſtros: quod illius hauſtu ab imis radicibus humor, ſiue geminus terræ ſuccus exuctus, & ipſi & aliis ſuppetat feli-*
צמיר *citer. Huius ſuprema pars & eminentiſſima* TSEMER *vocatur, quam Latini ſummitatem dicunt, vel cacumen. Hæc ramorum nomina apud Ezechielem diligenter obſeruantur diſtincta.*

*Folia*

*Folia virorem & venuſtatem præferunt, fructus ab aëris & æſtus iniuria* 145.
*vendicant, & ramos etiam ipſumq́; opacant ſtipitem. Foliis decidentibus, arbor inhoneſtior ac mæſta viſitur, & fructibus calamitas accidit, ſi præter tempus hæc defluant. Cuius folia non deſiderantur, arbor laudem commendationémque meretur. Hæc omnia ex illis edocti ſumus locis. Et erit tamquam lignum, quod* Pſal. 1.
*plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo:* "
*& folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur. &, Iu-* Prou 11.
*ſti tamquam virens folium germinabunt. Et erit quaſi lignum quod plantatur* Ierem 17.
*ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cùm venerit* "
*æſtus: & erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum: nec* "
*aliquando deſinet facere fructum. &, Super torrentem ex vtraque parte orie-* Ezech. 17.
*tur omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus* "
*eius. &, Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius. Rurſus verò his illa* Dan 4.
*opponuntur. Cùm fueritis quaſi quercus defluentibus foliis: & velut hortus abſ-* Iſaiæ 1.
*que aqua. Et omnis militia eorum defluet ſicut defluit folium de vinea & de fi-* Idem 34.
*cu. Excutite folia eius, & diſpergite fructus eius. Eſt autem nomen huic plan-* Dan. 4.
*tarum parti* GHALAH *ab eiuſdem vocis verbo, quod ſuperare, aſcendereq́; interpretamur: ſuperat enim folium & aſcendit, & pro magnitudinis ratione citiſſimè creſcit. Viget verò magis in folio ſalſus quàm pinguis liquor & ſuccus: indeq́; color tingitur varius pro ſucci ſalſi varia etiam temperaturæ vi; quæ intra ramorum denſitudinem excocta oportuna ſalis virtute deducitur. Quæ diuturnè perdurant folia plus ſucci pinguioris quàm cetera aſciſcunt, ac temperato fouentur calore: vt lauri, myrti, medicíq́; mali genera omnia, & oliuarum familiæ, cyſti & myricæ, pini atque cedri.*

## De herbarum arborumque vſu.

PLANTARVM *omnium, quæcumque tertia die extitere, munus, & ſemine,* 146.
*& fructibus pro cuiuſque genere perficiendis & maturandis abſoluitur. Idq́ue generum horum Gholam proprium eſt, vti iam diſſeruimus. Sed nihil horum cauſa caret: cauſam verò dicimus vſum, quem ex his cùm animantes ceteræ, tum*
*præcipuè homo percipit. S. S. E. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſe-* Gen. 1.
*men ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem gene-* "
*ris ſui: vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omniq́; volucri cæ-* "
*li, & vniuerſis quæ mouentur in terra. In exemplari ita lignorum genera con-* "
*ceſſa,* Omne lignũ, in quo fructus ligni ſeminificantis ſemen. *Et iterum:*
*Produxitq́; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcen-* Gen. 2.
*dum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumq́; ſcientiæ boni & ma-* "
*li. Tulit ergo Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis vt opera-* "
*retur, & cuſtodiret illum: & præcepit ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede:* "
*ex ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* "

*Optimum & oportuniſſimum in ſeminibus hominum generi frumentum eſt:* 147.
*cuius vel vnius oportuna copia humanæ vitæ alimentum præbere poteſt, cùm cetera omnia ad delicias & honeſtam voluptatem modò modeſtè & gratulanter*
*vſurpentur, conceſſa fuerint. S. S. E. Vt educas panem de terra, & vinum læti-* Pſal. 103.
*ficet cor hominis. Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* "

Gen. 18. Et ponam buccellam panis, & confirmetur cor veſtrum. Viduam eius benedicens
Pſal. 131. benedicam: & pauperes eius ſaturabo panibus. Quomodo deſcendit imber & nix
Iſaiæ 55. ,, de cælo, & illuc vltrà non reuertitur: ſed inebriat terram, & germinare eam
Iſaiæ 58. facit: & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti. &, Frange eſurienti panem
Eccli. 29. tuum. &, Initium, id eſt, fundamentum, & ſufficientia vitæ hominis aqua &
Thren. 4. panis. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Melior eſt buc-
Prou. 17. cella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.

148. Ceterarum herbarum tum folia, tum ſemina condimenti magis quàm ali-
menti vicem præſtare cenſentur: adeo vt legumina etiam deteriore ſucco præ-
Dan. 1. dita putentur: ideóque pro miraculo tres iuuenes leguminum eſu ſanos incolu-
mesq́ nituiſſe narrentur.

149. Fructuum autem maximam partem quod ad incrementum & maturationem
facit, ſolis efficientiæ ſacra philoſophia adſcribit: nonnullam verò portionem
lunæ calori & humiditati tributam obſeruauimus, eam verò eſſe intelligimus,
quam ex quarumdam herbarum annuo genere proferri videmus: cuius variæ
formæ viſuntur cùm apud noſtrates, tum verò ex diuerſis orbis terrarum parti-
bus allatæ: in quo cenſu, cucurbitæ, melones, melopepones, & cucumeres omnes
ſunt, qui intra vnum aut alterum menſem creſcunt & conſummantur. Iidémque
natura & efficacitate ſalſo ſucco magis quàm pingui abundare deprehendun-
tur: ideoq́ minus & incommodius alere ac nutrire cenſendi. Horum autem ſemi-
Deut. 33. na frigidiora habentur. De vtraque verò fructuum differentia ita legimus, De
,, benedictione Domini terra eius, de pomis cæli & rore atque abyſſo ſubiacente.
,, De pomis fructuum ſolis ac lunæ, & de vertice antiquorum montium: de pomis
,, collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius. Huius voti ac
prædictionis compendio omne fructuum & annonæ genus, quo mortales iuuari
poſſunt, diuinus ille ſenex complexus eſt.

150. Ex arborum ceterarúmque plantarum fructibus quidam breues ac fugaces,
nempe vere aut æſtate matureſcentes viſuntur ad caloris & æſtus temperandum
faſtidium dati, idq́ efficientes ſi modò oportunè ac parcè vſurpentur. Alij lon-
gius durant vel integri aſſeruati, vel arte conditi & comparati. Hi & natura
potiores habentur, & ad alendam vitam magis idonei, vtpote quibus, is qui præ-
ſtat ſuccus, concoctior & aptior contingit: ſiue is pinguis ſit, vt in baccis & nu-
cibus: ſiue ſalſus, vt in malis.

151. In fructibus qui ſeruari poſſunt commendatiſſimi habentur vinearum, fi-
cuum, & malogranatorum, atque oliuarum: ſed hi propter olei magis quàm pro-
pter carnis vſum. & quæ horum fructuum ferax regio eſt, in beatiſſimis cenſe-
,, tur. S. S. E. Introducet te Dominus Deus tuus, introducet te in terram bonam,
,, terram riuorum, aquarumq́ & fontium: in cuius campis erumpunt fluuiorum
,, abyſſi: terram frumenti, hordei ac vinearum: in qua ficus & malogranata & oli-
,, ueta naſcuntur, terram olei ac mellis. Quem locum non de melle quod apes confi-
ciunt, ſed de ſilueſtri melle, quem nunc ſaccarum vocant, intelligimus: quippe
earum cannarum, ex quibus ſuccus ille dulcis exprimitur, natiuam copiam illa
regio alebat.

152. Vuæ recentes & penſiles, & ſole ſiccatæ ceteris præſtant fructibus, & vbi iam
maturuerint, minimo cum periculo ad ſaturitatem fere vſque eduntur. S. S. E.
Deut. 23. Ingreſſus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit. Ficus etiam
recen-

*recentes, & ex arbore modò decerptæ, eſui aptæ ſunt: non tamen adeo liberaliter atque vuæ: quia plus mellis quàm illæ habent. & ſcriptum eſt: Inueniſti mel?* Prou 25.
*comede quòd ſufficiat tibi: ne fortè ſatiatus euomas illud. & ſcriptum etiam eſt:* "
*Egredimini ad me, & comedet vnuſquiſque de vinea ſua, & de ficulnea ſua. &,* 4 Reg. 18.
*Qui ſeruat ficum comedet fructus eius. Et dixit Dominus ad me, Quid vides* Prou. 27. Ierem. 24.
*Ieremia? & dixi, Ficus, ficus bonas valde: & malas, malas valde, quæ* "
*comedi non poſſunt. &, In die illa, dicit Dominus, vocabit vir amicum ſuum* Zach 3.
*ſubter vineam, & ſubter ficum. De vuis ad fumum exiccatis ſiue penſilibus &* "
*ficubus ſole conſeruatis, ad victum mentio in ſacris fit hiſtoriis. Feſtinauit igi-* 1. Reg. 25.
*tur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes co-* "
*ctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas vuæ paſſæ, & ducentas maſ-* "
*ſas caricarum, & poſuit ſuper aſinos, &c. Dulciſſimum verò ac fere melleum eſſe* "
*ficuum ſuccum arbor ipſa profeſſa eſt, Dixerunt ligna ad arborem ficum, Veni, &* Iud. 9. 10.
*ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit, Numquid poſſum deſerere dulcedinem* "
*meam fructuſq́; ſuauiſſimos, & ire vt inter cetera ligna promouear? Proximum* Ioel. 1.
*malogranato laudis locum palmæ fructus vendicat, Vinea confuſa eſt, & ficus* "
*elanguit: malogranatum, palma & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia* "
*confuſum eſt gaudium à filiis hominum. Ex quo loco animaduertimus, fructus* "
*hos omnes voluptatis honeſtæ & gaudij delitiarúmque cauſa hominum generi fuiſſe conceſſos à Deo ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus, vt Apoſtolus docet.*

## Annonæ ex fructibus parabilis ratio.

153. PRÆCIPVA *annonæ ad humanam vitam alendam ratio duobus tantum ex generibus comparatur: & comparata, aſſeruatur. Herbarum ſeminibus non quidem omnibus, ſed ex quibus confici panis poſſit: ad quæ legumina velut ſubſidiaria referuntur: & arboribus non etiam cunctis, verùm iis tantùm, quarum fructus vel calcati, vel aliàs prælo compreſſi vel potui aptum liquorē, vel pinguem omnino olei ſuccum remittunt, & præſtant diutius duraturum, ſi modò tempeſtiuè & rectè parare & aſſeruare quis nouerit. Atque ita tria genera hæc, vnum aridorum, ac duo liquidorum, tribus commendantur nominibus,* DAGAN, THIROS, IITSHAR. *Quidquid enim ex area defertur* DAGAN *dicitur; quod ex lacu hauritur, & vſurpari in potu ſolet* THIROS; *quod verò ex prælo exprimitur, & ad lucernarum vſum, ad vnguenta, & interdum ad ferculorum condimenta idoneum euadit,* ITSHAR *appellatur: in quo genere præcipuam laudem oliuarum oleum meretur: aliarum verò baccarum & nucum expreſſus pinguior ſuccus non ita vtilis ad omnia habetur. vt neque ex pomis expreſſus* THIROS, *neque ex baccis alius præterquam ex vuis aut pariter laudatur, aut* IAIN, *id eſt, vini meretur nomen: ſed ad latiſſimum verbum* SIKAR, *quod inebriare ſignificat, relegatur. Atque his tribus generibus omnem oportuniſſimi & maximè communis victus hominibus comparandi vim potiſſimùm ineſſe compluribus didicimus teſtimoniis legitimis: tum etiam ex Vatum ſermone petitis.*
*Cuſtodiet Dominus Deus tuum pactum tibi: & miſericordiam quam iura-* Deut. 7.
*uit patribus tuis: & diliget te ac multiplicabit, benedicetq́; fructui ventris tui:* "
*& fructui terræ tuæ, frumento tuo atque vindemiæ, oleo, &c. Et dabit pluuiam* Deut. 28.

*terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, vt colligatis frumentum & vinum &*
2 Par. 31. *oleum.* DAGAN, THIROS, VEHTSAR. *& , Plurimas obtulere primitias*
„ *filij Iſrael* DAGAN THIROS VEHTSAR *frumenti, vini & olei, mellis quo-*
Neem. 10. *que. & apud Nehemiam: Omnium arborum vtriuſque generis fructus in ſancta*
Ibidem 13. *afferendi vouentur cum frumenti etiam primitiis. Et primitias ciborum noſtro-*
„ *rum, & libaminum noſtrorum, poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei.*
Ioel. 2. *Omnis ligni* THIROS VEITSHAR. *Et omnis Iuda apportabit decimam* DA-
„ GAN THIROS VEITSHAR *in horrea. Et implebuntur horrea frumento, &*
„ *redundabunt torcularia* THIROS VEHESHAR, *vino & oleo vertunt in-*
*terpretes, verùm ea quam indicauimus ſignificatione. Ea verò omnia, quorum*
*vſus mortalibus ad vitam & honeſtè ac purè piis, & contra luxurioſè & lautè*
*improbis agendam ſatis ſuperq; fuerit Eccleſiaſtici, ſapientiſsimus ille ſcriptor,*
Eccli. 39. *breui ſermone complexus, enumerauit. Initium ſiue ſufficientiæ neceſſariæ rei*
„ *vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, lac & panis ſimilagineus, & mel & bo-*
„ *trus vuæ, & oleum, & veſtimentum. Hæc omnia vt ſanctis in bona, ſic & im-*
„ *piis & peccatoribus in mala conuertuntur.*

## De aliis, qui ex plantis capiuntur, vſibus.

154. NEC *leuis, nec aſpernanda voluptas ex odoribus capi ſolet, modò legitimè*
*& oportunè petatur. Atque præcipua odorum & iucundiſsima variaq; vis ex*
*plantarum & fructuum multiplici ſucco oritur: quarundam quidem vltrò ſpi-*
*ritum hominum ſenſibus gratum exhalantium, aliarum verò lachrymam vl-*
*trò remittentium: nonnullarum ignis calore aut alia vi ſuccos præbentium ſua-*
Gen. 27. *ueis. Primi generis exemplum illis aliisq; ſimilibus indicatur notis, Ecce odor fi-*
Cant. 1. *lij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. & , Vineæ florentes dede-*
Ibid. 7. *runt odorem ſuum. Odor oris tui ſicut odor malorum. & , Mandragoræ dede-*
Eccli. 39. *runt odorem. &, Quaſi Libanus odorem ſuauitatem habete. Florete flores quaſi*
Oſeæ 14. *lilium: & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum. &, Ibunt*
4 Eſd. 6. *rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius: & odor eius vt Libani. & , Verbum*
„ *enim tuum proceſsit, & opus ſtatim fiebat. Proceſsit enim ſubitò fructus multi-*
„ *tudinis immenſus: & concupiſcentiæ guſtus multiformes, & flores colore immu-*
„ *tabili, & odores odoramenti inueſtigabilis. Die tertia hæc facta ſunt.*
Exodi 30. *Secundi verò ac tertij generis illa obſeruantur, Sume tibi aromata, ſtacten &*
„ *onycha, galbanum boni odoris & thus lucidiſsimum: æqualis ponderis erunt om-*
Prou. 27. *nia. Faciesq; thymiama compoſitum opere vnguentarij. &, Vnguento & variis*
Cant. 4. *odoribus delectatur cor. & , Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*
Ioan. 12. *& , Odor veſtimentorum tuorum ſicut thuris. & , Maria accepit libram vn-*
„ *guenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & extersit pedes eius capillis*
Pſal. 40. *ſuis: & domus impleta eſt ex odore vnguenti. &, Myrrha, & gutta, & caſia à*
Prou. 1. *veſtimentis tuis à domibus eburneis. &, Aſperſi cubiculum meum myrrha.*
155. *Vnguenti optimi natura omnis pingui conſtat ſucco, nihil ſecum admittens*
*ſalſi; quare vt ſimpliciſsima & pura eſt, ita pinguedinis integrum vendicat no-*
*men* SEMEN, *ob eamq; rem corpori infuſum aut inunctum, ad intima vſq; pe-*
Pſal. 44. *netrat oſſa.* S.S.E. *Et deſcendet ſicut aqua in interiora eius: & ſicut oleum in oſ-*
„ *ſibus eius. Latinus autem ſermo olei & vnguenti confundit nomina.*

Odora-

## Odoramentorum pinguium diſtinctio.

QVÆCVMQVE *huius generis tenaciora minuſq́ fluida fuerint, ſiue ea la-* 156.
*chrymæ, ſiue ſint ſucci, communi vocabulo dicuntur* BOSEM, *id ſignificanti*
*nimirum: quod, quamquam oleum non videatur, oleum tamen in ſe ipſo, ſiue*
*ipſum eſt oleum. Hoc nomen omne complectitur odorati, vel ſucci, vel fluoris ge-*
*nus, quod ex plantis vel ſponte fluit, vel ignis vi liquefactum remittitur. Atque*
*adeò ligna ipſa ex quibus huiuſmodi educuntur odores. Diſtinguitur verò no-*
*men hoc à* SEMEN, *quòd vel odoratum ac ſimplex, vel compoſitum ex odora-*
*mentis, & arte concinnatum oleum ſignificat. Atque omnia hæc illis edocti ſu-*
*mus locis, Ligna Sitim, oleum ad luminaria cõcinnanda, aromatum in vnguen-* Exod. 25.
*tum. Quod Latinè aromata legimus, in primæua lingua eſt* BESAMIM. *&,*
*Sume tibi aromata capitis, hoc eſt, prima, quæ deinde ſigillatim nominantur, Et* Exodi 30.
*Principes obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale & ratio-* Exodi 35.
*nale: aromataq́, & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum vn-* „
*guentum. &, Regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini, venit* 3 Reg. 10.
*tentare eum in ænigmatibus: & ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu & di-* „
*uitiis, camelis portantibus aromata, aurum, &c. Dedit ergo regi centum viginti* „
*talenta auri, & aromata multa nimis. & ſinguli deferebant ei munera, vaſa* „
*argentea & aurea, veſtes & arma bellica, aromata quoque. &, Lætatus eſt au-* 4 Reg. 20.
*tem in aduentu eorum Ezechias: & oſtendit eis domum aromatum, & aurum,* „
*argentum, & pigmenta varia: vnguenta quoque, & domum vaſorum ſuorum.* „
*Non fuerunt aromata talia vt hæc, quæ dedit regina Saba Salomoni. &, Poſue-* 2 Par. 9.
*runt eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus & vnguentis meretriciis, quæ* „
*erant pigmentariorum arte confecta. &, Cypricum Nardo, nardus & crocus,* Cant. 4, 5. & 6.
*fiſtula, & cinnamomum, cum vniuerſis lignis* BESAMIM. *Myrrha & aloe cum* „
*omnibus primis vnguentis. &, Genæ eius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pi-* „
*gmentariis. &, Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatũ.* „
*&, Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloq́ ceruorum ſuper montes aroma-* „
*tum. &, Venditores Sabba & Reema, ipſi negotiatores tui. Cum vniuerſis pri-* Ezech. 27.
*mis aromatibus & lapide pretioſo, & auro quod propoſuerunt in mercatu tuo.* „
*Hæc de genere hoc ſatis nunc dicta. Hinc facile coniectu eſt, vnguento illi opti-*
*mo, & vni Iudææ tantùm vico à natura conceſſo, præſtantiæ cauſa apud Græcos*
*& Latinos balſami, ſiue balſamorum nomen tributum in pluralis forma, quòd*
*ita plerumque in primæua lingua vſurpetur.*

*Eſt & aliud nomen* ZZAM, *quod generis obtinet formam, & certas ple-* 157.
*rumque complectitur odoramentorum naturas: quorum in ſuffitu & medicina* קם
*vſus eſt præcipuus, cùm ea quæ* BESAMIM *vocabulo nominantur, & ad odo-*
*rem, & ad cibi & condimentorum voluptatem vſurpari ſolere videantur. Pro*
*hoc quoque nomine* ZZAM *Latinus interpres aroma, vt pro illo altero, ſolet re-*
*ponere: nonnumquam thymiama, interdum incenſum reddit. vt, Oleum ad lumi-* Exodi 25.
*naria concinnanda, aromatum in vnguentum, & thymiamata boni odoris. In* „
*primæua lingua* LEKETORETH HAZZAMIM, *id eſt,* ZAMIM, *ad ſuffi-*
*tum. &, Adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuaue fragrans mane. & oleum* Exod. 30.
*vnctionis, & thymiama aromatum in Sanctuario. In exemplari* KETORETH „
ZZAMIM, *ſuffitum* ZAMIM. *& oleum ad luminaria concinnanda. &, Vt* „

Exod. 35. *conficiatur vnguentum & thymiama ſuauiſſimum. Hîc etiam* KETORETH
Leu. 16. ZZAMIM *legimus. Et aſſumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit,*
» *& hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit in*
» *Sancta: vt poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat ora-*
» *culum, quod eſt ſupra teſtimonium, ne moriatur. Denique nullibi nomen* ZZAM *inuenitur à verbo* KETORETH *ſeiunctum, quod ſuffitum, ſiue incenſum noſtro in ſermone eſt, præterquàm loco vnico, in quo ſingulæ* ZZAMIM *recen-*
Exodi 30. 34. *ſentur formæ: quamobrem vel Latinum nomen* ſuffimenti, *vel Græcum Thymiamatis huic vocabulo non ineptè reſpondebit.*

## Balſamorum ſiue aromatum præſtantiſſima.

158. QVATVOR *cumprimis in* BESAMIM *vſu tamquam commendata, atque in ſacrorum legitimis vſurpata myſteriis accepimus,* MOR DEROR, KINAMON BOSEM, KANA BOSEM, *&* KIDAH: *de quibus ita in lege ſtatui-*
Exodi 30. *tur, Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Sume tibi aromata prima, myr-*
» *rhæ electæ quingentos ſiclos, cinamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta*
» *ſiclos: calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos,*
» *in pondere ſanctuarij.*

159. *Hæc eadem qua recenſentur ſerie, ſuis ex locis petita examinabimus: ac primum quidem* MOR *ab amaritudine deductum vocabulum, quod aliis linguis* myrha *pronunciare in procliue fuit, arbitramur illud eſſe vnguentum, quod in Enghedi plantariis ex arbore ſpontè remiſſum à Græcis* opobalſamum *appellatum eſt: poſtea deinceps aliis atque aliis nominibus per varias gentes & linguas nuncupatum. Namque hoc & ex plantis fluere, & non lentum modò, ſed olei inſtar liqueſcere, atque gratiſſimum aſpirare odorem, ex locorum quibus celebratur argumento colligebamus. Atque antiqui qui de medica & vnguentaria materia ſcripſere auctores triplicis balſami ex eadem planta excepti meminere. Summi & præcipui ſponteq́; lachrymabilis, cui opobalſami nomen eſt inditum, mediocris, hoc eſt, Xylobalſami, quod ex arboris ligno vel materia, vi & arte extrahitur; & carpobalſami, quod ex baccis ſiue botris odoratis in olei modum exprimitur. Horum primum & generoſiſſimum à Deo* MOR DEROR *appellatur, id eſt,* MOR *liberum ſiue ingenuum, nempe minimè coactum, ſed ſponte fluens. Nil autem hoc loco moramur ea, quæ poſtea horum atque aliorum aromatum nominibus inditis pro vendentium libidine, & emptorum errore aſportata ac diſtracta ſunt: quorum examinandorum labor immenſus penè & nunc ſuperuacaneus euaderet: intentis tantùm ea, quæ ex ſacræ lectionis veritate obſeruauimus referre. Loca verò, in quibus huius* BOSEM *fit mentio, è veſtigio indicare commodum fuerit, vt & natura & vſus facilè cognoſcantur.*
Exodi 30. *Sume tibi aromata prima, Myrhæ electæ. quod primæua lingua* MORDEROR,
Eſther 2. *idem Latinus interpres Myrhæ electæ vocauit. &, Cùm autem veniſſet tem-*
» *pus ſingularum per ordinem puellarum vt intrarent ad regem, expletis omni-*
» *bus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita*
» *dumtaxat vt ſex menſibus oleo vngerentur myrthino, & aliis ſex quibuſdam*
» *pigmentis & aromatibus vterentur. Quod hic pigmentis & aromatibus legimus, in exemplari eſt,* SESA HHADASIM BESEMEN HAMOK. *Menſibus ſex*

*vnguen-*

*vnguento* MOR. *Et aſperſi cubile meũ myrha.* MOR. *Myrha, gutta, & caſia à ve-* Prou. 7. Pſal. 45.
*ſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filiæ regum in ho-*
*nore tuo. Faſciculus* HAMOR *dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur.* Cant. 1.
*Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myr-* Cant. 3.
*rhæ?* MIKETOR ET MOR, *ex ſuffitu* MOR. *Vadam ad montem myrhæ, &* Cant. 4.
*ad collem thuris. Myrha, aloe, cum omnibus primis vnguentis. Surrexi vt ape-* Cant. 5.
*rirem dilecto meo: manus meæ diſtillauerunt myrham,* MOR, *& digiti mei ple-* “
*ni* MOR *probatiſſima. Meſſui myrrham* MOR *meam cum aromatibus meis.* “
ARITHI MORI, *collegi meum* MOR. *Labia eius lilia ſtillantia myrham pri-* “
*mam,* MOR GHOBER, MOR *vendibile, id eſt, pretioſum. Cum his conue-* “
*nire videtur quod in Eccleſiaſtico legimus, Quaſi myrha electa dedi ſuauitatem* Eccli. 14.
*odoris. Quamquam de plurimis huius libri locis explorati parum pronunciare*
*poſſumus propter primæui exemplaris deſiderium.*

## KINNEMON BOSEM.

SECVNDVM *in legitimorum aromatum ordine locum* KINEMON *indica-* 160.
*tum obſeruamus. Et cinnamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta ſiclos.* Exodi 30.
*Quo loco in primæuæ linguæ exemplaribus legimus,* KINNEMON BOSEM,
*id eſt,* KINNEMON *aroma ſiue balſamum. quo adiuncto ab alio fortaſſis* KIN-
NEMON *diſtingui natura illa videtur cui aromatis genus non adſcribendum*
*eſſet. Eſt autem, vt arbitramur, Latinis hoc genus non ignotum, cum nomine*
*etiam* cynnamum, *ſiue* cynnama. *vt in tertia huius operis parte, Deo duce,*
*commemorabimus. Oportet autem eſſe oleoſi ligni genus, idem que odoratiſſimum,*
*quod & ſua ſponte ſuauem remittit lachrymam, & igni admotum, aut cum aliis*
*mixtum ſuauiter & acutè ſpiret: adeò vt ſimplex huius aromatis pondus cum*
*duplo ſuperioris* MOR *aptè Deo æſtimatore miſceatur. Id quod facilè indicat*
*calorem & fragrantiam aromatis huius duplo eſſe quàm illius acutiorem & pe-*
*netrantiorem: quam rationem & æſtimationem rerum in omni mixtionum vſu*
*conſiderari oportere docemur pro ſingulorum virtute & efficacitate. Præter il-*
*lum autem in myſteriorum legitimis locum, in quo huius* BOSEMI *mentio fit,*
*illa etiam diligenter indagantibus recenſentur. Aſperſi cubile meum* MOR *&* Prou. 7.
AHHALIM *&* KINNAMON, *Latino interpreti, Myrha & aloe & cynna-*
*momo. Fiſtula &* KINNAMON, *cinnamomum, cum omnibus lignis thuris.* Cant. 4.
*Eſt autem, vt ex deſcriptione cum antiquis odoramentis collata videtur, idem*
*quod nunc quibuſdam lignum aloe dicitur, adeò fragrans & penetrans vt capi-*
*tis etiã dolores ventoſà & humẽte frigidaque materia excitatos ſuffitu diſcutiat.*

## KENAH BOSEM.

EODEM *quo* KINNAMON *pondere* KENAH BOSEM *ad ſacri vnguen-* 161.
*ti mixturam poſcitur: Et* KENAH BOSEM *ſimiliter ducentos & quinqua-* Exodi 30.
*ginta ſiclos. Latinus interpres calamum hoc loco reddit: quod communi & fre-*
*quentiſſimo nomine* KANAH *& ad varias res, prout vſus fert, vſurpato lege-*
*rat. Namque* KENA *&* KANA *prima, vti videtur impoſitione plantam in-*
*terius cauam ſignificat, ſiue nodoſam, ſiue enodem exiſtimemus, nihil refert,*

*dummodo cauam eſſe intelligamus, ac iunco duriorem. quo vocabulo arundinum genus omne vocatur modò concauis ſit internodiis: craſſum vel tenue id ſit, parum intereſt. Ex qua ſimilitudine, præter alia multa quibus hoc nomen ſignificandis concedit, aromatis etiam lignei, ſiue libri arborei formæ odoratiſſimæ tributum eſt. In quo etiam genere aliud alio magis generoſum & odoratum exiſtere nihil prohibet. Hoc in noſtratibus ex Latina oriundis linguis nomen etiam diminutiua forma obtinens, à canna dicitur* canela. *res autem ipſa vulgatiſſima eſt: quamquam non ſemper præſtantiſſima ex India ad nos deferatur: cùm præcipuè marini itineris prolixitas & iniuria multo detrimento calidiores huiuſmodi naturas afficiat. Huius Ieremias meminit, Quid mihi thus de Sabba afferτis: & calamum ſuaue olentem de terra longinqua? Facile autem ratio cognoſcitur quamobrem huic nomini in legitimis ſacris addatur adiunctum* BOSEM, *cùm plura, vti diximus, eodem appellentur nomine, quæ ex vſurpationis, vel ex adiuncti obſeruatione diſtingui poſtulant. Hoc loco Ieremias* KANAH HATOB, *optimam cannam dixit, non tam, vt videtur, naturæ genus, quàm ſelectam & generoſam ſignificans elegantiam. Eam verò in terra longinqua naſci, atq; inde delectam ab elegantioribus curari ac poſtulari indicat.*

162. *Hoc vero aromatis genus ex Orientalioribus regionibus in Tyrum allatum, indeq; Græcis, Italis, Danis, & Moſchis proferri, & calybis commutatione diſ-*
Ezech. 27. *tributum Ezechiel recenſet. Dan & Græcia, & Moſekin nundinis tuis poſuerunt ferrum fabrefactum, ſtacte &* KANEH *calamus in negotiatione tua: venditores Sabba & Reema, ipſi negotiatores tui cum omnibus primis aromatibus.*
Iſaiæ 43. *Non emiſti mihi argento calamum: & adipe victimarum tuarum non inebriaſti me. His locis omnibus Latinus interpres pro* KANA, *ſiue* KANEH *calamum*
Cant. 4. *repoſuit. Idem verò in Canticis Fiſtulam reddidit. Nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, nomine Latino ad cauam alludente formam.*

## KIDAH.

163. SVAVISSIMI *etiam odoris* KIDAH *eſt, verùm minus quàm duo ſuperiora acuti: quod pondus arguit primo generi in mixtura par.* KIDAH *autē quingentos ſiclos in pondere ſanctuarij. quod nomen Latina verſio caſiam interpretatur. Apud Ezechielem verò* KIDAH *ſtacten Latinè legimus: Stacte & calamus in negotiatione tua. Hoc nomen Chaldæus interpres, & Arabes ſcriptores* KEZZIGHA & KETSIGHATA *pronunciant. Græci caſiæ nomen ſuperiori aromati tribuunt, vt ſuo diſſeremus loco. Certè inueſtigandorum nominum ſolerti indagine facile erit nomen* KETSIGHATA *ad* coſtum *verum reducere. Idem nomen Pſaltes plurali pronunciatum voce* KETSIGHOTH *in carmine poſuit.* MOR VE AHALOTH KETSIGHOTH, *Myrha, & gutta, caſia.*

## AHALOTH AHALIM.

164. MASCVLINA *& feminina forma nuncupatum legimus nomen, quod eiuſdem cum ſuperioribus generis odoramenta ſignificat, nuſquam ſingulari, ſed multitudinis numero repertum* AHALIM & AHALOTH, *pro quo Latinus interpres aliis atque aliis in locis aloe, guttam, & tabernacula reddidit. Atque*

*genus*

*genus hoc liquidorum potius quàm aridorum aromatum naturis adſcribi cùm*
*interpres ipſe indicare voluit guttam apud Pſaltem interpretatus, tum verò*
*verba, quibus ad vſum vocatur, ad coniecturam fores aperiunt. In Pſalmo cani-*
*tur*, MOR AHALOTH KETSIGHOTH, *Myrha, gutta, & caſia à veſti-* Pſal.44.
*mentis tuis, à domibus eburneis. In Prouerbiis verò*, NAPHTHI MISCHA-
BI MOR AHALIM VE KINAMON, *Aſperſi, ſiue inſtillaui lectum meum*
*Myrha, aloe & cinnamomo. In Canticis autem*, MOR VEAHALOTH, *Myr-* Cant.4.
*rha & aloe (vt interpres reddit noſter.) Atque ex earundem literarum com-*
*munione quaquam diuerſa pronunciatione inductus interpres, nomen hoc, quod*
*ſubductis vocalibus* 'HLTH *ſcribitur, ab aromatum ſignificatione ad notiſſi-*
*mam & frequentiſſimam vſurpationem tranſtulit: qua iiſdem elementis taber-*
*nacula vel tentoria ſignificantur. In ſingulari numero* OHEL *tentorium, ſi-*
*ue tabernaculum dici poteſt, eodemq́; numero* AHAL *hoc, de quo agimus, aroma*
*ſignificat. Huius plurale* AHALOTH *&* AHALIM *eſt: illius verò* OHE-
LOTH *&* OHELIM. *Vtrique ſi vocales tollas, manet* HLTH *&* HLM. *Sed*
*vtra ſignificatio in loco præſtet, incepti argumenti contextus indicat. Quam* Leuit. 24.
*pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael: vt valles nemoroſæ, vt* "
*horti iuxta fluuios irrigui: vt* tabernacula *quæ fixit Dominus, quaſi cedri pro-* "
*pe aquas.* CHA AHALIM NATAGH IEHVEH, *vt* AHALIM *quæ plan-*
*tauit Dominus. Et quamquam propter vocis vicinitatem aloën interpretes re-*
*ponant: non tamen illa aloë definienda quæ in euacuantium medicamentorum*
*cenſu à medicis ponitur, triſtis amariſſimusq́; ſuccus è ſui nominis humili & pin-*
*guiſſima planta expreſſus, vel ingrato, vel nullo memorabilis odore. Sed longè*
*aliud & plantæ, & lachrymæ conſtituendum genus odore commendatum ſuaui,*
*& inter Dei ſingulares plantas enumerandum. Atque hæc aloë illa fuit, quæ*
*ad inungendum* IESV *corpus, ad centum vſque librarum pretium coempta nar-*
*ratur. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad* IESVM *nocte primùm, ferens* Ioan. 19.
*mixturam myrhæ & aloës quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus* IESV, "
*& ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. vtrum-* "
*que autem genus ab Euangeliſta* AROMA, *hoc eſt,* BOSEM, *de quo iam diximus,*
*vocatur. An verò hoc idem ſit quod Harabicè* TSANDAL *dicitur, aliàs diſqui-*
*remus.*

## NERED.

EST *& in antiquis libris non ſimplex* NERED, *ſed* NERADIM *mentio, in-* 165.
*ter ſuauiſſimos odores receſiti liquoris; quem ex plantæ vel ſucco, vel, vt melius,*
*lachryma exprimi aut confici locorum comparatio facit indicium. Atque huius*
*nominis conſonantes literæ omnes eædem, quæ apud Græcos & Latinos* Nardi
*ſunt. an verò vnica eademq́; res omnino ſit quæ nardi vocabulo venditatur,*
*aliàs inquirendi copia dabitur. Loca verò in quibus hoc celebratur aroma, illa*
*ſunt: Dum eſſet rex in cubili ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Cypricum* NE- Cant. 1.
RADIM, *cum nardis.* NEREDVE CHAR CHOM, *nardus & crocus, fiſtula &* Ibid 4.
*cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani. Hoc verò idem fuiſſe vnguentum,* "
*cuius libram Maria Lazari ſoror inungendis præceptoris* IESV *pedibus impen-* Ioan. 12.
*dit, non ambigimus. Cuius pretium vel commune vltra trecentos denarios indi-* "
*cabat Iudas. Id quod omnis mercatorum adulterationis immune eſſet,* piſticum, "
*ſiue* ſpicatum *dicitur.*

CHER-

## CHERCHOM.

166. SEMEL *tantùm nomen hoc in ſuauium odoramenterum cenſum relatum viſitur*, NEREDVE CHARCHOM, *Nardus & crocus. Atque præcipuas* CHARCHOM *& Latini, ſiue Græci* Crocus *literas eaſdem eſſe, nemo affinitatis literarum peritus inficiabitur. Qualis tamen quantaq́ue croci inter odores celebritas fuerit, aliàs in huius operis veſtimentis indicabitur.*

## CHOPHER.

167. GRATISSIMI *odoris eſſe* CHOPHER, *Sponſa in Canticis nos docuit*, Bo-
Cant.1. trus CHOPHER *dilectus meus mihi, inter hubera mea commorabitur. Idemq́ue cum nardo ab eodem coniunctum commendatur*, CHEPHARIM *cum* NERADIM. *Vtroque loco Latinus interpres à literarum ſono non diſcedens* cypri *pronunciauit: ſed quid cypri nomine indicari poßit, aliàs vel à nobis, vel ab aliis diſſeretur. Nobis quidem balſami fructus hìc ſubolet, cui carpobalſami nomen Græci fecere. Primùm quòd planta illa in bacciferarum ſit cenſu, & botros lenti ac pinguis ſucci plenos proferat. Copher enim lentum, tenacem, tractantúmque manibus adhæreſcentem liquorem ſignificat. Quo etiam nomine ſi qua plantarum, maximè balſami arbuſtum legitimè gaudet, vtpote quæ & lachryma, & ligno, & fructu pingui, tenace ac leni polleat ſucco.*

## LEBONAH.

168. FREQVENTISSIMA *omnium, atque in ſacris vſurpatiſſima thuris lachry-*
Ierem.6. *ma eſt; cuius fertilitate & copia Sabaca præcipuè regio celebratur. S.S.E. Vt* 
» *quid mihi thus de Sabba affertis: & calamum pretioſum de terra longinqua? Huic à candore in primæua lingua nomen* LEBONAH *factum conſtat: vnde Græcis etiam vſurpatum* λιβάνοτος. *In quo genere aliud alij & facie, & odore præcellit. Sed quod optimum eſſet ad ſacri quotidiani ſuffitus vſum expetebatur; quale imitati etiam gentium ſacrificuli in ſua etiam templa & feſta intulerunt.*
Leuit. 2. *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio,*
» *fundetq́ue ſuper eam oleum, & ponet thus. Si autem obtuleris munus primitiarum*
» *tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus; torrebis igne, & confringes in mo-*
» *rem farris: & ſic offeres primitias tuas Domino, fundens ſuper ea oleum, &*
» *thus imponens: quia oblatio Domini eſt. de qua adolebit ſacerdos in memoriam*
» *muneris partem farris fracti, & olei, & totum thus. Atque hæc perpetua lex erat, totum thus vni Deo adolendi: cuius odor cremati, quàm integri & maior, & ſuauior eſt: cùm alia quamplura aromata integra magis quàm cremata fra-*
Leu.24. *grent. Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes: qui ſinguli*
» *habebunt duas decimas: quorum ſemis altrinſecus ſuper menſam puriſſimam*
» *coram Domino ſtatues, & pones ſuper eos thus lucidiſſimum, vt ſit panis in mo-*
» *numentum oblationis Domini. Atque hoc aromatis genus neque ad peccati expiationem, neque ad ſuſpicionis ſiue zelotypiæ munus inferri fas erat, magno ſi-*
Leu.5. *gnificationis myſterio. Non intret in eam oleum, neque thuris aliquid imponet:*
» *quia pro peccato eſt. &, Adducet eam ad ſacerdotem, & offeret oblationem pro illa,*

*illæ decimam partem ſati farinæ ordeaceæ: non fundet ſuper eam oleum, neque imponet thus: quia ſacrificium zelotypiæ eſt, & oblatio inueſtigans adulterium. De ipſis* [*Leuitis*] *erant, qui credita habebant vtenſilia ſanctuarij, præerant ſi-* 2 Par. 9.
*milæ, vino & oleo, & thuri, & aromatibus. Et Eliaſib ſacerdos fecit ſibi gazo-* "
*phylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vaſa,* "
*& decimam frumenti, vini & olei partes Leuitarũ. &, Quæ eſt iſta, quæ aſcen-* Cant. 3.
*dit per deſertum: quaſi virgula fumi ex aromatibus myrhæ & thuris, & vni-* "
*uerſi pulueris vnguentarij. Vadam ad montem myrhæ, & ad collem thuris.* Cant. 4.

*Ex quo argumentamur plantæ thuriferæ genus non omni loco, ſed certis ac deſtinatis à natura collibus prouenire. Generoſiſſimum autem, vti diximus, Sabæum eſt. Vbi Latinè in Canticis legimus, Cum vniuerſis lignis Libani, thuris ligna intelligimus: ex affinitate enim vocabuli, pro* Lebona, *Lebanon lectum*
*videtur. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui: & victimis tuis non glori-* Iſaiæ 43.
*ficaſti me. Non te ſeruire feci in oblatione: nec laborem tibi præbui in thu-* Iſaiæ 60.
*re. Omnes de Sabba venient, aurum & thus deferentes. &, Qui recordatur* Ibid. 66.
*thuris, quaſi qui benedicat idolo.*

## NETEPH, SEHHELETH, HHELBENAH.

AD *ſacroſancti & à prophanis vſibus prorſus excepti ſuffitus mixturam* 169.
*quatuor lachrymarum, ſiue ſiccati fluoris genera inferebantur; quorum nomina fuere* NETEPH, SEHHELETH, HHELBENA-ZZAMIM, *&, de quo modò egimus,* LEBONAH ZACHAH, *thus puriſſimũ frequenti vſurpatum mentione: cùm tamen aliorum trium nomina ſemel in ſacris inueniantur chartis. Dixitq́ue* Exodi 30.
*Dominus ad Moyſen, Sume tibi aromata,* NETEPH, SEHHELETH VEHHELBENA ZZAMIM, VLBONAH ZACHAH. *Atque prima omnium* NETEPH *præſtanti iure nomen ſtillæ ſiue guttæ vſurpaſſe videtur: namque hoc vocabulum ſignificat. nihil verò in hoc genere præſtantius opobalſamo eſſe poteſt. Cuius fluor vbi concreuerit ac duruerit, vti reſinas in arboribus concreſcere videmus guttæ ſiue ſtillæ, ſiue lachrymæ meretur nomen: quod ab interprete Latino in ſtacte verſum eſt.* SEHHELETH *verò nomen à fuluo, ſiue leonino colore factum videtur: quippe illa fera* SAHHAL *vocatur; & quantum ex Chaldaica paraphraſi adnotare licet, vnguem odoratum vnguentarij genus hoc dicere ſolent. quod & Latinus interpres onychina vertens, indicauit.*

HHELBENAH *autem apud Græcos nomen retinet, niſi quantum carentes* 170.
*litera & pronunciatione illa pectorali* HHETH, *affine aliquantulum elemento vti libuit, & pro* HHELBENA Galbana *dicere. Eſt autem Galbanum pinguis quidam ſiue lacteus ſuccus reſinæ in modum ex ferulaceæ plantæ genere quodam remiſſus. Habet autem à lacte ſiue pinguedine vocabulum, quòd lactis inſtar primùm fluat, deinde concretum melleo obſcurioriq́ue viſatur colore.*

## DE OLEO OLEIQVE GENERIBVS.

COMMVNISSIMVM *pingui ſucco omni nomen eſt* SEMEN, *quod Latini* 171.
*nunc pinguedinem, nunc oleum, interdum vnguentum interpretantur: id alterum & præcipuum ex duobus primis corporum principiis ſiue elementis eſſe dixi-*

*mus, pro conditoris verbi ſapientia varie diſtributum, & ad naturæ differentias rerum attemperatum, & ſalis, vti diſſerebamus, diuerſis quoque temperamentis admixtum. cui præcipuam definitionum in compoſitis corporibus prærogatiuam adſcripſimus, nullamq́; rem vel ſola pinguedine, vel ſolo ſale conſtare, niſi ipſum tantùm ſal, & ipſum* SEMEN, *ſiue pinguem ſuccum, quæ prima & ſimpliciſſima ſunt corpora, quæ non compoſita ſemper, ſed ſeorſum quoque reperiuntur: quamquam non ſemper pura, & vel ſui, vel alterius generis fecis expertia. Atque in huius generis & nominis communione qui ex oliuis exprimitur, pinguis ſuccus primas obtinet: adeò, vt cùm vel in antiquiſſima lingua* SEMEN, *vel in Romana oleum nuncupari auditur, niſi aliud diſtinctionis addatur cauſa, protinus oliuarum oleum nominari credatur: quamquam pro ratione vſus non rarò* ZAITH *in illa lingua, vel oleum oliuarum in hac adiungatur:*
Exod.27. *ne videlicet aliud pro alio temerè vſurpetur. vt in illo loco: Præcipe filiis Iſrael,*
" *vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloq́; contuſum, vt*
" *ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij extra velum, quod oppanſum*
" *eſt teſtimonio. Idem genus ad ſacrificiorum deſtinatum munera, ſic adnotatur.*
Ibid 29. *Decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam*
" *partem hin. Oleum tuſum ex oliuis nondum maturis mortario expreſſum intelligimus, quod ad ciborum & condimentorum vſum præſtat. Idem ad ſacras vn-*
Ibid.30. *ctiones ſic exigitur, Caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarij, olei de*
" *oliuetis menſuram hin. Ex hoc triplici vſu triplex frequentatur nominum adiunctio,* SEMEN HAMAOR, SEMEN MABLVL, SEMEN HAMISHHAH, *Oleum lucernæ, oleum mixtionis, oleum vnctionis.*

172. *Neque verò ex omnibus oliuis oleum exprimi ex illo promiſſo obſeruauimus:*
Deut.8. *Adducet te Dominus Deus in terram bonam, &c. Terram hordei ac vinea-*
" *rum, in qua ficus & malogranata, & olueta naſcuntur. Duobus aſſeruandorum fructuum generibus tertium adnumeratum eſt* ZAITH, *olea, quæ condita quoque ad cibos expetitur. De aliarum verò oliuarum, ex quibus oleum exprimitur, copia eueſtigio ſubiungitur, Terram olei & mellis. de vtroque autem olearum genere aliàs, Deo propitio, diſſeremus.*

173. *Eſſe autem alia olei genera ſiue* SEMEN *ex arboribus effluentis, vel ex baccis, nucibus, ſeminibus aliisq́; plantis, atque adeò ex terra & lapidibus vi, arte, & ingenio educti, aut ſponte remiſſi, experientia cognitum eſt frequentiſſima, &*
Deut.32. *vel vno extremæ notationis loco euincitur. vt, Sugeret mel de petra, oleumq́;*
Iob 29. *de ſaxo duriſſimo. &, Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Quin & obeſi animalis pinguitudo eodem quoque dicitur nomine. Incraſſatus eſt dilectus; & recalcitrauit: impinguatus, incraſſatus, & dilatatus. Hic verbum* SAMAN *&* SEMEN *non ſemel inductum eſt. & apud Nee-*
Neem. 8. *miam, Ite comedite pinguia, & bibite mulſum.*

174. *Ex qua materia* SEMEN, *hoc eſt, pinguis ac liquidus remittitur ſuccus* GHETSE SEMEN, *hoc eſt, olei ligna dicuntur: ex eademq́; materia templi fores factas legimus. Quale verò id arboris genus fuerit, aliàs inueſtigabimus.*
3 Reg.6. Ezech.34. Dan.11. Habac.1. *Ad hoc genus pertinet, Et in paſcuis huberrimis paſcam eas. &, Quod pingue fortè cuſtodiam. &, Abundantes & huberes vrbes ingredietur. &, In ipſis incraſſata eſt pars eius.*

175. *Vnguentis quoque pretioſis idem cum adiuncto nomen datum, illa docent:*

Sex

*Sex menſibus in oleo* HAMOR. *&, Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus* Eſter 2.
*tuis. &, Vt exhilaret faciem in oleo. &, Sicut* SEMEN *bonum. Vnguentum in* Pſal 44. Pſal. 103.
*capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aharon: quod deſcendit in oram veſti-* Pſal. 132.
*menti eius. &, Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. &, Qui* Prou. 21.
*diligit epulas in egeſtate erit: qui amat oleum & pinguia non ditabitur. &, Vn-* Pro. 27.
*guento & variis odoribus delectatur cor. Varios odores ex ſuffitu intelligimus.* "
*Melius eſt nomen bonum quàm vnguenta pretioſa, & muſcæ morientes perdunt* Eccl. 10.
*ſuauitatem vnguenti. &, Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Cant. 4. Iſaiæ 61.
*Oleum lætitiæ pro luctu. &, Thymiama meum & vnguentum meum poſuiſti* Ezech. 23.
*ſuper ea.*

## DE NATVRA ET VI SEMEN.

COMMVNIS *omni pinguedinis ſeu* SEMEN *generi lenitudo eſt, quamob-* 176.
*rem facilè tractata vel contacta hærent. Sed quidquid de ceteris dici poteſt, idem præcipuè oliuarum oleo arrogatur, quod liquoribus ceteris vt leuiſſimum innatat: quibus etiam ab ambientis aëris vitio defenſis præſidio eſſe ſolet: quamobrem regem ſibi præfecturis arboribus prima omnium oliua vt imperaret rogata nar-* Iudic. 9.
*ratur. Igitur hoc liquidorum omnium leuiſſimum: contrà verò mel grauiſſimum ceteriſq́; reſidens experimento cognoſcitur. Inter hæc verò alia aliis certis rationibus, grauitudine & leuitate anteeunt. Communis etiam pinguedini omni (modò liquidæ) eſt cum lenitudine lentor: quamobrem non adeò velox defluxio, ſiue rotatio eſt, atque aquæ & ceteris quæ aquæ humiditatem magis quàm olei pinguedinem imitantur; neque cùm defluit oleum: tametſi obiecto præpediatur ſolidiore corpore, neque cùm præcipitatur, ita vt aqua, & qui ſalem mixtum habent, humores ſonat & conqueritur. Sed tacitum potius procedit, & ſenſim lapſum tandem quo tendit deuoluitur. Atque in his omnibus, vti diximus, oliuum primas habet: quod propter lenitudinem adeò labile eſt, vt ſeſe conſtringi non ſinat: nec vel fortiſſimæ manus pugno cõprehendi, & contineri patiatur. Quamobrem ad mollitudinis fallaciæ, & ambiguitatis comparationes ac ſimilitudines natura hæc à ſapientibus appellatur. vt, Fauus diſtillans labia meretricis: & ni-* Prou. 5.
*tidius oleo guttur eius: nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta* "
*quaſi gladius biceps. &, Tecta peſtilentia in die frigoris, & litigioſa mu-* Idem 27.
*lier comparantur: qui retinet eam quaſi qui ventum teneat, & oleum dexte-* "
*ræ ſuæ vocabit.* "

*Animantis atque hominis præcipuè cuti conſeruandæ à vento & frigore* 177.
*tutandæ, atque omnino fouendæ olei lenitas & pinguitudo multum confert, lætitiamq́; iuuare, & gaudia augere creditur: maximè verò id quod ex oliuis fit: cui ad eam rem grati odoris accedat ſubſidium. S.S.E. Impinguaſti in oleo caput* Pſal 4.
*meum. &, Vt exhilaret faciem in oleo.* Pſal. 103.

*Illud verò cùm primis admirabile vtileq́; præfert oleum, quod cùm liquidis* 178.
*omnibus ſua ſponte immineat, ſolidis tamen, atque adeò duriſſimis corporibus penetrando ſeſe ingerat: quam etiam eximiæ lenitudinis vim eſſe intelligimus, adeò vt Iacob diuturnum voti à ſe nuncupati monumentum conſecraturus lapidi, in quo ſacra libamina fecerat: oleum infundit, cõſeruaturo videlicet liquoris, quo imbui contigerat, notam ad internas etiam ſui partes delapſam. Surgens* Gen. 28.
*ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titu-* "

Gen. 35. *lum, fundens oleum deſuper: appellauitq́; nomen loci illius Bethel, quæ prius*
» *Luza vocabatur. Id quod bis ab illo factitatum legimus. Quamobrem in cura-*
*tionibus & fomentis quæ exterius adhiberi oportet ægrotantibus, ac vulnere*
*vel vlcere affectis membris vel ſimplex oleum, vel cum oportunis medicamentis*
Pſal. 108. *mixtum, manifeſta penetrandi vi celebratur. S. S. E. Et intrauit ſicut aqua in*
» *interiora eius: & ſicut oleum in oſſibus eius.*

179. *Oleum à ſole longè parcius quàm liquores ceteri exugitur: igne verò deuo-*
*rante libenter ac ſuauiter abſumitur modò fundum ſiue baſis non deſit. Id quod*
*argumento eſt non adeò conuenire humani corporis nutritioni oleum, quàm lac*
*& cetera, quibus non ſumma & exquiſita pinguedinis natura & ſimplicitas eſt.*
*Namque vitalis animantibus omnibus conceſſus calor ſolis potius, quàm deuo-*
*rantis ignis inſtar habet. Hinc igitur pauciſſima vel nulla ex inſectis atque*
*reptilibus in oleo, aut propter oleum viuere videmus. ac neque cetera animalia*
*quidem præter quædam rara & impura ex ferarum quæ carnibus veſcuntur, ge-*
*nere: vt ſuem, canem & felem.*

## De vario vſu ex arborum generibus capiendo.

180. PRAETER *fæcundarum arborum fructum, cuius præcipuè cauſa genus*
*illud conditum accepimus: varia etiam aliorum generum commẽdatur vtilitas.*
*ac primo quidem virentes, & integræ arbores nonnullæ, formæ pulchritudine,*
*ramorum concinnitate, & foliorum amœnitate, aliæ proceritate & agros deco-*
*rant, & ſpectantium ſenſum animumq́; iuuant: vt* AREZ, *id eſt, cedrus, ac pi-*
*niferarum & coniferarum atque glandiferarum genera omnia: qualia apud La-*
*tinos ſunt cedrus, larix, pinus, picea, cupreſſus, quæ* AREZ *generico vocabulo*
*continentur: quibus proceritatem ramorum atque viroris elegantiam à natura*
Cant. 5. *tributam ſacra indicat philoſophia. S. S. E. Species eius vt Libani, electus vt ce-*
Amos 2. *dri. &, Ego autem exterminaui Amorhæum à facie eorum, cuius altitudo ce-*
Iſa. 41. *drorum altitudo eius. &, Dabo in ſolitudine cedrum. &, Nunquid regnabis,*
Ierem. 21. Ierem. 40. *quoniam confers te cedro? &, Stringit caudam ſuam quaſi cedrum.*

181. *Quædam vmbrarum ſalubri & oportuna opacitate iuuant, atque hoſpitalem*
*præſtant ſeceſſum, vt* PLON, LIBNE & ELAH. *Quæ tribus diſtincta gene-*
*ribus, varias admittunt formas: his apud nos glans, populus, & vlmus, notis*
*nominibus reſpondent: quarum in hunc vſum apud Hoſeam celebris eſt mentio.*
Oſeæ 4. *Subtus quercum & populum & terebinthum: quia bona erat vmbra eius. Nam*
*nomina* VLMI & ALNI *apud nos duarum literarum conſeruata pronuncia-*
*tione antiqui & primæui* ELA *veſtigia indicant. Quod à Latinis interpreti-*
a 1 Reg. 17. & 21. *bus variè redditum accepimus: interdum* [a] *terebinthum, interdum* [b] *quercum,*
Gen. 35. *aliquando* [c] *idola pro hoc vocabulo. atque eodem loci quercum rurſus legimus.*
Ioſ. 24. b Iudic. 6. bis *Id quod pro argumenti ratione diſtinguendum relinquimus. Eſt vbi fortis red-*
2 Reg. 18. ter. *ditum ſit ob affinitatem nominum* EL & ELAH. *Certè apud Ezechielem quer-*
1 Par. 10. *cum frondoſam legimus, & aliàs apud eundem, ſublimitatem omnium quæ irri-*
c Iſaiæ 1. & 57. *gantur aquis: quæ deſcriptio alnos, & vlmos magis quàm quercum ſpectat. Non*
Ezech. 6. *eſſe verò idem* ELON & ELAH *apud Amoſum iam adnotauimus, cui & Iſaias*
Ezech. 31. *aſtipulatur,* CHE ELAH VCHE ELON. *Latinus interpres, Sicut quercus, &*
*ſicut terebinthus, quæ extendit ramos ſuos. At quæ terebinthus propriè dicitur:*
*nec*

*nec aquis adeò vt* ELAH *gaudet: nec ita prolixos tendit vt vlmus ramos: quippe planta eſt in fruticum potius quàm in arborum cenſum referenda: nec tantùm præſtat vt ſacra facienti populo ſufficere poſſit vmbram, quam auidè petitam, Vatum reſponſa arguere conſueuere. Magnam verò affinitatem nomen* ELAH *& Latinum* ILEX *probant.*

*Harum, quas commemorauimus, atque aliarum arborum opportunè ac tempeſtiuè exciſarum maxima ad ædificiorum & fabricarum vſum commendatio eſt: quarum quædam proceritate & materie à cariei vitio immunis perpetuitate laudantur, vt* AREZ *genera omnia, & quæ præcipua notatione* GHETSE SEMEN, *id eſt, oleaginoſa ligna vocantur. quæ ab oliuis noſtratibus diuerſa ſunt. Quædam verò denſitudine & indomita præſtant duritie, vt glandiferæ omnes, quæ* ELON *vocabulum commune vendicant. De quo genere Amos, Ego exterminaui Amorhæum à facie eorum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius. &, Fortis ipſe quaſi* ELON, *quercus. Atque cedrorum frequentiſsima in præſtantibus fabricationibus vſurpatio eſt trabium aſſerumq́; cauſa. Miſit quoque Hiram rex Tyri nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum. &, Vides quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? &, Fecit quoque domum laquearibus cedrinis, & ædificauit tabulatum ſuper omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis. Ex eadem materia columnas, trabes, aſſeres, celaturas, & complura alia confecta legimus. Ex cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur, habens tornaturas & iuncturas ſuas fabrefactas, & celaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis veſtiebantur. Fecitq́; vt tanta eſſet argenti abundantia in Ieruſalem quanta & lapidum & cedrorum præbuit multitudinem quaſi ſycomoros quæ naſcuntur in campeſtribus. &, Tigna domus noſtræ cedrina. In eundē vſum* BEROS *lignum celebre eſt ab eiſdem cum* EREZ *petitum locis, pro quo Latini interpretes aliquando abietem, aliquando verò aliis vocibus reddunt. vt, Miſit Hiram ad Salomonem, dicens: Audiui quæcunque mandaſti mihi; ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & in lignis abiegnis. &, Hiram rege præbente Salomoni ligna cedrina & abiegna. &, Duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus. &, Succidiſti ſublimes cedros eius, & electas abietes illius. Templi fores maximas de lignis* BEROSIM, *& Latinè abiegnis factas, & pauimentum eiuſdem materiæ tabulis obductum legimus. In ſecundo autem Samuelis libro pro* GHET SEBEROSIM *redditum legimus.* In omnibus lignis fabrefactis. *In annalibus verò regum Iudææ pro lignis* BEROSIM, *arceutina ligna redditum reperimus: quæ eadem in ſequenti capite exponuntur tabulæ ligneæ abiegnæ. In Pſalmis autem pro* HHAZZIDAH BEROSIM BETHA *inuenimus repoſitum, Erodij domus dux eorum. Atque in Vatum libris,* BEROSIM *abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te. &, Succidam excelſa cedrorum, & electas* BEROSIM *abietes. &, Ponam in deſerto* BEROS *abietem. Gloria Libani ad te veniet* BEROS *abies & buxus. &,* BEROS *abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis tuis. &, Beroſim abietes non adæquauerunt ſummitatem eius. &, Dirigam eam ego vt* BEROS RAGHANAM *abietem virentem. Apud Nahumum à tranſlatione ad rem traducto nomine pro* BEROSIM *agitatores poſitum eſt. Et apud Zachariam: Vlula* BEROS *abies. Magnam, proceram, ac diuturnæ materiæ compotem oportet eſſe arborem; ex qua trabes, aſſeres, atque adeò naues*

Margin: 185. — Amos 1. — 2 Sam. 5. — 2. Sam. 7. — 2 Reg. 6. — 1 Reg 5. — 1 Reg 9. — 2. Reg. 6. — Hag. 5. & 6. — 2 Reg. 19. — 2 Paral. 2. — Pſal. 103. — Iſaiæ 14. & 36 & 60. — Ezech. 27. & 31. — Oſeæ 14. — Nahum 2. — Zachar. 11.

*& haſtæ, necnon & muſica inſtrumenta parantur. Hanc vbi ad naturæ ſimplicitatem refert: plerumque abietem nominare interpres noſter ſolet.* BEROS *nomen* BVXVS *noſter vendicare videtur.*

## LIGNA SITIM.

184. CELEBERRIMA *in tabernaculi ſacri fabrica eſt lignorum* SITIM *materies, quam ex* ARAZIM *genere eſſe, lectionum obſeruata comparatio indicat. Huius vocis ſingularis vox eſt* SITAH, *quæ ex etymo mobilitatem ſignificat:* Exodi 25. & 27. 33. 35. *ita vt* SITIM *arbores mobiles & agiles dicere nihil obſtet: quare non ſolùm ad columnas & aſſeres, aliáſque tabernaculi partes vſurpata fuit hæc ſola materia: ſed etiam ad remos parandos apprimè vtilis & oportuna videtur. vnde & remo nomen* SIT, *& aliquando* MASAT, *vel* MASIT. *Apud Iſaiam cum* HA-Iſaiæ 41. DAZZ *inter pulchras arbores recenſitam obſeruamus hanc arborem, pro qua ſpinam Latinus interpres vertit. Dabo in ſolitudinem cedrum &* SITAH, *ſpinam & myrthum, & lignum oliuæ: ponam in deſerto abietem, vlmum & buxum ſimul. Aliàs verò ſuum antiquum vocabulum pronunciandum reliquit* ligna SETIM.

## ALMVGIM LIGNA ET ALGVMIM.

185. AD *ædificiorum ornamenta & elegantiam ligna* ALMVGIM *ex Ophyra Salomonis regis tempore Tyria claſſe apportata legimus: quæ neque corallium dici poſſunt à noſtris: namque corallium bituminis ſeu fluoris non ligni genus eſt: neque quid apud interpretem noſtrum ſignificet Thyina ſatis nouimus. Certè illa* 3 Reg. 10. *& eleganti colore, & magno denſoq́ robore commendata videntur. Sed & claſſis Hiram, quæ portabat aurum de Ophyr, attulit ex Ophyr ligna Thyina multa nimis, & gemmas pretioſas. Fecitq́ rex de lignis Thyinis fulcra domus Domini & domus regiæ: & citharas liráſque cantoribus. Non ſunt allata huiuſmodi ligna Thyina, nec viſa vſque in præſentem diem.*

186. *Nec verò eadem eſſe ligna* ALGVMIM *cum iis quæ* ALMVGIM *vocantur, & elementorum varia ſeries, & locorum adnotata celebritas arguunt: namque* ALMVGIM *ex Ophyra allata, & noua ſui ſpecie & elegantia Salomoni placuiſſe legimus:* ALGVMIM *verò non ita peregrina illis fuerant, ſed certo & vicino loco nata & nota, hoc eſt, in Libani ſiluis. Certè illa Thyina, hæc pinea Latinus* 2 Par. 2. *interpres dixit: ſed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea de Libano. Verùm vulgato more euenit vt recens & peregrinum nomen* ALGVM, *quod cùm re etiam noua allatum fuerat, in noti vocabuli ac triti ſonum cederet, duarum tantùm conſonantium* G. M. *tranſpoſitione: atq́ eo tempore, quo Iudææ regum annales conſcribebantur,* ALMVGIM *nomen in* ALGVMIM *migrarat, vt & regionis* VPHIR, *ex qua* ALMVGIM *delata fuerant: eadem tempeſtate in* PIRV *conuerſum erat, cùm aſpiratam literam in vocum principiis illa lingua non ferat. Atque hac adnotatione vtraque & prioris & poſterioris hiſtoriæ lectio facile in his conciliatur vocabulis* ALMVG & ALGVM, VPHIR & PIRV: *nomen autem* ALMVG *peregrinum & vnà cum re aſportatum eſſe ipſa literatura quinque elementis conſtans arguit, rariſſimi in ſacra lingua exempli.*

HADAZZ.

## HADAZZ. 187.

Vt *palma proceritate ramorum & foliorum longitudine conſpicuam ſeſe*
*præbet: ita* HADAZZ *viroris aptè concinnati & perpetui elegantia iucundum*
*exhibet ſpectaculum: cuius rei nobis Nehemias index ac teſtis laudatur, qui ta-*
*bernaculorum annuam celebritatem quinque arborum frondibus ornãdam edi-* Neem.8.
*xit. Egredimini in montem, & afferte frondes* ZAITH, *& frondes* GHETSE
SEMEN, *& frondes* HADAZZ, *& ramos* THAMARIM, *& frondes* GHETS
GHABOTH. *quæ nomina ita Latinè reddita legimus, Frondes oliuæ, & frõdes*
*ligni pulcherrimi, frondes myrthi & ramos palmarũ, & frondes ligni nemoroſi.* Iſaiæ 41.
*& apud Iſaiam, Dabo in ſolitudinẽ* EREZ, SITAH VE HADAZZ VE GHETS “
SEMEN, *quæ Latinè ſonant cedrum, ſpinam & myrthum, & lignum oliuæ. &* “
*iterum apud eumdem, Pro* NAGHATSVTS *aſcendet* BEROS, *& pro* HAZZIR “
PAD *aſcendet* HADAZZ. *Latinus ita, Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro vrti-* “
*ca creſcet myrthus. Et Zacharias virũ equi rufi ſeſſorem, inter* HADAZZIM *ſibi* “
*conſpectum tertiò repetiuit. quod vocabulum myrtheta Latinè redditũ legimus.*

## TIDHAR. 188.

Bis *apud Iſaiam in amœnitatis promiſsis tria arborum vſurpata obſeruan-* Iſaiæ 41. & 60.
*tur nomina, Dabo in ſolitudinem* BEROS, TIDHAR *&* THAASVR. *pro qui-*
*bus priore loco Latinè legimus, abietem, vlmum, & buxum ſimul: Poſteriore ve-*
*rò, Gloria Libani ad te veniet* BEROS TIDHAR *&* THAASVR. *vbi Latini*
*legunt, Abies & buxus & pinus ſimul. Itaque* TIDHAR *nunc vlmus, nunc bu-*
*xus Latinis eſt. vtcumque ſit, ex pulcherrimarum Libanoq́; familiarium arbo-*
*rum cenſu eſt.*

## THAASVR. 189.

Ex *earum genere quæ toto virent anno atque adeò ſingularem ſibi vendi-*
*cant regionem* THAASVR *eſt. quam in amœnitatis cauſa vnà cum aliis, quibus*
*diuerſa placent loca, pro miraculo productum & conſeruatum iri Iſaias prædi-* Iſaiæ 41.
*cebat. Ponam (inquit) in ſolitudine* BEROS *&* THIDHAR *&* THEASVR *ſi-*
*mul, quæ nimirum aliàs eodem loco non videntur: maximè verò in planitie de-*
*ſerta: Namque in montanis regionibus propter varium locorum ſitum variæ*
*viſuntur plantæ tum ex his quæ calidiore aëre, tum verò ex iis quæ frigidiore*
*& liberiore gaudent. Hanc ſemel Latinus buxum, rurſus verò pinum interpre-*
*tatus eſt. Siquid verò literarum antiquarum veſtigiis tribuendum eſt, Taxi no-*
*men Græcum affinem huic vocabulo retinere videtur ſonum.*

## GHETS HADAR.

Hoc *arborum genus omne vel nomine indicatur ipſo quod variis formis* 190.
*frequens calidioribus copioſè & eleganter contingit regionibus, & ſolo fertili* Leuit 23.40
*prouenit, modò aquarum nõ obſtet penuria. Orientalibus antiquitus notiſsimum*
*vtpote indigena & familiare Medis præcipuè, vnde primum in Italiam aſpor-*
*tatum nomen etiam mali Medici ſecũ attulit. Libano mõte, vt accepimus, ſponte*
*frequentiſsimum prouenit, ligni trunci foliorum & florum multis formis conſi-*
*milis*

milis facies omnibus perpetuo virens & iucundiſsima ſpecie commendabilis: odore etiam gratiſsimo, certis tamen & nitoris & fragrantiæ ordinibus diſtincto, in fructu inſignis & iucunda varietas: quæ tamen cognationem comprobat maximam. Namque & ſemen perſimile ferè omnibus, & caro illa qua ſemen incluſum ſeruatur, ſucci maturis præcipuè pleniſsima aliis dulcis aliis acrioris ac tardi iucundi tamen ac ſalubris propter temperati ſalis facultatem & efficacitatem, & fructuum omnium figura vel ſphærica eſt, vel oblongior ac teres illa colore, hæc verò forma humanum refert cor vbi maturuerit præſertim, quamobrem ad myſtici thyrci ritum huius generis fructus vſurpari imperatum eſt. Vnico epitheto quo genus omne cognoſci poſſet appellato, GHETS HADAR, quod Latinus arboris pulcherrimæ interpretatus eſt: nos elegantiæ lignum dicere poſſumus. Totum genus ad Bacchas referendum duximus. Huius arboris flos nomen adhuc antiquum apud Arabes retinet ASDANAR.

## GHARMON.

191. GHARMON mentio bis in ſacris fit: quæ ex glandiferarum genere eſſe videtur, cuius tamen liber facile deirahitur. Hanc cum aliis à Iacobo in illa arcana actione vſurpatam legimus, & à Latino interprete platani nomine traditam,
Gen. 30. » Tollens ergo Iacob virgas populeas virides & amygdalinas, & ex platanis, ex
» parte decorticauit eas. & apud Ezechielem, Et GHARMONIA non fuerunt
» æquè frondibus illius. Platanos etiam vertit Latinus.

## LIGNVM GHABOTH.

192. IN frondoſorum cenſum ramorum, quos Nehemias ad tabernaculorum ſcenas ſtruendas poſtulabat, GHETS GHABOTH relatum eſt. Idq; iure ad illum ritum ſummo, ſicut nominis interpretatio declarat. Namque GHABBOTH Latinè denſitatem vel denſitates dicere poſſumus. Vmbræ verò parandæ cauſa denſiſsimos peti & comparari oportuit arborum ramos, quales lauri, cupreſſi, ſabinæ, iuniperi, myricæ atque etiam tamariſci habent, qui & ad contexenda tuguria idonei ſunt, & in exhauſtum virorem perpetuo octiduo conſeruare poſſunt: quo enim è denſioribus inſtructæ ſunt foliis, & complicatiore ſeſe termite muniunt, eò pinguiores ac meliores ſucco liquores probant, ac diuturnæ magis durabiliq; materia ſolis æſtum & hyemis iniurias perferre ſe poſſe indicant.

193. Ex eodem verbi etymo nomen GHAB deducitur, quod in naturæ vocabulis nubem denſam, in architecturæ verò vſu trabes quibus cetera tigna innituntur ſignificat. Ligna itaque parare iubebat Neemias, quæ omnia hæc, firmitudinem, denſitatem & virorem atq; adeò ad ceteros ramos ſuſtinendos oportunam proceritatem præſtarent. Interpres Latinus ipſum rei genus attingens Frondes ligni nemoroſi vocauit.

## DE ASPERIORE PLANTARVM NATVRA.

194. VT mollia, lenia, & grata, atque ad tractandum habilia tam arborum quàm herbarum plurima viſuntur genera, quorum rationes, cauſas & vſus iam indicauimus:

cauimus: ita rurſus in vtraque plantarum natura non paucæ offenduntur formæ non quidem prorſus inutiles: ſed alicuius vſus cauſa à terra productæ: verùm eædem habitu difficiles & aſperæ, & cum aliis plantis, tum præcipuè animantium quadrupedum, ac maximè hominis corpori ac membris horrida & incommoda. Ex his autem quædam ſpecie ipſa ſui nonnihil placentes: verùm vbi contactæ & contrectatæ fuerint, vehementer infeſtæ: alia verò ipſa etiam facie horrorem incutientes, quæ tamen omnes varios ex ſe præbere poßint vſus, modò non ignotæ nec extra numerum atque modum fuerint vſurpatæ. Namque ex his non exigua pars animalibus ad cibum concedunt, aliæ etiam floribus, & ſpecie iuuant, ſunt quæ & fructus ferant edules: multa vmbras contexunt amœnas, ad ſepimenta verò atque cuſtodiam aliarum arborum ac plantarum conferunt, puſillis, & reptantibus animantibus, tutas parant ſtationes. Denique nullum fere eſt quod ad medicinam nihil cõferat, ignibus excitandis cùm hæc aruerint, præſentißimæ, fouendis verò & nutriendis, tam virentes quàm aridæ opportunæ habentur. Præterea ad hominum doctrinam faciunt, atq; adeò ad exercitationem, quam genus hoc omne vehementer excitat, & acuit. aliàs ſegniorem futuram. ſicut ſcriptum eſt: Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex Gen. 3.
ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas „
terræ. Doctrinæ autem ratio illa eſt, vt ex horum aſperitate diſcamus, quantum cetera præſtent, quantamque mereantur æſtimationem, quæ ſui varium & expectandum vſum, vel nulla, vel longè minore cum difficultate præbeant. Poſtremùm verò vt vel huiuſmodi oppoſitis ac ſecum etiam pugnantibus comparandis naturis conditoris commodiùs ac pleniùs cognoſcatur ſapientia. Ex hoc etiam exemplo quantum lenia hominum ingenia ab aſperioribus differant, quemadmodum vtraque excipi, haberi, tractariq́; oporteat, naturæ huiuſmodi contemplatione dignoſcitur. Atque hæc omnia diuina docente ſapientia, didicimus. ſicuti ſcriptum eſt: Omnes viæ eius ſecundùm diſpoſitionem eius: ſic homo in manu Eccli. 33.
illius qui ſe fecit, & reddet illi ſecundùm iudicium ſuum. Contra malum bonum „
eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere „
omnia opera Altißimi. Duo contra duo, & vnum contra vnum. „

## DE KOTS ET DARDAR.

DVOBVS plantarum leniorum generibus, ARBORI videlicet, & HERBAE, 196.
hoc eſt, GHETS, & CHESEB, duo etiam verbo Dei THOTSI iubente con- תאצר
traria, hoc eſt, aſpera, & horrida oppoſuit, quorum cõmunia nomina ſunt KOTS, קוץ
& DARDAR. prius arbuſta omnia complectitur aculeis horrentia, & difficulter דרדר
tractabilia, quæ hoc nomine arborum aliarum æmula dici poſſunt: tum quod illis proxima officiant: tum etiam quod virore, nitore, atque florum ſpecie contendere videantur. Poſterius verò cùm herbarum omniũ (de quibus iam diſſeruimus) natura certare deprehenditur: quandoque etiam non ratione, ſed violentia ſuperius euadere, niſi humana induſtria mitius genus à denſiore & aſperiore defenſum vindicetur. ſicut ſcriptum eſt: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Gen 3.
Atque pro altero quidem nomine KOTS, ſpinas à Latino interprete redditum adnotauimus conſtanti interpretatione totis octo locis quibus hoc repetitur nomen. Spinas & tribulos germinabit tibi. Si egreſſus ignis inuenerit ſpinas, & Gen. 3.

Exodi 23. Iud.8. Iſa. 32. & 63. Ierem.4. & 12. Ezech.28.

*comprehenderit acerùum frugum. &, Cùm reuerſus fuero, conteram carnes veſtras cum ſpinis tribuliſq́; deſerti. &, Super humum populi mei ſpinæ & vepres aſcendent, & erunt populi quaſi incendio cinis. Spinæ congregatæ igne comburentur. &, Nouate vobis nouale: & nolite ſerere ſuper ſpinas. &, Seminauerunt triticum, & ſpinas meſſuerunt: & nõ erit vltrà domui Iſrael offendiculum amaritudinis, & ſpina dolorem inferens vndique. Itaque nomen* KOTS *Latinus interpres conſtanter in ſpinas vertit: cuius interpretationem amplexi nos, hac adnotatione obtinendam duximus, earũ videlicet ſpinarum, quæ ad arborum, arbuſtorumq́; genera ſint referendæ. Nam Latina lingua vno eodemq́; vocabulo tam has nominat, quàm eas quæ herbæ congeneres cenſentur. At verò primæua illa omniumq́; antiquiſsima lingua ſpinarum arboreſcens generi, & id quod cum herbis contendit diuerſis nominibus etiam Deo appellante diſtinxit.*

## DARDAR. דרדר

196. NAMQVE *ſpinarum genus id quod & minus denſa materia, & minus diuturna duratione, atq; facie etiã ipſa, herbis quàm arbuſtis magis affine eſt, vno, ac latiſsimo vocabulo* DARDAR *appellatum obſeruauimus. idq́; vel ex illo diuino oraculo adnotare licet, quo Deus humani generis ærumnas Adamo prædixit. Omnem ſiquidem agriculturæ facultatẽ, quæ in duobus generibus verſatur ſummis, hoc eſt, in* GHETS, & GESEB, *ſiue ligno & herbæ, duobus contrariis quoque generibus turbandam & ſollicitandam iri præmonuit.* (Gen.3.) *Maledicta terra in opere tuo: in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* KOTS, VE, DARDAR *germinabunt tibi, pro quibus Latinè legimus, ſpinas & tribulos: vt etiam prius vocabulum ad lignoſas, poſterius ad herbaceas ſpinas retuliſſe iudicetur interpres. Verùm enimuerò cùm tribulus non genus ipſum ſpinarũ, ſed formas quaſdam herbaceo in genere ſignificet, ſtatuendum fuerit nobis verbum quod omnes herbaceas complectatur ſpinarum formas, idq́; aptiſsimum apud Græcos fuerit Acanthes, apud Latinos verò carduus. Namque herbariæ rei periti Latini,* (Virg Eclo.) *atque Græci hoc nomen generis indicandi cauſa vſurpare, formæ verò deſcribendæ annotationem ſingularem addentes repetere ſolent. Bis in ſacra lectione nomen hoc occurrit, vtrobiq; ab interprete noſtro in ſpinas & tribulos verſum. Spinas & tribulos germinabit tibi.* (Gen.3.) *&, Lappa & tribulus aſcendent ſuper aras eorum. Conſtat autem nomen* DARDAR *repetitione ſimplicis vocis* DAR, *quæ Latinè manſionem, verſum, vicem, concinnitatémque ſignificat, quaſi dicas repetitam vicem, concinnitatem, manſionem, & contignationem: neque verò aptiore verbo indicari poſſe videntur, alarum, ramorum, & foliorum concinnatæ vices & contignationes, pari ſemper numero aptatæ, quas in toto carduorum genere conſpicimus. vna cum ſquamatis capitum ordinibus, quibus flos primùm, deinde cum vellere ſemen cohibetur. Atque adeò Latinum nomen, carduus, non obſcura adhuc primæui vocabuli* DARDAR, *veſtigia retinet: quæ facilè deprehendet quicumq; animaduerſionibus (aliàs noſtris de linguarum affinitate) nonnihil diligentiæ & ſtudij adhibuerit.*

## Communia ſub genere KOTS contenta.

SPINA *omnis vel rectos habet aculeos, vel obliquos & aduncos, quæ rectis* 197.
*prædita eſt, citius multo & præſentius lædit, ac plerumque vlterius penetrat, quam quæ vncis armatur: verùm hæc vbi ſemel hæſit, longè tenacior eſt, vtraq; importuna & incommoda animalium artubus & cuti. In priori cenſu eſt,* SAMIR, *quod verbi originem à duricie & cuſtodia ducit, quòd id genus valde ſeſe* שמיר
*tueri ſoleat, quare ad ſepes texendas apprimè eſt idoneum. Hoc genere dumi ac vepres continentur, & quæcumque huiuſmodi rectis armãtur ſpinis: nec tamen fructu ferendo ſunt vtiles. Latinus interpres nunc vepres, nunc verò ſpinas pro* SAMIR *ponit: Aſcendent* SAMIR VE SAITH, *vepres & ſpinæ. Et erit* Iſaiæ 5.
*in die illa: omnis locus vbi fuerint mille vites, mille argenteis, in* SAMIR, *& in* SAITH. *& erunt (Latinè legimus) in ſpinas & in vepres. Rurſus ibidem:* SAMIR VE SAITH: *vepres & ſpinæ erunt. Ibidem etiam, Non erit terror* SAMIR VE SAITH *ſpinarum & veprium. &,* SAMIR VE SAITH, *vorabit,* Ibid 7. Ibid. 9. Ibid. 10.
*veprem & ſpinam reddit Latinus, & deuorabitur* SITHO V SAMIRO *ſpina eius, & vepres in die vna. Quis dabit* SAMIR VESAITH, *ſpinam & veprem in* Ibid. 27.
*prælio? Super humũ populi mei* KOTS VE SAMIR, *ſpinæ & vepres aſcenderunt.* Ibid. 32.

### SAITH. שית

NOMEN SAITH *plerumque cum* SAMIR *coniunctum venit, eiuſdemq́; figuræ ſpinas, hoc eſt rectas arguit, quod etiam Latina verſione vel vepres, vel* 198. Iſaiæ 5.
*ſpinas nullo diſcrimine etiam in eodem legimus capite. vt, Aſcendet* SAMIR Ibid. 7.
VE SAITH, *vepres & ſpinæ. Et in* SAMIR ET IN SAITH *ſpinas & ve-* Ibidem.
*pres erunt: & quia* SAITH ET SAMIR, *vepres & ſpinæ erunt in vniuerſa* Ibidem.
*terra: & non erit illic terror* SAMIR VE SAITH, *ſpinarum & veprium, & erit in paſcua bouis, & in conculcationem pecoris. Ex quo apparet* SAITH *humiliori eſſe planta quàm* SAMIR, *& deuorabitur* SAITHO VSEMIRO, *ſpina eius, & vepres eius. Quis dabit me* SAMIR VESAITH *ſpinam & veprem in* Iſaiæ 10.
*prælio? Quantum coniectura conſequi poſſumus, ſpinoſum geniſtæ genus hoc eſſe arbitramur, quod in aſperioribus & aridioribus prouenient agris, ouium velleribus valde officit, atque paſcendo nocet pecori, frequentiſſimum & maximum omnium quæ nobis peregrinantibus viſa ſunt: in Hybernia minus, in Anglia frequens, in Italia quia humidiore conſtat ſolo, nullum vidimus, Aulagas Hiſpani vocant.*

### HHVAHH. חוח

SVO *ſe nomine prodit* HHVAHH, *quod piſcatorum hamum ſignificat:* 199.
*atque ex illius imagine, vel hoc ſpinæ genus, vel huius imitatione, ille hamus* HHVAHH *vocabulum traxit. Quodcumque itaque arbuſtum aduncis & hamatis ſeſe munit aculeis, hoc nomen ſortitur, pro quo Latinè carduum, tribulum, ſpinam, lappam, & (quod apprimè quadrat) paliurus legimus, ſemel verò redditum eſt* in abditis, *Abſconderunt ſe in ſpeluncis & in* VAH HIM, *in abditis.* 1 Sam. 13.
*poterat reddi, in paliuris. &, Remiſit Ioas rex Iſrael ad Amaſiam, dicens:* HHVAHH *libani miſit ad cedrum quæ eſt in libano; quo loco carduus verſum* 4 Reg. 14.

Ioan.11. Prou.26. Iſa.æ34. Oſeæ 9. eſt, Pro frumento oriatur mihi tribulus HHVAHH. & Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti. Sicut lilium inter ſpinas HAHHVAHH, ſic amica mea inter filias. &, Paliurus HHVAHH in munitionibus eius. &, Lappa HHVAHH in tabernaculis eorum.

## חרול HHARVL.

200. VOCABVLVM hoc ex literarum affinitate cum HHARAH verbo excandeſcentiæ atque irritationis ſignificationem ſubindicat: nam vltima nota L, ad nominis potius diſtinctionem ſacræ linguæ non infrequentem, quàm ad etymologiam facit: cuius exemplum etiam in HHARDAL agnoſcitur, quod ſinapi Latinè dicitur: atque in herbaceo genere ſub communi illo DARDAR hæc natura cenſetur eſſe: quæ, vt ex verbo apparet, animalium quibus adhibetur membra vehementer irritans: quam tamen Latinus interpres & ſpinas & ſentes dixit. vt,

Iob 30. Qui inter huiuſmodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delitias computabant. Per

Prou.24. agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam ſtulti: & ecce totum repleuerant „ vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ HHARVL. &, Filij Amon quaſi „ Gomorrha ſiccitas ſpinarum HARVL, & acerui ſalis. Ex quibus locis cuiuſmodi ingenio hoc ſpinæ genus valeat, facile apparet, hoc eſt, falſo atque acerbo cumprimis, quod tractatum, vel etiam tactum valde irritans vrat. Qua nota, vrticarum genera omnia ſeſe præbent cognoſcenda: quibus etiam Latinum nomen ab vrendi vi factum conſtat. Atque ita vel vrtica hæc eſt, vel carduus ille, cuius tomenti fibris lac in caſeum coagulatur, propter naturæ acerbitatem.

Vrtix vrtice, mirex mirice, lactus lactuca, ſalux ſalúca, erux eruca.

## BERKONIM.

201. BIS eodem in capite cardui huius nomen legimus, pro quo Latinus interpres, tribulos vtrobique reddidit. quæ verſio ipſa narrationis commendatur ſerie:

Iud. 8. Cùm reuerſus fuero victor in pace, conteram carnes veſtras cum ſpinis & BERKONIM tribuliſq; deſerti. Tulit ergo ſeniores ciuitatis, & ſpinas deſerti, ac BARKONIM, tribulos, & contriuit cum eis atque comminuit viros Soccoth:

Abrojo. Hiſpanum nomen ABROJO non obſcura adhuc veſtigia antiqui nominis BARKON retinet.

## KIMOS, *in plurali* KIMSONIM.

202. CREMARE Latinum verbum huic voci nonnihil affinitatis tribuit, quæ herbaceam quoque ſignificat ſpinam: non tam aſperitudine quàm prurigine lædentem arguit, quam Latinus interpres ter inter vertendum repertam, vrticam

Prou.24. Iſaiæ 34. Oſeæ 9. dixit. Et ecce totum repleuerant KIMSONIM vrticæ, & orientur in domibus eius ſpinæ, & KIMSONIM vrticæ, & tribulus. &, Deſiderabile argentum eorum, KIMSON, vrtica hæreditabit, Quemazon Hiſpanæ voci proximum nomen: atqui vrticarum non vnam, ſed complures nouimus formas: alias magis, alias minus vrentes.

203. Appendix. Quæ hactenus recenſita protulimus nomina, vel generum, vel formarum diſtinctione ſpinas omnes continebit. Præter hæc verò tria alia in ſacris libris reperiuntur vocabula, quæ ſpinarum genera varia ſimul creſcentia, aut aliàs perplexa,

plexa, aut in ſe inuicem connexa ſignificant: ſunt certæ cuiuſpiam formæ diſtinctione, qualia in ſæpimentis & in topiarius arte factis, & in dumoſis etiam ſiluis viſuntur: ex quibus nominibus vnum eſt TSINAH, & in plurali TSENINIM & TSINOTH. à quo defectum TSIN, ſiue SIN, vel ſinai dictum arbitramur. pro quo varias Latinus interpres reddere ſolet voces. vt in Num. 33. lanceas, Ioſue 23. ſudes, Iob 5. armatus, Prouerbior. 12. arma, & ibidem 23.9. frigus, Amos 4. in contis.

Secundum verò nomen eſt ZZIR, quod conſtanter in Latinum ſpinas interpres transfert, vt Eccleſiaſt. 7. Iſaiæ 34. ver. 13. Oſeæ 2. Sepiam viam tuam ſpinis. & Nahum 1. ſicut ſpinæ ſe inuicem amplectuntur.

Tertium eſt vocabulum SAHHIM, eiuſdem etiam perplexæ & impeditæ naturæ index: quod Latinus interpres varia quidem voce verterit. vt, adſtruenie transfer, vt Num. 33. Quaſi claui in oculis. Iob 40, 26. Numquid implebis ſagenas pelle eius. Prouer. 15, 19. Iter impiorum quaſi ſepes ſpinarum. Iſaiæ 55. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. Itaque voces illæ צנה דירס ששנים perplexam ſpinarum, & præcipuè earum quæ arbuſta æmulantur denſitudinem ſignificant. HHEDER etiam nuſquam niſi in ſpinoſis & confuſis ſepibus mentio facta obſeruatur. vt, Iter pigri quaſi ſepes ſpinarum. & apud Salom. 15. Et qui rectus eſt in eis, quaſi ſpina de ſepibus. Mich. 7.

## De nominibus Formarum, quibus Plantarum genera diſtingui ſolent.

COMPLVRES in vtraque plantarum natura voces variis formis communes eſſe oſtendimus: quas tamen exactioris cognitionis cauſa certa notatione diſtinctas tenere oportet: Neque enim ſatis eſt omnia vel nucis, vel mali, vel frumenti, vel leguminis genera, nucem, malum, frumentum ac legumen tantummodo appellare: quippe & formæ ipſæ genere quidem aliquo communi contentæ, ſuas, quibus diſtinguuntur, ſortitæ ſunt notas: eandemq; iis qui ſe cognouerant, rationem expeditioris, ad omniaq; vtilioris doctrinæ gratia poſtulant: id quod compluribus præſtari poteſt modis. quorum facillimus minimiq; negotij eſſe poteſt per numeros, vti diximus, vt pyrorum genus primum, ſecundum, tertium, ac deinceps: verùm hic ſingularem & attentam rei vtriuſq deſcriptionem exigit à radice ipſa, imò à prima naſcentis plantæ ætate, ad fructum vſque abſolutum, per omneis quibus interim variari ſolet facies. Hic facilitate ac promptitudine proximus modus eſt, certi nominis impoſitio, quæ tamen apud omnes eiuſdem linguæ homines conſtans exploratáq; ſit. vt in nucis genere glans, iuglans, amygdala, caſtanea, auellana. in olerum genere, braſſica, lactuca, beta, ſinapi, borrago. Verùm enimuerò quoniam non perpetuus in omni natura atq; in omni ſermone modus hic eſt. Et plures etiam formæ ſub minore genere contentæ, inter ſe differunt: alij quoque adhibiti ſunt modi quibus dignoſcendi huiuſmodi comparatur vſus: qui, quamquam complures ſint, tamen ad certos reduci poſſunt modos. 204.

Primus eſt, à partibus ipſis plantæ, vt à radice ariſtolochias rotunda, longa, ſimplici, vel multiplici radice diſtinctas videmus: quæ tamen ceteris partibus perſimilem formam vimq; obtineant: vel à foliis, vt lati folium, tenuifolium: vel 205. à partibus. à radice. à foliis.

à ramis. *vel à ramis, vt rarum, denſum, extentum, contractum, coactum, lentum, rigens: vel à coloris varietate, vt populus alba & nigra : vel à floris varia figura, aut coloris ſpecie, à ſeminum & fructuum diſcreta quoquo pacto varietate notas ducimus, & nomina adnotamus: vt vua oblonga, rotunda, tumens, purpurea, alba, pellucida: à ſapore quoque, vt dulce, amarum, acerbum, fatuum, ſalſum, inſulſum. Odor quoque ſuas nonnumquam ſortitur & tenet partes, vt odoratum, inodore, ſuaue, virulentum. Efficaciæ ac viribus non raro tribuitur cognitionis ratio: vt calidum, frigidum, noxium, innoxium. Tractus & tractatio aliquando diſtinctionis ergò admittuntur, vt aſperum, lene, ſpinoſum, leue, atque alia huiuſmodi.*

à colore. à ſemine. à ſapore. odore. efficacia. Tractatio.

206. Locorum celebratiſſima nota, inuentore indice. à loco. *Nec nulla etiam vſus obſeruatur habeturq́; ratio, vt veſcum, edule, non edule, inuentoris vel indicis nomen ad partes non raro admittitur, atque apud Græcos frequenter celebratur, vt Panax chironium, Aſclepiadeum Panax. Huius exempli non eſt quod in ſacris libris quæramus copiam. Verùm enimuerò nulla frequentior quàm locorum indicatio eſt: nullaq́; ad reperiendas plantas, & cognoſcendas aptior atque certior, de quibus quæ ad artem faciunt, hoc eſt, quæ ſæpius repetuntur, adnotanda ſubiungemus.*

207. *Sunt quædam plantæ vulgares ac propè omni cælo ac ſolo communes: cuius generis malua, carduus, & gramen varium, atque trifoliorum complures formæ: ligneis verò plantis, rubus, dumus, & ſilueſtria pira quædam atque pruna, iſtæ vt communes & paſſim obuiæ, ita vulgò etiam fatuis notiſſimæ.*

208. *Hæ verò quamquam pluribus regionibus communes habeantur, ſolo tamen certo gaudent: hæ ſicco & arido, vt geniſtarum formæ quædam, atque eæ maximè quæ ſpinis horrent: illæ verò humido, ac plerumque cænoſo, vt in lignis ſalices, quibus fere perpetua adnotatio* NAHAL *in ſacris adiuncta legitur: quam Latinus interpres torrentis vocat, ſalices torrentis. cùm* NAHAL *depreſſiora loca ſignificet, inter quæ valles ac torrentes, & conualles numerantur. Huiuſmodi locorum natura cyperus & iuncorum formæ ferè omnes gaudent: atque ſubiectum humorem plerumque produnt: ita* SVPH, *iunci genus, fluuiis adſcribitur, & interdum marinis littoribus quibuſdam: vnde illi maris parti, ſiue ſinui, quem Iſraelitæ, Deo auctore ac Moſe duce, incolumes traiecerunt.* IAM SVPH, *id eſt, carectoſum cognomentum eſt factum, Græcis Erithræum: Latinis verò ob terræ & arenæ adiacentis colorem rubrum: Geographis Arabicus ſinus dictum eſt etiam, ſiue arborum, ſiue herbarum natura alia, vulgaris & communis, atque neglecta, & nullius culturæ egens: exiguis, quæ ſoli commoditatibus contenta viſitur & agnoſcitur, vt in lignoſorum genere caprificus, in herbarum verò hyſopus, omnium illo communicantium nomine poſtrema & abiectiſſima ſpecies, quam Latini parietariam, ſiue vitriariam dicunt: & cotile donum, vmbilicorum, ac ſedorum complures formæ, quæ ſuper tecta & ſaxa naſcuntur & viuunt.*

209. *Sunt præterea nonnulla loca certis arborum ac plantarum, vel harum partium, aut fructuum generibus celebria: non quod eiuſmodi genera ſibi ſingulariter vendicent; ſed quà aliàs aliis locis communia: tamen ſpecie atque vſu præ ceteris generoſa ac præſtantia exhibeant. Sic* SANIR, *buxos, ſiue* BEROSIM, *Baſſan quercus ſiue ilices, hoc eſt,* ELONIM *libanus,* ARAZIM, BEROSIM, CHARMONIM *larices, buxos, caſtaneos præcipua commendant*

*laude:*

*laude: ſic etiam Chananæa, ac præcipuè Galaaditis regio optimæ & efficaciſſimæ lachrymæ ex certis plantis expreſſæ ſiue reſinæ copia celebrantur. Cuius animaduerſionis huiuſmodi proferimus exempla, Finitimi tui qui te ædificarunt, im-* Ezech.2
*pleuerunt decorem tuum abietibus* BEROSIM. *de ſanir extruxerunt te: Ce-* "
*drum de libano tulerunt, vt facerent malum tuum: quercus de Baſſam dolaue-* "
*runt in remos tuos. & illa etiam: Viderunt Iſmaelitas viatores venire de* Gen.37.
*Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtactem in Aegy-* "
*ptum. &, Sumite de optimis terræ frugibus in vaſis veſtris, & deferte viro* Gen.43.
*munera, modicum reſinæ & mellis, & ſtyracis, ſtactes, & terebynthi, & amygda-* "
*larum. &, Numquid reſina non eſt in Ghilgad? &, Aſcende in Galaad, &* Ierem.8. Ierem.46.
*tolle reſinam virgo filia Aegypti. Singularis verò peregrinarum plantarum adnotatio eſt: earum videlicet quæ non niſi certis proueniunt locis, aut etiam proprium quendam amant ſolum, idemq́; tamquam patrium tuentur: vnde auulſæ vel tranſlatæ alterius cuiuſpiam regionis hoſpitium ſeſe ſubituras perpetuò negant: cuiuſmodi pertinacia inſignes cumprimis arbuſculas adnotauimus: ex quibus caphuræ manat lachryma ſolis Genghedi plantariis apud Hiericunta conceſſit, & quoddam* ARAZIM, *ſiue cedrorum laricumve genus pulcherrimum & proceriſſimum: quæ ſemen in oblongis fert comis, & vni tantùm libano monti, vt ſingulari patriæ adſcribitur. De altero enim genere ſcriptum*
*legimus, Botrus* HACHOPHER *dilectus meus mihi in vineis* GHENGEDI, Cant.1.
*Latinus interpres affini ſono vocem poſuit botrus Cypri: nos carpobalſamum*
*arbitramur eſſe. De altero frequenter occurrit mentio: Egrediatur ignis de* Iudic. 9.
*Rhamno, & deuoret cedros libani. &, Carduus libani miſit ad cedrum quæ eſt* 4 Reg.14.
*in libano. &, Cedri libani quas plantauit. Nam ſingulari prouidentia erga* Pſal. 103.
*illam arborem, illo plantatam loco, vſum Deum ſignificare viſus eſt Pſaltes,*
*Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri libani. &, Ecce Aſſur quaſi* Iſaiæ 14. Ezech.38.
*cedrus in libano pulcher ramis, & frondibus nemoroſus, excelſúſque altitudine: & inter condenſas frondes eleuatum eſt cacumen eius. Oportet autem huius gratiſſimæ ac iucundiſſimæ, atque adeò vtiliſſimæ plantarum cognitionis diligentem ſtudioſúmque virum, omnibus inueſtigandis comparandíſque generibus, operam ita nauare, vt neque communiſſima, & maximè vulgaria curare ac tractare tædeat: nec peregrina, atque adeo rariſſima & ſingularia inquirere, perſequi, & aſſequi pigeat: ita demùm diſciplinæ huius cum ingenti operæpretio compotem euaſurum: cuius diligentiæ ac doctrinæ auctorem, ducem, atque*
*exemplar ſacræ hiſtoriæ Salomonem commendant: qui diſputauit ſuper lignis* 3 Reg.4.
*à cedro quæ eſt in libano, vſque ad hyſopum qui egreditur de pariete. Quo loco ligni nomen idem quod apud Latinos planta ſignificat, vt aliàs apud Ioſuem*
GHETSE PHISTIM, *id eſt, ligni ligna legimus. pro quo Latinus interpres* Ioſ.2.
*ſtipulam ligni reddit.*

D E

## DE ANIMANTIBVS.

210. ANIMANTVM *omnium cauſam duplicem edocti ſumus, alteram mundo na-*
Ordo de iumentis, volucribus, reptilibus, & piſcibus. *turæq́ conſonam: alteram verò huic præſtantem atque diuinum reſpicientem*
*ius, quam primam atque præcipuam dici oportuerit, propter maieſtatem eius, ad*
*quem cuncta referimus, hoc eſt, Dei Principis, cuius legitima & propria gloria,*
3. Reg. 4. *quidquid intra extraq́ orbem eſt, ſibi iure vendicat ſummo: quare quod ad vni-*
Pſal. 142. *uerſa attinet, ſcriptum eſt, Meditatus ſum in omnibus operibus tuis: & in factis*
Pſal. 138. *manuum tuarum meditabar. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es:*
Pſal. 103. *mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Quam magnificata ſunt*
Pſal. 91. *opera tua Domine: omnia in ſapientia feciſti. Quia delectaſti me Domine in fa-*
Pſal. 110. *ctura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo. Magna opera Domini: ex-*
Pſal. 144. *quiſita in omnes voluntates eius. Confeßio & magnificentia opus eius. Genera-*
Pſal. 102. *tio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronunciabunt. Benedi-*
» *cite Domino omnia opera eius. Lætabitur Dominus in operibus ſuis. Quòd verò*
*hanc mundi, quam tractandam aggredimur, partem ſpectat, frequens (vt aliàs*
*repetemus) lectio diuinis laudibus adiudicat: cuius illa modò breuis ac ſumma*
Pſal. 150. *ſatis fuerit ſententia: Omnis ſpiritus laudet Dominum.*

211. *Alteram verò cauſam quamobrem animantium omnium natura in mundi*
*partem conſtiterit ſuo in foro certam, propriam, ac planè legitimam eſſe intelle-*
*ximus, hominis, hoc eſt, poſtremi, ac ſupremi in terris operis Deo auctore effin-*
Pſal. 8. *gendi dominationem, principatū & vſum. S. S. E. Quid eſt homo quòd memor*
» *es eius: aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab*
» *Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera ma-*
» *nuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſu-*
» *per & pecora campi. Volucres cæli & piſces maris: qui perambulāt ſemitas maris.*

213. *Ex natura autem rerum, atque ex earumdem obtinenda & formanda cauſa,*
Ornatus. Exercitus. Inſtructio. *tertia ratio oritur, hoc eſt, decus & ornamentum totius orbis multiplici parte*
*conſtantis multo & efficaci atque vtili apparatu inſtructi. S. S. E. Igitur per-*
Gen. 2. *fecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus, ſiue omnis* TSEBAAM *exercitus,*
*vel inſtructio eorum.*

214. *Atque animantum omnium quæ ſub cælo edita conſtant, initium quinta atq́*
Initium. *ſexta conditi orbis die diſtincta ſibi ſerie arrogant: quæ enim minus generoſam,*
*minus liberalem atque elegātem minus vitæ vſuram ſortitæ ſunt, quinta; quod-*
*cumque verò genus liberalius degit & agit, ſexta die vel extitiſſe, vel fictum fa-*
*ctumq́ fuiſſe legimus. Quamquam verò nos naturæ dignitatem comparatio-*
*nemq́ reſpicientes ab iis quæ ſexto die vixerunt, eo diſſerendi initium facere*
3 Reg. 4. *oportuerit, id quod à Salomone factitatum accepimus (qui diſputauit de iu-*
*mentis, volucribus, reptilibus & piſcibus) naturæ tamen rerum ordinem ex con-*
*ditionis tempore ac ſerie ſequutos ab eo ſpectaculo, quod quintæ lucis tempore*
*editum fuit, contemplationis ducemus principium.*

215. *Aqua & aër mobilitate ſecandiq́ ſui habilitate, atque etiam in quamcum-*
*que vergatur partem cedendi valde affinem probant naturam: quibus etiam ac-*
*cedit ſimilis ac fere par promptitudo ad locum quemcumque vacuum, modò pro-*
*ximum complendum: quibus etiam accedit perſimilis omnino erga mouentem*
*ſpiritum Elohim obedientia, pro vtriuſque corporis ratione obſequi vel cedere*
*prompta.*

*prompta. Quamobrem vtriuſque regionis, aquarum videlicet atque aëris, frequentatores animantes, vel congenere, vel valde affini materia editas, diuina virtus ac ſapientia voluit. materiam autem hoc loco vocamus* MAIM, *id eſt, pinguem ac ſalſum liquorem aliis modis aliisq; rationibus commixtum ac temperatum: atque ij erant quibus terra inſtructa fuerat, atque adeò magis humidum ac mollem vtrumque, minusq; denſum, quod ad totam faceret maſſam: verùm idem ipſum non vna eademq; ſimplicitatis ratione præditum: immo duplici habitu, altera quidem parte craſſius ac tenacius, magisq; limoſum, & (vt ita loquamur) glutinoſum: altera verò magis tenue, multoq; leuius, & expeditioni aptius: in vtraque verò ratione differentiæ fuerunt, ac certi quidam quaſi gradus & ordines, propriis ac ſingularibus definiti terminis, certo tamen comprehenſi numero, quem auctoris Dei ſapientia perſcripſerat. S. S. E. Omnia in numero, pondere, & menſura feciſti. Ex altera igitur, liquorum illorum, hoc eſt, craſſiore cum lentiore parte variis (vti diximus) ordinibus diſtincta Dei iuſſu, hoc eſt* IEHI *efficacitate certo ac ſingulari verbo* IISRTSV *determinata innumera aquatilium genera repentè facta, & abſoluta, latiſſimam aquarum ac maris præſertim regionem frequentarunt: quæ, quamquam formarum numero omnem humanæ computationis excedunt ſummam: tamen nulla eſt quæ ad vnumquodpiam ex tribus generibus non referatur: videlicet, reptile, ſquamoſum, &* THANIM, *quorum ſupremum & ampliſſimum nomen eſt* DAG, *ſiue* DAAG, *ſeu* DAGAH; *namque has tres voces eandem ſignificantes rem, vnam atque alteram maſculini, tertiam verò feminini generis in ſacris lectionibus obſeruare contingit. Huius autem naturæ omnis Dei iuſſu, ac verbi virtute productæ, illam ſacra fides nobis recolendam præſcripſit hiſtoriam, Producant aquæ reptile animæ viuentis. Vſus autem eſt huius hiſtoriæ ſcriptor verbo futuri, hoc eſt, perpetui exempli, atque conſtantiſſimæ legis* IISRETSV, *pro quo Latinus interpres, quem ſequimur, reddit, producant: cuius verbi ſimplex origo eſt* SARATS, *nullo ſimplici Latino ad plenum, verùm aliqua circumlocutione vtcumque explicabile, cum numeroſiſſima frequentia & trepidatione ebullire, & veluti feruere: cuiuſmodi ſpectaculum vel in viuariis piſcium, vel ſecundùm ſcopulos apud mare ineunte nouæ ſobolis tempore, piſcatores, & huiuſmodi rerum diligentes attentiq; obſeruatores contemplari ſolent. Omnium itaque generum infinita penè multitudo, Deo aquis imperante, repente producta moueri, vel motitari potiùs atque feruere viſa eſt; quæ antequam in generum certa nomina diduceretur, ex illo frequentiſſimo ac tumultuario motu commune nomen habuit* SERETS, *deinde verò in* THANIM, *&* SERETS *primùm diductum eſt: poſtea tamen (vt ſuo docebimus loco) non tam nominum quàm naturæ diuerſitate diſcretum fuit.* Creauit Dominus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas. *Tria iam indicantur genera,* cete grandia, anima viuens, anima motabilis, *quod nomini* cete, *adiunctum ſit,* grandia: *illud ſignificat, videlicet, maximos illos Dracones quos Balenas vocare ſolemus, quamprimùm creata eadē corporis mole & vaſtitate quam nunc in illo genere miramur prodiiſſe: id quod verbum* BARA, *id eſt,* manifeſtauit, *ſiue* creauit, *aperta ſignificatione adſtruit.*

Gen. 1. שרץ Gen. 1.

*Aquatilium itaque tria ampliſſima ſunt genera,* THANINIM, *ſiue Dracones, quos hodie nautæ cum piſcatoribus primæuo nomine* Toninas *vocant,* anima vi- 216.

Mutandi loci modus duplex.

ma viuens; *& ea quæ cum vitæ vſura locum vltrè mutare, ac vertere poteſt: ideoq́ motabiles, in primæua verò lingua* REMES HAROME SETH *dicitur: ſiquidem duplex ad mutandum locum eſſe poteſt modus: alter minori, alter maiori fit impetu: illum lapſum vel elapſum, hunc impulſum rectè dicimus: vterq́ ex conatu proficiſcitur. Prior earum animantum eſt, quæ ſimplici, terete, & pro craßitudinis ratione prælongo conſtant corpore: ac prima ſui parte hoc eſt pectore (vt ita vocemus) repentes: poſteriore nixæ ad progreſſum adiuuantur, & loci, quo mouentur, ſpacia flexu & inflexu ac ſinuatione obtinent, & ſuperant. Cuiuſmodi in terris quorumdam vermium, vt lumbricorum, & inſigni exemplo anguium colubrorumq́ motus viſitur. de quibus ſcriptum eſt, Supra pectus tuum gradieris. Huiuſmodi motu draconum, ſiue* THANINIM *genera omnia in aquis mota progrediuntur. Alter verò animantum ſeſe vltrò mouendi ac præmouendi modus menſuratione ſpatij propriè fit, isq́ certis membris, vel inſtrumentis à natura conformatis conficitur, quibus totum corpus impelli, ac transferri potius quàm labi, aut prolabi dicendum eſt. Cuiuſmodi inſtrumenta in terreſtribus animalibus maxima ex parte pedes & crura ſunt: in auibus pedes & alæ, pro regionis ſitu & oportunitate, vtrumque commodum; in piſcibus pinnæ, vel quidquid pinnarum vſurpatur vice, huiuſmodi motus in primæua lingua vocabulo,* RAMAS *ſignificatur, ex quo Latinorum Remus, & verbum Remigare, factum arbitramur: ſiquidem quadrupedum atque bipedum in terra, pennatorum in aëre; atque eorum præcipuè, de quibus nunc agimus, natantium piſcium in aquis motus ac promotio, remigationi potius quàm lapſui, vel inflexui ſimilis conſpicitur: ideoq́ verbum hoc* RAMAS *ad quadrupedum etiam ſignificandum ingreſſum transfertur. vt in illo loco, Et omne quod mouetur in terra, in genere ſuo,* HAROMES. *& inferius apertißimè, Conſumpta eſt omnis caro* HAROMES ETH, *quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumq́ reptilium quæ reptant ſuper terram. Quo loco volucribus & animantibus, beſtiisq́ verbum* RAMAS. *Reliquis verò quæ non eodem progrediuntur modo,* SARATS *verbum adiunctum, & quæ ſic mouentur,* SERETS *appellata adnotamus. Itaque piſcium genus omne quod huiuſmodi progreditur motu,* ROMES, *ſiue* motabile *vocatum intelligimus.*

Gen. 7.

Ibidem.

217. *Quoddam autem tertium genus animantum eſt, quæ in aquis viuunt quidem, ſua tamen ſponte nec progrediuntur, nec locum mutant: & ſi quando alibi, quàm vbi natæ ſunt, reperiantur, id aliena magis, quàm propria vis atque externo impulſu potius, quàm ſuis conatibus euenit. Cuius formæ oſtreæ, conchæ, mitilique varij & echini, ac ſpongiæ: affinéſque his innumeræ ferè naturæ ſunt. Nam de cochlearum & obeliſcorum motu, non valde dißimilis à vermium quorumdam terreſtrium progreßionibus obſeruatio eſt, eadémque natura ad* SERETS *potius, quàm ad* REMES *vocabulum referendum fuerit. Triplex igitur harum animantum genus, triplici notatione à Moſe distinctum animaduertimus.* cete grandia *quibus Draconum omnes, cùm minores, tum proceriores formæ adſcribendo.* & omnem animam viuentem, *quæ ſua ſponte locum mutat:* atque motabilem ROMESETH, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas. *Relatiuum pronomen prædicta genera ſumma reſpicit, quod voce primæua, eadémque communi,* ASER *cognoſcitur. Hæc inquit omnia gemini liquoris variè attemperati, & verbo, iuſſuq́*

Dei

*Dei comparati, in varias diſtincta formas creata protulerunt.*

## Aquatilium differentiæ ex modo.

TRIBVS *illis quæ ſuperius indicauimus nominibus, vel generibus potius, variæ ac multiplices coguntur formæ, vt in* THANINIM, *natura complura draconum monſtra varia effigie, varioq́ue ingenio prædita: atque vario etiam victu alenda; neque eodem omnia pugnandi vſu & exemplo: quarum formarum certam ſummam ex mortalibus nemini ſubductam credimus. Atq́ue aliæ in aquarum vel maris, vel ſtagnorum, vel fluminum regionibus, vel aliis natæ adultæ ſunt: vel denique verſantur. Sed & illud admirandum cumprimis, in ſacra lectione indicatum, ſingularum formarum varias etiam ſpecies, non figura, non materiæ, neque ingenij etiam, ſed modi ac magnitudinis varietate differentes viſi: ita vt alias minores, alias maiores, alias ingenti magnitudine quarum non indicetur, maxima quibuſdam breuiſſimas: ita vt minima nondum reperta ſit. Atque huiuſmodi in magnitudine diuerſitas non ætatibus adſcribenda venit (Nam quid mirum ea quæ creſcunt adultis & confirmatis longè eſſe minora?) ſed formis ipſis longitudine, & modo omni differentibus, ceteræ verò ſimillimis: ita vt, quæ minimæ reperiuntur, & quæ maximæ quæq́ue inter has mediæ ſingulæ formæ ſuum iam certa ætate obtineant modum: non maiores illæ, non hæ minores ex legitimo naturæ præſcripto futuræ: cùm tamen hæc ipſa ratio in terreſtribus animantibus non niſi rariſſima, ac adeò nobis in vno tantùm canum genere ſpectata obſeruatur. In aquis verò, ac præcipuè in mari, & innumeræ trium illorum generum formæ, & vniuſcuiuſque formæ variæ quoque & multiplicis viſuntur ſpecies corporis, modo & magnitudine diſpares, atque, vti apparet, ingenio, nonnihil aliæ aliis, hoc eſt, minores maioribus præſtanteis, quod ex illarum effectis arguitur, vt aliàs oſtendemus. Ex quo autē ſacræ doctrinæ loco ea quæ diſſeruimus, petita ſunt, in promptu eſt indicare: Hoc mare magnum & ſpatioſum "manibus: illic reptilia quorum non eſt numerus. Supremum genus marinorum" omnium animantum Pſaltes reptile dixit, ſub quo genera collocauit, quorum non eſt numerus. Singulis verò generibus varias ſubiecit formas, magnitudine, & exiguitate, multis ordinibus, ac perpetua ſerie diſtanteis.* Animalia, *inquit,* pu- *ſilla cum magnis, id quod nos cùm aliàs in diuerſis aquatilium naturis, tum verò apertiſſimè in conchiliorum & teſtaceorum generibus & formis comperimus in quibus nulla ſpecies eſt: cuius maximum, vel minimum exemplum quiſpiam ſibi repertum aſſerat: nobis autem libuit eiuſdem formæ atque figuræ cōchas, vel cochleas obeliſci inſtar in ſeriem inſtruere, mirabili habilitatis exemplo, cuius tamen obeliſci nec certam baſim, hoc eſt, maximam formam, nec extremam cuſpidem, id eſt, minimam, in ſuo genere ſtatuere contigit.*



## De cetibus & draconibus.

219. Ex *tribus quæ iam indicauimus aquatilium animantum generibus primum draconum, ſiue* THANINIM *commemoratur. quo nomine ac genere multæ recenſentur formæ: figura primùm, deinde ſub vnaquaque figura, magnitudine, ac modo differentes, in quibus cete grandia tanta conſtant mole, vt hominem integrum deglutire poßint: eidemq́; deuorato, loci ſpacium præbere ad reſpirãdum: atque adeò ad eloquij deprecationisq́; copiam, id quod in vno Ionæ Vatis exemplo cognoſcere licet, qui fuit in ventre ceti tribus diebus, ac totidem noctibus, inde verò viuus & incolumis diuino beneficio euaſit. Quam ſalutem quamquam ſingulari miraculo adſcribere conueniat, capacitatem tamen loci naturalem eſſe, complura huius generis olim ſpectata monſtra docuere. Maximus autem in hac draconum natura Leuiathan eſt ſingularis animans diuturnæq́; vitæ, idémque perpetuæ conſtantisq́; prouidentiæ teſtis & index. qui longo ſeruatus tempore, aliquando iis piſcium generibus, quibus ipſe paſcitur, conuiuium (Deo inſtruente) ſui corporis præbebit: interim verò in aquis ludit, & iis qui ſe vel expectarunt, vel cognouerunt, exemplorũ & ſimilitudinum, carminum atque etiam iocorum argumenta ac materiam ſufficit.* Pſal. 105. *S. S. E. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei, ſiue ad ludendum in eo. &,* Iob 40. *An extrahere poteris leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum? Numquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? Concident eum amici, diuident eum negotiatores? Numquid implebis ſagenas pelle eius, & gurguſtium piſcium capite illius? Pone ſuper eum manum tuam: memento belli, nec vltrà addas loqui. Ecce, ſpes eius fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur. Et ex tranſlatione concinens Pſaltes,* Pſal. 74. *Tu contribulaſti capita leuiathan draconis in aquis. &,* Iſaiæ 27. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum qui in mari eſt. Atque de hoc ipſo monſtro ita Eſdras commentatus fertur:* 4 Eſd. 6. *Leuiathan autem dediſti ſeptimam partem humidam, & ſeruaſti eam, vt fiat in deuorationem quibus vis, & quando vis. Omnia quæ à nobis citata, quamquam ad myſterium ſapienter cognoſcentibus referantur, ſuam tamen in animantis naturæ generibus rationem ſortita ſunt. Atque aquatilium pro ratione proceriſſima ſunt, ea quæ in Thaninim recenſentur genere: eademq́; præ ceteris fera & crudelia, atque adeò velociſſima propter teretem corporis figuram, findendis aquis valde idoneam: cui caudæ forma & ſitus Temonis marini inſtar, habens; plurimum commoditatis ad nixus confert. Sunt autem (vt iam indicauimus) innumerabiles horum draconum formæ: quæ tamen ab aliis generibus vno corij ſiue pellis dignoſcitur ſigno. Namque natura hæc omnis perpetua ducitur pelle aſperiore quidẽ in aliis minusq́; tractabili, in aliis verò tenuiore ac lubrica, ac facili elapſu captatorum fallente manus; ac præter feritatem, quæ communis omnibus his eſt, & in morum imitatione improbatur perpetuo, nullum in hoc genere excipitur, cuius carni nonnihil vel veneni, vel alias incommodi & noxij ſuccus non inſit. Ideoq́; propter vtramque rem, id eſt,*

Draconum natura, & deſcriptio.

*natiuum*

*natiuum nocumentum, & feritatis ac ſæuitiæ ſignificationem totum genus hoc ab hominum cibis, & menſis legitima vetatione arcebatur. S. S. E. Quidquid* Leuit. 11.
*autem pinnas & ſquamas non habet eorum quæ in aquis mouentur & viuunt,* "
*abominandum vobis execrandúmque erit: carnes eorum non comedetis, &* "
*morticina vitabitis.* "

*Secundum eorum quæ in aquis mouentur genus multiplex quoque atque in-* 220.
*numeris ferè diſtinctum formis, quæ, vti de ſuperioribus dicebamus, magnitu-* Squamoſa.
*dine quoque inter ſe differunt. S. S. E. Illic reptilia quorum non eſt numerus.* Pſal. 103.
*Animalia puſilla cũ magnis. Tametſi verò quæ innumerabilia quod ad ſpeciem attinet, ſunt ſub certam ſcientiæ comprehenſionem: non addunt tamen huic ſecundo generi quandam communem eſſe notam Conditor voluit, ad quam quæcumque examinata deducerentur, conſimilem naturam ingeniumq́; non admodum diſpar, & ſui vſum hominibus communem, & conceſſum cognoſcentibus, probarent. Hæc autem nota, ſiue ſignum hoc duabus partibus conſtat, hoc eſt, corporis ſquamoſo amictu, & pinnis vtrimque ad latera concinnatis: quibus, vt aues alis ad volatum, ita genus hoc ad natationem vtitur. Vtriuſque autem partis exemplo ingenium mitius atque ſimplicius, probumq́; quodammodo, & carnis naturam, & ſuccum temperatiorem, menſarumq́; vſibus magis oportunum commendatur: ideoq́; legitima conceſſione, nulloq́; diſcrimine in antiquis permiſſis*
*conſtabat. S. S. E. Hæc ſunt quæ gignuntur in aquis, & veſci licitum eſt. Omne* Leu. 11.
*quod habet pinnulas & ſquamas, tam in mari quàm in fluminibus & ſtagnis,* "
*comedetis. Atq; de ſecundo, & ad cibos vtili genere hæc breuiter.*

## Tertium Aquatilium genus.

AQVATILIVM *tertium genus, nec planè ſquamoſum, nec draconibus perſi-* 221.
*mile, neque vtrique ex his celeritate par eſt: cuius duplicem quoque partem obſeruauimus: alteram immobilem, & fundo, ſcopulis, ac ſaxis hærentem: alteram verò quæ vel ſponte mouetur locumq́; mutat, vel à fluctibus & vndis vecta, aut impulſa vectatur: in vtraque parte triplex formæ genus, vnum planè nudum, ſuaq́; pellicula, eademq́; pro corporis magnitudine tenui contentum, vt ſpongiæ: interea quæ immota hærent, & lumbricorum ac vermium complures formæ. Secundum verò quod pro corio ſiue pelle teſtaceum ſortitur tegumentum: quo per vim aut caſum quemlibet detracto, animans ipſa perit. Hæc Græcis propriè* ὄςρακοδέρματα *vocantur. Tertium verò eorum quæ ex propria pellicula induuntur, ac præterea ex limoſa ac lenta materia vaſa quædam ſibi ædificant, quibus pro tegumento, domo, antro & præſidio ſui tutandi cauſa vtuntur: atque horum partim moueri & repere poſſunt: partim ſuis hærent locis. Quæ omnia conchilia, oſtracea, ſiue teſtacea appellari poſſunt, quod ipſa ſibi teſtas parant, & conficiunt, admirabili & conſtante artificio, cuius quinam ex antiquis Græcis aut Latinis auctoribus mentionem fecerit, nobis nondum eſt planè compertum, verùm in ſacra lectione non obſcurè indicatum, & admirati ſumus, & in naturæ ſtudioſorum gratiam, & contemplationis argumentum vel breuiter aliquando referre animum induximus.*

*Secundi horum aquatilium generis, hoc eſt, eorum quæ duriore pelle quaſi cor-* 222.
*tice, vnà cum toto corpore creſcente & obdurante teguntur: ſunt variæ locuſta-*

rum, cancrorum, teſtudinumq́; formæ quæ mouentur quidem & natant, non tamen pinnis, quia carent: ſed branchiis, & aliis membris, ſpiritu ELOHIM diuini effati ſapientia & auctoritate aptatis: quibus autem cauda acceſſit ea, claui, vel temonis loco inſeruit. Ad hoc genus alia quædam referenda ſunt, quæ & huiuſmodi coniunctis corticibus muniuntur quidem: verùm nec ſolùm vertunt, neque quo id facere poſſint, membrorum quicquam habent. Eius formæ cernui omnes viſuntur quæcumque illis corticis figura ſit, ſiue globoſa prorſus, ſiue magis minúſve depreſſa. Atque de omnibus iis quæ hactenus indicauimus illa verè enunciantur. Illic reptilia quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis: quæ omnia Conditoris, & gubernatoris cum ſumma ſapientia maximam
Pſal. 103. perpetuamq́; prouidentiam prædicant. S.S.E. Omnia à te expectant vt des illis
» eſcam in tempore: dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia im-
» plebuntur benedictione. Iam verò quæ propoſueramus præſtare breuiter, commodum fuerit, id eſt, de teſtaceis ea elicere quæ ad ſtudioſorum excitandam diligentiam, abundè ſatis eſſe poſſint. Contentionis verò amatoribus perinde ſeruient atque ſi dicta minimè fuerint, in qua tamen parte tantum nos à diuino beneficio ex longo vſu, & aſſiduis exemplis conſecuti fuimus: vt in re, vti exiſtimari poſſit leui: tamen operæ & temporis inter agendum iter nauigandúmque poſiti, non pœnituerit.

## DE TESTACEIS.

223. Ex admirandis infinitiſque ſapientiæ ac prouidentiæ diuinæ exemplis, pars in maximis, quædam in mediocribus, non pauca in minimis rerum ſpectantur naturis: in his autem vnum genus eſt aquatilium, quæ cùm corpore conſtent ſimpliciſſimo, oſſium, neruorum, membrorum, & articulorum experte: tamen ſpiritu, ingenio, & ſolertia valent vſque adeò, vt ipſa ſibi tegumenta, domos, palatia, munimenta, arma, atque theſauros parent, & conficiant. Tanta dexteritate, ac varietate: vt vel Architectorum, aliorumq́; artificum induſtriam, elegantiam, facultatemq́; omnem longo ſuperent interuallo. Quam naturæ partem ac rationem nobis apud alios auctores, cõtemplatores, & rerum indagatores, numquam indicatam; ſacrorum eloquiorum & carminum lectione, & animaduerſione, diuino (vt multa alia) beneficio cognoſcere primùm contigit: deinde aſſiduis multorum annorum obſeruationibus, & innumeris rei ipſius exemplis, planè ac perſpicuè tenere. Cùm aliquando diuinus ille Pſaltes de virtute, prouidentia, miſericordia, ac benignitate Dei erga homines terra marive periclitatos inſigni carmine diſſereret vtramque prouidentiæ rationem, hoc eſt, eam, quæ naturæ veritatem & gubernationem, & eam quæ humanarum rerum curationem ſpectat, oportuna mentione ſapientiſſimè tractauit: ac de priori parte ſic breuiter qui-
Pſal. 106. dem, propriis tamen ac ſignificantibus verbis, dilucidè admodum cecinit, Qui
» deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi vide-
» runt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Atqui cum toto illo Pſalmo de diuina ſapientia & prouidentia erga homines præcipuè experimentis & exemplis ipſis magis quàm rationibus, hoc eſt, inductione magis quàm ſyllogiſmo, diſputare inſtituiſſet, quid de hoc genere in mari & aquis tractari cognoſcique poſſet; appellatis hominum teſtimoniis propoſuit, voluitq́; nautas, vectoréſque frequen-

frequentiſſimos doctrinæ ſuæ arbitros eſſe. vt collato plurium teſtimonio, res ipſa, quæ noua fortaſsis videri neſcientibus poſſet, expertis, manifeſta conſtansq; affirmaretur: ideoq; non vnius tantùm marini tractus nautas, verùm eos omnes, qui maria omnia, ſiue ad ortum, ſiue ad occaſum, ſiue meridiem verſus percurriſſent, ea parte vocatos voluit: neque verò ſegnes, negligentes, væcordes, hebetiq; animo & ingenio: verùm diligentes, induſtrios, attentóſque ſibi teſtes aſciuit, Facientes operationem. Idq; non in vno aliquo tantùm pelago, ſed in aquis multis. Huiuſmodi autem animi mentiſq; homines in aquis multis diligenter verſatos & exercitatos vidiſſe ait OPERA DOMINI. Sunt autem plura vocabula pro quibus Latinus interpres reddere ſolet opus ſine diſcrimine. In primæua verò lingua, manifeſto ſignificationis diſcrimine diſtinguuntur. namque POGAL, quodcumque opus, quocumque modo factum aut repertum eſt, MAGASSE verò certo operi, certa arte facto, certaq; ac definita forma conſtanti ſignificando vſurpatur. vt in illo Pſal. animaduertere licet: Simulacra gentium, Pſal. 113. argentum & aurum: opera manuum hominum. Non auditur vocabulum POGAL, ſed MAGASSE manuum hominum. Quale autem opus illud ſit, è veſtigio declaratur. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt. Itaque quod certa forma & figura ſpectari poteſt, vt ore, oculis, auribus, naſo, manibus & pedibus id MAGHASSE dicitur: atque hoc pacto cælum, ſtellæ, ſol, & luna, & huiuſmodi certa deſcriptionis complura, hoc nomine indicari poſſunt, & indicantur. S.S.E. Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas quæ tu fundaſti. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Pſal. 8. Pſal. 101. Huiuſmodi fabrefacta, atque ad certas figuras referenda opera in aquis multis ſpectari ſolere vates ait: quorum primus auctor & ſummus Magiſter eſt Dominus: quippe qui tam tenui & ſimplici naturæ qualis limacibus contigit tam ingenioſum ſuppetat ſpiritum, exiguum illum quidem, verùm efficientiæ exemplis mirabilem.

## Limacis natura.

CONSTAT animans hæc ſimplici prorſus corpore, oſſibus neruiſq; carente 224. materia ferè aquea vel ſalſa: limoſa tamen tenaciq; prædita lentore, & ſpumea, atque oui album, vel tragacanti, gumi, vel viſcum omnino imitata: eſt autem corpus illud totum, ſpongiæ inſtar, penetrabile, quod alienos ſuccos & liquores facilè concipere, conciliare, ac rurſus pari facilitate remittere, reddereq; poſsit: non tamen ita ſimplices ac liquidos reddit, atque acceperit: ſed vbi aliquantiſper exuctos retinuit in viſci lentorem adeo mutatos, vt vel longo & perpetuo tractu deducere poſsit: cuius rei ſigna manifeſtiſsima quacunq; incedit exhibet, muci lanuginoſo relicto quaſi filo, ei quâ proceſsit vel corpori, vel ſolo hærente ſeſéque ſua arguente lubricitate, & glutinoſo ac pellucido ſicut argenteo plerumque colore: illum vero viſcum propter corporis proprij comprehenſionem, dum pergit ex pleno ſpongioſo ac poroſo nimis corpore pro ſui ipſius ponderis ratione, remittere ac relinquere cogitur. Maximè verò hoc deprehenditur in limacibus iis, vel terreſtribus, vel aquatilibus: qui nullam quam trahant ſibi parant vel habent teſtam.

*teſtam. Hos propter inertiam nos ἀέργους appellare ſolemus. Atque huiuſmodi beſtiolæ ſuccos liquoreſq́; quos nactæ fuerint, omnes combibere & exſorbere poſſunt; ſiue liquidos & ſimplices reperiant, ſiue alij cuipiam corpori commixtos, vel inhærenteis: nam facile etiam hos ore ſugunt, & toto ſui ipſorum corpuſculo communicant; atque vt ex plantarum radicibus, ramis, foliis, & floribus, atque adeò ex mineralibus, & ex terra quoque. Ex iis verò liquoribus exſuctis, opportunam ſibi partem in alimentum concoquunt & inſumunt. Reliquam verò vel fabricis à ſe conficiendis adhibent, vel remittunt, & abiiciunt non ſimplicem & puram, vti exceperant, ſed fæculentam tenacemq́; redditam, vti diximus: namque hæc vna & inſignis admodum natura eſt, inter eas quæ conceptos liquores, in proprij ſucci inſtar vertunt: ſeruatis tamen illorum coloribus quibus animal ipſum ſua natura caret, vtpote aquæ ferè in modum pellucens: id quod ad myſteriorum rationem & ſignificationem animaduertere contulerit.*

Contaminatio. *In Leuiticis arcanis vbi de contaminatione diſſeritur, naturæ huius genus omne caput, fons, & parens impuritatis dicitur: quippe cuius contage quidquid communicauerit, non affici modò, ſed infici neceſſe ſit, quod hic breuiter indicatum, oportunè aliàs & exactiùs, Deo annuente, declarabimus.*

*Itaque corpuſculum illud limaceum, lubricum & viſcoſum colorem inducere ſolet ſucci eius quem ex quacumq́; re combiberit, eumdemq́; ſuccū viſcoſum, lentum reddit; & qui, dum adhuc recens conſeruatur, in longum deduci producíque poßit. Cùm autem aruerit, friabile ad inſtar corticis oui aut figulinæ teſtæ fit. vnde Latinum teſtaceorum & conchiliorum nomen huic generi omni attributum fuit.*

## Conchiliorum inſtrumenta.



225. ANIMAL, *ſiue animans propriè dici non poteſt id quod ſenſu caret prorſus. Omnibus autem aquatilibus, animalis nomen ſacra lectio arrogat: illic reptilia, quorum non eſt numerus: Animalia puſilla cum magnis. Eſt itaque natiuus omni aquatilium generi ſenſus, verùm non omnibus ex æquo multiplex: Nam quædam vnica tactus facultate prædita ſunt, vt ſpongiæ, quæ, dum viuunt, iucundioris rei tactu dilatari, & veluti gaudere, triſtioris & incommodæ ſenſu contrahi, refugere, ac dolere videntur. Alia præter tactum guſtum habent, vt echini & lumbrici, qui alimenti commodi diſcrimina guſtu ſentiunt, & incommoda omnia reiiciunt. Quædam verò præter duos illos ſenſus videndi facultate valent. vt marinorum quamplurima quibus oculi affecti ſunt. partim autem horum caput oculis ornatum obtinent: partim verò extra caput quodammodo ſortita ſunt oculos: nempe in corniculis quæ capiti prominentia moueri, torqueri, contrahi, & produci poſſunt pro modi ratione, id quod manifeſtè in cancrorum deprehendimus natura, atque in marinorum draconum genere ſatis noto, quòd ob hanc rem à piſcatoribus cornutæ vocitantur. Huiuſmodi ſitu oculos limacibus datos, obſeruare eſt: quorum capiti cùm quaterni ſiue cirri, ſiue nerui cornuum in modum promineant, bini craßiores in rotūdum qui deſinentes oculorum vice & vſu conſpiciendas repræſentant res: atque ij mobiles & circumquaque flexibiles viſuntur: ita vt in dorſum (vt ſic vocemus) ſiue in poſteriorem partem corporis conuerti poßint; & antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ac ſiniſtrorſum*

*ſtrorſum inſpicere. An verò genus hoc cum aliis aquatilium formis audiendi ſenſu valeat, nobis compertum non eſt ex ſacris lectionibus, neque experimentis etiam, verùm vt vocem iſtis minimè neceſſariam: ſic etiam audiendi & olfaciendi facultatem negatam, loci in quo degunt natura, docere videtur: quippe auditio, vox, & olfactus non niſi medio atque opportunè comparato aëre fiunt. Quod enim alicubi legimus, Et narrabunt piſces maris: ad rei ipſius cognitionem, & contemplationē potiùs, quàm ad vocis & ſermonis facultatem ex tranſlatione referendum eſt. vt & id quod huic proximum præcedit; Loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. id eſt, ipſa harum animaduerſione* Iob 8.
*rerum doctus euades. Vident itaque limaces, ac tangendi facultate guſtuq́; valent. Iidem etiam gemina alia habent cornua altiore quàm priora capitis ſitu & loco: eademq́; longiora, & in acutam deſinentia cuſpidem paulatim in latum diducta, inuicemq́; ex æquo diſtantia, quæ circini aperti & imaginem referunt, & vſum præbent. At vt Elephanto proboſcis in omnem flexibilis partem ad omnia capienda, tollenda, ac deponenda fuerit: ita geminæ cuſpides iſtæ digitorum vices, ac proprium opus generi iſti omni præſtant: conceptum viſcum ore remittenti atque tractanti, demumq́; deducenti, conſtituenti, & ad extremam vſque lineam abſoluenti: quam rem non vſquequaque admirandam aranearum ingenium, & apum ſolertia reddent, quarum alteræ ſuas telas deducto è propriis corporibus filamento varia & multiplici arte & forma certis cirris quæ crura potius ad ingreſſum apta videri poterant, ordiuntur ac texunt: alteræ verò fauos ſuos egregia & conſtante ædificant & cōficiunt arte: idq́; ore & inſtrumentis tenuibus, quæ ex conditoris munere, manuum ſiue digitorū loco ſortitæ ſunt.*

*Atque in limacibus quidem hæc indicauimus; neruorum ſiue cirrorum, denique inſtrumentorum diſcrimina attentè inſpicientibus manifeſta fiunt: in altero verò, hoc eſt, concharum genere his non modò diſſimiles partes & ad viſum, & ad opus conceſſas tendonum faciem referenteis, reperire contingit.*

## Limacum & concharum opera.

DVPLICI *huiuſmodi artificum generi, duplex ad imitandum & inſtruendum ornandumq́; exemplar propoſitum perpetuo eſſe* IEHI *voluit, vt vtrumq́;* 226.
*certis ſpirituum ingeniis vario figurarum ordine diſtinguendum amplificandumq́; commendauit, vtrumque argumenti rationem habere dixerit, quiſquis rem ipſam diligenter inſpiciet. Alterum argumentum ſpiralis linea eſt, quam Græci ἑλικῆρ vocant, ſolis intra ſignorum circulum perpetuo obſeruatam: Alterum verò ea præfert linea quam lunæ facies è cælo è terris cōſpecta variat, eámque ὀξληνικῆρ dicere nihil prohibet. Atque docendæ rei cauſa fingamus artifici cuipiam peritiſſimo ſpicam ex tenuiſſimo aureo filo contortam ab ingenij & artis facultatisq́; cenſori quopiam propoſitam eſſe, ea lege vt in quamlibet vaſculi aut ornamenti figuram pro arbitrio conformatam, à primæuo tamen argumento*

*numquam mutatam variare liceat. Idem verò de altera, hoc eſt, de lunari fingendum facilè exiſtimatu fuerit artificem illum ſummum linearum formas illas numquam ſibi corrumpendas, aut frangendas, à planiſſima,*

maximeq́; depreſſa forma aduſque editiſſimi obeliſci figuram variis modis variare poſſe, atque vnicuique modos muris extrinſecus applicandis, variam ac multiplicem fabricam editurum eſſe cum magna attendentium voluptate expectabilem. Huiuſmodi argumenta Deus parauit his animantibus, quas etiam artis ac ſapientiæ ſuæ pro naturæ modulo teſtes miniſtraſq́; inſtituit, eaſdemq́; ſpiritu donauit ad vniuſcuiuſque expediendum opus idoneo: ita vt quæ ab his confecta ſpectantur, auctori, à quo artem edoctæ fuerunt, referenda iure cenſeantur: ideo namque ſcriptum legimus, Ipſi viderunt opera Domini. eo modo quo de operibus iam diſtinximus: ita vt quicunque viderint ſe multa & egregia ædificia & artificia, non aliundè quàm ex Dei diſciplina, & informatione, ac iuſſu profecta admirantes conſpexiſſe: nempe domos, mãſiones, tuguria, præſidia, munitiones, turres, obeliſcos, pyramides, ſphæras, palatia, nauigia, arma & ad feriendum, & ad vitandum vulnus comparata: ſepulchra præterea & monumenta longo duratura æuo, & artificum indicatura induſtriam ſummam: ad hæc etiam vaſorum, paterarum, ſcyphorum, vrnarum, & cantharorũ, ſympuuiorum innumerabiles ac varias formas. catinos, patinas, cochlearia, orbes, cuſpides, fuſcinas, & mæchanica ad motum atque tractationem ponderis, librationem, & motium impulſionem comparata quamplurima quæ maximis inter homines artificibus pro documento eſſe poſſint: quædam etiam ſeſe illis ad imitationem difficillima oſtentent.

Quod ſi horum, vt par etiam eſt, operum ornamenta ſpectentur, non minori miraculo fuerint membrorum in vnoquoque artis & operis genere excogitatio, ratio, ac diſpoſitio pro vſus oportunitate commodiſſima, pariter & concinnitate decoreq́; omni prorſus commendanda, vt omittamus colorum varietatẽ, diſtinctionem, & cohærentem conſtantémque temperatum & viciſſitudinem perpetuumq́; nitorem. Quid plura? materiam in compluribus ex his argenti, auri, atque precioſiſſimi cuiuſcumque lapidis aſpectu & ſplendoris nitore ac terſitudine æmulam quis non ſtupeat? Denique margaritas, gemmas, vnionesq́; à communi ſupremum vſque æſtimationem exquiſitæ diuitiæ his debentur. Tantummodo opificibus, quorum neque induſtriam, neque elegantiam ex mortalibus quiſpiam vel falſa & adulterina affingere potuit imitatione, nedum vſura, & veritate exprimere ordines.

Duplex autem conchiliorum genus duplici Latino vocabulo dictum adnotauimus: alterum enim quòd in lunari linea inſtruenda verſatur conchæ, alterum verò obeliſci nomen arrogauit: vtrumque verò in varia veluti collegia diductum, varios efficiendi ſortitum eſt ordines atque effingendis tum naturæ, tum architecturæ operibus ſingulæ formæ variis exemplis addictæ fuerunt: nulli tamen à lineæ ſuæ argumento diſcedere conceſſum. Verùm enimuerò quod ad munitionum & ornamentorum vſum oportunitatemq́; facit, mira vnicuique collegio, immo & profeſſoribus atque artificibus ſingulis permiſſa optio propria: ita vt quidam eiuſdem ordinis artifices in eandem prorſus ornamentorum, & armamentorum rationem, & formam conſpiraſſe videantur. Alij verò priuato ac ſingulari ſtudio diuerſam ab aliis ſculpturæ, picturæ, & colorum tractationem & collocationem, atque explicationem: eámque rectè ac decenter putatam ſui operis laudandi cauſa reperiſſe: atque ita nullum ex his vel ſingulare eſt, cuius inceptum ſumma conſtantia, & concinnitate non fuerit abſolutum, præter vnum

aut

*aut alterum exemplum, quod dictati ſibi ornamenti normam aliqua ex parte oblitum videri poteſt: idq́; vt rarum repertu eſt, ita vbi offenditur iucundo ſpectaculo riſum conſpicientibus mouet.*

*Illud verò non minore animaduerſione dignum, quod & elegantiæ ratio, & vſus pariter in his oſtraceis operibus diligenter habita cognoſcitur. Nam quibus maris tractus ſaxis & ſcopulis inſtructus, & fluctibus ac tempeſtatibus obnoxius contigit, domicilia quàm fieri poſſunt firmiſſima, munitiſſimaq́; parantur nodis, puluinis, aliiſq́; prominentibus ornamentis inſtructa: ita vt quamuis ad ſaxum ſcopulumq́; illiſa, nec rumpantur tamen, nec dehiſcant. Sunt etiam quibus maiorum ferarum, aut aliorum ſui alteriúſve generis inſidias cauentibus, totam domum cuſpidibus & verubus, aliiſq́; impedimentis horrentem parare curæ ſit: vt muricum ordinibus in quibus mira conſpicitur varietas, aliis haſtæ ad pugnam, atque ad obicem comparantur. Aliis verò portæ & repagula, quas noſtri blatas, vel vmbilicos marinos vocant adeò exactè ad cocleæ ſiue domus aditum aptantur, vt obductæ ne lucem quidem admittant. atque ita niſi ſubitò ab iis quæ haſtam gerunt occupentur: magna ſecuritate intra domum receptæ quieſcunt. Gaudet verò vnaquæque ex his proprio opere ac labore fruitur ſuo, cui poſt impoſitam coronidis firmæ ac duræ munimentum, nihil iam operis deinceps poſtea ſuſcipitur: niſi fortaſſe vitium vel caſu, vel vi aliqua factum, corrigere & reſarcire expediat, vt in nonnullis factum conſpicimus, vel ex oblata eleganti materia ornamentorum colores variare, aut inſtaurare libeat.*

*Neque verò illud prætermittendum, eundem ordinem, diuerſis tamen in maribus natum, adultum & verſatum: vel varia inducere ornamenta, vel eadem, ſiue ſimilia, diuerſo tamen lineamentorum ductu ac tractu concinnare. Namque pectines patulos qui in Italico capiuntur littore, ab iis qui eiuſdem ordinis in Oceano ſcatent, ſtriarum figura facilè dignoſcuntur. iis enim ſtriæ in ſemicirculi figuram ducuntur. Illis verò planiores formantur huiuſmodi exemplis. Quæ verò ex nouo orbe deferuntur, certis atque inſignibus ornamentorum notis, patriam regionem profitentur: ita vt harum rerum amatoribus, animaduerſoribusq́; vel ordinum, vel ornamentorum, vel colorum, aut armorum & munimentorum ſimplicitate, magnitudine, pondere, leuitate, aliiſq́; certis & exploratis iam huiuſmodi notis, ſingulorum quæ offeruntur exemplorum, patrium ſolum & cælum, & naturæ ingeniáque locorum facilè dignoſcantur. Atque hanc rationem hoc pacto excipiendam commendabat Vates: Facientes (inquit) operationem in aquis multis:* Pſal. 106.
*ipſi viderunt opera Domini.*



Oceani.



Italico.

*In concharum genere multiplici non paucæ ſunt quæ vnica tantùm, eaq́; vel* 227.
*ſimplici & leni, vel aſperiore & ornata teſta contentæ, ſaxis hærentes, vitam degunt: ibidemq́; paſcuntur. Hærent autem tum propter lenti ac viſcoſi ſucci tenacitatem, tum propter aëris cõcluſi raritatem, qui in mediæ cucurbitæ modum alteram rem alteri colligatam tam diu retinet, quoad admittendi, quantum ſatis fuerit, aëris copiam & opportunitatem nanciſcatur: eodem etiam pacto limaces teſtis hærent propriis, præter vnum aut alterum ordinem cuiuſdam tenuis & in lumbrici formam oblongæ beſtiolæ indici Oceani indigenæ: quæ, qua ſibi ex ele-*

gantiſsima & nitidiſsima viſci materia frequenti concameratione, multíſque conclauibus conſtruxit ædcis libera ſubit, inhabitat, & mirabili mouet ac trahit induſtria & vi. cuius teſtam auro atque gemmis ornatam in Regum menſis pro poculo vſurpatam videmus.

Eſt demùm aliud beſtiolarum huiuſmodi viſcidarum tertium genus, quod ſimplices ſibi parat manſiones rotundas, & oblongas, in acutum cornu inſtar deſinentes ita plerumque: nonnuſquam verò quadratæ, ſiue angularis formæ cornua conſuit: alia leuia, ſtriata quædam, eademq́ſingularia. ſed & in hoc genere ſunt quæ ſocietate gaudentes, vel in oblato ſaxo, vel in aliena teſtâ, vel aliàs in quacumque ſolida materia frequentiſsimos ſibi veluti nidos conſtruant: partim contiguos rectos, vel flexuoſos ac diſtortos: partim verò diſcretos, & vario ſitiatos modo. Hæc nos inter opera quoque Domini enumeranda adnotauimus: quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis. Atque hæ de triplici hoc aquatilium genere diſerta, veluti fontes digito indicati, rem longinquius perſequi volentibus, abundè ſatis argumento fuerint.

228. Omnium autem commune vocabulum eſt DAG, pro quo Latini interpretes (quamquam non ſatis plenè & ſignificanter) piſcis reponunt, cùm Latina huius nominis origo incognita ſit: niſi quantum à cymbrico vocabulo vis mutata videtur. DAG verò à DAGAH verbo deducetur, quod ſpiſſe, frequenter confertimq́ producere & multiplicare ſignificat. Nullum enim animantum genus aquatilium naturæ omni fœcunditati comparari poteſt, quippe cùm vel vnus piſcis ad ampliſsimi quamlibet ſtagni complendam coloniam ſatis atque ſuper ſuppeditare poteſt ſobolis. Aiunt enim Belgæ naturæ omnis hoc ſeculo diligentes obſeruatores, vnico ſquamoſi piſcis ac ſuis familiaris viuariis partu ad quadraginta millia vitalis prolis vnico in ſtagno ſuffici. Quamobrem vbi de amplificanda ſobole in ſacro ſermone agitur, hoc idem vſurpatur verbum, VAIIDAGV IERAB BEKEREB HAARETS interpres vertit. Et creſcent in multitudinem ſuper terram. Itaque eximia ſuæ augendæ ſobolis fœcunditas, omni aquatilium generi propria ac natiua eſt: eademq́ conceſſa à Conditore verbo: non poſtquam edita fuere, vt in aliis animantibus: ſed cùm primùm exiſtere iuſſa ſunt. ſicut ſcriptum eſt, SARRTSV HAMAIIM, Ebulliant aquæ reptile animæ viuentis. id quod vnum ex innumeris admirationis argumentis fuerit. Nec minore ſtupore dignum illud quibus nam cibis, & quemadmodum diſpenſatis proſpectis, paratis, ac ſuppeditatis tam innumera animalium, tam varia, tamq́ diſsimilia,
Pſal.103. ac diſparia genera & ſecula paſcantur. S. S. E. Omnia à te expectant vt des illis
» eſcam in tempore: Dante te illis colligent: & aperiente te manum tuam, omnia
Pſal.135. implebuntur bonitate. &, Qui dat eſcam omni carni. Namque vt alia quadrupedum, alia volucrum, alia piſcium caro eſt: vnicuique oportunum cibum pro-
Pſal.145. ſpectum eſſe oportet, prouiſum autem eſt à rectore Dominoq́ omnium: Qui dat eſcam eſurientibus. Deinde verò quonam modo, quibus locis, quo calore ac tepore tanta animalium ſoboles foueatur, alatur, atque educetur: quo præſidio à feriorum & robuſtiorum inſidiis, rapacitate & inuaſione tutetur: quibus denique legibus & inſtitutis tam multiplex ac varij ingenij conſeruetur per tot ſecula genus: quemadmodum inter ſe pugnent, ſuiſq́ ſingula vel armis, vel induſtriis vtantur, quæ noctu vagentur, quæ lumine dieq́ fruantur, vt ſeſe in maximis procellis & tempeſtatum fluctibus illæſa conſeruent. Demùm quînam in tanta

aquarum

*aquarum vaſtitate ſolo non æquabili, nec ſundo comparabili & certo, nec ſtatis*
*aut apertis frequentatis, aliôve modo patentibus viis alia ex alio maris tractu,*
*in aliam regionem quam remotiſſimam peregrinari, in propriamq́; rurſus redire*
*didicerint: ac tandem ſine rege, ſine duce, ſine certo aquarum omnium vindice*
*viuere ac durare, ætatesq́; peragere ſuas poſſint. Scriptum eſt enim, Et facies ho-* Abac. 1.
*mines vt piſces maris: & velut reptilia non habentia ducem. Namq́; maximum*
*illum Draconem non regni aut gubernationis, ſed admirationis ac myſterij cau-*
*ſa creatum, eundemq́; in ludendi materiam datum legimus. Atque his quæ mo-*
*dò tetigimus argumentis complura, imò quamplurima alia nauigantes, & ma-*
*rinæ contemplatores naturæ adiungere poſſunt. quibus illud veriſſimum ad-*
*ſtruatur,* Et mirabilia eius in profundo. *His etiam fluxus, reſluxiones, tu-*
*mores, quietes, mariniq́; liquoris variam temperaturam addere licebit multipli-*
*ces plantarum formas ſub vndis natas & creſcentes, multaq́; ſuccorum & rerum*
*aliarum commoda, quæ ex aquis percipiuntur. Hæc & omnia alia concluduntur*
*obſeruantia legis illius quam Deus ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos, quam-* Prou. 8.
*que Vatum omnium carminibus celebratam audimus: Terminum poſuiſti, quem* Pſal. 103.
*non præteribunt: neque conuertentur operire terram. &, Quis concluſit oſtiis* Iob 38.
*mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? Numquid ingreſſus es pro-* "
*funda maris: & in nouiſſimis abyſſi ambulaſti? Ad hanc verò ſapientiæ & vir-* "
*tutis diuinæ admirationem tum alia multa, tum illa etiam carmina referuntur,*
*Congregans ſicut in vtre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos. Qui contur-* Pſal. 32.
*bas profundum maris: ſonum autem fluctuum eius tu mitigas. Mirabiles ela-* Pſal. 64. Pſal. 92.
*tiones maris: mirabilis in altis Dominus. Laudent illum cæli & terra: mare, &* Pſal. 68.
*omnia reptilia in eis. Quia omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra:* Pſal. 134.
*in mari, & in omnibus abyſſis.*

*Aquatilium animantum genus omne, quod videndi facultate præditum,* 229.
*palpebris caret durioribus, quæ oculorum tunicis inſtructum eſt, quam aues &*
*quadrupedes ideò citius ablatas res intra aquas conſpiciunt, & decidentes eſcas*
*citius petunt.*

*Piſces, quamquam aërem non admittant, quia corde carent: aquam tamen in* 230.
*qua verſantur recipiunt, & reſpuunt: cuius frigiditate natiuum calorem tempe-*
*rant: ad eamq́; facultatem vaſculo præditi ſunt, veſicæ ſimili, atque inſtar cor-*
*dis referente: ideoq́; extra aquas quàm citiſſimè pereunt: quia propriè refrige-*
*rationis deſtituuntur vſura.*

## De Volatilibus.

AQVATILIVM *& natantium animantum generi affine eſt volatile, eo-* 231.
*dem die ex congenere materia in eadem regione editum, certis tamen tum natu-*
*ræ, tum officiorum ſiue ſeculorum diſcriminibus præſtantem. Namque aquatili-*
*bus piſciumq́; generi omni ſub terram, intraq́; aquas victuris & acturis, is tan-*
*tùm ſpiritus datus eſt, qui humoris refrigeratione refici poſſet, ac teneri. Volati-*
*lium autem multiplici genti in tenuiore ac molliore mundi regione vitam actu-*
*ris, longè generoſior ſpiritus contigit copia: qui aëris beneficio & vſura tempe-*
*ratus duraret: quiq́; facilius in eadem aëris regione remigantibus cederet. Qua-*
*re & horum carnem ſua natura habiliorem, & certa ratione leuiorem, agiliorem*

atque ideò ex tenuiore pinguis atque ſalſi ſucci conditione ac temperamento
1 Cor. 15. conſtantem eſſe oportuit. S.S.E. Non omnis caro eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piſcium; atque vt partitio hæc dignitatis ratione contexta, à generoſiſſimo incepta, in poſtremum ordinem deſinit: ita rurſus poſtremo ordini proximum volucrum carne conſtituit. Omnium verò
Iob 5. volatilium, ſiue volucrum commune ſeculum volando peragitur. S.S.E. Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum. Verùm enimuerò, quamquam omnium eorum quæ in aëre vagantur commune nomen volatile ſit, vt eorum quæ in aquis degunt, SERETS tamen in volatilium natura bipartitam diuiſionem obſeruare licet numeri ratione comparabilem, cum anima viuente & motabili, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas. Atque in vtroque genere, tam aquatilium quàm aëreorum (vt ita vocemus) geminos illos liquores, qui in aquis tam ſalſis quàm dulcioribus conſtabant, productionis materiam ſuppeditaſſe legimus: authoritatem verò & virtutem efficientiámque eidem quo cetera omnia conſtiterant ELOHIM dicto acceptam redditum iri edocti ſumus. Quo, & cuiuſmodi rerum naturæ, & quibus muniis actionibúſve deſtinatæ
Gen. 1. ederentur, ſimul expreſſum eſt. Dixit etiam Deus, Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, ſub firmamento cæli. Quo dicto quis vtrique generi locus, quibus metatus terminis ad proprium motum aſſignaretur, declarabatur, hoc eſt, huic volatilium generi inter cælum ac terram, non inferius terræ ſolo, nec vlterius aut ſuperius firmamento cæli, id eſt, RAKIAGH. cui claritatis cauſa expanſionis nomen tribuebamus. Nullum enim volatilium eſt quod vel firmamento vlteriora tentare, vel terræ faci profundiora volando contendere impunè poſſit. Vt nullus eſt piſcium qui citrà vitæ periculum altius in aquis, quàm terræ ſuperficies extollatur: nedum in ipſa ter-
Iob 7. ra moueri poſſit, & procedere. S.S.E. Numquid mare ego ſum, aut cetus:
Exodi 20. quia circumdediſti me carcere? & illud apertiſſimè. Non facies tibi ſculptile: neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum: neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Itaque aquatilibus intra aquas, id eſt, terræ ſolo inferius. Terra verò altius, ac firmamento depreſſius verſandi, & agendi locus volatilium ampliſſimo generi, quod in varias deducitur formas,
Gen. 1. definitus eſt. Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas: & omne volatile ſecundùm genus ſuum. & vidit Deus quòd eſſet bonum.

232. Atque vtrumque genus in aquis, & ex aquis (vti dicebamus) ſemel editum quamprimùm extitit partita ac tributa loca occupare, & ad vitæ vſum, atque ad propagandæ ſobolis oportunitatem frequentare, & obtinere iuſſum eſt: accepta propagationis felicitate ex benigno illo Conditoris omine. Benedixitq; eis, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris: aueſq; multiplicentur ſuper terram. his multiplicationis, illis verò replendi facultatem datam legimus: ex eaq; ratione nomen DAG acceptum: cuius nominis ac verbi germanam indicabamus rationem.

Volati-

# Volatilium partitio.

QVIDQVID *volandi facultate præditum ex aquis prodiit, ſacer ſermo* 233.
GHOPH CHOL CHANAPH, *id eſt, volatile omnis alæ vocat, pro quo con-* Dicendum de alis, de
*iuncto vocabulo nonnumquam* volatile, *interdum volucre, ſimplicia nomina* verbo עוף,
*Latinus reponit interpres. vt, Et omne volatile iuxta genus ſuum. &, Feris,* de roſtro, de plumis,
*auibus, omniq; volatili & beſtiis terræ dedi te ad deuorandum. &, Tu fili ho-* de ouis.
*minis dic omni volucri, & vniuerſis auibus, cunctiſq; beſtiis agri. Itaque* CHOL Gen. 1. Ezech. 39.
CHANAPH, *omnis ala, inter volatilium genera ampliſſima diuidit. Sunt au-*
*tem prima illa genera duo, alterum eorum quorum alæ membranulis conſtant:*
*alterum eorum quibus alæ plumarum ornamento & commoditate inſtruuntur:*
*vtrumque quidem genus* GHOPH *dicitur, pro Latino, volans, & volatile, &*
*auis: idque promiſcuè reddunt: cuius verbi rationem aliàs indicabimus. Quæ*
*membraneis volant alis ſiue pinnis, primæua lingua* SERETS HAGOPHEPH שרץ
*dicitur, quæ ex verbo verti poſſet in reptile volans, interpretes plerumque ver-* העופף
*tunt* volucre quod graditur ſuper quatuor pedes. *vt in illo vetito, Omne de* Leuit. 11.
*volucribus quod graditur ſuper quatuor pedes, abominabile erit vobis. aliàs* "
*etiam ab eodem interprete in hunc modum redditur, Omne quod reptat, & pen-* Deut. 4.
*nulas habet.*

*Quæ ad hoc referuntur genus huiuſmodi variant, dignoſcunturq; notis: quæ-* 234.
*dam enim quaternis, iiſdémque æqualibus nituntur cruribus; vt muſca, canta-*
*rides, ſiue ſcarabæus, veſpa, apes, & quæ huius conſtitutionis ſunt omnia: quæ-*
*dam verò poſteriora bina crura longiora prioribus habēt: cuius formæ ſunt* AR- ארבה
BEH, *id eſt, locuſtarum variæ ſpecies* ZZALGHAM HHARGAL HHAGAB, סלעם
*quorum ſingulis variæ adſcribuntur formæ, pro his verò interpres reddere ſo-* חרגל
*let, bruchus, attacus, ophiomachus, & locuſtæ: verùm ex verborum ſignifica-* חגב
*tione* ARBEH, *locuſta dicitur, quæ in omni hac volatilium multipedum natu-*
*ra generibus multiplex, & multitudine copioſiſſima eſt. Nomen verò accepit à*
RABAH *verbo, quod multiplicare, & in maximam vel molis, vel numeri ma-*
*gnitudinem creſcere ſignificat. atque illud genus propriè confertis agminum*
*copiis ſalire, volare, & quieſcere ſolet, tanta confertum copia, vt interdum vm-*
*bram terris, nubis inſtar, obducat, & hoſtili modo quacūque pergit, omnia popu-*
*letur, ac vaſtet. Huius ingenium ita deſcriptum legimus, Regem* ARBEH *locuſta* Prou. 30.
*non habet, & ingreditur vniuerſa per turmas ſuas. De eiuſdem verò frequentia*
*& copia ita canit Vates: Dixit, & venit locuſta, & bruchus, cuius non erat nu-* Pſal. 104.
*merus. &, Congregare vt bruchus, multiplicare vt* ARBEH *locuſta.* Nahum 3.

ZZALGAM *ex harum volucrum genere quod (vt nomine ſuo arguitur) in* 235.
*petris ac ſaxis naſcitur, & dum adhuc tenerum eſt fouetur, antequam ad paſtum* סלעם
*prodiens exiliat. Dicitur capite cumprimis læui ac nitido eſſe, caudaq; carere.*
*Huius ſimul in ſacris libris facta mentio, pro quo Latinus interpres Attacus* Leuit. 11.
*reddidit.* HHARGAL *à crurum tremore, trepidationeq; nomen factum videtur.* חרגל
*Hiſpanè dici poſſet* tembladera. *Atque tria genera hæc figura, colore, leuita-*
*te, & aſperitudine inter ſe differunt. At verò quartum genus* HHAGAB *exi-*
*guitate corpuſculi ab aliis diſcernitur: id quod exploratorum oratione obſerua-*
*tur, qui dum ſtaturas ſuas cum Chananæis compararent, quibus comparati (in-* Num. 13.
*quiunt)*

*quiunt) quaſi* HHAGABIM *locuſtas vertit interpres, locuſtulas Latinè, Hiſpa-nè* lagoſtinos *dicere nihil vetuerit: tamẽ in primæua lingua ſuis etymis diſtinguuntur ſingula. Quatuor genera hæc ſine noxa comedi poſſe, atque eadem tantummodo in omni hac multipedum volatilium natura pura cenſenti & lege exceptum eſt, & in Ioannis Baptiſtæ hiſtoria declaratum, cuius cibus locuſtæ, & mel ſilueſtre fuiſſe narratur. Cetera verò omnia, veſpæ, crabrones, cantharides, muſcæ, papiliones, & quæcumque cum alis pedes, eoſdemq́ æquales habent, impuritatis nota infamantur: atque ab humano arcentur cibo. Omne de volucribus*
Leu. 11. *quod graditur ſuper quattuor pedes, abominabile erit vobis.*

## De pennatis.

232. VOLATILIA *omnia quæ pennis prædita ſunt* DAGHAL CHANAPH, *vel* TSIPHOR CHANAPH *dicuntur. atque his nominibus ampliſſimum referuntur genus, pro quibus Latinus interpres vel volatile, vel volucrem pennatam,*
Gen. 1. *vel volatile pennatum reddit. vt in illis locis, Et omne volatile iuxta genus*
Pſal. 148. Ibid. 77. *ſuum, Serpentes & volucres pennatæ. &, Sicut arenam maris volatilia pennata. Ex verbo verò ſi hæc interpretemur, prius nomen* compotem alæ, *poſterius,* auem alatam, *ſiue* auem alæ *ſignificat. Nonnumquam verò interpres vnico nomine* pennatorũ *contẽtus eſt. Fruſtra enim iacitur rete ante oculos pẽnatorũ.*

233. *Eſt autem diuerſæ rationis diuerſum quoque nomen: namque vbi motus tan-*
Prou. 1. *tùm, & vagatio quæ per aëra fit reſpicitur, omne genus hoc cum ſuperiore etiam*
עוף GHOPH, *id eſt, volatile dicitur: cùm verò ex corporis figura & habitu ratio*
צפור *ſumitur quæcumque natura pennis inſtructa eſt, ſiue alis,* TSIPHOR *appellatur; quod rectè Latinis auis dicitur, vnde nomen Paſſer elementorum affinitate & tranſpoſitione Latinis mutatum videri poſſit: ſummota enim (vt plerumque fit) vocali* O, *reliquæ ſunt tres literæ* TSPR, *quæ ſitum mutare iuſſæ* PTSR *faciunt; ſed cùm Latinus pro* TS, *tantùm pronuntiet* S. *vt* SADOCH *pro* TSADOCH, *reliquæ ſunt literæ* PSSR, *quæ adſcitis vocalibus* A, E, PASSER *ſonant. quamquam Latini genus hoc ad communiſſimum & frequentiſſimum, in oppidisq́ notiſſimum auicularum genus reſtrinxerit, Hiſpanus tamen ſermo ferè ſemper paſſeris nomen eadem amplitudine vſurpat qua Auis.*

234. *Auium omnium quæcunq́ figuræ ſunt formæ, & ſpecies; tamen nulla maior diſtinctio quàm ex alis in ſacra hiſtoria indicatur. Quandoquidẽ ſingulis formis ſuo certo ac diſcreto modo longæ aut breues, aut ad volatum magis aut minus celeres & habiles: aut aliàs ad certum vſque terminum aërem ſecare & contendere valentes, diſtributæ videntur: cùm aliàs aliæ multis partibus inter ſe conueniant, affineſq́ ſint, vt oportunè indicabimus. Namque genera auium ex ala-*
Gen 7. *rum ratione à Noahho diſtincta, ſelecta, admiſſaq́ legimus.* CHOL HAGHOPH IEMMEHV CHOL TSIPHOR, CHOL CHANAPH. *Omne volatile, omnis auis omnis alæ, quod ſic Latinè verſum legimus, Cunctum volatile ſecundùm*
Ezech. 17. *genus ſuum, vniuerſæ aues, omneſq́ volucres. Ex Ezechiele verò* CHOL TSIPHOR COL CHANAPH, *quod ex verbo, Omnis auis omnis alæ apud nos conſonat. Latinus interpres ſic tranſtulit: Omnis volucris, & vniuerſum volatile. Idem verbum eadem pronunciatum formula, apud eundem Vatem Latinè legi-*
Ibid. 39. *mus, Auibus, omniq́ volatili. atque paulo pòſt: Dic omni volucri & vniuerſis auibus.*

auibus EL CHOL TSIPHOR CHOL CHANAPH, *id quod de pennigerorum generibus dicitur, vel ipſo de quo agitur argumento declaratur.* Ibidem.

*Itaq; nulla exactior differentiarum ſiue formarum nobis notio in toto auium genere contingere obſeruando poteſt, quàm alarum diuerſitas: tum ex modo & ratione ad totum corpus: tum ex pernicis vel tardi volatus. atque ex locis ac regionibus aëris æſtimanda: cuius obſeruationis exempla complura aucupibus aſſiduo experimento nota conſtant, & nobis aliquot ex ſacræ diſciplinæ fontibus conſtabunt.*

*Maximè pro molis ratione, atque adeò ad aëris ſectionem habiliſſimæ pennæ Aquilæ tribuuntur. S.S.E. Vos ipſi vidiſtis quid fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas Aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* 235. Exodi 19.

*Vt verò rem hanc potentius teneamus, volatus & natationis naturam & rationem, facultatem ac difficultatem quàm breuiſſimè & apertiſſimè docere oportunum fuerit. Namque vterque volantum natantumq; motus idem prorſus natura eſt, ſola regionum tenuitate & craſſitudine, ſiue raritate ac denſitate differt. Eſt autem volatus, vel natatus liquidi corporis pro animalis impetu ac libidine ſectio & peruaſio. Atque ſectio fieri nequit ſine ſecantis conatu laboreq; vel maiore, vel minore, pro ſecti corporis contentione & pugna: maioris verò corporis maior ad contentionem vis eſt, & attentiorem ac præſtantiorem ſecantis expectat virtutem: virtus autem ad hanc rationem & oportuna, & habilis, duabus ſpectatur partibus: robore atque acutie. Nam quidquid acutum eſt, ſectioni, & penetrationi idoneum viſitur: modò oportunis viribus præditum veniat. Vires autem corporis duricie, & ſpiritus promptitudine conſtant; ſed ſpiritui in hac ratione primæ, ac potiſſimæ efficaciſſimæq; tribuuntur partes. Nam quod ſpiritu caſſum deſtitutum eſt, quamuis maxima mole, maxima duritie ſit, cadere tamen & obrui verius, quàm ſecare dicendum. Secturo autem animali inſtrumenta adhibenda ſunt, ſiue propria, naturæq; beneficio obtenta, ſiue ex arte, aliundéve petita, & commodata: ea verò inſtrumenta acutiora eſſe oportet, quàm id quod ſecandum obiicitur, quibus inſtrumentis pro ſpiritus efficientia exercitandis, ſectio conficitur. Atque quod ad præſentem rem (de qua ſermo inſtituitur) facit natantum ad ſecandum inſtrumenta propria, præcipua, & expedientiſſima, pinnæ ſunt. His proxima brachia & crura. Tertio ordine cetera quæ vel pinnarum, vel crurum imitata videntur ſitum & facultatem: vt cirri, cartilagines, tendones, quales in polypis ſepeiſq; viſuntur: aut vaſcula ad hanc rem conficta, quibus nonnulla ex natantum genere vtuntur, vt inter polypos mirabilis ingenij Nautilus.*

*Auibus verò ad volatum, hoc eſt, ad aëris ſectionem alæ à natura tributæ conſtant vario modi acutiei, roboris, atque ſpiritus, vti dicebamus, diſcrimine. Vtrique verò animantum generi, à natantibus (inquam) & volatilibus vnà cum inſtrumentis aptè concinnatis ſpiritus vis ad ſuæ regionis ſecandum corpus idonea, Dei beneficio & numine conceſſa eſt.* 236.

*Contentionis autem in corpore ſecando triplex eſt ratio, & corporis natura, & modis cognoſcenda: aut enim corpora in longum, aut in latum, aut in altum ſecantur. Omnes autem differentiæ iſtæ hoc habent commune, vt quo maiori modo ac menſura obſtent, eò magis contendere poſſint cumulatis (vti dici ſolet) coniunctiſq; viribus; atque ex conſequenti, maiorem ſecanti exhibeant difficultatem.* 237.

tem. Quòd verò ad ſecantis vires, facultatem, rationẽ, conatumq́ ſpectat, quanto ponderoſius grauiusq́ ſecantis animalis corpus eſt, tanto facilius in vtraque regione deſcendendo, aſcendendo verò difficiliùs ferat. Namque ad deſcenſum vel corporis proprij grauitas exiguo ſpiritus conatu intenta plurimum iuuat: eademq́ ad aſcenſum impedit, & moratur: tum quòd graue ſua ſponte deorſum: inuitum verò ſurſum mouetur. quare maiorem in hoc motu ſpiritus efficientiam & impulſionem, atque etiam vehementiorem pinnarum, vel alarum exercitationẽ poſtulat, quidquid maiori & grauiore cõſtat corpore, melius, & facilius, ac leuius in alta quàm in profunda natat, aut volat regione, id eſt, quo magis à ſuæ regionis fundo ſublatum eſt, eò leuius habet. Namque & ab inferiore partis mole craßiore ſuſtinetur, & minus idem à ſuperiore premitur: vtpote minus alta, atque adeò leuiore. In aſcenſu verò, & in deſcenſu poſtquam medium ſpatium peractum fuerit, quæ aſcendunt, quæq́ deſcẽdunt, multum à recto iam ſpatio adiuuantur: illa videlicet ſubleuata, hæc verò compreſſà & compulſa, atque hæc aſcendentium & deſcendentium ratio, hæc etiam experientia eſt.

238. Cùm verò in longum latumq́ contenditur, illa ſumma obſeruatio tenenda, quoad æquè à fundo diſtatur. Similem tenorem conſtare, quantum ex loci ratione exiſtimandum fuerit, niſi aliàs vel humidum ſpatium fluctuum acceßione, vel aëreum nubium, aut fumi, aut exhalationis cuiuſpiam denſitate afficiatur: verùm ad meliorem conſtitutionem redactis partibus, æquè vel facultas, vel difficultas in longum latumq́ offertur, ſiue rectus ineatur motus, qualis ſagittarum ad certum vſque terminum eſſe conſpicitur, ſiue in obliquum, ac tranſuerſum, vbi iam deflexum fuerit.

239. Verùm enimuerò quod ad natantem volantémque attinet, non æquabilis perpetuus motus eſt, quamcumque in partem is intendatur: quippe quorum ſpiritus, propter carnis, cui addictus eſt, grauitate magis minusq́ laſſetur, ac defatigetur: neque longißimum durare poßit remigandi laborem: quamquam idem ſpiritus æqualibus temporibus propter inæqualem conatus & contentionis modum, inæqualia peragat ſpacia: atque ita nulla certa & conſtans menſurandi ſpacij, aut adnotandi temporis ratio ex animantum huiuſmodi motibus iniri, ſubducique poteſt. Illud verò animantibus omnibus commune eſt, commodius & melius moueri poſſe exercitatis quam ſegnibus, & labori inſuetis: exercitatio enim temperata ſpiritui vires auget, & corpori agilitatem arrogat: id quod & in auiculis quæ diu in cauea detentæ fuerint, experimento deprehenditur manifeſto.

240. Atqui non eandem auibus omnibus eſſe alam, hoc eſt, non parem volandi, contendendi, & promouendi facultatem apertè docebat Noahhus: qui exploraturus num qua terrarum pars non ita remota tractu ex diluuij aquis extitiſſet,
Gen. 7. coruum primùm ſoluit, qui per feneſtram emiſſus, & ire, & breui reuerti viſus eſt. vtpote cuius volatus non ita longè pertinere poſſe noſceretur.

241. Igitur in omni auium genere Aquilarum alæ primas obtinent, vtpote quæ fortißimè & præſtantißimè omnium verſus firmamentum ad nubium vſque tractus, atque adeò vlteriùs contendendo aſcendunt. Quo vbi ſuperauerint, facilè in ſuperiore aëris regione vagari, atque inde in quamcumque libeat partem procedere, ac dimittere ſeſe poſſunt, atque prædam ex alto conſpectam, repenteq́
Prou. 30. petitam, ex improuiſo adoriri, & capere. Hoc eſt quæ Salomon ex iis quæ cognitu » difficillima animaduerterat, primum connumerat: Tria ſunt difficilia mihi, &

quartum

*quartum penitus ignoro. Viam Aquilæ in cælo,&c. Atque huiuſmodi in aquilæ* “
*pennis,& ad aſcenſum, & ad contentionem atque durationem; ad prædam, fa-*
*cultatem ,& ad alia multa præſtantiam , quibus ex locis obſeruatam excipere*
*liceat,indicare minimè piguerit. Qui autem ſperant in Domino,mutabunt for-* Iſaiæ 40.
*titudinem: aſſument pennas ſicut Aquilæ. Ne erigas oculos tuos ad opes quas* Prou.23.
*non potes habere: quia facient ſibi pennas quaſi Aquilæ,& volabunt. &, Ecce* Ierem. 49.
*quaſi Aquila aſcendet, & auolabit: & expandet alas ſuas ſuper Boſra. & pro-* “
*pter volandi celeritatem;Velociores,inquit, Aquilis equi eorum. &, Velociores* Ibid.4.
*fuerunt perſecutores noſtri Aquilis cæli. Si exaltatus fueris vt Aquila,& ſi in-* Ibidem.
*ter ſidera poſueris nidum tuum. Namque auis hæc altiſſimè omnium ſui ſer-*
*uandi, ſobolisq; procreandi cauſa, nidum facere dicitur. Denique omnem ferè*
*auis huius hiſtoriam breuibus carminibus apud Iobum deſcriptam legimus:*
*Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila: & in arduis ponet nidum* Iob 39.
*ſuum? In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque in acceſſis* “
*rupibus. Inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt. Pulli eius* “
*lambent ſanguinem: & vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. Omnium verò* “
*harum auium generi aliarum animarum caro & ſanguis communis cibus eſt.*
*S. S. E. Hinc Sapientis illa imprecatio. Oculum qui ſubſannat patrem, & qui* Prou.30.
*deſpicit partum matris ſuæ: effodiant eum corui de torrentibus, & comedant* “
*eum filij Aquilæ. Porrò illud præter ceteras aues aquilæ accidit, vt decidentibus* “
*in ſenecta plumis vetuſtis, meliores deinde & nitidiores, vnà cum virium in-*
*ſtauratione ſuccedant. cuius euentus priorem partem apud Michæam, poſterio-*
*rem verò apud Pſaltem obſeruare eſt. Decaluare & tondere ſuper filios delitia-* Mich.1.
*rum tuarum: dilata caluitium tuum ſicut Aquila. &, Qui replet in bonis de-* Pſal.102.
*ſiderium tuum, renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.* “

*Aquilarum generi affines reperimus* PEREZZ *&* GHAZNIAH DAAH 242.
AIEH *quæ ad idem volatus, & feritatis ac prædæ rapinæq; ingenium proximè* פרס
*accedunt, duas formas Latinus interpres nominabat Gryphem, Halietum, Mil-* עזנה
*uum, Vulturem. Gryphi autem nomine hoc loco Oſſifragam accipimus. Namque* דאה
PEREZZ *à* PARAZZ *deducitur, quod frangere ſignificat.* GAZNIAH *verò,* איה.
*roboris ſignificationem arrogat, vel vulturem, vel marinam Aquilam eſſe arbi-* Gryphus.
*tramur,* DAAH, *à celeri volatu nomen accepit, quod in hoc aquilina affinitate* Halietus.
*videtur conuenire:* AIAH *inſularem, aut aliàs certè cuiuſdam regionis inco-* Miluus. Vultur.
*lam auem dicere poſſimus, qualis Falco, Aſtur, Neblius, & hoc genus multæ aues* Oſſifraga. Vultur.
*enumerantur, ex certis locis petendæ. Namque* AIE *interrogationis vim ha-* Accipiter.
*bet. vbinam? quíſnam?* AII *inſulam, aut certam regionem interpretamur. Neq;* Leuit.11.
*verò his quinque formis aquilini huius generis conficitur ſumma, quin & plu-*
*res alias agnoſcendas ipſa alarum volatusq; affinitas, & rapacis ac feralis inge-*
*nij ſimilitudo augere poteſt. Quamobrem quinque formis nominatis, adiectum*
*legimus* LEMINO, *ad genus, ſiue iuxta genus ſuum.*

*Ab hoc genere auium aliarumq; non longè diſtat coruus; & quidquid coruinum* 243.
*aſtum guſtumq; refert, hoc eſt, quod omni ciborũ paſcitur genere, ac veſcitur ſua-*
*uiter. Vnde* GHOREB *nomen factum, iiſdem ferè elementis cum Latinorum*
CORVO *conueniens. Sunt autẽ huius generis nobis notæ aues Pica, Grachus ma-*
*rinus, Coruus, Fulica, Monedula, & qui vulgò Gaius, vel Rendaius, id eſt, imi-*
*tator inſcitus: omniaq; propter impuritatis imaginẽ in lege vetita fuiſſe legimus.* Leuit.11. Deut.14.

244. *Tertium carniuorarum auium generibus locum tenent* IAGHANAH THAHHAMEZZ SAHHAPH NETS, *cum iis omnibus quæ ad has alarum, & ingeniorum ſpecies referuntur, pro quibus Latinè legimus Struthionem, Noctuam, Larum, & Accipitrem. Ex collatione verò locorum, de quibus mentio de his fit,* IAGHNAH, *auem dicimus eſſe in ſolitudinibus egentem, lugubri & miſerabili voce canere, ſiue potius lamentari ſolitam voce; Pater fui Draconum, & ſocius* IAGHANAH *ſtruthionum. &, Replebuntur domus eius Draconibus: & habitabunt ibi* BENOTH IAGHANAH *ſtruthiones, & erit cubile Draconum, & paſcua ſtruthionū. Glorificabit me beſtia agri. Dracones &* BENOTH IAGHANAH *ſtruthiones habitabunt in ea* BENOTH IAGHANAH, *ſtruthiones: filia populi mei crudelis quaſi* BENOTH IAGANAH *ſtruthio. &, Super hoc vlulabo, vadam ſpoliatus & nudus: faciam planctum velut Draconum: & luctū quaſi ſtruthionum. Conſtanter hanc vocem ab interprete in ſtruthionis nomen verſam legimus: quamquam in antiquis Hiſpanicis verſionibus pro* BENOTH IAGANAH, hijas de Ganga *legimus. Eſt autem Ganga nocturna auis, quæ alio nomine* Ortega *Hiſpanis dicitur, triſti gemitu nota.*

Iob 30. Iſaiæ 13. " Ibid. 34. Leu. 50. Thren. 4. Mich. 1.

תחמס THAHHAMEZZ *à verbo* HHAMAZZ *dicta, auis iniurioſa nimis in alias aues eſſe videtur. atque eadem nec ſuo ipſius generi parcere notatur. Noctuam interpres Latinus vocat, Hiſpani veteres* quebranta hueſos *tranſtulerunt: certè auem eſſe intelligimus violentam in rapacium & carniuorarum cenſu ponendam, ſingulari iniuriæ, & violentiæ inferendæ notatam ingenio.*

245. SAHHAPH, *larus ab interprete Latino nominatur, inter crudeles aues ponitur. Vocabulum à* SAHHAPH *ſortita, quod tabeſcere ſignificat: ideo quòd eiuſmodi morbo conſumi ſoleat. Quænam verò auium tabe laboret, præter ceteras nobis nondum eſt compertum. Hiſpani* Golondrina, *id eſt, hirundinem interpretabantur, non ſatis aptè. In hunc etiam ordinem* NETS *nomen relatum, auem ſimili volatu, ac non diſpari ſuperioribus ingenio ſignificat: Latinus interpres Accipitrem vocat, à quo Hiſpani veteres videntur ſtare, qui* Gauilan *tranſtulerunt. Certè vocabulum ipſum affinibus valde, aut potius iiſdem componitur elementis, quibus* NISVS *Latinum nomen factum eſt. Cuius quamplures formas eſſe ſacra lex indicat, Et accipiter iuxta genus ſuum. ad quod genus Tinnunculum referendū eſſe, & naturæ, & ingenij ſimilitudo, & elementorum nominis affinitas docet. Nam ſi poſtremas Latinas demamus ſyllabas, multis alijs vocibus communes: vt, graculo, cuculo, operculo, ferculo, reliquæ ſunt,* T.N. *ferè idem cum* NTS.

שחף (Leu. 11.)

246. *Quartum alarum ordinem in his quæ impuris paſcuntur cibis, occupant* CHVZZ SALEH IANSVBH *pro quorum nominibus illa Latinè legimus Bubonem, Mergulum, & Ibim.* CHVZZ, *idem nomen habet cum poculo, quod Latini calicem dicunt. Eſt autem calix in lilij modum inferius anguſtior, amplior verò ſuperius. Fortè aui huic ſtanti huiuſmodi effigies cum nomine tribuitur. Eam autem pelicanum aliàs noſter vocabat interpres, Similis factus ſum* CHECHVZZ *Pelicano ſolitudinis. Quid hoc ſit auis certum eſt ab hominum frequentia, & conſpectu remotum genus. In ſolitudinibus degere veteres Hiſpani* Abubilla, *id eſt, vpupam vertunt.*

קכוס השלך ינשוף (Leuit. 11. Pſal. 101.)

247. SALEH *iiſdem nomen conſtat elementis, quibus verbum* SALACH, *quod proiicere, abiicere, & emittere ſignificat: vnde ex iis auibus eſſe cenſetur, quæ*

captos

*captos piſces ex aqua in ſiccum proiiciunt magna dexteritate, eoſdemq́, poſteà* Deut. 14.
*decerptos, vorant. Mergulum alicubi Latinus interpres: alibi verò Nicticoracem vocabat. eumdem Chaldæus* SELINVNA *dixit.*

IANSVPH, *aliàs Ibin, aliàs Porphyrionem Latinus vertit. In ruinis vrbium, atque deſertis locis hoc genus verſatur. Eſaias eſt auctor, Et* IANSVPH *& coruus habitabunt in ea: Ibin quoque hoc loco Latinus vocat. Hiſpani veteres* Garça voladera, *neſcio quàm aptè. Atqui nocturnam auem eſſe nomen indicat, & ad Bubonum referendam genus: namque nomen à tenebris & caligine duxit* NESEPH. *Huic ordini proxima reperimus nomina* THINSEMETH KAAT REHHEM. *His apud Latinum interpretem primo loco reſpondent,* THIN, SEMETH, *quibuſdam noctua putatur: aliis veſpertilio: cui nomen à* SAMAM *ſit factum, quod inter alia admirari & obſtupeſcere ſignificat, propter illius volatilis mirabilem formam. Latinus alibi merulum, alibi charadrium nominat, quod cum Hiſpanorum* carauo *conuenit: namque ita veteres illi vertebant,* carauo *nomen, à* NASAM *deducentes, quod aſpirare, flareq́, ſignificat. Quippe huius auis vox animatum hominis imitatur ſibilum, qualē iunctis manibus aſpirare nonnulli ſolent: adeò vt vel auibus ipſis imponant. Itaq́, nulla ex auibus proprio cantu animam ſeu ſpiritum clarius exprimit.* 248. Leu. 11. Iſaiæ 34. תנשמת קאת רחם Leu. 11. Deut. 14.

KAATH, *pro quo Latinus reddit Porphyrionem, aliàs verò idem Onocrotalum nominat, ſolitariam, & ab oppidis remotam auem eſſe docet Pſaltes: Similis factus ſum* LEKAATH MIDBAR, *Pelicano ſolitudinis Latinè legimus. Apud Iſaiam verò: Poſſidebit eam* KAATH, *Onocrotalus. vt & Latinè legimus idem apud Sophoniam, Et* KAATH *&* KAGHOD, *Onocratalus & Ericius in limitibus eius morabuntur: Hiſpanienſes noctuam reddebant.* REHEM, *à viſcerum commotione & vehementis amoris ac miſericordiæ imagine quàm ingenio refert nomen: accepit eam Latinus Nicticoracem, aliàs charadium nominat. Hiſpanienſes verò* vtillo, *id eſt, vlulam.* 249. Deut. 17. Leu. 11. Iſaiæ 34. Soph. 2. Deut. 14.

*Poſt hæc genus conſtituunt* HHAZZIDAH *&* NAPHATH *pluribus diſtinctæ formis, pro quibus Latinus Herodionem & Charaduum repoſuit. Eſt autem* HHAZZIDAH, *ex procerarum auium genere, quæ in altis & procerioribus arboribus nidum ponit: eademq́, propriæ prolis ſtudioſiſſima; qualem Ciconiam videmus, cuius pullos dum parentum alter quærendis & aſportandis cibis paſcere curat, alter ſeruando & cuſtodiendo numquam deſerit: itaque viciſſim ad cuſtodiam, & ad quærendas natis eſcas mutantur: ſed & alio grati ingenio memorantur exemplo, hoc eſt, cura in proprios parentes, vbi ſenio confectos, minus iam ſibi cibos proſpicere, & parare poſſe cognouerunt. Vnde Græcis prouerbium natum* ἀντιπελαργεῖν, *id eſt, vicem rependere, & officio officium compenſare. Atque ingenium huiuſmodi auis nomen* HHAZZIDAH *ſubindicat, à verbo* HHAZZAD, *nomineq́,* HEZZED *factum: quod benignum, miſericordémque ſeſe præbere, & benignitatem ac miſericordiam Latinè ſignificat: auem verò ipſam, non omnibus regionibus communem; ſed ex altero cælo in alterum migrantem, vtrobique peregrinam eſſe, & frigoris impatientem mutato tempore, mutari accepimus, & obſeruabamus. Et vt ſemel peregrinarum auium hiſtoriam expediamus, huiuſmodi migrationis duplicem animaduertimus cauſam: alteram quidem tempeſtatis incommodæ fugam & commodioris oportunioriſq́, appetentiam. Quæ enim frigore gaudent, eam mundi partē petunt, in quam anni hiems* 250. חסידה נפת Leu. 11.

*incumbit; contrà verò, quibus inimicum frigus eſt, veris & æſtatis oportunita-*
*tes ſibi notas petunt. Altera verò cauſa eſt eſcarum copia, quæ aliis vere & æſta-*
*te, aliis autumno & hyeme contingit. Ita Cyconiis ſerpentum, ranarum, locuſta-*
*rum, & huiuſmodi beſtiolarum frequentiam, calida anni tempeſtas & regio ſuf-*
*ficit, quam eandem frigora prorſus negant: grauibus verò ac tardis, proprij &*
*apti cibi hyeme potiùs quàm vere ſuppetunt: qua etiam in re mirabilis Dei ſpe-*
Deut. 14. *ctatur prouidentia, cuius Hiſtoriæ argumenta certis, ex ſacra lectione locis indi-*
*care libet, & onocrotalum, & caradrium in genere ſuo* DAH BEROSIM BETH-
Pſal. 103. AH BEROSIM, *domus* HHAZZIDAH, *pro quo Latinè legimus* ERODII
Iob 39. Ierem. 8. *domus. &, Si pennas aptabit* HHAZZIDAH, *& fugiet: pro quo nomine ſtru-*
*thio hoc loco redditum eſt. Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, Turtur &*
Zachar. 5. *Hirundo, & Cyconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui. Et vidi, & ecce duæ mu-*
*lieres egredientes, & ſpiritus in alis earum: & habebant alas quaſi alas* HHA-
ZZIDAH. *Cùm cognouiſſet Vates migrationem, intellexit ſignificationem,*
*quamobrem locum, quònam migrandum erat, eueſtigio rogauit. Quò iſtæ (in-*
*quit) deferunt amphoram? Hoc autem peregrinantum auium genus, quod præci-*
*puè corpore grandiore eſt, altiorem aëris regionem volando obtinent, vt à ma-*
*gno ſuſtentatæ aëre, leuius celeriusq; curſum agant, & promoueant ſuum. Atq;*
*hoc idem ſignificabat Vates, Et leuauerunt (inquit) amphoram inter terram &*
דיה *cælum. Ad hoc peregrinarum auium ingenium refertur* DAIAH, *atri (vt no-*
*men indicat) coloris auis, quam etiam in vetitis carnibus lege exceptam nouimus.*
Deut. 14. *&* HADAIAH *miluium iuxta genus ſuum: & apud Eſaiam: Ibi congregati ſunt*
Iſaiæ 34. DAIOTH, *milui Latinè legimus* ANAPHAH *eiuſdem alæ cum ſuperiore vi-*
אנפה *detur eſſe, diuerſi tamen ingenij: nam vt* HHAZZIDAH *à benignitate, ita rur-*
Leu. 13. Deut. 14. *ſus* ANAPHAH, *ab iracundia nomen ducit. Bis in ſacris lectionibus repertum*
*auis nomen, & vtrobique ab interprete Latino caradrion dictum.* ANAPH
*iraſci & ſtomachari ſignificat. Hiſpanienſes olim* Mochuelo, *id eſt, aſio-*
*nem vertebant.*

251. DVCHIPHAH *poſtremum in vetitorum ſenſu alæ eſt, cum* GHATALEPH
*adiuncto, Vpupam Latinus interpres vertit. Hiſpanienſes* Marcielago, *ve-*
Leu. 11. Deut. 14. *ſpertilionem, quibuſdam Gallus ſilueſtris eſt.* CHATHALEPH *verò Latinus*
*duobus in locis Veſpertilionem: Hiſpanienſes* cuco, *id eſt, cuculum vertunt:*
*Certè Iſaias tenebrarum, & latibuli ſequacem animantem eſſe ſignificauit.*
Iſaiæ 2. LEHHAPHOA DEROTH VLEGHATALEPHIM, *ad fodiendas foueas, &*
*ad veſpertiliones.*

252. *Atque omnia genera hæc vt variis alis, ita etiam diuerſis diſcreta ingeniis,*
*crudelia ſunt. & vel animalibus aliis inſidiantur, & diſcerptis veſcuntur, vel*
*impuriore vtuntur cibo, nulláque carnis conditione abhorrent, etiam tabida &*
*corrupta, quo in cenſu, quæ poſtremis ordinibus memorabantur, aſcribenda ſunt.*
*Omnia demùm natiuam ingenij feritatem, vel fæditatem, vel roſtro, vel vngui-*
*bus, vel vtriſque produnt. Quamobrem ac præcipuè propter nominis & ingenij*
*ſignificationem humanis animis ac mentibus indignam, in legitimis, ac myſti-*
Deut. 14. *cis vetabantur præceptis. S. S. E. Omnes aues mundas comedite, immundas*
*» ne comedatis.*

De

## De auibus puris.

PVRAS aueis vocatas accepimus, eaſq; à rapina & crudelitate abhorren- 253.
teis, purioribus nutriuntur eſcis. vt herbis, floribus, fructibus, & ſeminibus; in-
terdum etiam locuſtis, aut eiuſmodi ſimplicioribus animantibus. In his verò om-
nibus triplicem alarum formam, habilitatem, & vſum obſeruauimus. Nam quæ
ex agris, & arboribus, atque ex fluminibus cibum petunt, perniciori volatu, &
contentiore vagatione valent. cuiuſmodi ſunt, paſſer, turdus, ficedula, carduelis,
merula, anas, turtur, & omnium longiſſimè contendens columba. Quæ verò ſe-
minibus & herbis viuunt, volant quidem, verùm breuibus, pro corporis ratione
alis, iiſdemq; ad contentionem debilioribus, multoq; indigentibus conatu, vnde
quàm citiſſimè laſſantur. vt, Perdix, Anſer, Atagen, Phaſianus, Coturnix, Gale-
rita. Quibus verò ex his breuius contigit corpus, leuior, & aliquanto conſtan-
tior volatus eſt. Tertiam claſſem occupant, quæ ſeminibus & herbis paſcuntur
quidem, tamen & humanam tutelam ſui conſeruandi cauſa amant, & habita-
tiones hominum, ac domos libenter ſubeunt. vtpote quibus breuiſſimæ pro corpo-
ris modo alæ ſunt, volatuſq; ex conſequenti laborioſus ac tardus: & qui in rapa-
cium vel auium, vel ferarum occurſu non ſatis eſſe auxilio, & euaſioni valeat.
vt, Pauo, & Gallinarum varia genera, Perdicum & Columbarum proceriorum
complures ſpecies. Has itaque alarum diuerſitates ex locorum, ſiue regionum in
quibus volandum eſt, interuallis definimus. quæ altius volare, & ſummas arbo-
rum, petrarumq; ſumma petere poſſunt, aues cæli cum aliis dicuntur, quæ verò
humilius volant, volatilia tantùm, ſiue domeſtica vocari merentur. Rurſus per-
niciores, & quæ altius euolare poſſunt, partim in rupibus, partim in arboribus
nidos ponunt: & ſecundùm flumina, illæ præſertim quæ cantu garritúve ludunt.
S. S. E. Qui emittis fontes in conuallibus: inter mediũ montium pertranſibunt Pſal. 103.
aquæ: ſuper eas volucres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. "
Atque omnes huiuſmodi alarum auibus veſci hominibus licet: ita tamen mo-
dus adhibendus eſt, vt ne propter gulæ ſæuitiam aſſiduitate, & inſolentia in ſe-
ctatorũ & aucupum auicularũ genera abſumantur, & vaſtata deficiant: quippe
quæ non abuſus, verùm vſus cauſa cõceſſa ſunt. Quamobrem parcendum inter-
dum fuerit animantibus his quæ nocumenti parum, aut nihil, emolumenti ve-
rò plurimum afferre poſſunt: modò temperatè & humanè vſurpentur, id quod
legitima exceptione ſignificatum adnotauimus, & clementiæ exercendæ ſtudio,
obſeruatu dignum credimus, Si ambulans per viam, in arbore vel in terra ni- Deut. 22.
dum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis deſuper incubantem: non tenebis "
eam cum filiis, ſed abire patieris, captos tenens filios: vt bene ſit tibi, & lon- "
go viuas tempore. "

Auium generi omni, præterquam iis quæ humana ad vitam cura indigent, 254.
communis vagatio & peregrinatio eſt: Vagationem autem appellamus migra-
tionem omnem, non tantùm ex regione in regionem; verùm ex nidi loco & ſitu
in alium locum: non enim eædem perpetuò eundem occupant locum: ſed vel ve-
terem relinquunt nidum, vel filiis & poſteris cedunt, arboribus & cauis mutan-
dis: ita vt nihil proprium & perpetuum ſibi arrogantes, prouidentium teſten-
tur, & probent. cuius beneficio & nutu numquam deſtituuntur: adeò vt ne capi
quidem

*quidem ab aucupibus aliàs, aut aliò in tempore poſſint, quàm quo diuinæ prouidentiæ nutu conceſſum fuerit. Ad hanc adnotationem multa ſacrorum eloquiorum argumenta ac teſtimonia referuntur. ex quibus illa, Etenim paſſer inuenit domum ſibi: & turtur nidum vbi ponat pullos ſuos. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos. &, Sicut auis tranſmigrans à nido ſuo. Nónne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus eorum non cadit in terra ſine Patre veſtro? &, Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Vocans ab Oriente auem: & de terra longinqua virum voluntatis meæ.*

Pſal. 83. Mat. 8. Prou. 27. Matth. 10. Pſal. 113. Iſaiæ 46.

255. עים *Quamquam verò pro temporum vſu nidorum ſtruendorum ſitum vertere, ac mutare ſolent aues; tamen quoad ſuæ ſunt ſpontis, opportunam, ac naturæ ſuæ commodam regionem non variant: rapaces enim, vel in rupibus, præruptiſque montibus, vel in proceris arboribus nidos ponunt, columbæ plerumque in cauis: hirundines intra tecta; nonnullæ etiam ſunt quæ ſingularem quam optauerant regionem, numquam (niſi coactæ) mutant. Ex quo illa ſimilitudo per Vatem deſumpta eſt, Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali. &, Qui ſedes in libano & nidificas in cedris: quomodo congemuiſti cùm veniſſent tibi dolores, quaſi dolores parturientis.*

Habac. 2. Ierem. 22.

## De ouis & pullis.

256. POSTQVAM *natantium atque volantium genera omnia diuini verbi efficientia ſemel ex aquis concreta animata ac diſcreta prodierunt, perpetuandæ in poſterum naturæ, ac ſufficiendæ facultate ſobolis eiuſdem verbi benignitate & munere aucta ſunt: idq; munus* BERACHAH *in primæua dicitur lingua: pro quo verbo Latini benedictionem reponunt. S. S. E. Benedixítque eis, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris: auesq; multiplicentur ſuper terram. Quo diuino effato facilè dignoſcitur vtra maior copia futura deinceps eſſet natantum in mari, an in terra auium: quippe illa in mari ſcatere, atque aquas replere. Hæc ſuper terram multiplicare iuſſa ſunt. Verbum* CRESCITE, *in propria lingua* PERY *eſt, quod fructum facere ſignificat, & ſterileſcere opponitur, atque replendi facultatem & ius in maris aquas definiri adnotauimus: vbi nullus certus generum modus, nulla ſingularium natantium certa numeratur aut cognoſcitur hominibus ſumma: in fluuiis enim nec tāta copia, nec ſimilis eſt varietas: cuius etiam rationem ex eſcarum diſcriminibus indicauimus.*

Gen. 2.

257. *Vtriuſque verò ampliſſimi generis, natantium inquam & volantium quæcumque formæ viuunt, ex ouis nata prodeunt. Ouum autem deſcribimus vaſculum, vel teſtaceum, vel cartilagineum, vel membranæ materiam imitatū, quod duobus plenum liquoribus pingui ac ſalſo, ſingula vel natantum, vel volatilium genera (modò perfecta ac vitalia ſint) pariunt: ex quibus per ſpiritū* ELOHIM *agitatæ, & fotæ, aque effictis liquoribus, animans conficitur. ei, vnde ouum prodierat, animanti perſimile: quod tandem vbi plenum incrementi, vitæ ac ſenſus attigerit tempus, vel ſponte, vel ab aliena ruptum vi, eam quam incluſam hactenus cohibuerat, animantem excludit. Singulis namque generibus certum ad naſcendum tempus diuinæ ſapientiæ diſpenſatione proſpectum tributúmque conſtat. S. S. E. Tempus pariendi, tempus naſcendi.*

Eccleſ. 3.

*Ouorum*

*Ouorum autem numerus ac ratio ſic habet. Quibus animantibus poſt partum* 258.
*nulla prorſus alendæ, fouendæ, ac tutandæ prolis cura impoſita fuit, innumeræ*
*ſufficiendæ ſobolis virtus & facultas contigit. in quo cenſu aquatilium natura*
*omnis ponitur: cui illud tantum negotij in benedictione datum fuit, Fructifi-*
*cate, & multiplicate, & implete aquas maris. Quod verò neque his ſuæ tutandæ*
*aut vindicādæ familiæ cura ſit, Vates declarabat. Et facies homines velut piſces*
*maris, & velut reptilia non habentia ducem.*

*Ceteris verò ouiparis, quæ aquatilium negligentiam imitantur, vt locuſtis,* 259.
*muſcis, crabronibus, cantharidibus, & ſimilis farinæ reliquis (in quibus apum*
*exceptam familiam nouimus) abundè copioſa progignendi fœcunditas conſtat.*
*Ex his autem partim à ſui generis beſtiolis pariuntur: partim verò ex illorum*
*liquorum ſalſi & pinguis fæce quam ſpiritus efficientia animat originem, atque*
*ortum habent. vt culicum variæ & innumeræ phalanges, quales vel ex puluere*
*in altum per Moſem iacto, ſubitò euolaſſe, ac deuolaſſe accipimus.*

*At verò auium natura quam ex aquis primùm ortam, terram tamen tene-* 260.
*re, frequentare, & incolere auctor voluit, pro loci ratione & vſu, proq́; alimen-*
*torum oportunitate, nec parem procreandi copiam ſortita omnino fuit: nec ſi-*
*milem curandæ ac defendendæ, ſeruandæ alendæq́; prolis rationem ac modum*
*tenere iuſſa eſt.*

*Quare genus hoc totum quod ad nidi rationem & curam facit, in tres claſ-* 261.
*ſeis diuiſum animaduertimus. Vnam earum auium quæ ad diſquirendas, & in-*
*ueniendas eſcas, atque ad (pullorum alendorum cauſa) roſtro vel vngue aſpor-*
*tandas attenta eſſet: atque huius claſsis auibus omnibus ad exiguum numerum,*
*annua procreandi facultas contigit: quantum videlicet regionum, eſcarum, ac*
*ſubeundi in harum diſquiſitione laboris ratio ferret, quantumq́; nidi à parenti-*
*bus fouendi, ac calefaciendi modus caperet, ad ſeptimam vſque prolem.*

*Secundam verò claſſem earum ponimus, quæ non modò quæſitum & raptum,* 262.
*aut aliâs ex fructibus ac ſeminibus collectum alimentum, ita vt inueniſſe conti-*
*gerat, pullis ſine vllo potu, vel à diſiuncto liquore oblaturæ eſſent: ſed etiam præ-*
*manſum (vt ita dicamus) atque intra proprij ventriculi penetralia incluſum, &*
*natiuo temperatum calore, atque idem è potu mixtum, & humefactum aqua,*
*veluti ſi proprij paterni alimenti bona pars in pullorum nutrimentum ſubduce-*
*retur: idq́; frequentius propter plurimum pullis innatum calorem: his autem di-*
*uinæ prouidentiæ indulgentia binas tantùm proles curæ eſſe voluit, & paucita-*
*tem ſobolis iterando, vel reiterando per annum partu compenſari, vt turturum*
*& columbarum generi, quòd gemina numera propè ſemper ad partes vocari ad-*
*notatur, Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Leuit. 12.

*Demùm tertiam claſſem facimus earum auium, quæ nec roſtro, nec ventricu-* 263.
*lo proprio pullos alunt, ſed quamprimum excluſos, & oportuno fotos exſudatóſ-*
*que calore, atque ſemina, herbas, vel alias eſcas legere, & vorare edoctos, parens*
*ipſa paſtoris cuſtodisq́; inſtar deducit, & ſibi vnumquemque ſingillatim ea quæ*
*contingant, legere atque vſurpare & voce iubet, & exemplo inſtruit. Hoc genus*
*omne, & propter hanc rem, & propterea quod impuriori natura cenſetur, &*
*ſimpliciori atque frequentiore paſcitur alimento: cuius varia & multiplex co-*
*piam terræ ſuppeditat benignitas; numeroſiore ouorum ac pullorum grege au-*
*ctum Deus voluit, quanto videlicet deducendo, tutando, ac ſub alis propriis*

*fouendo ipſa parens, vel matrix commodè poſſit ſufficere. In hanc autem tur-*
264. *mam gallinæ, perdices, coturnices, phaſiani, pauones, anſeres, & quæ breuiori ala inſtructæ ſunt aues conceſſere. His enim volatus & tardior, & laborioſus magis eſt, & raro voluptatis cauſa, imò fere vel ex vi, vel ex inopia initur, pedeſtri conſuetudine, ac terreni tractus excurſione, ac vagatione magis gaudentibus, nonnullis etiam natatione, quæ tamen vſus cauſa fiat. vt anſeribus, quarum pedibus natura ad natandum, remorum affinxit formam.*

265. *Puriorum auium oua edulia ſunt, ideoq; quæruntur: contrà verò impuriorum*
Iſaiæ 10. *minimè veſca. S. S. E. Inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populo-*
» *rum: & ſicut colliguntur oua quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego con-*
Lucæ 11. *gregaui. Et ſi petierit ouum, numquid ſcorpionem dabit? Atque de volatilium auiumque genere hæc in ſummam redacta, ſat fuerint, quibus nonnullarum formarum hiſtorias addere non fuerit ab inſtituto opere alienum.*

## Volatilia SERETS dicta.

266. Apes. PRIMA *& pulcherrimo ingenio in hoc genere habetur Apes, quæ admirabili vtilium ſibi rerum cognitione valet, ex omnibusq; floribus & herbis; atque adeò ex pinguiori materia tenax illud bitumen (quod ceram vocamus) comparat, ex eadémque fauos eleganti arte fictos, melle de variis floribus exuctum replet: quod non ſibi tantùm, ſed in commune ſociorum omnium alimentum conſeruare ſtudens; magno impetu, ingentiq; animo tueri, ac defendere conâtur. Regi parens vnicè rectè inſtituti regni imaginem exemplumq; præbet: nulla prorſus in ſuæ ciuitatis gentem inuidia excitatur: & niſi regum cauſa diſſidij ignara: ceterum in commune conſulentibus, tum cibi, hoc eſt, mellis quærendi, tum etiam propugnandi magnus in vnoquoque alueo conſenſus. Qua de natura & re ita legi-*
Eccl. 11. *mus: Breuis in volatibus eſt apes: & initium dulcoris fructus eius. &, Egreſſus*
Deut. 1. *Amorrhæus qui habitabat in montibus, obuiam veniens, perſequutus eſt vos,*
Iſaiæ 7. *ſicut ſolent aues perſequi. In die illa ſibilabit Dominus api quæ eſt in terra*
Pſal. 117. *Aſſur. &, Circumdederunt me ſicut apes.*

## Muſca. ערב

267. BESTIOLARVM *huiuſmodi volatilium, importuna, & frequens natura, multis quidem formis variata, vno tamen communicat nomine* GHEREB, *quod miſcere, ac dulceſcere ſignificat, vocatur. Namque genus hoc vniuerſum dulcibus gaudet aliturq;: amari verò ſenſu & guſtu perit: deinde quòd promiſcua volet, in ſuiſq; verſetur locus, idem obtinet nomen: eſſeq; ſolet frequentiſſimum, & adeo multiplex, vt quotidie nouæ formæ variis figuris coloribúſque viſantur. Hæc, vel ex proprio ſemine procreantur, vel ex corrupto & fæculento pingui liquore, ac terræ calore: vnde prodire ſolent denſiſſima, atque huiuſmodi quæ ſunt omnia inter moleſtas hominibus, & aliis animantibus plagas computantur: nullam, vti videmus, oportunitatem afferentes, præterquam quòd auiculis nonnullis, & aliis etiam beſtiolis pro cibo vſurpantur. Hoc genere miſtio-*
Exod. 8. *nis Aegyptios inter alias plagas fuiſſe vexatos legimus. S. S. E. Quòd ſi non*
» *dimiſeris, ecce ego mittam in te, & in ſeruos tuos, & in populum tuum, & in*
*domos*

*domos tuas omne genus muſcarum. Et venit muſca grauiſſima in omnem ter-* "
*ram Aegypti: corruptaq́; eſt terra ab huiuſmodi muſcis. Illos enim locuſtarum,* Sap. 16.
*& muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inuenta ſanitas in anima illorum:* "
*quia digni erant ab huiuſcemodi exterminari. Hanc autem peſtem à terra pro-* "
*ductam ſic accepimus. Memores erant adhuc eorum quæ in incolatu eorum fa-* Sap. 19.
*cta fuerant: quemadmodum pro natione animalium produxit terra muſcas, &* "
*pro piſcibus eructauit fluuius multitudinem ranarum. Hoc genus neque viuum,* "
*neque mortuum vtile eſſe, imò etiam vbi mortuum fuerit, rebus aliàs gratis, no-*
*cere, detrimentumq́; afferre, vel vna imagine docuit Sapiens, Muſcæ morien-* Eccl. 10.
*tes perdunt ſuauitatem vnguenti.*

## ZEBVB Muſcæ genus. זבוב

268. FOEDISSIMAM *in huiuſmodi confuſo beſtiolarum genere ſpeciem eſſe muſcarum, quibus* ZEBVB *nomen impoſitum quadrat, ipſo declaratur etymo: à ſure enim eſt vocabulum verbo* ZABAH, *quod fluere remittiq́; interpretamur: atque ad ſanguinis vel cruoris, atque adeò puris effluxionem ſæpe refertur. Eſt autem genus hoc muſcarum quod ex corrupto naſcitur ſanguine, ex eodemq́; paſcitur: ideoq́; carnibus infeſtum adhæret, ac origini ſuæ ſimilem tabem, & corruptionem molitur, ouaq́; admouet innumera: corrumpendæ etiam carnis fluore in vermes animanda. Ab hac ſimilitudine dæmonia humano generi infeſta* ZEBVB *dicta Acharonicis, apud quos dæmoniorum principi* BAGHALZEBVB
*vocato, cultus inſtitutus legitur. Huius generis Eſaias meminit, Et erit in die* Iſaiæ 7.
*illa, ſibilabit Dominus muſcæ quæ eſt in terra Aegypti. Atque hoc idem nomen* "
*à Sapiente vſurpatum eſt vnguenti vitiationem ex muſcarum mortuarum cor-* Eccl. 10.
*ruptione notanti. Cecidit Ochozias per cancellos cænaculi ſui, quod habebat in* 4 Reg. 1.
*Samaria, & ægrotauit: miſitq́; nuncios, dicens ad eos: Ite & cõſulite* BAGHAL- "
ZEBVB *Deum Acharon, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. &, In* Lucæ 11.
BAGHALZEBVB *principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Si patrem familias* Mat. 10.
BAGHALZEBVB *vocauerunt, quanto magis domeſticos eius?* "

269. *Atque in volatilium huiuſmodi genere minimi & corporis & nocumenti eſt culex non omnis, verùm qui in vino reperitur, qui, ſi fortè bibenti conſorbeatur, neque impuritatem legitimam vitandam, nec grauius quicquam afferre cenſendus. S. S. E. Excolentes culicem, & deglutientes camelum. alij autem culices omnes, præcipuè qui ſanguinem exugunt, infeſti habiti, ad* GHEREB *nomen referendi ſunt.*

## Locuſtæ.

270. LOCVSTARVM *complura, vti dicebamus, genera ſunt, in iis quæ nomen certum habent adſcriptæ, omnibus turmatim incedere commune eſt, & contento itinere vlterius procedere ad extremum vſque vitæ, quæ breuis eſſe ſolet: ſtudium verò & ingenium non rodendi ac deuorandi tantùm, ſed quoquomodo abſumendi & vaſtandi plantarum genus omne quacumque iter fiat: idq́; nullius ducis exemplo aut iuſſu; ſed certo ſingulorum conſenſu, magnáque pertinacia.*
*S. S. E. Regem locuſtæ non habent, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas.* Prou. 30.

Ierem.46. *Multiplicati ſunt ſuper locuſtas, & non eſt eis numerus. Ego inducam cras lo-*
Exodi 10. *cuſtam, &c. Item, Sementem multam iacies in terram, & pauca congregabis:*
Deut.27. *quia locuſtæ deuorabunt omnia. Veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar lo-*
*cuſtarum omnia complebant.*

## Auium breues hiſtoriæ.

271. CETERIS *Auium formis omnibus virium robore, & ſpiritus fortitudi-*
*ne, atque adeò ſublimitate volatus Aquila præſtat, quamobrem vt Regina cele-*
*bratur, & ſummorum Regum imaginem refert, cæde & ſanguine viuit, altiſſi-*
*mis in rupibus nidum ponit, pullos proprios iiſdem alit cibis: & ad prædas eru-*
*dit: ſolem conſtanter intueri dicitur: ſenio obſoletas plumas mutat. De qua ita*
Iob 39. *ſcriptum legimus: Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in ar-*
Deut.32. *duis ponet nidum ſuum? Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, &*
2 Reg.1. *ſuper eos volitans. Saul & Ionathan, Aquilis velociores. Adducet ſuper te Do-*
Deut.28. Mich.1. *minus Gentem de longinquo, & de extremis terræ in ſimilitudinem Aquilæ vo-*
Pſal.102. *lantis cum impetu. Dilata caluitium tuũ vt Aquila. &, Renouabitur vt Aqui-*
*læ iuuentus tua. Sub hoc nomine complures rapacium comprehenduntur formæ,*
*vt vel illo patet reſponſo, Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aqui-*
*læ. Corpus pro cadauere vſurpatum.*

272. *Rapacium ferè genus omne pennas in ſingulis mutat annis. Rapaces dicimus,*
*quibus aduncum acutumq́ humani inſtar eſt, & vngues curui admodum, ac di-*
*giti in humanæ manus modum plicatiles, & ad capiendum tenendumq́ habiles.*
Iob 39. *De quo genere omni apud Iobum Deus, Numquid per ſapientiam tuam plume-*
*ſcit Accipiter, expandens pennas ſuas ad Auſtrum?*

## FILIÆ IAGANAH. בנות יענה

273. CVM *feriori auium genere cenſetur* IAGHANAH, *quæ ſolitudinis amans*
*Draconibus vicinam ſe præbet. Huius lugubris vox lamentationem imitatur.*
*Fertur, oua, vbi pepererit, expoſita deſerere: quibus caloris terreni, & cæleſtis vi*
*atque ſpiritus* ELOHIM *efficientia excluſis, pulli naſcuntur: ij verò parentum*
*negligentiam lamentis proſequuti ſollicitant. Et cæleſti prouidentia magis quàm*
*illorum cura aluntur. Atque iidem lugentibus ac mæſtis in ſimilitudinis prouer-*
*bium vſurpati, commemorantur: à Latino interprete Struthionis (vti diceba-*
Thren.4. *mus aliàs) nomine redduntur. Filia populi mei crudelis quaſi Struthio in de-*
Iſaiæ 13. *ſerto. &, Replebuntur domus eorum Draconibus, & habitabunt ibi Struthio-*
Iſaiæ 34. Ierem.50. *nes. &, Erit cubile Draconum, & paſcua Struthionum. &, Habitabunt in ea*
Mich.1. *Struthiones, & non habitabitur vltrà vſque in ſempiternum. Faciam planctum*
*vt Draconum, & luctum quaſi Struthionum.*

## Coruus. עורב

274. NON *abſimili rapacibus ingenio Coruus viuit, quippe qui carnibus etiam*
*veſcitur animalium aliorũ; ſed hoc differt, quòd rapaces aliæ generoſiores præ-*
*cipuè aues recens occiſorum paſcuntur carnibus, ſiue à ſe illa, ſiue ab aliis fuerint*
*occiſa.*

occiſa. Coruus nullam auem, nullamq́ quadrupedē occidit animantum, vtpote ad
huiuſmodi facinus inermis, & ineptior. Verum quocumq́ pacto oblatas lacerat,
vellit, & vorat carnes vel recentes, vel tabidas, vel corruptas prorſus, aut iam
deſiccatas: nec minus coctas & aſſas, quàm crudas, quod ſi prorſus non contin-
gat, inſectis inſidiatur, atque fructibus omnibus quibus aliæ nutriuntur aues,
adeoq́ pane veſcitur & leguminibus, nondum tamen aridis, vbique enim ſaga-
ciſſimi guſtus eſt, atque ex hoc nomen accepit GHOREB, quod promiſcuè om-
nia guſtare, ac deuorare ſoleat: nam verbum GHARAB miſcere, ac ſuaue eſſe
ſignificat. Nidum in rupium cauernis & in deſertorum ædificiorum cauis ponit,
altè volare poteſt, ſed nec præpeti, nec diuturno contentoq́ valet volatu; coloris
plerumque nigri, ingenij ſagacis & aſtuti: pullos cùm primùm excluſerit propter
coloris diuerſitatem (ſiquidem ſubalbeſcentes naſci ferunt) neglectas interim
negligit, quoad plumis mutandis agnoſcat: quos diuina prouidentia ſuſceptos,
ſingulari præter ceteras auiculas beneficio fulcit, ac tuetur: muſcis & culicibus
aliisq́ huiuſmodi ſufficiendis eſcis. Hoc genus ad miniſteria hominum vſurpa-
tum, ſuas partes ſedulò præſtitiſſe accepimus. Quōdam enim emiſſus ex arca cor-
uus, & peracto pro viribus ſpatio reuerſus, terræ adhuc aquis obrutæ nuncium
Noahho referebat. Aliquando etiam Eliæ Vati in ſolitudine latenti oportunum,
aſſiduumq́ victum iuſſus à Deo ſuffecit: idq́ longo tempore magna peregit ſedu-
litate. Sunt autem aui huic minoris corporis non minus callidi ingenij complu-
res affines formæ: quas omnes antiqua lex & propter carnis horrorem, & pro-
pter ingenij ſignificationem humani cibi vſibus vetuit: iam verò, quibus ex locis
hāc orditi fuerimus hiſtoriam, indicare licebit. Comæ eius ſicut elatæ palmarum, Cant. 5.
nigræ quaſi coruus. &, Ibis & coruus habitabunt in ea. Quis præparauit cor- Iſaiæ 34.
uo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad eum: vagantes, eo quòd non ha- Iob 38.
beant cibos. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus Pſal. 146.
eum. Conſiderate coruos, quia non ſeminant, neque metunt: quibus non eſt cella- Lucæ 12.
rium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Vox cantantis in feneſtra, coruus in- Soph. 2.
ſuperliminari, quoniam attenuabo robur eius. Hoc genus ſingulariter in exem- "
plum citauit Præceptor, vtpote veraciſſimum atque inexhauſtæ fere famis. Et 3 Reg. 18.
factum eſt verbum Domini ad Eliam, dicens: Recede hinc & vade contra Orien- "
tem, & abſcondere in Torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, & ibi de tor- "
rente bibes: coruiſque præcepi vt paſcant te ibi. & paulo pòſt: Corui quoque "
deferebant ei panem & carnes manè ſimiliter: & panem & carnes veſperi, & "
bibebat de Torrente. "

## De Columba. יונה

INTER eas ceteras quæ quàm longiſſimè volatum intendunt, columba pri- 275.
mas habet, & quamquam libero agri conſpectu delectatur, domos tamen, aut ali-
quid domorum non abſimile procreandæ prolis cauſa libenter ſubit, & homini-
bus familiaris facilè redditur: coniugij imaginem fidelem cum ſingulari com-
pare exhibet, cum quo pari cura pullos fouet, curat, & alit binos (vti iam dixi-
mus) magnitudine & modo differentes. quamplures in hoc genere viſuntur for-
mæ: ingenio tamen perſimiles innato calore vigent, ideo plurimo indigent ali-
mento, & ob eandem rem per mediam brumam imbre delectantur, & balnea fre-

 quenter

quenter petunt: aquam copioſè magis quàm ceteræ aues ebibunt, idq́; continente hauſtu in iumentorum modum: narium foraminibus prædita ſunt ampliſſimis, præter ceterarum modum, iiſdemq́; altius ſecundum caput apertis: ita hauriendæ aquæ commoditas fit citra reſpirationis impedimentum: coloribus variant, oculi in quibuſdam inſtar flammæ. cum compare magna, & perpetua viuitur concordia: ira, ſi concepta fuerit, in vicinos tantùm, & affines exercetur, eáque breuiſſima eſt. neque ciborum aut alia de cauſa quàm vel ex comparis amore, vel ex deſiderio ſuſcipitur pugna: in ceteras omneis aues magna & perpetua innocentia ac ſimplicitas; rapacium impetũ & vim magis patiuntur, quàm timeant: quare ad periculum cauendum imprudentiores, pullos, deuorato prius cibo, atque (vt ita dicamus) præmanſo, deinde reddito ac diſpenſato paſcunt. Harum ſtercora pinguia, præterq́; aliarum excrementum ſalſa deprehenduntur: adeoq́; calida, vt ignis temperatioris vicem aliquando præſtent. Vox lugubrem imitatur cantum, & curam perpetuam exprimit. Carnes hominum cibis aptæ: verùm pullorum commendatiores quàm antiquiorum: quamobrem ad ſacrificia pulli tantùm exigebantur, grandioribus reiectis. Felle omnes carent, quod tamen vbi grandiores fiunt, per totum corpus veluti diffuſum ſapiunt. Columbæ celeritatem & con-
Pſal.54. tentionem volandi ſignificabat Pſaltes: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ,
» & volabo, & requieſcam? Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Pul-
Pſal.69. » chritudinem & varietatem, decorémque, illa: Pennæ columbæ deargentatæ, &
Cant.2. poſteriora eius in pallore auri. Formoſa mea, columba mea in foraminibus petræ:
Cant.4. in cauernis maceriæ oſtende mihi faciem tuam.

Ierem.48. Columbæ nidos in cauis non nimium tamen profundis poni ſolere, Ieremias docet: Eſtote quaſi columba nidificãs in ſummo ore foraminis. Nam dum in planis campeſtribusq́; locis columbæ ſunt, quamquam plures vnà verſentur, tamen venatorum atque rapacium auium infeſtationes timent, ſimulq́; trepidantes vel
Ezech.7. minima occaſione deterritæ euolant, & fugiunt. S.S.E. Et erunt in montibus
» quaſi columbæ conuallium omnes trepidi vnuſquiſque in iniquitate ſua. Quamquam alicubi detineatur, columba tamen ſoluta, ſuæq́; ſpontis facta nidum repetit proprium, quamuis remotiſſimo diſtantem tractu. ad quod alludens Hoſeas
Oſeæ 11. ait: Et volabunt quaſi aues ex Aegypto, & quaſi columba de terra Aſſur: &
Iſaiæ 60. collocabo eos in domibus ſuis. &, Qui ſunt iſti qui quaſi nubes volant: & quaſi
» columbæ ad feneſtras ſuas? Facile autem columbas decipi idem Vates Hoſeas in-
Oſeæ 7. dicauit: Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor. Huius auis lugubrem,
Iſaiæ 38. curasq́; referentem gemitum ſæpe Vates meminerunt. Et ancillæ eius minabun-
Ibid. tur, gementes vt columbæ, murmurantes in cordibus ſuis. Sicut pullus hirundi-
» nis ſic clamabo. Meditabor vt columba: rugiemus quaſi vrſi omnes: & quaſi co-
» lumbæ meditantes gememus. Porrò huius auis innocentiam ſimplicitatémque
Mat.10. ſummus Præceptor probauit. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

## Turtur. תור

276. QVÆCVMQVE bina tantùm in ſingulis nidis pariunt oua, geminóſque excludunt pullos, ad columbarum vel genus, vel generis affinitatem referuntur, quocumque colore illæ, quacumque etiam corporis magnitudine ſint: in his Turtur cenſetur peregrina auis, id eſt, quæ diuerſis anni temporibus ex alia in aliam regio-

regionem migrat, ſui comparis amantiſſima fidiſſimaq́; ſocia, à qua numquam
diſcedit, niſi curandi nidi, pullorumq́; alendorum viciſſitudine cogatur. Nidum
plerumque in arbore ſtruit, migrationis opportunitatem prouidet agnoſcitq́;, &
ſufficiendæ prolis cauſa vernum optat tempus, quo argumẽto paria anni tempo-
ra vbicumque agi nouerint, petere exiſtimantur. Gemitum magis etiam quàm
columbæ lugubrem, & amoris curas referentem, ex imo cieunt pectore. Harum
iam grandiorum melior ad cibos hominum, quàm pullorum caro cenſetur, ideoq́;
ad ſacra facienda grandiores perpetuo optatæ. Turtur, & hirundo, & ciconia
cognouerunt tempus ſuum. Vox turturis audita eſt in terra noſtra: etenim paſſer Cant.2.
inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi ponat pullos ſuos. &, Vt offerrent ſe- Pſal.85. Lucæ 2.
cundùm conſuetudinem legis pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum. "

## Ciconia. חסידה

Qvae de HHAZZIDAH dicebamus, ad totius huius generis ciconiarumq́; 277.
hiſtoriam pertinent. Quæ omnes & peregrinæ ſunt, & nidos altè collocant, ac
migrationis etiam tempora oportunitatesq́; captant. Harum omnium carnes à
cibis reiiciuntur, Turtur & Hirundo, & Ciconia cuſtodierunt tempus ſuum. Ierem.7.

## Hirundo. דרור

Hirvndo, vt peregrinæ, & hoſpites reliquæ, temporum opotunitates no- 278.
uit: pullos, maioris tutelæ cauſa intra domorum tecta procreat, nidóſque pro-
prio conſtituendo ædificium ſingulariter concinnatum fabrefacit ex luto atque
lignis. Omnem violentiam cauet præterquam hominum, inter quos liberè agit,
nullo perculſa metu, à qua ingenij libertate, & ædificandi induſtria nomen ha-
bet DARAR, cuius prior pars domum & ædificationem, poſterior verò, liberta- דרר
tem, imperium, arbitriumq́; denotat. vt ſi explicando dicamus: domi domum
imperioſè ac liberè ponens. Hæc volandi inſolentia ceteris inſtabilior eſt, ſubin-
de nidum relinquens, itidémque repetens. S. S. E. Turtur inuenit ſibi domum, Pſal.83.
& DEROR nidum ſibi. Pro quo nomine Paſſerem Latinè legimus, Et ſicut "
auis ad alta tranſuolans, & Paſſer quolibet vadens: ſic maledictum fruſtra "
prolatum: hîc etiam pro DARDAR Paſſerem Latinè legimus: ſed qualis nam
Paſſer adnotandus, nomine indicatur ſuo.

## Perdix. קורא

Perdici antiquiſſimum nomen eſt KORE, à verbo factum, quod vocare, 279.
legere, & congregare ſignificat. Namque auis hæc vocalis admodum eſt, & vo- קורא
cantis cogentisq́; habitum & geſtum, atque adeò tenorem, dum canit, exprimit:
eaq́; voce ſui generis vicinas cogit. Eadem alienis ouis & collatis, & coactis in-
cubat: quod officium feminæ ac mari commune eſt. Breui ac laborioſo volatu va-
let, pedum curſu etiam ab aucupibus, vel à canibus tandem comprehenditur:
quamobrem montes petit, in iiſdemq́; latibula quærit. Hoc genus propter carnis
præſtantiam vltra alias omnes aues aucupum inſidias & contentionem perpeti-
tur. S.S.E. Sicut perſequitur perdix in montibus. &, Sicut perdix inducitur Eccleſ.11.
in caueam. Et perdix fouit quæ non peperit. Ierem 17.

Galli-

## Gallina. תרנגול

280. FAMILIARIS *auis Gallina, cibi cauſa in domibus alitur: eadémque matris familiæ inſtar in componendo nido, ouíſque pariundis, & pullis educandis, protegendis, & fouendis habet. Plura parit oua, quàm vt fouere poſſit; ideóque magis Domino vtilis, quæ excludit, gregatim ducit & ſollicitè curat, certíſque vocibus vocat, monet, caſtigat, & ad ſe recipit. Paruulos adhuc noctu ſemper, interdiu identidem, atque ab æſtu quoque ſub alis receptos, magno curæ argumento tuetur. Aduerſus infeſtas aues, & canes, ac feles, aliáſque animantes acriter pro viribus propugnat. S. S. E. Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alis. Ita vos collegi, vt Gallina pullos ſuos ſub alas ſuas.*

Matth. 23. 4 Eſdr. 1.

281. *Gallinacei galli præter ceteras aueis ſingularis eſt nocturni temporis ſignificatio, atque diurni etiam partitio. Media nocte atque ſummo manè ſtrepit, deſidiam excutiens, & ſocias aueis excitans: alis primùm ſtrepit, deinde lucem mediam, vel lucem proximam voce nunciat. Vnde* ZZIKVI, *id eſt, cogitabundi nomen obtinuit: quamquam & idem ad Gallinæ ſocietatem relatum,* THARNEGOL *vocetur; peregrino, & in ſcholis repto nomine: propter illam cognoſcendi temporis facultatem ſingularem legimus. Quis dedit Gallo intelligentiam? Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veniet, ſero, an media nocte, an Galli cantu, an manè. &, Non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges noſſe me. Huius vſus cauſa Gallum à nautis per mare, & à militibus in exercitu aſportari videmus. S. S. E. Ecce Dominus aſportari te faciet ſicut aſportatur Gallus Gallinaceus. modò vt* GEBER *hoc loco Gallum ſignificet.*

Iob 38. Mar. 13. Lucæ 22. Iſa. 22.

282. *Commune volantum generi omni eſt, congenerum ſocietate gaudere. S. S. E. Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt, & veritas ad eos qui operantur illam, reuertetur. Captæ ſemel auis, atque è manu demiſſæ, nulla reuerſuræ denuo ſpes aucupi: quippe quæ quàm longiſſimè auolare ſolet. Sicut qui dimittit auem de manu ſua. Si dereliquiſti proximum tuum, non eum capies, non illum ſequaris: quoniam longè abeſt.*

Eccleſ. 27. Ibidem.

283. *Auibus pedum alarúmque ſtructura duplicem ad agendum locum adiudicat terram & aërem. Et volatile ſuper terram (quod poſſit ingredi, incedere) & ſub firmamento cæli (quod volare valeat.) Volatilium omnium cognitio, dominium & vſus homini conceſſus: abuſus verò ac vaſtatio in legis vetitis poſita, vt iam indicauimus, dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli. Præeſſe ac dominari plurimum ab excidio, nece, ſtrage, & vaſtatione differt.*

Gen. 1. Ibid.

DE

# DE TERRESTRIBVS ANIMANTIBVS.

DAVIDIS *filius, ac in Regni ſolio hæres & ſucceſſor Salomon, ſapientiæ* 284
*quam diuino dono obtinuerat argumenta, multis à ſe faciendis periculis,*
*probaſſe narratur, non qui tantùm priuatorum vniuſcuiuſque hominis morum*
*ac familiaris diſciplinæ ciuiliſq; vitæ artem leges rationeſq; tradens, monſtraret;*
*ſed etiam qui alteram ſapientiæ partem in veri inquiſitione & cognitione*
*poſitam apprimè teneret, conſultuſq; diſcretè doceret: inter cetera autem animalium*
*cuiuſcumque loci ac generis naturam ita ſubductam habuit, vt auditoribus*
*diſtinctè, apertè, & eleganter explicuiſſe memoretur. Et diſſeruit de iumentis,* 3 Reg. 4.
*& volucribus, & reptilibus & piſcibus. Huius autem argumenti doctrinam*
*eodem quo hîc referimus initam & abſolutam ordine ipſa narrationis indicare*
*videtur ſeries. Nempe à præſtantioris naturæ generibus, ad extremi vſque generis*
*formas fuiſſe deuentum. Quam docendi rationem ex deſcenſu, ſiue ex dignitatis*
*altiore ad primum vſque gradum tendere: eámque ſupremæ ſapientiæ*
*conuenire, Deiq; imitari ſapientiam dicimus. Namque Deo quamquam omnium*
*rerum cognitio ſemper eadem, ſemperq; præſens conſtet: tamen ipſa cognoſcendarum*
*rerum ratio ita habet, vt digniorem videatur ſortiri locum, maximarum*
*notitia quàm minimarum. Appellamus autem cognoſcendi rationem, non in*
*cognoſcentis animo poſitam imaginem rerum, ſed ipſarum certam & recto ordine*
*conſtitutam ſeriem, in qua quæ præſtantiores habentur, priores obtinent ac*
*tuentur gradus. Atque hoc pacto cedrus quæ in Libano eſt, præſtantior longè*
*habetur quàm hyſopus quæ egreditur de pariete. Et hanc quidem tum de plantis,*
*tum de animalibus à Salomone diſputatam doctrinam, nobis admirari conceſſum*
*eſt: diſcere tamen & imitari negatum, imò nec videre aut audire datum,*
*propter diu iam deſideratos maximi illius viri de tota hac ratione libros: ex quibus*
*tantum exemplorum veſtigia quædam viſuntur in iis voluminibus quæ*
*apud nos extant, & in ſacrorum codicum cenſentur, leguntur, & obſeruantur numero.*

*Quam quidem ob rem nos, dum non proprium conſilium, ſed melioris ducis inſtitutum & exemplum ſcribendo ſequi in animum induximus: eam diſſerendi rationem optauimus, quam à primo ſacræ doctrinæ ſcriptore obtentam traditámque accipimus. Nam naturæ diſputationem ab infimis rerum ordinibus ad ſummos vſque deducere, qui ad humanum ingenium erudiendum oportuniſſimus ſapi[illegible]s viſus eſt modus. Nam facilius multo ab iis quæ minora habentur, anguſtioribus clauduntur finibus, ad ampliora cognoſcenda rudis quiſpiam inducitur, quàm ſi primam operam ſummis & magnis cognoſcendis iubeatur impendere. Moſis ergo doctoris à diuino ſpiritu inſtructi docendi rationem ſequuti atque imitati animantum terreſtrium naturam omnem in tria ampliſſima partimur genera, eodem ordine diſtinguentes, quo terris primùm edita accepimus. Namque vt ex aquis ortas omnes animantes in reptile, natantem, & volantem diuiſimus ac retulimus, idq; primo loco: ita ſecundo gradu quæcumque ex terra originem ducunt, in tres etiam claſſes diſtribuimus. Beſtias terræ, Iumenta, & Reptilia: quorum atque etiam pennatorum omnium ſupremum genus illud*

eſt HHAL CHOL BASSAR, quod Latinè dici poteſt viuens caro, interpres
noſter animam vniuerſæ carnis vocat. Atque hoc commune omnibus eſſe no-
Gen. 6. men, illo diuino effato didicimus. Ex cunctis animantibus vniuerſæ carnis bina
» induces in arcam, vt viuant tecum maſculini ſexus & feminini. De volucribus
iuxta genus ſuum, & de iumentis in genere ſuo, & ex omni reptili terræ ſecun-
dùm genus ſuum. Cùm autem de volucribus, quæ principium ad aquas referunt,
iam egerimus, reliquarum carnium animantes, eodem quo Moſes nos docuit
modo, diſtinguemus: quas propterea nobiliores arbitramur, quod ex vberiori,
& magis multiplici materia procreatas nouimus; videlicet ex terra, non arida,
non IABASSAH (vt pridem vocabatur) ſed cum ARETS dicta, multo varióque
ſucco prædita (vt ſuo adnotabamus loco) Namque liquores eos pinguem & ſal-
ſum, quos Creator multis modis digeſtos & concinnatos, ex primis illis MAIM
relictos, communicatos, variiſq; partibus ac modis diffuſos & penetrantes eſſe
voluit. Naturæ veræ, hoc eſt, verbi ſui virtute auctos, comparatos, & feliciter
fœcundatos ad varias formas exhibendas breuiſſimo tempore, hoc eſt, eodem quo
mare ſuas protulerat gentes, die beauit. Verbum autem quo terra hanc partem
præſtare iuſſa eſt, fuit THOTSI, pro quo Latinus reddidit, Producat. Duabus
vero partibus vnumquodque genus à terra inſtructum, Deus voluit carne &
anima viuente, præcipuè tamquam digniore natura tota non raro nominatur.
Gen. 1. vt hoc ipſo diuino iuſſu, Producat terra animam viuentem. quam quod variis
formis ac ingeniis multiplicem exhiberi decreuerat, adiuncta expoſitione indi-
cauit. In genere ſuo LEMINAH. Diximus iam aliàs nomen MIN diſtinctio-
nem, modum, menſuram, numerum, atque in ſumma definitionem ſignificare.
A quo nomine Latina vocabula, minerale, metallum facta arbitramur: quoniam
mineralium metallorumq; natura multiplex eſt, atque ſuis diſtincta partibus &
formis: ita vt nec aurum, argentum; nec argentum, aurum; nec cuprum, ſtan-
num aut plumbum ſit, tametſi quibuſdam ex his affinia quædam videri poſſint;
tamen eadem eſſe non poſſunt, vt ſuo diſſerebamus loco. Quænam verò forent
huiuſmodi viuentis animæ ex terra producenda genera ſumma, idem declarauit
auctor, tria videlicet, in varias quoque ſingula diducenda formas. Iumenta, re-
ptilia, & beſtias terræ, ſecundùm ſpecies ſuas. Hanc verò diuinam voluntatem,
ac iuſſionem certam, conſtantem, rectam, & omni ex parte abſolutam proban-
ויהיכן damq; extitiſſe, eadem hiſtoria aſſerit. Et factum eſt ita, VAIHICHEN, quibus
verbis IEHI & EHEN docemur terræ, ad producenda animantum genera,
à verbo diuino IEHI fuiſſe inditam vim & copiam, eamq; rectam, aptam, ido-
neam, certam, oportunam, & omnibus numeris inſtructam: & quicquid hoc vo-
cabulo CHEN ſignificatur, IEHI efficientia conſtitiſſe. Namque oratio illa
priore parte verbum continet, quod & nominis conſeruat formam, poſteriore
nomen habet quod & verbi, & aduerbij vim repræſentat. Atque hoc pacto per-
inde valet ac ſi dicatur, & IEHI inſtruens auctorq; erat: atque hoc ipſum euen-
tu probatum extitiſſe, ſubiuncta narratione declaratur. Et fecit Dominus beſtias
terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Omni-
bus his quoad vitæ facultatem, & munus atque vſuram attinet, commune no-
men tribuitur NEPHES HAIA, quod Latinus interpres in animam viuen-
tem vertit: ex verbi verò pondere animam vitæ dicere poſſumus, quãdo vtrum-
que abſolutum nomen eſt. Significat autem NEPHES non omnem animam, ſed

eam

eam quæ ſentiendi & appetendi facultatem animato à ſe corpori præbet, quamobrem pro ipſa appetitione, proq; ſenſu ſæpe vſurpatur. vt, Animam eſurientem ſatiauit bonis. Huiuſmodi itaque terreſtrium animantum omnium conditio eſt. quod ad animam attinet, ſenſus videlicet & vitæ vſus, vitæ inquam vnius tantùm ac ſimplicis atque ex terræ ARETS facultate initium habentis, quod & obſeruatione, & animaduerſione dignum magno vſui futurum eſt ad diſputationem de natura hominis. Pſal. 106.

Ea igitur quibus huiuſcemodi data eſt anima, in tria (vti iam edocti ſumus) 385.
diuiduntur ſumma genera HHAIATH HAARETS BEHEMAH, & REMES HAADAMAH, quæ apud nos dicuntur beſtiæ terræ, iumenta, & reptile.

Quod Latinè legimus beſtiæ terræ, ex verbo dici poſſet vita, vel viuens ter- 386.
ræ: atque vno ſimplici vocabulo fera nominari. Namque genus hoc omnes animantum complectitur formas, earum videlicet, quæ cùm ſuæ ſunt ſpōtis, victum ſibi quærere, & vitam ducere poſſunt & norunt: nec humana indigent cura: nec vllo certo loco aut agro, vel ſingulari regione concluduntur: verùm totam terram pro patria habentes eſcas & latibula, atque prolem parandi cauſa vagantur & peragrant: ita vt terræ ARETS, inquam, præſidio contentæ, nihil aliud quærant, libertatéque maximè gaudeant. Atque omnia hæc nominibus illis HHAIATH HAARETS, Beſtiæ terræ ſignificantur. Eadem quoque hæc ipſum animantum genus HHAIATH HASADEH dicitur ſæpiſsimè, id eſt, animans, ſiue viuens agri. Namque agro propter paſcuorum fructuum, & aliarum rerum vbertatem nomen SADEH impoſitum eſt, quod copiam ſignificat. Idem nomen à SOD verbo diductum, prædam, rapinam, & vaſtationem adnotat. Eſt autem triplex ferarum genus: vnum rapax & immane, quod præda & ſanguine præcipuè gaudet & viuit. hoc HHAIAH RAGAH propriè vocatum obſeruauimus, & Latinis feram malam, ſiue feram peſsimam dictum. vt, Tunica filij mei eſt, Gen. 37.
fera peſsima comedit eum: fera deuorauit Ioſeph. &, Auferam malas beſtias, Leu. 26.
& gladius non tranſibit per terminos veſtros. Secundum genus eſt quod in ſacris HHAIAH HASADEH dicitur. Ferasq; continet nocentes callidiq; ingenij, quæ mitioribus animantibus inſidiantur, immaniterq; nocent: fortioribus verò ac robuſtioribus obſiſtere non valent: quamobrem ſiluas frequentant, & latibuli præſidij, ac tutelæ cauſa petunt, vbi etiam auiculis & aliis imbellibus animantibus ingenij verſutia captis, aluntur: idcoq; à Latino interprete Beſtia agri dicitur: non modò ea ſignificatio quam ex SADAH, ſed ea etiam quam ex SOD, vel SADAD deduci poſſe intelligimus, ac ſi feram furacem inſidiatricem, & ex agro etiam nutritam dixerimus. huius generis mentio frequens, Non dimiſit aues 2 Reg. 21.
lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem. &, Tranſierunt beſtiæ ſaltus 4 Reg. 14.
quæ ſunt in libano, & conculcauerunt carduum. Ne fortè multiplicentur contra Deut. 7.
te beſtiæ terræ. In his & aliis locis legimus HHAIATH HASADEH. Tertij generis ferarum ſpecies eæ cenſentur quæ viribus non ita pollent, ſeſe vt defendere ac tueri valeant: at tamen fuga ſibi ſalutem conſulunt: atque ideo plerumq; in ſyluis latent, aut in ſyluarum prærupta conſcendunt. vnde ſibi ſuisq; proſpicere cauereq; poſsint. Primi generis Leones, Pardi, Tygres, & Pantheræ ſunt. Secundi verò, Vrſi, Lupi, & Vulpes. Tertij autem, Cerui, Capreæ, Damæ, Onagri, & quæ his ſunt affines. Omnes quæ ferarum nomine ſignificantur, etiam, id eſt, HHAIAH, cum adiuncto tamen nonnumquam IAGHAR, pro quo Latini

Pſal.50. ſyluam reddunt. vt, Si eſuriero, non dicam tibi: meæ enim ſunt omnes feræ ſyl-
Pſal.103. uarum. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt beſtiæ ſyluæ.
Ibid. Atque ita idem de primo genere ſubiungitur, Catuli leonum rugientes vt ra-
» piant & quærant à Deo eſcam ſibi. Secundum verò genus variis in locis appel-
Iob 5. latur. vt, In vaſtitate ridebis, & beſtias terræ non formidabis. Huic montes her-
bas ferunt omnes, beſtiæ agri ludent ei. In his & aliis locis HHAIATH HA-
SADEH legimus.

## De Leonum genere. אריה

387. RAPACIVM omnium ferarum fortiſſimum & nobiliſſimum leonem eſſe ac-
cepimus. quod genus quod in plures diſtribuatur formas, pluribus etiam dicitur
nominibus, de quibus hoc loco ſigillatim diſſeremus. Ac frequẽtiſſimum quidem
in ſacris ſcriptis ARIE nomen eſt, ab ARAH deductum verbo, quod colligere &
occupare, vſurpareq́ſ ſignificat. Eſt enim hoc animal in prædis agendis feliciſſi-
mum, vtpote cuius rugitus exteras belluas pauore & ſtupore adeò afficit, vt pe-
nè ſui impotes, & ad capturam faciles reddat: quæ verò aliquantum maiore ro-
bore atque audacia præditas offendat, ſuperet tamen, vincat & frangat, ac diſ-
cerpat: vtpote cuius natura pauoris ac metus expers, adeò vt vel inſidiarum, vel
comedendi, vel dormiendi cauſa ſecurus cubet: vis verò pro corporis modo robu-
ſtiſſima ſit: dentes etiam vltrà ceterarum ferarum exempla firmiſſimi, ingenium
verò minus crudele eſt. Nam præter leuandæ famis neceſſitatem, aliàs neque ho-
mini, neque animanti cuiquam, niſi irritatus, prouocatus, aut coactus, nocet.
Idem verò pœnarum ex diuino iudicio inferendarum ſatelles, ac miniſter ali-
quando conſtituitur, qui hominum damnatorum ſtrages edat, carnibus verò non
veſcatur, niſi graui inopia & fame ſtimulante, vt animantibus, & hominibus
etiam longam obſidionem paſſis accidit. Quæ verò de hoc ferarum genere diſſe-
Gen.41. ruimus, quibus ex locis petere liceat, è veſtigio indicabimus. Ad prædam fili
» mi aſcendiſti requieſcens: accubuiſti quaſi leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit
Num.23. eum? &, Ecce populus vt leæna conſurget, & quaſi leo erigetur: non accubabit
Num.24. donec deuoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat. &, Accubans dormiuit
Iudic.14. vt leo, & quaſi leæna quam ſuſcitare nullus audebit. &, Quid leone fortius? &,
2 Sam.1. Aquilis velociores, & leonibus fortiores fuerunt. &, Fortiſſimus quiſque cu-
2.Sam. 17. ius cor eſt quaſi leonis pauore ſolutum. &, Viri robuſtiſſimi, & pugnatores opti-
Iob 4. mi tenentes clypeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis. Rugitus leonis,
Eccleſ.21. & vox leænæ, & dentes catulorum leonum. Dentes eius dentes leonis. &, Quaſi
Pſal. 10. leo in ſpelunca ſua inſidiatur. &, Sicut leo rapiens & rugiens. &, Catuli leonum
Ioel. 1. rugientes vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi: non vt vaſtent, luporum aut
Pſal. 103. vulpium inſtar; ſed ſibi eſcas à Deo quærant. &, Leo rugiens & vrſus eſuriens.
Prou.28. Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum. &, Quomodo ſi rugiat
Ibid.30. leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam: cùm occurrent ei multitudo paſtorum,
Iſaiæ 31. à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit. &, Quaſi
Ibid.38. leo ſic contriuit oſſa mea. Simul vt leones rugient, excutient comas quaſi catu-
Ierem. 51. lus leonum. Coniuratio Prophetarum in medio eius, ſicut leo rugiens rapienſ-
Ezech.22. que prædam. &, Quaſi leo rugiet, quia ipſe rugict, & formidabunt filij ma-
Oſeæ 11. ris. &, Numquid rugiet leo in ſylua, & non habebit prædam? Leo rugit, quis non
Amos 3. timebit?
Ibid.

*timebit? Quaſi leo in iumentis ſyluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus* Mich 5.
*pecorum. &, Vbi eſt habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum ad quam* Nahum 2.
*iuit leo: vt ingrederetur illuc catulus leonis, & non eſt qui exterreat. Leo cepit* Soph. 3.
*ſufficienter catulis ſuis, & necauit leænis ſuis. Principes eius in medio eius* "
*quaſi leones rugientes.* "

*De miniſterio iudicij Dei leonum opera exerciti, illa adnotantur & loca, &*
*exempla. Cumq; ibi habitare cœpiſſent, non timebant Dominum: & immiſit in* 2 Reg. 17.
*eos Dominus leones, qui interficiebant eos. Nunciatumq; eſt Regi Aſſyriorum, &* 4 Reg. 17.
*dictum: Gentes quas tranſtuliſti & habitare feciſti in ciuitatibus Samariæ. Igno-* "
*rant legitima Dei terræ, & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt* "
*eos: eo quòd ignorent ritum Dei terræ. &, Hæc dicit Dominus. Quia non obe-* 1 Reg 13.
*diens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum quod præceperat tibi Do-* "
*minus Deus tuus: & reuerſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquam in loco* "
*in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur ca-* "
*dauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum. Cumq; comediſſet & bibiſſet, ſtrauit* Ibidem.
*aſinum ſuum Propheta quem induxerat. Qui cùm abiiſſet, inuenit eum leo in* "
*via, & occidit: & erat cadauer eius proiectum in itinere. Aſinus autem ſtabat* "
*iuxta illud, & leo iuxta cadauer. Et ecce viri tranſeuntes viderunt cadauer in* "
*via, & leonem ſtantem iuxta cadauer: & venerunt, & diuulgauerunt in ciui-* "
*tatem in qua prophetes ille ſenex habitabat. & paulo pòſt: Dixitq; ad filios ſuos:* "
*Sternite mihi aſinum. Qui cùm ſtrauiſſent, & ille abiiſſet, inuenit cadauer eius* "
*proiectum in via, & aſinum & leonem ſtantes iuxta cadauer: non comedit leo* "
*de cadauere, nec læſit aſinum.* "

## SAHHAL. שחל

PLVRES *in hoc ferarum genere formas diuina ſcripta indicant, Latinis* 288.
*fortaſſe atque Græcis pariter ignotas, vel ſaltem vocabulorum inopia confuſas,*
*in quibus vna eſt* ARIE, *cuius iam deſcripta hiſtoria eſt. idq; frequentiori vſur-*
*patur mentione. Eſt etiam* SAHHAL *& feritate (vti videtur) maiori & vocis*
*rugitu magis terribili: nam diſtincta his adiunguntur verba* ARIE SAAG,
*quod rugire dicimus, &* SAHHAL KOL, *quod vocem ſignificat. Exiſtimare*
*verò licet huius feræ pellem aromatis (quod Medici odoratum vnguem vocant)*
*colore imitari: quippe idem vtrique naturæ nomen adſcriptum inuenimus. Vide-*
*tur autem vehementius & inclementius animal hoc ad ſtragem edendam: qui-*
*bus autem teſtimoniis hoc aſtruamus, exponere non pigebit. Rugitus* ARIE, & Iob 4.
*vox* SAHHAL, *alterum nomen leonis, alterum verò leænæ Latinus interpre-*
*tatus eſt: Sed* LEBI *maſculino lebiah femineum adiungitur: quorum plurales*
*voces* IEBIIM, & IEBIOTH *reperiuntur: atque ita* SAHHAL *diſtinctum*
*vocabulum, animal ſignificat, à* IEBI *diuerſum: quamquam in eodem gene-*
*re, vt in canis natura moloſſi, ſpartani, Gallici catelli, & Hybernici, complu-*
*réſque alij dignoſcuntur. &, Propter ſuperbiam quaſi leænam capies me. Hoc* Iob 10.
*etiam loco* SAHHAL *eſt. vt in illo quoque, Nec pertranſiuit per eam leæna.* Ibid. 28.
*&, Dixit piger,* SAHHAL *eſt in via, &* LEBI *in itineribus. Prius no-* Prou. 26.
*men in leonem, poſterius in leænam interpres mutauit. &, Ego quaſi* SA- Oſeæ 5.
HHAL *Ephraim leænam Latinè legimus. &, Ego ero eis quaſi leæna* SA- Oſeæ 3.

Pſal. 90. HHAL. &, *Super* SAHHAL & PETHEN *ambulabis. pro quibus in-*
» *terpres Aſpidem & Baſiliſcum reddidit.*

## LEBI.

289. HVIC *leonum generi nomen* LEBI *à cordis etymo factum arbitramur: quod præter ceteras feras intrepidum, animoſum, impetuoſumq́ ſit. ac fortaſsis ſpecies ipſa cordis refert formam, priori corporis parte ampliori ac terete: poſteriore verò ſtrictiore, quod ad irruptionis & impetus facultatē ea ſit figura oportunior. Certè* LEB, *idem quod apud nos* COR *vocatur, cum quo magnam affinitatem habet nomen* LEBI. *Huius feræ fremitus idem cum* ARIE *ſonare videtur: quando eodem ſignificatur verbo* SAAG. *quantum autem viribus im-*
Gen 49. *petu atque dentibus polleat, producenda teſtimonia indicabunt. Ad prædam fili*
» *mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti quaſi* ARIE, *& quaſi* LEBI, *quis ſuſcitabit*
Num 23. *eum. Ecce populus vt* LEBI *conſurget: & ſicut* ARIE *erigetur. &, Accubans*
Ibid. 24. Iob 4. *dormiuit vt* ARIE*: & ſicut* LEBI *quis ſuſcitabit eum? Tygris periit eo quod*
Pſal. 56. *non habebat prædam, & catuli* LEBI *diſsipati ſunt. &, Eripuit animam meam*
Iſaiæ 5. *de medio* LEBAIM, *dormiui conturbatus. Rugitus eius vt* LEBI *in terra tribu-*
Iſaiæ 30. Oſeæ 13. *lationis & anguſtiæ* LEBI, *& leo ex eis. &, Conſumam cor quaſi* LEBI. *Dentes*
Ioel. 1. *eius vt dentes* ARIE, *& molares eius vt* LEBI. *Vbi eſt habitaculum* ARIOTH,
Nahum 2. *& paſcua* CHAPHIRIM, *ad quam iuit* ARIEH LEBI, *vt ingrederetur* GVR
Soph. 3. ARIE, *& non eſt qui exterreat?* ARIE *cepit ſufficienter catulis ſuis, & necauit* LIBAOTHAN. *Ex quo loco intelligimus minori corpore eſſe* LEBI *quàm* ARIE. *atque ex conſequenti illi eſſe congenerem & amicam belluam. Huius fe-*
Ezech. 19. *mina vocatur* LEBIA*: & in multitudinis numero* LEBIOTH. *Quare mater*
כפיר *tua* LEBIA *inter* ARIOTH *cubauit: & inter* CHEPHIRIM *nutri-*
» *uit catulos ſuos.*

## LAIS. ליש

290. QVARTVM *obſeruatur nomen* LAIS, *cuius naturæ ſpectaculum aliquando fortaſsis in Græciam inductum, ſui, atque nominis etiam attulit notitiam: indeq́ à Græcis & Latinis* LEON & LEO *nomina accepta fuere. Ita quidquid eiuſdem generis (quamquam varium deinde viſeretur) tamen eodem diceretur nomine: interdum verò adiunctis quibuſdam diſtinguendo. vt, Leo pardalis, Leo lybicus. Aiunt hunc in leonum natura eſſe proceriſsimum, cuius*
Iob 4. *non ita frequens in ſacris mentio.* LAIS *periit, eo quòd non haberet prædam.*
Prou. 30. Iſaiæ 30. *&,* LAIS *fortiſsimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum. In terra tribulationis & anguſtiæ* LEBI *&* LAIS *ex eis.*

## GVR & CHEPHIR. גור וכפיר

291. FERARVM *proles cùm adhuc tenera eſt, & maternum luſtrum excedere nec valet, nec audet, à collectiane nomen acceptum obtinet* GVR, *quaſi cum ceteris fratribus collectum, & à matre fotum & cuſtoditum. Latini catulum dixerunt. Huiuſmodi imbelles adhuc & teneros fætus fortaſſe à* cat, *quod Cymbrica*

lingua

*lingua felem ſignificat : cuius animalis modum & vocem huiuſmodi minorum ferarum proles imitantur. Horum mentio apud Vates non infrequens. vt, Ca-* Nahum 2.
*tulus leonis, & non eſt qui exterreat. Leo cepit ſufficienter catulis ſuis.* CHE- Ibidem.
DAI GVROTHAN *in his vocantur* GVRIM. *vt apud Ezechielem, Accepit* Ezech.19.
*vnum de catulis ſuis* MEGVREHAH *& nutriuit* GVREHAH *catulos ſuos.* "
*Feminæ* GVROTH *dicuntur. vt in ſuperiori exemplo proximè probatur. Si-*
*mul vt leones rugiunt, excutiunt comas veluti* GVREARIE, *catuli leonis. Non* Ierem.51.
*ſolùm autem leonum, ſed aliarum etiam ferarum teneris prolibus nomen hoc ad-*
*ſcriptum obſeruatur. vt, Sed &* THANIM *nudauerunt mammam, lactauerunt* Thren.4.
GVREHEM *lamiæ catulos ſuos, vertit interpres. Hoc genus poſtquam materna cura iam deſtitutum fuerit, & prædis edendis idoneum ſeſe exhibuerit,* CHEPHIR *dici ſolet eadem imagine qua minores vici ad vrbes relati,* CHAPHARIM *vocantur. Itaque à* GVR *creſcunt in* CHEPHIR, *voce, ſiue rugitu, pro ætatis ratione acutiore ſunt quàm ſeniores: ideoq́; longius penetrante ac pertingente, & propter imperitiam audacius maioriq́; temeritate atque impetu prædam aggrediuntur, & inſolentius deſæuiunt: molaribus quoque firmiſſimis valent: & qui minus ipſi formidant, minus tutos aut ſecuros vicinos paſtores age-*
*re ſinunt. Ad hanc deſcriptionem loca illa pertinent : Mater tua leæna inter leo-* Ezech.19.
*nes cubauit: & in medio leunculorum enutriuit catulos ſuos, & eduxit vnum*
*de* GVREHAH, *qui* CHEPHIR *factus eſt. Cumq́; veniſſent ad vineas oppi-* Iud. 14.
*di, apparuit catulus leonis ſæuus* CHEPHIR. *hoc modo interpretabatur La-*
*tinus: Catulus leonis ſæuus. &, Sicut* CHEPHIR *ſedens in occultis.* CHEPHI- Pſal.16.
RIM, *eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur* Pſal.34.
*omni bono. Erue à framea animam meam, & à* CHEPHIRIM *vnicam meam.* Ibid.12.
*Et* CHEPHIRIM *rugientes vt rapiant. Conculcabis* CHEPHIR *&* THA- Ibid.80.
NIM, *& molas.* CHEPHIRIM *confregiſti Domine. Sicut fremitus* CHE- Ibid.57.
PHIR *ita & regis ira. Fugit impius nemine perſequente: iuſtus autem quaſi* Prou.19.
CHEPHIR *confidens, abſque terrore erit. Qui incedebat inter leones, & factus* Ibid.28. Ezech.29.
*eſt* CHEPHIR: *& didicit prædam capere. &, Faciem hominis iuxta palmam* Ibid.41.
*ex hac parte, & faciem* CHEPHIR *iuxta palmam ex alia parte. Quoniam* Oſeæ 5.
*ego quaſi leæna Ephraim: & quaſi* CHEPHIR *domui Iuda. Numquid dabit* Amos 3.
CHEPHIR *vocem ſuam de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit? &, Quaſi* Mich.5.
*leo in iumentis ſyluarum: & quaſi* CHEPHIR *in gregibus pecorum: qui cùm* "
*tranſierit, & conculcauerit, & ceperit, non eſt qui eruat.* "

## NEMER. נמר

LEONVM *naturam* NEMER *affinitate contingit, trux fera non ita vt leo* 292.
*robuſta, verùm curſu velociſſima: quippe leoni robur, huic autem agilitatem ſacra adſcribit philoſophia. Atque genus hoc maculoſa pelle inſigne eſt. Ad quos tygrides & his corpore minores Pantheras referimus. Horum luſtra in montibus reperiuntur: quos tutelæ cauſa velocitate petunt.* MAR *guttam ſignificat: vnde forſitan animali huic notis diſtincto, & veluti guttulis conſperſo, nomen inditum fuit. Habet autem vocabulum magnam cum* MARAR *&* MARAH *affinitatem. quæ amaritudinem, furorem, & temeritatem ſignificare obſeruantur. Loca verò ex quibus feræ huius deſcriptionem petere licet, illa in*

*promptu*

Ierem. 5. promptu fuerint. Idcirco percuſſit eos leo de ſylua: lupus ad veſperam vaſtauit
„ eos. NEMER vigilans ſuper ciuitates eorum. Pardum interpres noſter ſcri-
Ierem. 13. pſit, Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut NEMER varietates ſuas. &,
Oſeæ 13. Ego ero eis quaſi leæna: & ſicut NEMER in via Aſſur. &, Leuiores quàm NE-
Abac. 1. MARIM equi eius. &, De cubilibus leonum, de montibus NEMARIM. vt in-
Cant. 4. terpres noſter vbique Pardum, vel Pardos reddit.

## VRSVS. DOB. דוב

293. DABAG fortitudinem, robur, & ſenectæ vltimum terminum ſignificare comperimus: vnde vrſi nomen DOB factum coniicere eſt, quòd illa fera viribus firmiſſimis vſque ad ſenectam conſtet: irritata, impotenter dolet ac furit, fame penè inſaniens: viribus & lucta, magis quàm dente aut vngue valet, & nocet: non carnibus tantùm, ſed aliis etiam rebus viuit, vt fructibus & melle: atque ita minus rapax eſt. Et cum minoribus aliis feris commune hoc habet, vt cum apro, lupo, vulpe, & cane. Itaque hæc ſecunda ferarum natura eſt ex earum genere quas ſyluæ feras ſiue beſtias belluaſq; vocari dicebamus. Vrſi quoque diuini iudicij miniſtri ſolent eſſe, atque in eos ſæuire quos vita mulctando vltio po-
1 Reg. 17. ſtularit: Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo & DOB. Leo
Prou. 27. rugiens & DOB eſuriens princeps impius ſuper populum pauperem. Tu noſti
2. Reg. 17. » patrem tuũ, & eos qui cum eo ſunt eſſe fortiſſimos, & amari animo veluti DOB
Oſeæ 13. raptis catulis. Occurram ei quaſi vrſa raptis catulis. Expedit magis vrſæ oc-
Prou. 17. currere raptis catulis, quàm fatuo conſulenti ſibi in ſtultitia ſua. Huius anima-
Iſaiæ 59. lis vox ſiue fremitus NAHAM dicitur. vt, Leonis SAAGAH NEHEMA ſicut
Thren. 3. DOBIM omnes nos. DOB inſidians factus eſt mihi. &, Quomodo ſi fugiat
Amos 5. vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus. Qui cùm reſpexiſſet, vidit eos, & male-
4 Reg. 2. dixit eis in nomine Domini. Egreſſiq; ſunt duo DOBIM vrſi de ſaltu, & lacera-
» uerunt ex eis quadraginta pueros.

## ZAAB. זאב

294. SI coniecturis ex rei natura ductis locus vllus eſt, huic feræ nomen contractum videtur ex AB & BAZAZ, altero patrem altero prædari ſignificantibus verbis, quòd præter feras alias impotentiſſimè prædetur hoc genus: quippe quod non ad famem leuandam tantùm, ſed ad ſæuitiam explendam prædari trucidareq; ſoleat. Ingenio truci ſæuiſſimo, ac pro viribus audaciſſimo eſt: non tamen aſtu carens, in tenebris & intempeſta nocte præter ceteras feras perſpicaci præditus eſt viſu, atque curſu etiam præſtat. Inclementis prorſus tetri & maligni
Eccli. 13. ſenſus, nulloq; beneficio domabilis. S. S. E. Si communicabit lupus agno: lupus
Ierem. 5. ad veſperam vaſtabit eos. Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes
Ezech. 22. prædam ad effundendum ſanguinem, & perdendas animas, & auarè ſectanda
Habac. 1. loca. Leuiores pardis equi eius, & velociores quàm ZAABE GHEREB lupi ve-
Soph. 3. ſpertini. &, Iudices eius ZEABE GEREB lupi veſperè non relinquebant in
Ioan. 10. manè. &, Lupus rapit & diſpergit oues. &, Ego ſcio quòd intrabunt poſt diſ-
Actor. 20. ceſſionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi.

## SOGHAL. VVLPES.

IN *promiſcui paſtus feris genus hoc cenſeri poſſe videtur: ita tamen, vt quæ* 295.
*eiuſmodi ſunt omnia, ad aliud commune referantur. Erit verò commune illud*
HHAIATH HAIAGHAR, *id eſt, fera ſilueſtris, cui vulpium, muſtelarum, vi-*
*uerrarum, & taxorum omnium quæ ex minimorum animantum atque auicula-*
*rum cæde viuentum, quæ pariter fructibus aliiſq; eſcis veſcuntur, formas omnes*
*ſubiicimus: atque ſimiarum varias ſpecies, ſiue cercopythecorum, eorum maximè*
*quibus gemini dentes acutiores deprehenduntur. Vngues autem quam prima-*
*rum ferarum breuiores, magiſq; hebetes. Namque genus hoc & ingenium & vo-*
*cem, latratumq; caninum refert. Variè tamen, ita vt ſi ad notiſſimi animalis*
*nomen omnia hæc referenda eſſent (vt certè referri par erat) nullum quàm canis*
*vocabulum inter ea quæ nouimus æptius eſſet. Atque hoc pacto lupi, vulpes, &*
*quæ iam diximus omnia, hiſq; affinia animalia, ad canum genus reuocaremus.*
*Felem verò ad priorum ferarum formas, id eſt leonum, tygridum, & panthera-*
*rum: id quod capitis figura ſatis indicat, ac maximè vnguium dentiumq; ſimi-*
*litudo arguit. Quamobrem facilè fuerit animantum omnium multiplices fa-*
*milias certis veluti ordinibus diſtributas, & ad cognoſcendi, & ad diſſerendi*
*facultatem in promptu habere. Poſt lupum itaque deſcriptum, quem ſylueſtrem*
*canem exiſtimamus, atq canium omnium nocentiſſimum accepimus,* SVGHAL,
*cui nomen ab his verbis factum arbitramur,* IAGHAL *peruerſè & callidè age-*
*re.* GHALAL, *illudere, paruumq; eſſe ſignificantibus, & à litera* ש *Sin, quæ*
*aſſeuerandi arrogandiq; vim obtinet. Atque ita ad fraudem, dolum, calidita-*
*tem, inſidias & ſæuitiam, & contemptionem, quamuis exiguo corpore, ingenio*
*tamen prompto & comparato hoc animal eſſe vel nomen docet ſuum. Id quod ex*
*locis quoque in quibus commemoratur, notari facilè poſſit. Si aſcenderit vulpes,* 2 Eſd.4.
*tranſiliet murum eorum lapideum. &, Propter Sion montem quia diſperiit, vul-* Thren.5.
*pes ambulauerunt in eo. &, Quaſi* SOGHARIM *in deſertis, Prophetæ tui Iſrael* Ezech. 14.
*erant. Tradentur in manus gladij: partes vulpium erunt. &, Capite nobis vul-* Pſal. 64. Cant.2.
*pes paruulas quæ demoliuntur vineas. Dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia, &* Lucæ 13.
*ſanitates perficio hodie, & cras, & tertio die conſumor.*

## CHELEB. CANIS. כלב

VERE *fera eſt canis ex earum genere quæ non carnibus tantùm viuunt:* 296.
*quæ tamen quod minus quàm ceteræ ingenij, calliditatis, atque etiam audaciæ*
*ſortita eſt: & ad eſcas ſibi parandas, & ad ſeſe ab aliis defendendum: ideo pleræq;*
*huius generis formæ hominis in tutelam traditæ, libenter cum hominibus vi-*
*uunt, iiſq; ſuas parteis fideliter plerumque præſtant, comiteſq; ſeſe vel longarum*
*præbent viarum, vtpote quorum cura ſeſe indigere ſentiant. Namque præcipua*
*huius obedientiæ cauſa vtilitas eſt: cùm norint ſe hominis præſidio deſtitutos,*
*minimè ſibi ipſis prouidere poſſe. Nomen his* CHELEB *eſt, quod ad duplicem*
*originem reductum, duo etiam ſignificat. vt* LEO *& vt* COR. *Etenim plerum-*
*que canes corporis figura leonem referunt, præter caput, quod oblongius omnes*
*habent. Deinde feræ etiam ſunt carniuoræ: quamquam aliis etiam alantur ci-*

*bis. Iras quoque concipiunt ad inſaniam & rabiem vſque: & caloris ac frigoris impatientiores ſunt, præcipuè quo tempore canicula cæleſte ſidus viget, vehementer æſtuant, quod & leonibus accidit quoque. Rurſus propriis animæ affectibus intemperantiſſimè paſcuntur canes: adeò, vt dum ſibi indulgeant, ſolis in iis etiam ſui ipſorum generis, ſed neque germanis, neque etiam parentibus parcant: atque cuiuſuis alterius commodis inuident, adeò vt vel à materno ore oſſa (dummodo poſſint) rapiant. Et quamquam familiariſſimè in eadem domo verſentur, colludant, & cubent: leuiſſima tamen cauſa, ac præcipuè cibi ſubducendi ſpe ſibi mutuo infeſti ſint. Vnde vocabuli etiam ſignificationem alteram meruere* VTCOR, *id eſt, proprij cordis motum impetumq́ ſequutus. Ad hæc impudentiſſimo ore ſunt, neminemq́ vereri hominem videntur: quamquam læſuros metuant: id quod ſublatum altius, minusq́ in terram pronum os arguit. Impuriſſimi non exectionibus modò temerè vbique deponendis habentur, ſed ſatietate nimia, & putidarum etiam eſcarum ingluuie atque proprij vomitus repetitione deteſtabili. Quamobrem in ſummæ inuidiæ, impuritatis ac deteſtationis, impietatisq́ exemplis animalis huius nomen omnibus ferè in linguis vſurpatur, ac præcipuè in ſacra lingua ac doctrina: vbi ne precium quidem canis ad ſacra admittitur.*

*Et quoniam ita natura compertum eſt, vt nihil tam inutile, aut collaudabile ſit, cuius non aliquis commendetur vſus, canis ad domus & pecoris cuſtodiam, non modica commoditas oportunitasq́ eſt: quippe qui, ſi boni & fideles fuerint, cumprimis vigilare, periculum cauendum, latratu admonere: atque proximum iam vel præſens contenta magis voce inſtanter indicare, & in arcendis lupis, dominos paſtoresq́ adiuuare ſolent: ad hanc rem, atque ad venationis facultatem, olfactus huic generi præcipuus contigit: ideóque longiore tractu nares à cerebro diſtant quàm leonibus, ac ceteris feris, quorum ora naribus prolixiora ſunt, certior enim cerebrū attingit odor, maiori ſpacio cerebrum atque odorantis ſpiritus regionem contingens anguſtiori meatu, quàm iis quibus nares latiores & obeſiores, aut breuiori tractu conſtant. Eadem eſt ratio quamobrem ferarum genus hoc omne, carniuorum præcipuè, potandam aquam non labris, ſed lingua hauriant: quod anhelitus reſpirationisq́ intercipiendi metu nares emergere non audeant: id quod ex ſimilitudine roſtri auibus vſu venit, quibus narium foramina anguſtiora fuerint. Porrò viarum comitem nullum animantum genus homini ſeſe vltrò vel libentius, vel conſtantius præbet, quàm canis: qui etiam, amiſſi domini deſiderium magis indicet ſollicitudine, latratu, gemitu, & vlulatu, extremæ & humillimæ ſeruituti aſſcribitur. mortuus canis nullius neque pretij, neque vſus eſt, verùm inter deteſtanda numeratur. Ex quibus verò hanc hiſtoriam cōtexuerimus, vel ſimilitudinum, vel narrationum illa ſumma fuerit:* Deut. 23. *Non*
" *offeres mercedem proſtibuli, nec precium canis in domo Domini Dei tui. Quid*
" *illud eſt quòd voueris: quia abominatio eſt vtrumque apud Dominum Deum*
Mat. 7. *tuum. Nolite ſanctum dare canibus.* Pſal. 58. *Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes:* Pſal. 21. *Quoniam circumdederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me.* Ibidem. *Erue à framea animam meam: & de manu canis vnicam meam.* Pſal. 67. *Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.* 3 Reg. 14. *Qui mortui fuerint de Ieroboam, in ciuitate comedent eos canes: & qui mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli.* Ierem. 15. *&, Viſitabo ſuper eos quatuor*

*ſpecies*

ſpecies (dicit Dominus) gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli & beſtias terræ, ad deuorandum & diſſipandum. Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota ad volutabrum ſuum. Foris canes & venefici. Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum. Profectus eſt autem Tobias, & canis perſecutus eſt eum. Tunc præcucurrit canis qui ſimul fuerat in via: & quaſi nuncius adueniens blandimento ſuæ caudæ gaudebat. Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum nō dignabar partes ponere cum canibus gregis mei. id eſt, quos poſtrema ſeruitutis conditione indignos cenſebam. huius & illud ſignificationis eſt: Quid enim ego ſum ſeruus tuus canis, vt faciam rem iſtam magnam. & illud etiam, ſi rectè expendatur: Nam & catelli comedunt de micis quæ cadunt ex menſa dominorum ſuorum. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, & canes muti, neſcientes latrare: videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia. Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem. Quem perſequeris Rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris. &, Numquid caput canis ego ſum aduerſum Iudam hodie? qui fecerim miſericordiam ſuper domum Saul patris tui, & ſuper fratres & proximos eius? id eſt, vſque adeò contemptibilis tibi exiſtimor, vt neque apud te quicquam pretij habeam, neque apud Iudam etiam?

1 Pet. 2. Apoc. 22. Iudic. 7. Tob. 7. Ibid. 11. Iob 30. 4 Reg. 8. Matth. 15. Iſaiæ 56. 1 Reg. 24. 2 Reg 3.

## De minoribus Feris.

FERIS etiam ſyluæ minores adſcribimus quadrupedes, quæ in agris verſantur: non carne, ſed fructibus & herbis frondeq; viuunt, neque quicquam ingenitæ opis habent, quo aliam lædere animantem, neque etiam quo ſeſe tueri poſſint, præter velocitatem fugæ, aut latebras. Sunt autem huius generis duæ præcipuæ formæ noſtro notæ orbi, ARNEBETH, & SAPHAN. ARNEBETH fuga valet, raro autem latibula petit. Huic Latinum nomen Lepus eſt. SAPHAN & corpore minore eſt, quàm ARNEBETH, & curſu non perinde valet: quare latibula quærit, aut ipſe ſibi vnguiculis parat cuniculos, quæ aperit effodiens: vnde apud Latinos nomen accepit. Vtraque fera eſt, quæ tamen domari & familiaris reddi poſſit, mediam videtur tenere naturam. Inter BEHEMAH, & HHAIAH: namque pedum digitos diſcretos habet, & vnguibus armatos, quamquam iis imbecillis & minus acutis: dentibus geminis caret, & ouium caprarumq; inſtar herbas & frondes carpit, & ceteros fructus mordet, quos etiam ruminat. Ad hoc genus referenda ſunt quæcumque aliàs inueniri poſſint animantum formæ, huiuſmodi pedibus ac dentibus inſtructæ. de his hæc ſcripta legimus: SAPHAN quoque, nam & ipſe ruminat, ſed vngulam non diuidit. Hoc loco pro SAPHAN Latinè repoſitum eſt leporem, quem aliàs chærogryllum, aliàs herinaceum dictum ab interpretibus notauimus: verùm res ipſa quænam ſit, ex deſcriptione cognoſcitur. De his autem quæ ruminant, & vngulam non diuidunt, hæc comedere non debetis, camelum, ARNEBETH & SAPHAN. & alibi: Petra refugium IESEPHANIM. & SAPHAN plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum.

297. ARNEBETH. SAPHAN. Leuit. 11. Deut 14. Pſal. 103. Prou. 30.

## FERAE SYLVESTRES.

298. *Ex iis feris quas* HHAIAH IAGHAR, *id eſt, ſyluestres vocatas adnotauimus ita dictas, quòd ſui tutandi cauſa, vel partim altis montibus verſentur, vel ſyluarum abdita frequentent. Partim cornubus inſtructæ ſint, ſed partim carent: alterius ordinis ſunt cerui, capreæ, vri, & rhinocerotes.* THAIS, *& aliæ quibus vngula fiſſa eſt, & cornua non deſunt. Alterius verò damæ, & quæ his ſimiles, vngula bifida, & ſine cornibus viſuntur. Prioris generis* RHINOCEROS *& vrus feriores ſunt, magnaq́ue ad ſeſe tuendum cornuum vi præſtant, ceteræ formæ minus firmis, & ad pugnam minus aptis vtuntur cornubus: ideoq́ue fuga præcipuè ſalutem ſibi petunt: ſingulorum verò nomina quæ ſacris legendis obſeruabamus, exponemus.*

## AIL HASADEH. CERVVS. איל

299. IDEM *ceruorum & arietum generibus nomen in ſacris inuenitur, hoc tantùm diſcrimine quòd Aries* AIL *ſimpliciter ſemper dicitur, cùm arietem ſignificat: cùm verò ceruum,* AIL HASADEH, *vel* AIL BASADEH *nominari nonnumquam ſolet. quæ ratio indicat vtrumque animal, quamuis corporis modo & figura diſsimile; certo tamen munere eſſe ſimile, hoc eſt, conſtantia & fortitudine capitis & cornuum, quibus eodem modo, hoc eſt, concurſu. Vtrumque genus cum ſuis æmulis pugnat: nam* AIL *conſtantiæ ac fortitudinis ſignificationem habet. Eſt autem ceruorum genus omne cumprimis elegans, tum corporis forma, tum aſpectu ipſo, & capitis cornuumq́ue habitu: curſu etiam perniciſsimum, quo vel per montium ardua volet: eodem enim rapacium ferarum, & venatorum inſidias euaſurus velociſsimo aſcenſu confugit, gregatim cum ſui generis feris agere gaudet, quod & arietibus etiam commune eſt: æſtus ac ſitis impatiens, longo & contento curſu aquas petit, amicitiæ affectum erga cõgener pecus oſtendit. Itaque fortitudinẽm quam genus hoc ſibi arrogat, in capite atque in pedibus ad curſum efformatis præcipuè habet: cordis robore minus valet, quod vel amandi affectus arguit. Horum proles vbi primùm editæ fuerint, cubili relicto, paſtu ſibi cibos quærunt: nec certo loco manent; ſed vel cum matribus, vel ſolæ vagantur. Pulcherrimos ſeſe & elegantes præter omnes ferarum vel catulos,*
Gen. 49. *vel pullos ferunt. Nephthali ceruus emiſſus, dans eloquia pulchritudinis. Tunc*
Iſaiæ 35. Pſal. 17. *ſaliet ſicut ceruus claudus. Qui poſuit pedes meos quaſi ceruorum: & ſuper ex-*
Iob 7. Pſal. 41. *celſa ſtatuit me. Sicut ceruus deſiderat vmbram. &, Sicut ceruus deſiderat ad*
Cant. 3. *fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Adiuro vos filiæ Hieru-*
» *ſalem per capreas ceruosq́ue camporum,* AIALIM HASADEH, *ad diſcrimen arie-*
Iob 39. *tum additum camporũ. Numquid noſti tempus partus ibicum in petris, vel par-*
» *turientes ceruas obſeruaſti? Dinumeraſti menſes conceptus earum, & ſciſti tem-*
» *pus partus earum? Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt. Se-*
Ierem 14. *parantur filij earum, & pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non reuertuntur ad*
Prou. 5. *eas. Nã & cerua in agro peperit, & reliquit: quia nõ erat herba. Cerua cariſsima*
» *& gratiſsimus hinnulus. vbera eius inebrient te. ad mutuũ amorẽ hoc pertinet,*
Cant. 2. *illud verò ad decorem: Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloq́ue ceruorum. Re-*
» *uertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnuloq́ue ceruorum ſuper montes Bethel.*

## IAGHAL. יעל

INTER *ſylueſtria animalia quæ manſuetioribus affinia ſimiliaq́ ſunt no-* 300.
*men* IAGHAL *animantem ſignificat corporis forma, & pilo capro ſiue hirco aſ-*
*ſimilem : capite verò & cornibus arietem prorſus referens : qualem Romæ nobis*
*ſpectatum meminimus, ex Sardinia, vti accepimus, allatum ; elegantem ſanè pe-*
*cudem & ingenio (vti facies promittebat) non ita vt capri, ſtupido ; nec vt arie-*
*ti, hebeti ; quam ab interpretibus ſcribis* THAIS HABAR, *id eſt, hircum ſylue-*
*ſtrem vocari animaduertimus. In editis & præruptis montibus verſari, & ſuos*
*hinnulos edere ſolent : atque præſidij cauſa eiuſmodi frequentant loca. Huius*
*mentio in iis quos indicabimus locis, tantùm fit, Perrexit ad inueſtigandum Da-* 1 Sam 24.
*uid, & viros eius, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis* IAGHALIM *per-*
*uiæ ſunt. Ibicibus reddit Latinus interpres, quos alio in loco ceruos dixit. Mon-* Pſal. 103.
*tes excelſi* LEIAGHALIM, *cariſſima cerua, & gratiſſimus* IAGHALATH. Prou. 5.
*hinnulum hîc Latinè legimus. alibi Ibices. Numquid noſti tempus partus* IA- Iob 39.
GHALEH ZZELAGH *ibicum, in petris? Nomen huic animanti & aſcenden-*
*di facultatem arrogat, & vtilitatis adiungit ſignificationem: Viuacem hanc na-*
*turam nominis, numerus & vox indicat: cùm* IAGHAL *ſupra centum & de-*
*cem interpretari liceat.*

## PARE. ONAGER. פרא

LATITVDINIS, *libertatis ac dilationis ſignificationi affine nomen ha-* 301.
*bet* PERE, *ſiue* PARE. *pro quo interpres noſter Onagrum perpetuo reddit.*
*Fera eſt ſaltu fugaq́ præſtans, eatenus fera dicenda : quod, quamquam iumen-*
*tis forma ſit ſimilis, tamen ſeruitutis impatiens, numquam ſeſe domari ſinat, &*
*neque fame coacta quidem : quam tamen ægerrimè fert. Graminis paſtu viuit,*
*quo præſertim vbere vehementer gaudet ; neque ſeſe aliis præbet ſociam ſylueſtri-*
*bus feris : nec ſui etiam generis curat ſocietatem : atque ita ſolitudinem amare*
*videtur, quam vel à prima ætate colit. Quam ob imaginem Iſmaelem inſocia-*
*bilem* PARE ADAM *vocatum legimus. Hic erit ferus homo, manus eius con-* Gen. 16.
*tra omnes, & manus omnium contra eum. Vir vanus in ſuperbiam erigitur: &* Iob 11.
*tamquam pullum onagri ſe liberum natum putat. Quis dimiſit onagrum libe-* Ibid. 39.
*rum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & taberna-* "
*cula eius in terra ſalſuginis. Cōtemnit multitudinē ciuitatis, clamorem exacto-* "
*ris non audit. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.* "
*Ephraim onager ſolitarius ſibi. Alij quaſi onagri in deſertum egrediuntur ad* Oſeæ 8.
*opus ſuum, vigilantes ad prædam. Numquid rugiet onager cùm habuerit her-* Iob 2. Ibid. 6.
*bam: aut mugiet bos cùm ante præſepe plenum ſteterit? Gaudium onagrorum pa-* Iſaiæ 32.
*ſcua gregum. Qui emittis fontes in conuallibus : inter medium montium per-* Pſal. 103.
*tranſibunt aquæ. Potabunt omnes beſtiæ ſyluæ : expectabunt onagri in ſiti ſua.* "
*Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi Dracones: defecerunt ocu-* Ierem. 14. "
*li eorum, quià non erat herba.*

## TSEBI. צבי

302. AD ſylnicolas feras accedit quoque TSEBI, cui nomen ab exercitatione, & à tumore factum videtur. Eſt enim animal curſu & ſaltu comprimis exercitatum, atque corporis compacta elegantia decorum: quo inuerſo vocabulo Ibicem Græcis & Latinis vocatam, coniectura facilè deprehenditur. TSEBI IBITS, ſiue IBICS. Huius in montibus habitatio, celeritas, & agilitas commendabilis. ſpecies adeo grata, vt elegãtibus præcipuis cariſq; rebus nomen commodet ſuum: Carne pura, & cibis idonea eſt, ideoq; à venatoribus appetitur. Porrò Aſſael ve-
2 Sam. 2. lociſſimus fuit, quaſi vnus de TSEBIM, qui morantur in ſyluis, capreis reddit
1 Par. 12. Latinus interpres. &, Facies eorum quaſi facies leonis: & veloces quaſi capræ
1 Eſd. 2. in montibus TSEBIM. Filios autem PHOKERET propter celeritatem ac dexteritatem TSEBIIM cognominauit Eſdras: Latinuſq; interpres vocabu-
Prou. 6. lum ipſum reliquit ASEBAIM. Eruere quaſi damula de manu. Damulam hoc
Cant. 2. loco Latinè legimus pro TSEBI, Adiuro vos per capras TSEBIIM, ceruoſq;
Ibidem. camporum. Similis eſt dilectus meus capreæ TSEBI, hinnuloq; ceruorum ſuper
Cant. 4. montes Bethel. Capilli tui ſicut gemelli TSEBIAH quæ aſcenderunt de monte
Iſaiæ 13. Galaad. Hîc Latinè greges caprarum legimus. &, Erit quaſi damula fugiens.
Iſaiæ 13. CHETSEBI MIDAHH, vt TSEBI fugata. Dominus Deus exercituum co-
Ierem. 13. gitauit vt detraheret TSEBI omnis gloriæ. Et tribuam tibi terram deſiderabi-
„ lem, hereditatem TSEBI exercitum gentium.

## IAHHAMVR. יחמור

303. HVIVS etiam generis ferarum eſt IAHHAMVR, quæ inter animantes numeratur quarum carnibus veſci licebat. Capreis facie ſimilis, vaſtiori tamen corpore, & pelle perpetuo ſubrufa: quod vel in nomine ipſo declaratur tribus affine rebus, aſello, luto, & rubenti muſto. His enim iiſdem ferè elementis impoſita
3 Reg. 4. conſtant nomina. Excepta venatione ceruorum, caprearum, IAHHAMVR bu-
Deut. 14. balos interpretatur Latinus, quod etiam alibi inuenitur. Hoc eſt animal quod
„ comedetis, bouem, ouem, & capram, ceruum & capream, & IAHHAMVR. at-
Amos 6. que idem aliàs pro BAKAR, quod bouem ſignificat, bubalos reddit. Numquid
„ currere queunt in petris equi, aut arari poteſt in BAKAR.

## AKO. אקו DISON. דשון

HVIVS quoque ſylueſtris feræ in conceſſis epulis mentionem factam nota-
Deut. 14. re eſt. AKO DISON & THAO & ZAMER. Tragelaphum repoſuit interpres. DISON in eodem genere ponitur, atque cinereo colore conſpicitur: vt nominis etymon indicat: quamquam Chaldaicus Rhinocerota fuerit interpretatus. Hæc forſitan fera eſt quam Romæ BISONTIS nomine, ſiue DISONTIS
Martial. Amphith. in ludis ſpectatam legimus. Illi ceſſit atrox Bubalus atque Biſon. vel D, in B, mutato vulgari modo, vel librarij vitio.

תאו Ab hoc genere non diſtare feram THAO dictam, ex eo intelligimus quod vnà cum ſuperioribus in ciborum delectu admiſſam digerimus. & THAO, & ZAMER interpres Latinus Pygargum dixit: verùm Græcis πύγαργος in Anſe-
rum

rum ſylueſtrium cenſu ponitur. THAO verò in quadrupedibus feris, iiſdémque
ſylueſtribus numeratur. vt & ZAMER quam camelopardalem Latinus fecit. זמר
In Syria notum animal ZAARAH, Italis Zirapha dictum.

## APER. HHAZIR. MIIAGHAR.

VT inter feras Aprum numeremus nomini communi HHAZIR adiuncta 304.
notatio MIIAGHAR, hoc eſt, ſylueſtris effecit: nam quamquam eiuſdem generis
cum vulgari ſue ſit: tamen perpetuò ſyluarum amore, & fulminis magnitudine,
rictuſq́ varietate, atque horrida ſetarum denſitate, multiſq́ aliis formæ & habitus documentis, feram ſeſe arguit. Quæ, tametſi carnibus non veſcatur, animantibus aliis irritata, nocet acuto ac vehementer valido dente: qui, ob lædendi
velocitatem, fulmen vocatur. Vineta, hortos, & ſata populatur, & vaſtat.
S. S. E. Exterminauit eam Aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Pſal. 79.
&, Exient vt apri de ſylua. 4 Eſdr. 15.

## ZIZ. זיז

ZIZ bis tantùm in ſacris repertum, quamquam cuiuſpiam feræ certam ſi- 305.
gnificare videatur formam, tamen commune nomen eſſe animantibus ſylueſtribus, eadem loca in quibus commemoratur, indicant. Exterminauit eam aper de
ſylua, & ZIZ depaſtus eſt eam. &, Cognoui omnia volatilia cæli, & ZIZ agri Pſal. 75.
mecum eſt. Pro altero interpres ſingularem feram; pro altero verò, pulchritudinem agri repoſuit. Namque ZIZ decorem, aliàs & ſplendorem ſignificat. Atqui
ita huiuſmodi feræ, maximeq́ gregatim, incedere ſolent: quale videmus genus
hoc omne quod à ſanguine abhorret, ſyluis & agris decorem addunt. Itaq́ nomen
hoc ferarum genus omne, cuius carnes ad epulas puræ iudicantur, ſignificat.

## BEHEMAH.

CVMPLVRIBVS linguis vſu venit vt verbum aliquod prima impoſitione 306.
communiſſimum, præter communitatem illam, quam numquam deſerit, maximam, anguſtiorem etiam ſignificationem admittat apud Latinos. Bellua omne
ferè animantum genus, præter hominem, ſignificat: & tamen ſæpiſſimè pro elephanto vſurpatur. vt, Cùm Getula ducem portaret belua luſcum. In hunc fe- Iuu. Sat. 10.
rè modum BEHEMAH nomen apud ſacros auctores, omnium fere brutorum genus ita ſignificat, vt ab homine & auibus tantùm diſtinguatur: interdum verò,
immo non rarò ad ea tantùm genera indicanda contrahitur, quæ à feris trucibus
tantùm diuiduntur: & vel natura, vel diſciplina, vel alio modo in humanos
venire poſſunt vſus. Prioris & communiſſimæ ſignificationis exempla ſunt: De- Gen. 6.
lebo hominem quem creaui à facie terræ: ab homine vſque ad animantia: à repti- "
li, vſque ad volucres cæli. &, Deleuit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper Gen. 7.
terram, ab homine vſque ad BEHEMAH, tam reptile, quàm volu- "
cres cæli. Poſterioris verò ſignificationis exemplum; Non facies in eo omne Exodi 20.
opus, tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, BEHEMAH "
tua, & aduena qui eſt intra portas tuas. &, Ad omnem animam viuen- Gen 9.
tem quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quàm in BEHEMAH & HHA- "
IATH terræ. quod Latinus interpres vertit, iumentis & pecudibus terræ: ſed
de Hhaiath terræ iam diſſeruimus: ſiue itaque nomen hoc formas omnes, præter
alitum

alitum & reptilium, & hominum naturas complectatur, ſiue ad vtiliorem homini partem referatur, perinde eſt: dummodo pro præſentis argumenti ratione quid de quoque dicatur genere, attentè obſeruetur. Nam quædam in ſignificatione anguſtiore dici poſſunt, quæ ad ampliorem illam non referantur. Nominis
המה verò originem à HAMAH verbo deducimus, quod ſonare, & ſtrepitum edere ſignificat. Quo diſcrimine vniuerſum brutorum genus ab homine inter alia diſtat; ſiquidem vnus homo non vocibus modò, ſed verbis & ſermonibus animi ſui motus interpretari poteſt. Vniuerſum verò aliorum animantum genus, ſono tantùm & ſtrepitu ſuum quoquo modo indicat ſenſum, quamquam non idem omnibus cõtingat ſonus. Appellamus autem hoc loco ſonitum, idem quòd vocem rudem, articuliſq́; carentem, quæ ſpiritu tantùm per pulmonem emiſſo, & in ſuperiorem palatus partem illiſo fit; ſolumq́; his duobus motibus conſtat, videlicet, aëris afflatione & illiſione. Nam neque ſola efflatio, nec illiſio ſola vocem animalis edere poteſt, ſed vtrumque concinnatum edit. Fit autem hoc modo vox, Animal reſpiratum aërem, vt ad pulmonem cogat, os initio comprimit; deinde conceptum aërem denſius coactum, pulmonis officio remittit, in quæ ſuperiorem palati ſiue oris regionem propellit; qui illiſus, pro palati concameratione tinnitum edit varium: vnde fit vt eiuſdem aëris eodem modo impulſi, varia ex variis brutis imago reſpondeat: atque etiam ex his grauior, ex illis acutior, ex aliis triſtior, iucundior ex aliis prodeat: id quod ex aëris copia varia, & canalium ſiue tuborum differentia euenit. Vtcumque verò ſit, nullum eſt brutum quod in voce ſeu ſono potiùs proprio edendo plures exerceat parteis quàm os, pulmonem & palatum. Os autem prius compreſſum, poſtremo apertum. cùm iam vox foras edenda prodit, atque rationem huiuſmodi vocis edendæ quam hîc deſcribimus, omnem vel ipſa nominis BEHEMAH elementa indicant, quæ in exemplari lin-
ב gua quatuor ſunt, B, H, M, AH. B, oris ac labiorum compreſſione, ad ſui pro-
ח מ nunciationem poſtulat. H, ſpiritum non tam conceptum quàm impulſum. M, verò eundem ſpiritum intra os ad ſuperna alliſum: qua alliſione ſonus fit, ſiue reſonatio ad æris cuiuſpiam imitationem vergens: eadem reſonatio, aperto rurſus ore, foras prodit, & animantis genus pariter cum affectu indicat. Idq́; poſtre-
ה mum elementum ſignificat, id eſt H, aperto ore pronunciatum AH, BEHEMAH, cui nomini ita propriè, atque ex viuo communem illam agendi rationem ſignificanti, nullum Latinum reperire poſſumus par: poſſumus autem vtcumque alterum ex illis brutum, vel mutum, vt ſatis commune vtrumque commodare. Latinus interpres, quia nullum certum ex æquo nactus eſt, interdum beſtiam, nonnumquam iumentum, vel brutum, vel pecus, vel belluam vſurpat: in nouo verò Teſtamento animantium terreſtrium natura omnis in quadrupedes, volatiles, ac ſerpentes diducitur. Atque de nomine, deq́; deſcriptione communi generis huius hæc ſatis fuerint dicta. Illud cumprimis adnotandum eſt, belluam quandam in terris eſſe cui ſacra lingua nomen hoc multitudinis forma tribuit. BEHEMOTH, quod illa ceterarum omnium ingenia & ſenſus quadam veluti ſumma, complectatur & cõtineat, hoc eſt, anteeat omnibus aliis: quam an elephantum eſſe exiſtimemus, alterius loci fuerit diſputare. Commune autem horum omnium
המיה generum voci vocabulum eſt HAMIIAH.

307. Communis omni animantum generi propriæ formæ propagandæ eſt facultas Dei ELOHIM dicto, donoq́; conceſſa. ſicut ſcriptum legimus: Locutus eſt autem

ELOHIM

ELOHIM ad Noë, dicens: Egredere de arca tu, & vxor tua, & filij tui, & vxo- Gen. 8.
res filiorum tuorum tecum, cuncta animantia quæ ſunt apud te: ex omni carne, "
tam in volatilibus, quàm in beſtiis, & vniuerſis reptilibus quæ reptant ſuper "
terram educ tecum: & ingredimini ſuper terram, creſcite, & multiplicamini ſu- "
per eam. Diuinæ etiam prouidentiæ liberaliſsimum beneficium cunctis animan- "
tum naturis, pro vniuſcuiuſque generis vſu cõmune probatur, cum magna ſum-
mæ benignitatis admiratione, & gratulatione. Nimirum interroga iumenta, & Iob 12.
docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit "
tibi, & narrabunt piſces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini "
fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis homi- "
nis? Producens fœnum iumentis: & herbam ſeruituti hominis. Poſuiſti tene- Pſal. 103.
bras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ: catuli leonis ru- Ibidem.
gientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Qui dat iumentis eſcam ipſo- Pſal. 146.
rum: & pullis coruorum inuocantibus eum. &, Ego non parcam Niniue ciui- Ion. 4.
tati magnæ, in qua ſunt plus quàm centũ viginti millia hominum, qui neſciunt "
quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa? Homines & iu- "
menta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam. Re- "
ſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt neque metunt, neque congregant in Mat 6.
horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Laudate [Dominum] beſtiæ, & vni- Pſal. 35.
uerſa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ. Quamquam ad propriam cuiuſ- "
que generis naturam à periculis defendẽdam, & ad oportuna quæque vitæ quæ-
renda bruta omnia, vario prædita ſunt ingenio: intellectus tamen & eloquij fa-
cultate nulla ex illis formis cum homine communicat, nec vllo componi aut com-
parari poteſt gradu. S. S. E. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis Gen. 2.
animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt vi- "
deret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum "
eſt nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vni- "
uerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ. Adæ verò non inueniebatur adiutor "
ſimilis eius. hinc illud apud Iobum: Quare reputati ſumus vt iumenta, & ſor- Iob 18.
duimus coram vobis? Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. "
Homo in honore non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis Pſal. 48.
factus eſt illis. Omnia verò animantum genera hominis cauſa & nata eſſe, &
viuere, ſacra ſcripta non ſemel teſtantur, quæ primùm obſequio parere debuerũt:
verùm quia id humana culpa interturbatum fuit, vt ſaltem terrore & metu ce-
derent, diuina prouidentia conſtituit. Itaque nullum eſt animal quod ab horro-
re primùm hominis immune ſit: cuius tamen arte, ingenio, & conſuetudine pau-
latim domitum, ad obſequium demum & ſeruitium cicuratur & manſueſcit.
Nec raro etiam ad amorem & familiaritatem deducitur, beneficijsq; deuincitur.
Atque hanc hiſtoriæ partem ex variis diuinorum librorum locis facilè fuerit
adſtruere. Replete terram, & ſubiicite eam: & dominamini piſcibus maris, & Gen. 1.
volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram. Bene- Ibid. 9.
dixitq; Deus Noë, & filiis eius, & dixit ad eos: Creſcite & multiplicamini, & "
replete terram: & terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſu- "
per omnes volucres cæli, cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terrã: omnes piſces "
maris manui veſtræ traditi ſunt. Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tua- Pſal. 8.
rum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, volucres cæli, & piſces maris, qui per- "

Iacobi 3. *ambulant ſemitas maris. Omnis natura beſtiarum, volucrum & ſerpentum, &*
” *cetorum domantur, & domita ſunt à natura humana.* Et quoniam omnia ge-
nera hæc, atque ea præcipuè ex quibus maior capitur vſus, homines propriæ poſ-
ſeſſionis nomine tenere ſolent: euenit vt cùm illi ob impietatis crimen pœnas da-
re fuerint commeriti, vel capite, vel ſeruitio, vel exilio damnati, iumentorum&
Ezech. 14. vtilium aliàs animalium vſu mulctentur. *Fili hominis, terra cùm peccauerit*
” *mihi vt præuaricetur præuaricans: extendam manum meam ſuper eam, & con-*
” *teram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea ho-*
” *minem & iumentum. Vel ſi gladium induxero ſuper terram illam, & dixero*
” *gladio: Tranſi per terram, & interfecero de ea hominem & iumentum. Si autem*
” *& peſtilentiam immiſero ſuper terram illam, & effudero indignationem meam*
Ezech. 32. *ſuper eam in ſanguine, vt auferam ex ea hominem & iumentum. Et vaſtabunt*
” *ſuperbiam Aegypti, & diſsipabitur multitudo eius: & perdam omnia iumenta*
” *eius quæ erant ſuper aquas plurimas: & non turbabit eas pes hominis vltrà, ne-*
” *que vngula iumentorum turbabit eas.*

308. Vt verò iumentorum ſtrages paucitas ac penuria mulctationem, vltionemq́
Ezech. 36. diuinam arguit: ita rurſus horum copia ad felicitatem probandam facit. *Et mul-*
” *tiplicabo in vobis homines, omnemq́ domum Iſrael, & habitabuntur ciuitates,*
” *& ruinoſa inſtaurabuntur: & replebo vos hominibus & iumentis, & multipli-*
” *cabuntur, & creſcent.* Nullum autem ex omni animantum genere immortale eſt;
ſed vt naturæ initium ex terra habent omnia: ita vitæ terminum morte abſol-
uunt: ſiue mors ex hominum vel aliarum animantum inſidiis, ſiue alio impetu
violenter allata fuerit: vel demùm ſpontanea defectione, aut morbo, aut ſenio
vltrò acceſſerit. Quibus tandem in eandem terram ex qua conſtiterant, poſtre-
Pſal. 103. ma fit reditio. S. S. E. *Omnia à te expectant Domine, vt des illis eſcam in tem-*
” *pore. Dante te illis, colligent: aperiente te manũ tuam, omnia implebuntur boni-*
” *tate. Auertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes ſpiritum eorum, & de-*
Eccl. 3. *ficient, & in puluerem ſuum reuertẽtur. Et dixi in corde meo de filiis hominum,*
” *vt probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Iccirco vnus interitus eſt*
” *hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic &*
” *illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius:*
” *cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta*
” *ſunt, & in terram pariter reuertuntur.* Animantum quæ hominibus vtilia cen-
ſentur, tum cura, tum clemens vſus in ſacra commendatur diſciplina; abuſus ve-
rò ab humanitate alienus cenſetur, & improbatur. Cura autem & eſcis ſufficien-
dis, & periculis auertendis conſumitur. Vſus verò laboris ac ſeruitutis tempera-
to imperio, & quietis intermiſsionisq́ indulgentia, atque omnis crudelitatis de-
teſtatione: etiam erga ea quæ cibi cauſa mactationi deſtinata fuerint, ad quam
Pſal. 103. diſciplinam complures leges ac ſententiæ referuntur in ſacris. *Qui producit in*
Pſal. 146. *montibus fœnum: & herbam ſeruituti hominum. Non ligabis os bouis terentis*
Gen. 1. *in area fruges tuas. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper ter-*
” *ram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint*
” *vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ: omniq́ volucri cæli, & vniuerſis*
” *quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcen-*
Gen. 24. *dum. Et Laban hoſpitio Eleazarum excipiens, ait: Ingredere benedicte Domini,*
” *cur foris ſtas? præparaui locum & camelis. Et introduxit eum in hoſpitium, ac*
*deſtrauit.*

*deſtrauit camelos, deditq́; paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes came-* Iudic.19.
*lorum. &, Vadimus ad domum Dei, nulluſq́; ſub tectum ſuum nos vult recipere,* “
*habentes paleas & fœnum in aſinorum pabulum. & paulò inferiùs: Introdu-* “
*xitq́; eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit. Nouit iuſtus iumentorum* Prou.12.
*ſuorum animas: viſcera autem impiorum crudelia. Septimo autem die ſabba-* Exod.20.
*thum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eò, tu, & filius tuus, & filia* “
*tua: ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portas* “
*tuas. Sex diebus operaberis, ſeptimo die ceſſabis, vt requieſcat bos & aſinus tuus.* “
*Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis; ſed ſubleuabis* “
*cum eo. Et cuius veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò ex-* Lucæ 14.
*trahet illum die ſabbathi? Et quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam: &* Mat.12.
*ſi ceciderit hæc ſabbathis in foueam, nónne tenebit & leuabit eam? Et ſi fuerint* Ibid.18.
*alicui cētum oues, & errauerit vna ex eis: nónne relinquit nonaginta nouem in* “
*montibus, & vadit quærere eam quæ errauit? & ſi contigerit vt inueniat eam:* “
*amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis, quàm ſuper nonaginta nouem* “
*quæ non errauerunt. Ad crudelitatis verò aduerſus iumenta, deteſtationem* “
*ceremoniæ de pecorum & armentorum mactatione pertinent. & illud gentibus*
*omnibus impoſitum quondam præceptum. Et omne quod mouetur & viuit, erit* Gen.9.
*vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quòd carnem* “
*cum ſanguine non comedetis. Non coques hædum in lacte matris ſuæ. Si ambu-* Exodi 23.
*lans per viam in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel* “
*ouis deſuper incubantem: non tenebis eam cum filiis, ſed abire patieris captos te-* “
*nens filios. vt bene ſit tibi, & longo viuas tempore. Non arabis in boue ſimul* Deut.22.
*& aſino. Atque de* BEHEMAH *quæ communia ſunt, & ad ſummam referri poſ-*
*ſe ducimus, hactenus diſſeruiſſe ſat fuerit. Nunc verò deinceps eas præcipuè, qua-*
*rum vſus homini contigit formas, quantum in ſacris obſeruauimus lectione,*
*deſcribemus: idq́; quàm potuerimus breuiſſimè. vtpote cùm iam de hoc eodem*
*argumento in ſacro apparatu, quamquam alia de cauſa, atque alio modo &*
*ordine egerimus.*

## SOR. BAKAR. BOS. TAVRVS.

PRINCIPEM *locum inter quadrupedes hominum ſeruituti & vſibus deſti-* 309.
*natos, Boui natura tribuiſſe videtur; id quod vel nomen ipſum indicat* SOR, *af-*
*fine, maximè verbis* SARAR IASSAR: *quorum prius præeſſe, principatum ge-*
*rere: poſterius, dirigere ſignificat: quippe hoc & ceteris iumentis vtilitate præ-*
*ſtat, & lento ac compoſito incedens gradu, auctoritatem præ ſe fert. Viam verò*
*etiam per auia atque difficilia loca ſemper commodiſſimam vltrò tenet. Quam-*
*obrem in ſulco aperiendo, & quàm directiſſimè ducendo primas obtinet: vnde*
*& ſimile ferè nomen ſulco eſt.* SVRA. *Adde quod gradu adeò æquali incedit,*
*vt nunquàm niſi currens, aut aliàs coactus, perpetuum tenorem deſerat. Atque*
*ex eodem verbi fonte genericum modi nomen deductū arbitramur* MESVRAH,
*quod Latini etiam immutatione parua vſurpatum frequentarunt* MENSVRA.
*A menſura enim potius verbum* METIOR, *factum videtur quàm ab illo no-*
*men menſuræ. Alio nomine animal hoc* BAKAR *dicitur, mas pariter & femi-*
*na, à quo Latinis vacca. Significat autem* BAKAR *animal ea quæ ſibi conferunt*

*quærendi gnarum, atq; in ea re diligentius, quòd ſummo manè ac maturè paſtum quærat. Nam* BAKAR, *quærere, &* BOKER, *manè, interpretamur.*

310. *Huius quadrupedis ingenium ad cicurationem aptiſsimum eſt, atque operis à ſe faciendi diſciplinam aptè ſubit: & ei, cui inſeruit, promptè & facilè obſequitur, tanquam domino ſibi agnito parens. Pro ſeruitij & laboris ratione exiguo admodum ſumptu alitur: nimirum herbis, gramine, fœno & paleis: nonnũquam etiam & frumenti farríſve manipulis. Ad arationem nullum aliud æquè idoneum, & ad onera curribus trahenda; quippe & maius quàm equi aut muli pondus, & minore quaſsatione ferre poteſt, propter greſſuum æquabilitatem, & maturitatem inceſſus. Cornibus tutelæ cauſa munitum eſt: quibus non niſi prouocatum vtitur; præter vnum aut alterum qui inſolentiores aliquando euaſere. Id quod etiam arte caueri poteſt. Glebam arando altius penetrat, & findit. Domini domum vel ſtabulum deſtinatũ vltrò petit, vbi tempus poſtulare videtur. Sine capiſtro, aut hamo, aut freno ducitur, vel ſolus, vel ſub iugo ductorem pro operis ratione vel præit, vel ſequitur. Solo corrigitur ſtimulo. Societatem proprij generis amat: quam armentum Latinus ſermo, ſacer verò* BAKAR *vocant. Mugitum pro voce edit. Huius caro inter puras & ad humanum cibum legitimas cenſebatur. Maximæ & nobiliſsimæ diuitiæ maxima huius generis armenta exiſtimata ſemper ſunt, quod & ſeruitute & lacte, & fœtu: ac tandem carne homines iuuet. Hanc narrationem quónam pacto ex ſacris verbis inſtruere liceat, e veſtigio oſtendemus.*
Num.22. *Ita delebit hic populus omneis qui commorantur, quomodo ſolet bos herbas vſque ad radices carpere.*
Iob 4. *Ecce behemoth quem feci, tecum fœnum quaſi bos comedet.*
Dan.4. *&, Cum beſtiis feriſq; erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes.*
Prou.7. *Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum: ſtatim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam.*
3.Reg.19. *Profectus inde Elias, reperit Eliſeum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum.*
Prou.14. *Vbi non ſunt*
» *boues, præſepe vacuum eſt: vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis.*
1 Reg.14. *Percuſsit Ionathas & armiger eius quaſi viginti virorum in media parte iugeris, quam par boum in die arare conſueuit.*
Eccli.38. *Qui tenet aratrum, &*
» *qui gloriatur in iaculo, ſtimulo boues agitat: & conuerſatur in operibus eorum.*
Iſaiæ 1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui.*
Num.7. *Itaque cùm ſuſcepiſſet Moyſes plauſtra & boues, tradidit ea Leuitis: Duo plauſtra, & quatuor boues dedit filiis Gerſon: iuxta id quod habebant neceſſarium.*
2 Reg.6. *Poſtquam autem*
» *venerunt ad arcam Nahhor, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues.*
Iſaiæ 25. *Quia requieſcet manus Domini in monte iſto: & trituràbitur Moab ſub eo, ſicut teruntur paleæ in plauſtro.*
Oſeæ 1. *Ephraim vitula docta diligere trituram, & non infrenabis os boui trituranti.*
3 Par.21. *Porrò Ornam cùm*
» *ſuſpexiſſet & vidiſſet Angelum, quatuorq; filij eius cum eo, abſconderunt ſe: nam*
» *eo tempore terebat in area triticum. & paulo pòſt: Tolle & faciat dominus meus*
» *rex quodcumque ei placet: ſed & boues do in holocauſtum, & tribulas in ligna.*
2 Reg.24. *Et habes boues in holocauſtum, & plauſtrum, & iuga boum in vſum lignorum.*
» *Numquid rugiet onager cùm habuerit herbam: aut mugiet bos cùm ante præſepe plenum ſteterit?*
Ioel. 1. *Quoniam effuſi eſtis ſicut vitulus ſuper herbã, & mugiſtis ſicut*
» *tauri. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Eſtq; in antiquiſſima*
געה *lingua verbum* GAGHAH, *ob vocis in ſublime ſublatæ imaginẽ, ipſe verò mu-*
געיה *gitus vocatur* GAGHIAH. *Tollit enim verſus æther os & vocẽ, cùm mugit bos.*

GEGHEL

## GEGHEL. PAR. VITVLVS. IVVENCVS. עגל

BOVM *proles quàm diu tenera eſt, & matris vbera ſugit ad vſque ſecun-* 311.
*dum ætatis annum* GEGHEL *vocatur, nomine mutato à* GAGHOL *quod ro-*
*tundum vel teretem ſignificat: eſt enim toto illo tempore, corpore cylindri inſtar*
*terete, cuius caro in cibis commendatur, vel dum paſcendi adhuc rudior eſt, vel*
*dum ante paſtus vſum domi incluſus ſaginatur. Atque altero modo* GEGHEL
BAKAR *dici ſolet quod Latinus interpres vitulum de armento vocat: altero ve-*
*rò* GEGHEL MARBAK. *Toto hoc tempore luſu & curſu ſaltuq́ delectatur,*
*& mitius præfert ingenium, atque ad trahendi diſciplinam: non tam fortem*
*ſeſe quàm docilem præbet. Certis ſolẽnibus ſacris de quibus proprio loco agemus,*
*legitima hoſtia erat, conſtante ſimplicitatis ſignificatione. Atque huiuſmodi*
*ætas in omni* BEHEMAH *ſimplicitatem à fraude ac malitia immunem repræ-*
*ſentat. Offeret vitulum de armento holocauſtum in odorẽ ſuauiſſimum Domino.* Num. 15. & 29.
*Et offeres holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, vitulum de armento*
*vnum, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos ſeptem. Et mulier illa* 1 Reg. 28.
*habebat vitulum* MARBEK *ſaginatum in domo, & feſtinauit & occidit eum:* ‹‹
*tollenſq́ farinam, miſcuit & coxit azima, & poſuit ante Saul, & ante ſeruos* ‹‹
*eius. Melius eſt vocari ad olera cum caritate, quàm ad vitulum ſaginatum cum* Prou. 16.
*odio. Et adducite vitulum ſaginatum. Numquid offeram ei holocautomata &* Lucæ 15. Mich. 6.
*vitulos anniculos? Ephraim vitula docta diligere trituram. Tertium iam an-* Oſeæ 10.
*num agens ad maturam vſque aratro ætatem* PAR *dicitur, à verbo ſignificante*
*creſcere ac defundi, & extendi. huiuſmodi enim ampliores euadunt, nec illam*
*vitulinam teretem rotunditatem ſeruant. Sunt autem vt ætate ac viribus vali-*
*diores, ita etiam petulantiore ingenio, ac torui magis: dum nondum tertium ex-*
*ceſſere annũ, matrẽ adhuc ſequuntur, & ab armento diſcedere non audent, qua-*
*re &* PARIM HABAKAR *dicuntur. Horũ vt inſolens impetus, ita in ſacris ad*
*vitij ac temeritatis imaginem ſignificandã vſurpatio eſt. Circumdederunt me* Pſal. 21.
PARIM *multi, tauri pingues obſederunt me. Non accipiam de domo tua* PAR. Ibid. 24.
*Tunc imponam ſuper altare tuum* PARIM. *Et placebit Domino ſuper* SOR PAR Ibid. 68.
*cornua producentem & vngulas. Quoniam ſicut* PARA *laſciuiens declinauit* Oſeæ 4.
*Iſrael. Ex huius ingenij imagine laſciuientes & auidas Samariæ fœminas*
PAROTH BASAN *appellabat Amos.* Amos 7.

*Omne genus hoc* BEHEMAH *quod cornu præditum eſt, & arationi atque*
*tractioni idoneum, quamquam vel corporis magnitudine diſparibus conſtet for-*
*mis, vel facie etiam, vel cornuum ſitu & habitu* BAKAR *dicitur, Latinis ar-*
*mentum vocatum, ad quod & bubalorũ & vrorum naturæ rectè referri poſſunt.*

## TSON צאן

QVAE *verò in hominum vtilitatem, tutelam & cuſtodiam concedunt mi-* 312.
*noris formæ, corpore breuiores, viribus & membris inualidiores, & ſi non ſerui-*
*tute, tamen ſuis ipſarum carnibus, fœtu & lacte vtiles. Animantes omnes grega-*
*tim ducendæ* TSON *vocantur, ſiue illæ cornutæ ſint, ſiue cornibus careant. Ar-* צאן
*bitramur autem nomen verbis* STIVAH & STANAM, *valde affine, pecorum*

huius generis naturam ſignificare frigus impatientem, & ingenium quoque obedientiæ obſequioq́; valde opportunum: vtrumque enim genus ouillum videlicet & caprarum, quas etiam vno pecoris nomine Latini ſignificant: paſtori ac magiſtro obſequens admodum eſt: quamquam obſequio oues excellāt. Linguæ autem ſacræ vſus obtinuit, vt interdum vtrumque pecus hoc nomine ſignificetur
Num. 32. pariter. vt, Caulas TSON fabricabimus. Sæpius verò alterum genus, nempe
Eſdr. 10. ouium, Et dederunt manus ſuas vt eiicerent vxores ſuas, & pro delicto arietem de TSON offerrent. Et quod plerumque nomen hoc ab maioribus armentis pecora diſtinguat, ſæpe inueniuntur ſimul TSON V BAKAR, id eſt, pecus & armentum. Hoc nomen quamquam ad numeros & copiam referatur, nunquam tamen in plurali reperitur forma, vt tria millia TSON. Atque vtrumque pecus vt nomine communicat vno, ita eius numinis rationem tuetur communiter, & ſui à frigore defendendi, & à periculis tutandi paſtori cui obſequitur curā commendat. Verùm qua inter ſe diſcrepant parte, diſtincta ſortiuntur nomina.

כבש

## CHEBES. OVIS.

313. QVAM Latini ouem dicunt, primæua lingua CHEBESAH vocat feminino genere, maſculino verò CHEBES, cui nomen ab ſubiectione domitioneq́; factum intelligimus. CHABAS enim inter alia ad eandem rationem facientia, domare ac ſubiicere ſignificat: nulla verò animantium oue ſummiſsior, nulla magis vltrò domita & manſueta quàm ouis & aries: adeò vt ſingulæ ſingulis ſubiectæ ac deditæ videri poſsint, quippe nulla ex hoc genere eſt quæ non præcedentem quamlibet aliam ex grege ſequatur. Et omnes pariter marem quempiam à paſtore ducendi cauſa edoctum, vel gregatim, vel continuata proſequuntur ſerie. Cuiuſmodi marem CHEBES ALVPH, id eſt, arietem diſciplinatum, ſiue edoctum Ieremias appellat. Ego, inquit, CH CHEBES ALVPH, vt pecus, vel aries diſciplinatus. Noſter interpres vertit, vt agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. Summæ manſuetudinis & innocentiæ huius pecoris ingenium eſt, adeò vt tamquam duo extremè oppoſita CHEBES & ZEEB ouis & lupus comparentur: & habitabit CHEBES cum ZEEB.

314. Pecoris huius viuentis vtilitas magna, quippe quod & lactis copia, & velleris opportunitate atque fœtu operæpretium magnum dominis cuſtodibusq́; abſoluat: carneq́; ſua vbi mactatum fuerit, aras imbuere frequētiſsimè ſit ſolitum: cibi cauſa etiam iuguletur: nec non & pellem in varios vſus opportunam relinquat. Tibiarum oſſa ad ſacrorum celebritatem præcipuam inter fiſtulas merebantur laudem. Atque lactis & caſei & carnis vtilitas vulgo apud omnes gen-
Deut. 32. tes conſtat. Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe arietum. Initium
Eccli. 31. „ neceſſariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, & ſal, lac, & panis ſimila-
Ezech. 34. gineus. Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod craſſum erat occideba-
1 Cor. 9. Prou. 27. tis. Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? CHEBASIM ad veſti-
„ mentum tuum, & ſi deſpexi pereuntem eò quòd non habuerit indumentum, &
Iob 31. abſque veſtimento pauperem? Si non benedixerunt mihi latera eius, & de vel-
„ leribus ouium mearum calefactus eſt. De huius pecoris carnium præſtantia ad ſacrificia plura quàm vnum & alterum teſtimonium adducere ſuperuacaneum
Exod. 12. fuerit, cùm multa paſsim offendantur. Erit autem agnus abſque macula maſculus

*lus anniculus. Si verò de ouibus fuerit eius oblatio, & pacificorum hoſtia, ſiue* Leuit. 3.
*maſculum obtulerit, ſiue feminam, immaculata erunt. Aetates in hoc genere duæ notantur ante ſecundum annum* CHEBES BEN SANAH. *quem agnum anniculum plerumque Latini vocant. &* AIL, *hoc eſt, quod facies in altari agnos an-* Exodi 29.
*niculos duos per ſingulos dies iugiter vnum agnum manè, & alterum veſpere.* AIL, *nomen à fortitudine ſortitur, quòd illa ætate roboris ac viriū plus habeat, quod vel ex ipſa arietum pugna & contentione, atque vehementi mutua concurſione & inſultatione deprehenditur. Porrò Meſa rex Moab nutriebat peco-* 2 Reg. 3.
*ra multa, & ſoluebat regi Iſrael centum millia* CHEBASIM, *& centum millia* AIALIM *cum velleribus ſuis. Hos frontibus & cornibus aduerſis concurrentes pugnare, indicauit Daniel ex ſimilitudine. Poſtea vidi arietem cornibus venti-* Dan. 8.
*lantem contra Occidentem, contra Aquilonem, & contra Meridiem. & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, cornibus inſtructi ſunt binis. Cumq́ appropin-* Ibidem.
*quaſſet hircus propè arietem, efferatus eſt in eum, & percuſſit eum, & comminuit duo cornua eius. Eſt etiam arietum genus quaternis cornibus armatū. Baſſanitidis regionis* AIALIM *præcipuè laudantur, vt carnium ſucco præſtantes. vt ſugeret mel de petra, oleumq́ de ſaxo duriſſimo: butyrum de armento, & lac* Deut. 32.
*de ouibus, cum adipe agnorum & arietum filiorum Baſan. Inſigne ouibus nomen eſt* RAHHEL, *iis præcipuè quæ & alendis fœtibus, & nutriendis lanis idoneæ ſunt, quas à manſuetudine & infirmitudine atque patientia ita vocatas exiſtimamus. quippe quarum nomen magnam cum* HHALAH *verbo vicinitatem habeat: id verò præter alia manifeſtam imbecillitatis & infirmitudinis habet ſignificationem. Itaque* RAHHEL *ex* RVAHH *&* HHAL *compoſitum ſpiritum modeſtum, patientem, & ingenium manſuetum interpretari poſſumus. Ad cuius naturæ ſimilitudinem, Iſaias è Chriſti publicæ victimæ patientiam & obe-* Iſaiæ 53.
*dientiam præmonſtrauit. Tanquam agnus ad occiſionem ductus eſt, & ſicut* RAHHEL *coram tondente ſe obmutuit. Iccirco viginti annis fui tecum,* RAHHEL Gen. 31.
ECHA, *Oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt. Separauit Iaghacob munera fra-* "
*tri ſuo Eſau, capras ducentas, hircos viginti,* RAHHELIM *ducentas, & arie-* "
*tes viginti. Dentes tui ſicut grex* RAHHELIM, *quæ aſcenderunt de lauacro,* Cant. 7.
*omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.*

## GHES. TSEPHIR. GHATHVD. SEGHIR. GEDI.
## Capra. Caper. Hircus. Hœdus.

עז
צפיר
עתוד
שעיר
גדי

315.

PECVDI *huic nomen ipſum vires & vigorem atque proteruitatem adſcribit. Namque & nerui contingunt pro corporis modo validi firmiora agilioraq́ membra & ad curſum, ad ſaltum & inſultus: ad aſcenſus atque deſcenſus velociora: nullusq́ vel præcipitis atque ambigui loci horror, ita vt vel editiſſima de rupe impauidi pendeant. Omnia quæ verbum* GHAZAZ, *vnde nomen deducitur, ſignificat. Gregatim paſcuntur, humanaq́ indigent cura, dumetis & arbuſtis gaudent: quambrem omni in regione tam montana, quàm campeſtri commodè aluntur. Capilli tui ſicut grex caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Cant. 4.
*Oues tuæ, & capræ tuæ ſteriles non fuerunt [me cuſtode.] Magna quoque ex* Gen. 31.
*hoc grege capitur vtilitas, tum ex lactis ad cibum commendati copia, tum ex*

carne

carne præcipuè recentiorum fœtuum, qui adhuc herbæ inſcij fuerint. Namque hi propter teneritudinem ferè lacteam expetuntur. Nomen habent GEDI, à Latinis parua immutatione vſurpatum hœdus. Dictum nomen à GADAD, quod collectionem ſignificat: namque caprarum fœtus, non vt agni, matrem ſtatim à partu ſequuntur, ſed in caulis incluſi detinentur ad menſem vſque, maternoq́; tantùm aluntur lacte. Atque interim eſui apti ſunt tenerrima & innoxia carne, & ad hoſpitalia conuiuia parabantur. Agnina caro minus probatur, ideò pauciores comedebantur agni. Arietes quamplurimi, qui, vbi annum exceſſere, meliore dicuntur carne eſſe. Contrà verò hirci & capri, quorum durior ac deterior caro eſt. Præterea caprarum pelles cùm ad multa alia, tum ad calceamentorum vſum ſunt vtiliſſimæ, vtpote tenaciores, & quæ diutius durare, & humorem atque æſtum melius arcere poſſunt. Sed & ad veſtes maximè autem pluuiæ excipiendæ & arcendæ cauſa, caprarum villi ſiue pili nentur, texuntur, & parantur. Caſeus ex caprarum lacte deterior habetur, niſi recens ſit, & adhuc lac ſapiat: quamobrem lac magis laudatur. Ouillus verò caſeus longè melior habetur, diutiusq́; aſſeruatur. Hic enim plus ex pingui ſucco, ille verò ex ſeroſo & ſal-
Prou.27. ſo plus retinet. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus
Iud. 13. tuæ, & ad victum ancillis tuis. Dixitq́; Manue ad Angelum Domini, Obſecro te
Ibid.15. vt acquieſcas precibus meis, & faciamus tibi hœdum de capris. &, Gedeon in-
» greſſus, coxit hœdum, & de farinæ modio azimos panes, carnesq́; pones in cani-
» ſtro, & ius carnium mittens in ollam: tulit omnia ſub quercu & obtulit ei. Poſt
» aliquantulum autem temporis cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon,
Gen.27. inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris. &, Nunc ergo fili mi pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam eſcas patri tuo,
Exodi 26. quibus libenter veſcitur. Facies & cilicina vndecim IERIGHOTH GHEZIM
Ibid.35. cortinas caprinas. Sed & mulieres doctæ quæ neuerant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac biſſum, & pilos caprarum, ſponte propria cuncta
שעיר tribuentes. Huius generis maribus plura ſunt nomina SEGHIR, quod animal ipſum planè depingit: namque vocabulum piloſum, quales capri ſunt, & procacem, atque etiam ductorē interpretari licet. Cùm hæc omnia ex verbo SAGHAR depromantur, quòd inter cetera portam præbere ſignificat. Huiuſmodi verò capri aliis præire ſolent ſui generis pecudibus. Propter extinguendæ petulantiæ ſignificationem, ſæpius huiuſmodi hoſtia hoc nomine ad ſacrificia poſtulabatur.
Num. 27. vt, SEGHIR caprarum vnus pro peccato. & idem animal ab ambiendo dicitur
צפיר TSEPHIR: ambit enim gregem à ſe ducendum. &, Obtuleruntq́; ſimul tauros
2 Par.29. ſeptem, & arietes ſeptem, agnos ſeptem, TSEPHIRIM ſeptem pro peccato, pro
1 Eſd.8. regno, pro ſanctuario, pro Iuda. Sed qui venerant de captiuitate filij tranſmi-
» grationis, obtulerunt holocautomata Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni po-
» pulo Iſrael, arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, TSEPHIRIM pro peccato duodecim. Omnia in holocauſtum Domino. Verùm qui inter hircos ad ſobolem procreandam, & ad pecus cogendum delecti egregijq́; habentur, quos Latini gregis viros vocant, GHATHVDIM vocantur. Iiq́; omnium fortiſſimi &
Gen.31. imperioſiſſimi ſunt, corporis præſtanti ſpecie, & maiori pretio æſtimandi. Leua
עתוד oculos tuos & vide vniuerſos GHATHVDIM aſcendentes ſuper feminas va-
Pſal.49. rios, maculoſos, atque reſperſos. Arietum filiorum Baſan, GHATHVDIM. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis GHATHVDIM. Numquid

mandu-

*manducabo carnes taurorum,& ſanguinem* GHATHVDIM *potabo. Et faciam* “
*tibi boues cum* GHATHVDIM. *Significat autem nomen idem quod paratus,* “
*vel comparatus. Vt qui ad gregis paratur ſpem. Horum copiam in diuitiarum*
*cenſu habitam indicat Salomon. Agni ad veſtimentum tuum,& agri pretium*
GHATHVDIM. *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredi-* Prou. 27.
*mini,& ſtate quaſi* GHATHVDIM *ante gregem. Deducam eos quaſi agnos ad* Ierem. 50.
*victimam, quaſi arietes cum* GHATHVDIM. Ibid. 51.

## HHASIR. SVS. חזיר

QVONIAM *in genere cenſendum hoc animal fuerit,vel nomen ipſum* HHA- 316.
ZIR *in ambiguo relinquere videtur. quippe nec ſimpliciter manſuetum ac do-*
*meſticum eſt, cùm ſuæ ſponti relictum viuere in ſyluis nemoribusq́; non ſecus at-*
*que congeneres apri poßit. Nec vtriuſuis formæ fera vocari meretur. Non fera,*
*quia vnguibus ac dentibus genuinis, & rictu longiore capacioreq́; caret: non*
*ſylueſtre,cuius genera omnia à carnibus, & à corruptis & putridis cunctis cibis*
*abſtinent, & plantis fructibusq́; aluntur. Præterea nec fuga, nec curſu tantùm*
*valent: nec cum feris firmioribus, vel tantillum quamuis in anguſtias adacta*
*contendere. At verò bellua hæc quamquam vnguibus dentibusq́; feras non*
*referat, carnium eſu tamen imitatur,imò ſuperat. Nam & ſerpentibus,& repti-*
*libus, atque adeò corruptißimis & putidißimis quibuſque alitur. Et omnium*
*fructuum genera mandere atque pecudum more herbas carpere, adde & radices,*
*bulbos vermes,tubera,& multa alia terram roſtro effodiens,ac dißipans eruere.*
*Itaque guloſißima ac ſagacißimi guſtus eſt. Aquam quocumque modo affectam,*
*vel turbidam bibit. Vino etiam delectatur, & ad ebrietatem vſque impletur,*
*præter ferarum omnium atque armentorum,& pecudum exemplum. Cœno vo-*
*lutatur & cubat libens. Cœnoſis & paludoſis gaudet locis,quæ ceteræ animantes*
*vitant. Vnde immunditiæ impuritatisq́; omnis exemplo omnibus nationibus,*
*linguisq́; notatur. Horum vox ſiue* HAMIAH *varia eſt, quietius agentium*
*grauior & obſcurior murmuris humani imaginem longius referens, dolore aut*
*ira, aut deſiderio affectorum vehemens & acuta, Iq́; vocalem cum adiuncto il-*
*liſoq́;* M *ad finem exprimit: eademq́; contentior: grũnitus Latinis vocatur. Ani-*
*mal nullius in vita vſus, nullius diſciplinæ capax, maximè ceterorum omnium*
*in terram pronum: natationi præ aliis ineptum: tantùm ventri & libidini in-*
*dulgens. Aruis,vinetis,& ſegetibus nocentißimum: fontibus & riuis incom-*
*modum. Occiſi tamen certo anni tempore, carnes pingui ſucco abundant, & ſali-*
*tæ maximè ceterarum omnium ſeruantur propter pinguedinis copiam: atque in*
*cibos vſurpantur. Quamquam eius vſus inter antiqua legitima ſublatus fuit:*
*tum ob alia valetudini aduerſa: tum verò ob multiplicem & manifeſtam vitæ*
*ac morum impuritatis ſignificationem, & inculti ingenij imaginem. Atque hi-*
*ſtoriæ huius contexendæ argumentum præterquam quòd obſeruata & vulgaria*
*exempla facilè ſuppeditant, nomen ipſum nobis indicat.* HHAZIR, *ex duabus*
*concretum vocibus, altera* HHAIAH, *ſiue* HHAI: *altera* ZARAH & ZAR, &
ZVR, *prior viuentem, vel feram, vt aliàs docuimus, ſignificat: poſterior in illa*
*omnia Latinè vertitur.* Diſſipare, excutere, proiicere, ventilare, diſperge-
re, frangere, percutere, ſternutare, alienare, extraneum agere. *Itaque*

*compoſitum vocabulum* HHAIZIR, *& contractum in* HHAZIR. *Huiuſmodi periphraſi interpretari licebit.* Fera excutiens, ventilans, frangens, percutiens, diſpergens, diſſipans, eaden q; extranea. *Nimis, inquam, à ceteris feris differens. quæ omnia quemadmodum in hoc genere quadrent, deſcribendo indicauimus: præter ſternutationem, cuius facultate & vſu dum terram, aut infimum hæc animans fodit, puluerem & fumum, aut nocentes cerebro halitus per nares excutit. Atque Moſes genus hoc nec manſuetum & familiare, nec planè ferum, ſed inter feras quidem reponendum: tamen diuerſo nominis, & alieno à ceteris ingenio & exemplo in ipſo legitimo interdicto ſignificaſſe videtur. Et*
Leu. 11. Deut. 14. *ſus, qui cùm vngulam diuidat, non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non veſcemini, nec cadauera eorum tangetis.*
Prou. 11. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua: nam vel non amatur huiuſmodi ornamentum ſui, vel*
Matth. 7. *perpetuo impurum & fœdum geſtatur. huc illa ſpectant: Nolite mittere marga-*
Pſal. 79. *ritas ante porcos, ne fortè conculcent eas: & conuerſi dirumpant vos. &, Exterminauit eam* HHAZIR *de ſylua. vbi quamquam aprum ſignificet carmen, tamen congeneri animanti idem nomen eſt: niſi quòd alter ſylueſtris ſus, alter villicus porcus, aut ſus dici poſſit.*

## DE ALIIS BEHEMOTH GENERIBVS ad ſeruitutem hominum idoneis.

317. OMNIA *quæ iam numerauimus quadrupedum, ſiue* BEHEMOTH *genera vel vno ſigno communicant vngulæ videlicet diffiſæ. Cetera quæ & manſueſcere, & ad hominis ſeruitutem vſurpari videmus, quòd ad laborem vel ferendi oneris, vel itineris comparata videantur vngula ſimplici, ſolida, ac terete fulciuntur: præter camelum, cui pes in digitorum formam diſtinguitur, vt canibus. In hoc ſeruitutis genere toto primam apud ſacros ſcriptores mentionem aſini obſeruamus, tamquam ad vſum frequentiſſimi & communiſſimi. quam ideo nos primam proſequemur.*

### HAMOR, ASINVS. ATHONAH, ASINA.

318. HVIC *iumento nomen à* HHAMAR *factum naturæ & ingenij tarditatem, quando* HHAMAR *denſitudinem & limum, ſiue lutum & pondus atque cumulum ſignificat. In illaq; lingua* HHOMER *per tranſlationem idem eſt quod ab artificibus mœchanicis, & à philoſophis materia dicitur. quæ formæ cuipiam adiuncta, tertium aliquid vel ex arte, vel ex natura conficitur. Vnde materiale vulgò vocari ſolet id quod ſpiritu ſiue ingenio minore valet, mole verò grauius & maius habetur. Huiuſmodi naturam magis ad ferendum, quàm ad agendum aptā ſortitur hæc, de qua loquimur, quadrupes, luteam ſiue limoſam ac tardam, quæ facilè duci atque agi poſſit: non tamen ita facilè diſciplinam ſubeat. Accipiendo itaque oneri, & viarum labori ac tædio ferendo, commodum & vtile hoc genus eſt, & inter vtilium rerum poſſeſſiones cenſetur, alimento viuit facile parabili, gramine nimirum, paleis & auena, vel hordeo, vel quocumque ex his mediocriter ſuffecto. Non modò viros, verùm & mulieres, & pueros ſeſſores fert.*

Itine-

*Itinerum viarumq́; longitudinem nullum aliud ex iumentis diutius durat, &*
*peragit: quamquam lentiore pede plerunque moueatur, tamen patientia, diffi-*
*cultatem, laboremq́; vincit. Dominum non tam agnoſcit, quàm demum vbi ali-*
*tur: ita cuilibet ſe agenti anteit, præcedenti non ita fideliter obſequitur, niſi ca-*
*piſtro ductus. arationi etiam deſeruit, verùm longè minoribus viribus quàm*
*boues, ideoq́; ineptè atque iniquè cum boue iungitur. Ad libidinem importu-*
*num, & prono appetitu atque infreni eſt, cum equino genere commixtum, ter-*
*tium producit genus, mulum videlicet. Mortui caro nullius eſt vſus, quamobrem*
*ad ſterquilinia huius cadauer aſportatur, canibusq́; & feris auibus exponitur.*
*quod & equo & mulo, atque his congeneri omni formæ euenit. Maris in hoc ge-*
*nere nomen vti indicauimus eſt* HHAMOR: *feminæ verò* ATHONAH, *vnde*
*aſina Latinis venit, quæ maſculo nomen commodauit,* ὄνος *autem Græcis ex eo-*
*dem vocabulo natum, curtata tamen priore ſyllaba. Abraham verò bene vſi* Gen. 12.
*ſunt propter illam, fuerantq́; ei oues & boues, & aſini & ſerui. &, Dominus be-* Ibid. 24.
*nedixit Domino meo valde, magnificatusq́; eſt, & dedit ei oues, & boues, argen* "
*tum & aurum, ſeruos & ancillas, camelos & aſinos. &, Iacob ditatus eſt vltrà* Gen. 30.
*modum, & habuit greges multos, ancillas & ſeruos, camelos & aſinos. At illi por-* Ibid. 42.
*tantes frumenta in aſinis ſuis, profecti ſunt. Apertóque vnus ſacco vt daret iu-* Ibid. 49.
*mento pabulum in diuerſorio, & illi ſciſſis veſtibus, oneratisq́; rurſus aſinis, re-* "
*uerſi ſunt in oppidum. Iſſachar aſinus* OSEVS *accubans inter terminos, vidit* "
*requiem quòd eſſet bona, & terram quod optima: & ſuppoſuit humerum ſuum* "
*ad portandum. Tulit Moſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper* Exodi 4.
*aſinum, reuerſusq́; eſt in Aegyptum. Gibaſamenam Calebi filiam aſello vectam* Iud. 1.
*legimus. Quæ cùm ſuſpiraſſet, ſedens in aſino, dixit ei Caleb, Quid habes, &c.* "
*Poſſe verò aſellos magni itineris laborem perferre, ex Gabaonitarum commento* Ioſ. 9.
*docemur. Qui tulerũt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & vtres vi-* "
*narios ſciſſos atq; conſutos, calceamentaq́; perantiqua, quæ ad indiciũ vetuſtatis* "
*pitaciis conſuta erant, induti veteribus veſtimentis. Panes quoque quos porta-* "
*bant ad viaticum, duri erant, & in fruſta comminuti. Perrexeruntq́; ad Ioſue,* "
*qui tunc morabatur in caſtris Galgalæ, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraeli.* "
*De terra longinqua venimus pacem vobiſcum facere cupientes. Fagellum equo,* Prou. 26.
*& camus aſino, & virga in dorſo impudentum. Non arabis in boue & aſino.* Deut. 22.
*Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. Et inſaniuit libi-* Iſaiæ 1. Ezech. 25.
*dine ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſunt vt carnes aſinorum. Sepultu-* "
*ra aſini ſepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Ieruſalem. Bellis ani-* "
*mal hoc ineptum, paci commodiſſimum eſt. Vnde ad pacis vſurpatur ſymbola.*
*Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedet ſuper aſinam & pullum filium ſubiu-*
*galis. Tantus autem quondam iumentorum fuit vſus horum, vt vel rex vnicus*
*præda de Madianitis capta, vnũ & ſexaginta aſinorũ millia abducta narrẽtur.*

## סוס ZZVZZ. EQVVS.

ANIMALI *huic nomen* ZZVZZ *à* NAZZAZZ *factum animi elationem,* 319.
*& corporis ſublimitatem tribuit, vtpote cui præter ceterorum iumentorum ha-*
*bitum & formam huiuſmodi facies ſorte obtigerit, vnà cum agilitate & curſus*
*velocitate, atque pedum vngularumq́; ſolido robore. Quamobrem bello oppor-*

tuniſſimum cenſetur: tum ad ſingularem vehendum equitem: tum etiam ad cur-
rus per plana velociter trahendos. Ipſum etiam ſua ſponte bello ac rixa gaudens,
calcibus nonnumquam pugnat, facileq́; diſciplinam admittit: freno duci, guber-
nari, doceriq́; ſe patitur, interdum ſolo flagello agitur: præter cetera iumenta li-
bidinoſum, ac præcipuè ſalax eſt: maioris ſemper æſtimationis quàm alia fuit:
ideoq́; horum copia magnis diuitiis cenſetur. Optimi omnium ij qui in Aegypto
naſcuntur & paſcuntur habiti ſunt, fœno, gramine, paleis, & ordeo aluntur.
Narratur Salomon ad quadraginta millia equorum in præſepibus habuiſſe, qui-
bus de quotidiano alimento proſpexerat & cauerat. Præter eos qui in campis &
pratis errarent, & cuſtodirentur. Proprium principum ac regum vehiculum hoc
Prou.21. genus habetur. Equus paratur ad diem belli. Flagellum equo & aſino camus. Si
Ibid.26.
Jac. 3. autem equis frena in ora mittimus ad conſentiendum nobis, etiam omne corpus
» illorum circumferimus. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intelle-
» ctus, in camo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.
Iob 39. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum?
» Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? gloria narium eius terror. Terram vn-
gula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis: comtemnit pauorem,
nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus. Fer-
uens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare languorem. Vbi audierit
buccinam, dicit vah, procul odoratur bellum: exhortationem ducum, & vlula-
Pſal.19. tum exercitus. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini ſpe-
rauimus. Ipſi obligati ſunt & ciciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſu-
Pſal.146. mus. Pallax equus ad ſalutem: Non in fortitudine equi voluntatem habebit. &
multa alia ſacrorum vatum reſponſa, quibus equorum quidem natura & vis
non tollitur: verum ab omni diuini præſidij comparatione excluditur; atque
ideo verè piis, & in Dei tutelam receptis, vt minimè neceſſaria negligitur.
Prou.9. S.S.E. Et vidi ſub ſole, nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellũ. &, Aegyptus
Iſaiæ 31. homo eſt, & non Deus: & equi eorum caro, & non ſpiritus. Huius animalis im-
Ierem.5. potentem libidinem indicant illa: Equi amatores, & emiſſarij facti ſunt; vnuſ-
Ezech.23. quiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. Quorum carnes ſunt vt carnes aſi-
» norum: & ſicut fluxus equorum, fluxus eorum. In campeſtribus & planis, atque
minimè ſalebroſis & aſperis locis equorum ſpectatur curſus & velocitas. Nam
Amos 6. montana & aſpera ſaxoſáq; loca nec equis apta ſunt nec curribus. Numquid cur-
» rere queunt in petris equi? Adducebantur equi Salomoni de Aegypto, & de
3 Reg.10. Coa. Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus
Ibid.4. centum quinquaginta. &, Habebat Salomon quadraginta millia præſepia equo-
» rum currilium, & duodecim millia equeſtrium. Ordeum quoque & paleas equo-
» rum & iumentorum deferebant in locum vbi erat rex, iuxta conſtitutum ſibi.
Eſther 6. Homo quem rex honorare cupit, debet indui veſtimentis regiis, & imponi ſuper
» equum qui de ſella regis eſt: & accipere regium diadema ſuper caput ſuum. Et
» primus de regis principibus ac tyrannis teneat equum eius: & per plateas ciui-
» tatis incedens, clamet & dicat: Sic honorabitur quemcumque voluerit rex ho-
» norare. Dixitque ei rex: Feſtina, & ſumpta ſtola & equo, fac vt locutus es
Eccleſ. 10. Mardochæo Iudæo, qui ſedet ante fores palatij. Vidi ſeruos in equis, & prin-
Iob 29. cipes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos. Equus numquam vocem mittit,
niſi vel exultans, vel iratus, vel laſciuiens. Quæ vox aliis etiam commu-

*nis, interdum* RAGHAMAH, *nonnumquam* TSAHALAH *&* METSAHALAH *dicitur.* Ierem 5. & 8 רעמה צהלה מצהלה

## פרד PERED, MVLVS.

HVIVSMODI *animalis formam terra parens à ſe editam non agnoſcit, ideóque tamquam ſpuriam repudiatam, & infelici ſorte addictam intelleximus. Singulis enim quadrupedum generibus mundi initio editis, ſuum genus proprium quo ſeſe propagaret, quoq; terrarum tractus frequentaret diuini verbi vis & indulgentia conceſſit, & generis etiam ſiue* MIN *nomen tribuit. Iiſdem præterea ſobolis ſufficiendæ facultatem, copiam, & vim largita eſt: Nomen quoque vnicuique pro naturæ propriæ ratione & vſu per primum ſapientiſſimúmque tunc temporis hominem impoſitum voluit, quæ omnia perpetua felicia fauſtaq; euaſere, atque eo quo cepere modo, perdurant. S. S. E. Dixit quoque Deus, Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia, & beſtias terræ, ſecundùm ſpecies ſuas. Factumq; eſt ita, ſiue vt iam explicabamus & erit ſic rectè firmiter. Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile in genere ſuo. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. & rurſus: Egredere de arca tu, & vxor tua, & filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia quæ ſunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus quàm in beſtiis, & vniuerſis reptilibus quæ reptant ſuper terram, educ tecum, & ingredimini ſuper terram: creſcite & multiplicamini ſuper eam. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ad Adam vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus ſuis cũcta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ. Atqui animantem hanc perpetua ſterilitas, & in principio à terra creatam, & deinde propagandi facultate auctam negat: atque ex conſequenti ab omni aliarum animantum communione excludit, & ab Adamo neque viſam, nec nominatam arguit, & à numero, pondere, atque menſura excipit. De quibus rationibus ſuo diſſerebamus loco. Exiſtimare autem licet huiuſmodi naturam ante diluuium minimè extitiſſe. Nam toto illo tempore ſingula animantum terreſtrium genera maris & feminæ ſocietate propagabantur: ita enim vt erant compares ſeruandi generis cauſa, in ſoſpitalem arcam animantes omnes induci conſtituit, iuſſitq; Deus: Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena & ſeptena, maſculum & feminam: de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & feminam: ſed de volatilibus cæli ſeptena & ſeptena, maſculum & feminam, vt ſaluetur ſemen ſuper faciem terræ. Nullum ergo mulum in arcam inductum conſtat, cùm neque etiam compari mula iunctum, ſemen ſuper faciem terræ ſeruare poſſibile fuerat. Vnde & nec ante huiuſmodi fuiſſe facile eſt credere. Arbitramur verò, imò perſuaſi videmur nobis humani ingenij luxurioſum, & magis quàm curioſum aut opportunum inuentum huiuſmodi fuiſſe: quo verò tempore, & quo auctore hoc extiterit, mediocri ſolertia inueſtigare ab inſtituto alienum non fuerit. Id verò ſic breuiter expediemus.* 320. Gen. 1. Gen. 8. Gen. 2. Gen. 7.

*Genus ſiue* MIN *iuxta ſacræ diſciplinæ rationes id propriè dicitur quod propagari, & creſcere poteſt. Propagatio, vt ſæpe iam adnotatum eſt, ex maris & feminæ* 321.

*minæ coniunctione ſit, eam quam, illis ſignificatur verbis* PERV, VRBV, *fructificate & multiplicamini: quamobrem vocabulum* MIN *duobus elementis conſtat, altero maſculinæ figuræ & vocis etiam ſono maſculino, quo maſculina nomina & verba, atque adeò pronomina pluralia plerumque finiuntur, id eſt,* MEM, ם, *altero feminino, in quem feminina verba & pronomina deſinunt, hoc eſt,* ן. NVN *maſculinum duplici figura conſtat: nam aliud eſt* MEM *apertum, quod in vocales ferri & agere, atque ſuum imprimere ſonum poteſt, & clauſum, quod in nullam fertur vocalem, ſed ſyllabam claudit, in ſe ipſo conſiſtens, & ſonum retinens, & interminatum, & veluti mutum: Labiis enim pronunciatur prorſus iunctis & hærentibus, atque aërem, quo ſonat, intra os concluſum retinet. Demum mutorum hominum & quadrupedum, quas* BEHEMOTH *vocari dicebamus, inarticulatum & obtuſum efficit ſonum: cùm contra* NVN *litera femineum tinnitum efficiat: labiis diductis, oreq́ aperto pronuntietur, feminiliq́ planè ſonet.* IOD *litera perfectionis & numeri ſignum eſt. Namque in numeris decem conficit, qui numerus abſolutus perfectusq́ eſt, vltra quem nihil aliud ſupereſſe poteſt. Quidquid enim ſupra decem additur, nouus numerus eſt ab vnitate inchoatus. Ita fit vt nomen* MIN מין, *perfectum ſignificat genus: idq́ declaret conſtare ex comparibus, mare priori, & femina poſteriori, quorum ex ſocietate genus ad numerum propagatum perficitur & conſeruatur. Nam propagatum animal aut viuens quodcumque ſit, tertium quoddam euadit inter propagantia, quibus congener omnino eſt. vt* MEM & NVN *congeneres ſunt literæ.* IOD *ſimile omnino principium ſortita. Prius enim eſt illa figura* י, *ex qua alterum elementum initio ſumpto creſcit in* ם, *alterum in* ן, *& niſi* י *fuiſſet, duæ illæ aliæ deduci non poſſent. Igitur cùm primum diuini verbi virtute terra animalia protulit; marem protulit & feminam,* LEMINAH. AD MINAH, *id eſt ad ſpeciem ſuam. Non enim antequam à terra producerentur, fuerat* MIN: *ſed vbi producta extitere, coniuncta ſociataq́ ſunt ad* MIN. *ideò non legimus producat in ſpecie ſua, ſiue in genere ſuo: ſed producat ad ſpeciem ſuam, ſiue ad genus ſuum. & vbi producta fuere, facultatem à conditore Verbo adepta ſunt ſeſe propagandi. quamobrem legimus, &* beſtias terræ LEMINEHEM, ad ſpecies ſuas. *Itaque ex diuinæ doctrinæ diſciplina ea in animalibus genera, ſiue eas formas aut ſpecies* MIN *dici poſſe intelligimus, quæ naturalem propagationem habent ex eiuſdem naturæ maris ac feminæ coniunctione. Eaq́ perfecta eſſe de quibus pronunciatum legimus, Et vidit Deus quòd eſſet bonum.*

*Quo verò tempore, quáve occaſione, aut quibus de cauſis huiuſmodi animal in terris additum extiterit, nobis indicauit Moſes, nouumq́ exemplum eſſe ſignificauit ab Ghana quondam excogitatum, aſinarum cuſtode, qui cognitis, vti videtur, equorum aſinorumq́ naturis, iiſdémque non congeneribus quidem, verùm affinitate quadam non planè diſſimilibus compertis, vel ex vngularum ſimili forma & ſoliditate, vel ex pugnandi & contendendi ſimili ſpectaculo rem coniecerit. (ſiquidem vtrumque genus & morſu ferit, & calcibus aduerſarium petit) quidnam ex vtriuſque commiſſione prodire poſſet, periclitari primus curans, ignotum antea animal excepit, cui propter imperfectionem generis, primum nomen factum eſt* IEMIM, *magna cum naturæ animaduerſione. Conſtat enim nomen ex duplici* מם, *priore aperto, poſteriore clauſo, & obturato: quod indicat poſſe quidem hanc belluam coniunctioni maris cum femina operam dare;*

*tamen*

*tamen eam coniunctionem fructificationis exitu deſtitutam in ſe ipſa, ſine vllo partu compeſci, confundi, ac retundi, demumq́ perire: quamobrem nomen hoc non in ן femininum, ſed in* M *clauſum deſinit, ea ſignificatione videlicet perinde eſſe in hac natura vel marem, vel feminam: ac ſi vterque ſexus vel tantummodo vel* מ *apertum, vel* ם *clauſum foret, id eſt, vel maſculus, vel femina tantùm. Nam nec ex geminis maribus, nec ex gemellis feminis quicquā naſci poteſt quod parentum genus propaget. Ita neque feminas tantùm, neque mares in arcam, ſed vtrumque pariter induci imperatum eſt. Atqui in* IEMIM *nomine* IOD *quidem deprehenditur: verùm id initio tantùm, non autem inter vtrumque* מם, *ſed extra omnino: id quod ſignificationem duplicem habet: alteram quidem, productam eſſe & genitam huiuſmodi naturam, non ex terra extitiſſe, nec de nihilo eſſe, ſed à generantibus editam: non tamen intra idem genus, vel intra idem* MIN; *ſed extra conſtitutis, ideoq́ propagari poſſe minimè: cùm propagatio non fiat alia ratione ab ea qua nominis* MIN *compoſitio indicat. Igitur principium quidem ſui habere naturam eiuſmodi: non tamen in ſeipſis, aut inter vtrumque ſexum illud eſſe principium, ſed extra, & quod naturam ipſam præcedat: non autem vel intercedat, vel ſequatur, aut conſequatur: ex quo euenit vt quæ principium ſuæ propagationis intra ſe nō conſeruat, natura communicare propagareq́ poſſit minimè: quamquam ea perpetua eſſe poßit (quod eadem litera* IOD *futuri atque adeò perpetuitatis ſignum adnotat) non tamen ea perpetuitas innata, & intra ſe conſeruata, ſed exterius aliundeq́ petita eſt, foriſq́ ſemper manet hoc modo* IMM ימם *Latinis quidem aut Græcis literis vocabulum* IEMIM, *ſine iota legi aut ſonare non poteſt: verùm in primæua vocabuli regione ſuoq́ foro, Iota omnino abiicit, ſine quo purè ſonat & pronunciatur. exigui puncti motione, aut citra punctum ſcriptum etiam. Iam verò ipſum Philoſophiæ noſtræ præceptorem de hac re pronunciantem, audire operæpretium fuerit. Et hi filij Sebeon Aia & Ghana. Hic eſt Ghana qui inuenit* IEMIM *in* Gen. 37.
*ſolitudine cùm paſceret aſinas Sebeon fratris ſui. Tamquam nouum exemplum animaduertendum & in rebus non initio creatis, verùm aliquando ſingulari periculo inuentis, hoc vocabulum à Moſe pronunciatum eſt: idq́ cum adnotationis vocula* H. *namque ita legimus* HAIEMIM הימם *illa, inquit, non* MIN, *ſed* IEMIM, *pro quo in variis codicibus Latinis varia vocabula reperimus, in quibuſdam, & fortaſſe antiquioribus equas calidas, quod ad rem propius acceſſiſſe videtur, in aliis aquas calidas, quod an ingenio, an ſtudio, an incuriæ librariorum tribuendum ſit, aliorum iudicio relinquimus, contenti rem indicaſſe. Igitur cùm huiuſmodi conditionis hæc natura fuerit, vt in nullius propinqui generis cenſu, certo ordine conſcribi poſſet: quippe quæ nec aſinus eſſet, nec equus, nec medium quidem inter vtrūque, quod tamen ſuum tueretur & propagaret* MIN, *nihilominus verò animal eſſet, & ad vſus aliquos habile, ſapientibus antiquis nomine certo, & cum nullo animante alio commune vocatum eſt* PERED, *quod ex originis ſignificatione* SEGREGATVM, *vel ſeparatum dici Latinè licebit. Namque eiuſmodi ſortitum videtur naturam, quæ cum nulla alia animante componi & comparari debeat, nimirum ſpuriam eandemq́ ſterilem.* PARAD, *ſeparare, diuaricare, & ſeiungere Latinè redditur, vt vel illo exemplo docemur, Quando diuidebat altißimus gentes, quando ſeparabat filios Adam. Atque ſeparati huius ingenium & ſtultum, & fraudulentum, & vehemens ac temera-*

*rium*

rium pariter eſt. Aſinis temeritas vnà cum ſtultitia ineſt: verùm hæc vitia virium & agilitatis penuria plerumque celat. Equis agilitas, velocitas, impetusq́ tribuuntur: vtræq́ partes cùm in hanc mixtam belluam conueniant, ingenium conſtituunt temerarium & nequam, ſimul etiam agile & robuſtum: atque ideo plerumque anceps & importunum. Quippe alterum genus ſuas alteri partes ad mutuum impetum & opus commodat. Eſt autem minus aptum diſciplinæ quàm equus propter aſininam malitiam, quæ tamen ad labores tolerandos robur confert, magis verò agile & velox quàm aſinus propter equinæ carnis, & animæ communionem, quare & frenum accipit, & ad gradus inceſſus & curſus celeritatem longè præſtat aſello: cuius tamen memoriam & cognitionem imitatur. Et quamquam ſterile ſit, duplici tamen libidine ardet, aſinina, & equina, quam perpetuò, niſi impediatur, exercet: id quod tam maribus quàm feminis cõmune eſt, præter aliarum quadrupedum exemplum, quibus certum anni tempus ad eiuſmodi rabiem conſtitutum eſt. Mulorum autem & mularum ſeruitus ad ferenda onera, ad trahendos currus, & ad ſingularem vectionem valet. Atque olim regibus ac principibus viris vſurpabatur, in montanis præſertim & aſperis locis, in quibus aſelli debiliores, equi verò inutiliores euadunt. Et curſu quidem valet mulus, verùm fugere melius quàm inſequi ſtudentibus agitatur: eo quòd

2 Reg. 13. minus ad bellum ſit aptus. S. S. E. Fecerunt ergo pueri Abſalom aduerſus Amon
» ſicut præceperat eis Abſalom. Surgentesq́ omnes filij regis, aſcenderunt ſinguli
» mulas, & fugerunt. &, Accidit autem vt occurreret Abſalom ſeruis Dauid,
» ſedens mulo: Cumq́ ingreſſus fuiſſet mulus ſubter quercum magnam, adhæſit
» caput eius quercui: & illo ſuſpenſo inter cælum & terram: mulus, cui inſederat,
3 Reg. 1. pertranſiuit. Et impoſuerunt Salomonem ſuper mulam regis Dauid, & addu-
& 1. cap. 11. xerunt eum in Gehon. &, Dixitq́ Naaman, vt vis, Sed obſecro concede mihi
» ſeruo tuo vt tollam onus duorum Burdonum de terra: non enim faciet ſeruus
3 Reg. 10. tuus holocauſtum Dijs alienis, niſi Domino. &, Salomoni deferebantur munera,
» vaſa argentea & aurea, veſtes, & arma bellica: aromata quoque, equi & muli
3 Reg. 18. per annos ſingulos. &, Dixit Achab ad Abdicam, Vade in terram ad vniuerſos
» fontes aquarum, & in cunctas valles, ſi fortè poſſumus inuenire herbam, & ſal-
1 Par. 12. uare equos, & mulos, & non penitus iumenta intereant. Sed & qui iuxta eos
» erãt vſque ad Iſſachar, Zabulon, & Nephthali afferebant panes in aſinis & ca-
» melis, & mulis, & bobus ad veſcendum, farinã, palathas, vuam paſſam, vinum,
» oleum. &, Adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino
» in equis, & in quadrigis, & in lecticis & in mulis. Horum copiam quondã apud
Thogarmam in ſuperiore Scythia fuiſſe, indéque ad commune orbis emporium
Ezech. 20. adductam legimus. De domo Thogarmæ equos, equites & mulos adduxerunt ad
» forum tuum. Apud Ioëlem quo loco iumenta legimus, mulas intelligimus ſigni-
Ioel. 1. ficari ex vocabulo PERADOTH. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. apud Latinos ſub iumenti nomine & ratione animantem hanc computare poſſumus, vt iumentum non ex natura, ſed ex miniſterio dicatur: atque hoc pacto à BEHEMAH diſtinguitur. qua ratione BEHEMAH ceteras quadrupedes vel ſeruituti, vel eſui aptas ſignificat. Sic apud Zachariam interpretari ac diſtinguere licet locum illum. Et ſic ruina equi, muli, cameli, aſini, & omnium iumentorum quæ fuerint in caſtris illis, ſicut ruina hæc. Namque hic CHOL HABEHEMAH boues, capras, oues, & alia huiuſmodi ſignificantur genera, & ab equo, mulo,

camelo,

camelo,& aſino diſtinguuntur. Illud verò obiter adnotare gratum commodúmque fuerit, quod apud Hoſeam legimus, ex vocabuli alluſione eleganter indicatum. Non viſitabo ſuper filias veſtras, & ſuper ſponſas veſtras cùm adulterauerint: quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur. vbi Latinè legimus conuerſabantur, in exemplari eſt IPARDV: quòd ſi ex Latino reddere liceret nomine, & alludere, ſonaret mulabant, hoc eſt, mulorum inſtar laſciuiebant: ita vt magna libidine diffluerent: & tamen ſterili omnino, qualis mulorum eſt: atque ideo libenter cum meretricibus pariendi expertibus, perinde atque cum mulabus conuerſabantur. Demùm illud non extra coniecturam accedet, nomen BVRDVS, à nomine PERED Latinis fuiſſe vſurpatum. Tribus namque literis conſtat vel iiſdem, vel affinibus maximè cum PRD. BRD.

Locus ex Hoſea.

Burdus.

Muli apud Iſraelitas non naſcebantur, quibus huiuſmodi varias naturas miſcere non religioſum modò, ſed criminoſum ex lege fuit. S. S. E. Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Magna arcana & obſeruanda ſignificatione, ſimplicitatis conſeruandæ non rerum quæ natura conſtant ſolummodo, ſed morum etiam, ſtudiorum & ſententiarum, atque adeo doctrinæ diſciplinæq; quarum permixta & confuſa diuerſitas, quantumuis artificioſè & ingenioſè curetur: tamen vel in monſtroſum quempiam euadit partum, vel in eum ſaltem qui veri fructus propagationem promittat minimè. Eodem quoque & alia vetita ſpectant. Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine, &c. 322.

Leuit. 19.

## גמל GAMAL. CAMELVS.

IN hominum ſeruitutem camelus quoque concedit magno vſu, minimóque ſumptu, pro corporis mole, & laborum tolerantia, nomen à verbo GAMAL accepiſſe videtur, quòd ſola hæc natura in iumentorum genere omni præmanſum, ac deuoratum cibum rurſus in os reuocat, & ruminat: ac ruminatum, ventri commodius concoquendum reddit. Herbis, ſeminibus, leguminibus, & fructibus aliis paſcitur: famis atque ſitis præ ceteris iumentis tolerantiſſimus, à iumentis aliis equo, mulo & aſino dupliciter differt, quod & ruminat, & vngulam nec integram, nec bifidam habet: à feris verò quòd nec veſcitur carnibus, nec pedum digitis atque vnguibus ita diſtinctis acutiſq; viſitur, & ab armentis & pecoribus hoc poſtremo diſcrepat, cùm tamen ruminatione non ſit diſſimilis. S. S. E. Quidquid autem ruminat, & habet vngulam quidẽ, ſed non diuidit eam, ſicut camelus & cetera, non comedetis illud. Animal hoc dorſo ſeſſorem vehit, & oneribus aſportandis vtile eſt: ideoq; à ditioribus magna copia nutriuntur. de quorum vſu multa & frequens in ſacra lectione mentio eſt. Igitur Rebecca & puellæ eius aſcenſis camelis, ſecutæ ſunt virum. &, Rebecca conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo. &, Surrexit itaque Iacob, & impoſitis liberis ac coniugibus ſuis ſuper camelos, abiit. &, Vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli. Portantes ſuper humeros iumentorum diuitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos ad populum qui eis prodeſſe non poterit. Regina quoque Saba cùm audiſſet famam Salomonis, venit vt tentaret eum in ænigmatibus in Ieruſalem cum magnis opibus & camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmaſq; pretioſas. Calidioribus aluntur regionibus, iiſdemq; magno in numero, ſi paſcua ſuppetant, & gregatim paſcuntur: de quorum cibo & paſtu 323.

Leu. 11.

Deut. 14.

Gen. 24.

Gen. 31.

Iſaiæ 21.

Iſaiæ 30.

2 Par. 9.

X non-

Ezech.25. *nonnulla citare poſſumus loca. Dabo Rabbath in habitaculum camelorum* LE NAVEH GAMELIM, *in camelorum lata lætáque paſcua. Porrò armentis quæ* 1 Par.27. *paſcebantur in Saron præpoſitus fuit Setrai Saronites, & ſuper boues in valli-* Gen. 24. *bus Saphat filius Addi, ſuper camelos verò Vbil Iſmaelites. Et introduxit eum " in hoſpitium, ac deſtrauit camelos, deditq́; paleas & fœnum. Fœni nomine, auenam, hordeũ, far, & cetera horum generũ accipienda docet vocabulũ* MIZZPO. *Ad accipiendi ac deponendi oneris commoditatem, cum procerioris corporis & flexibilis hæc bellua compos ſit, flecti ac procumbere arte ac diſciplina docetur.* Gen.24. *S.S.E. Cumq́; camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ ve- " ſpere, tempore quo ſolent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit &c. Camelorum primogeniti vt fortiores ita greſſu & curſu velociores euadunt, nullaq́; alia parte à ceteris differunt camelis, quamobrem nomen ſortiuntur primogenitorum maximè affine: nam mares* BECHARIM, *feminæ verò* BECHAROTH *dicuntur: quibus epitheta addita adnotauimus* KALAH, *leuis vel celeris tantùm in ſacra lectione nomen hoc obſeruatur maſculum apud Iſaiam, vbi ab in-* Iſaiæ 60. *terprete Latino dromedarij verſum legimus. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Ghepha.* δρομηδάριος *curſor Latinis dici poteſt, quo no-* Ierem.2. *mine idẽ interpres huius notæ fœminam apud Ieremiam reddidit. Vide vias tuas in conualle, ſcito quid feceris: curſor leuis explicans vias ſuas.* BECHARAH KALAH.

## DE ANIMALIBVS PVRIS ET IMPVRIS.

324. ANIMALIA *pura dici haberiq́; in ſacris lectionibus edocti ſumus ea, quorum carnibus veſci per legem licebat: lex autem ea tantùm permittebat, quæ ſimplici puroq́; victu nutriri ſolẽt, vt herbis, foliis, fructibus & ſeminibus, ab omniq́; rapina alienum haberent ingenium, præterea ceteris notis natura diſtincta eſſent, quibus quæcumque communicare genera munda cenſebantur. Notæ in quadrupedibus duæ tantùm ſunt: ruminatio, & vngula diffiſa, vtramque pariter quæcumque non probaret, quadrupes impura cenſebatur: id quod ante legem quoque* Gen.7. *latam ſapientibus fuiſſe cognitum ſacra lectio docet. Ex omnibus animantibus " mundis ſumes ſeptena, & ſeptena, maſculum & feminam: de animantibus verò " immundis duo & duo, maſculũ & feminam. Sed & de volatilibus cæli ſeptena & " ſeptena, vt ſaluetur ſemen ſuper faciem vniuerſæ terræ. Notas verò vtriuſque* Leuit.11. *partis ita breuiter indicauit lex. Omne quod habet diuiſam vngulam, & rumi- " nat in pecoribus comedetis. Quidquid autem ruminat quidem, & habet vngu- " lam, ſed non diuidit eam, ſicut camelus & cetera, non comedetis illud, & inter " immunda reputabitis. In auibus verò quæ vel rapaces, vel carniuoræ ſunt, impuræ habentur: nam ad has duas notas referri poſſunt genera ea quæ ſigillatim in lege recenſentur. Reptilium omne genus menſis prohibebatur, atque inſecta omnia & volantia præter nonnullas locuſtarum ſpecies, quas proprio recenſuimus loco, hæc quæ vetita fuerunt, præterquam quod ad arcanam ſignificationem præcipuè referenda ſunt. Mali ſucci infamiam ex natura habent vt in diſputatione de cibis Deo propitio nobis diſſeremus. Et fecit Deus beſtias terræ, iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo, & vidit Deus quòd eſſet bonum.*

DE

# DE HOMINE.

## CAPVT I.

### SECTIO PRIMA.

MVNDVM hunc tot, tantis, tamq; pulcris & concordibus concinnatum partibus, tanta rerum varietate diſtinctum & ornatum, tot viuentium, tot animantium generibus omni ex parte frequentatum, non fruſtra, nec in nullos factum vſus, præterquam quod res ratioq; indicabat, ſapientiſſimi conditoris prouidentia promittebat. Nullum enim recta & conſtante ſibi arte opus inſtitutum eſſe, dicíve poteſt: cuius, quamobrem, quemq; in vſum inſtitutum ſit, ratio requiratur. Quippe cum prima ſapienti artifici in vnoquoque ineundo opere cauſæ atque vſus cogitatio ſit. Quamquam verò primam in mundi opificio cauſam ſapientiæ, virtutis & benignitatis Dei, oſtenſionem & communicationem fuiſſe initio diximus: nondum tamen vel vſum indicauimus, vel de communicatione exactè diſſeruimus. Communicationē verò definimus boni cuiuſpiam aliàs ſingularis vel priuati, alicui alij vel aliis ab eo qui primū poſſidere potuit, diſtributionem & largitionem. Vſum verò rerum quæ ita communicatæ fuerint iuuantem gratamq; perceptionem, quam etiam vſuram appellare libet. Atqui ea quæ hactenus condita factaq; fuerant & concinnata mundi corpora, locáque omnia ipſi auctori Deo nullius eſſe potuerunt vſus, vtpote qui cū ſpiritus idemq; ſimpliciſſimus, ac ſua ipſius natura ditiſſimus eſſet, nullius corporeæ naturæ indigebat, indigeréve poterat commoditate & vſu. S. S. E. Conſerua me Domine: quoniam ſperaui in te. Dixi Domino, ſuſceptor meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges. Eadem quoque ratione, quamquam diſpare prorſus dignitate, neque aliis à Deo creatis ſpiritibus, mundanaq; conſpiciuntur vel corpora, vel etiam loca vlli eſſe poterant vſui: quippe quorum natura ante perfectum mundum conſtans mundo minimè egens extaret, & nec locum neque corpus poſtularet vllum: quo carens, minus propterea felix eſſe videretur. Ideo enim ſeparati ſpiritus diei gaudent, quod cum corporea mole nihil omnino commune aut ſortiti fuerint, aut expetant. Ex his verò apparet, corpoream hanc mundi fabricam corporeæ cuipiam naturæ in vſum fuiſſe paratam. At verò rectum, conſtantem, & opportunum totius mundi vſum nulli corpori ſenſu & cognitione carenti contingere potuiſſe, vel ipſius vſus nomen indicat. Quid enim vti rectè poſſit rebus iis quas, quemadmodum vſurpare opus fuerit, ignorat. Hoc enim pacto multa inutilia, aut ſuperuacanea, aut importuna vſurpari pronum eſſet, certè verò pro vſu abuſus eſſet expectādus: corporeæ autem naturæ ſenſu præditæ, vlteriùs autem nihil attingentes, quàm quòd ſenſu accipi poſſit, quales animantium quas terra pepererat naturæ fuere, etſi quibuſdam rebus, pro cuiuſque genere & forma ſeſe alere, ac tueri, & ita quodam modo vti poſſent, multarum tamen partium commoditate, decore, concinnitate, atque etiam facultate, vtpote ſibi ignota, frui valerent minimè, vt cæleſtium ignium ac ſiderum pulchritudine, temporum & horarum mutatione, & varietate, multarum quoque rerum decore & ſpecie, vt arborum, plantarum, florum, atque adeò colorum omnium diuerſitate, figurarum iucundiſſima diſtinctione, corporum plurimorum nitore atque elegantia, aliiſq;

Concordat cum animæ lib. 1. c 8.

1.

Pſal. 15.

 viſu

*viſu & cognitu dignis partibus & membris quibus pulcherrimum opificium hoc quod κόσμον, mundumq́; dicimus, inſignitum eſt, nulli earum quas diximus animantum generi aut ſpectabile, aut iucundum. His etiam accedit maximarum mundi partium ſocietas & communio, hoc eſt, terræ, maris, & aëris, quorum vt regiones diſtinctæ manebant, ita vſum perpetuò diuiſum eſſe oportuit: nullum enim aquatilium genus cum terrenis, nullum terrenum cum aquatilibus: neque hæc vtraque, aut horum alterum cum iis quæ aëra frequentant, verſaretur: cùm tamen vna omnibus communis domus eſſet, quamquam partibus ac regionibus, pro vniuſcuiuſque naturæ opportunitatibus. Quamquam verò auctor ipſe, vt auctor omnium regionum, locis & incolis prouidentia & gubernatione præeſſet, & imperaret, vt vſurpator tamen neque toto, neque totius partibus indigebat,*
*» aut oblectabatur. S.S.E. Meæ ſunt omnes beſtiæ ſyluæ, & pulchritudo agri me-*
*» cum eſt. Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Quibus ex rebus omnibus illud efficitur naturam aliquam conditoris & opificis rerum propoſito ac mente deſtinatam fuiſſe, cuius vſibus ea omnia quæ condita fuere pararentur. Eam verò non purum ac ſimplicem, ſingularem aut merum ſpiritum: non corpus ſpiritu inane, non ex animantibus corporeo tantùm ſenſu præditis, verùm his omnibus longè ſublimiorem præſtantiorémque rerum ipſarum ſeries, ordo atque decus poſtulabat: quod vti præſtantiſſimum, ita omnium quæ corporis expertia non eſſent, vltimum edi atque in apparatæ domus regionisq́; poſſeſſionem & vſum induci fabrefacti & inſtructi mundi rationibus atque Conditoris conſilio fuerat conſentaneum: idq́; non longè poſt orbis inſtitutionem differendum, ſed in ipſa iam abſoluti hora & opportunitate maturandum, diuina ſapientia decreuit: ne videlicet tantillum temporis vniuerſa hæc eademq́; pulcherrima moles, & rerum concinna natura cognitore, habitatore, cultore, & præfecto careret ſuo. Namque id perinde foret atque comparatū gregem, in paſcuaq́; inductum, paſtoris præſentia, auctoritate & cura gubernationéque carentem relinquere. Quamobrem eadem cetera animantum quadrupedum genera diuini verbi virtute auctior & fœcundior terra protulerat: naturam illam cuius cauſa cōdita comparataq́; fuerant omnia ſingulari conſilio, modo, exemplo, artificio, & beneficio conditam extare & expectari Deus voluit, quæ & iis omnibus quæ ſapienter creata & compoſita, comparataq́; fuerant, frueretur, & auctorem ſui, hoc eſt, diuinam Sapientiam, virtutem, & bonitatem vt gratum ſui ipſius exemplum conſilij ſupremi certa, fidelis, ac diligens miniſtra oblectaret. Id quod Sapientiam ipſam aliquando declarantem audiuimus: quæ, dum ordinem, ſeriem, & alacritatem in condendi orbis rationibus, momentis & opportunitatibus obſeruanda commemorat, & quàm certo conſilio, quàm iucundo ſtudio, quàm grato euentu omnia proceſſiſſent indicat. id totum vnius huma-*
Prou. 8. *næ naturæ cauſa ſibi ſuſceptum, expeditum paratumq́; fuiſſe aſſeuerat. Dominus*
*» poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.*
*» Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant*
*» abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant. Necdum*
*» montes graui mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar: adhuc terram non*
*» fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam:*
*» quando certa lege & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, &*
*» librabat fontes aquarum. quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem*

ponebat

ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ. “
Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo “
omni tempore: ludens in orbe terrarum: ET DELITIÆ MEÆ, ESSE CVM “
FILIIS HOMINVM. “

## SECTIO SECVNDA.

II. HOC autem ſapientiæ ſuæ propoſitum quemadmodum aperuerit explicueritq; Deus, ſacra docet lectio. Vbi enim cetera omnia optimè facta, comparata, ac diuino iudicio probata conſtiterant, præfectum ac poſſeſſorem poſtulare viſa, ex conditoris liberalitate, virtute, & ſapientia quamprimum accepiſſe memorantur. Et vidit Deus quòd eſſet bonum [id quod eatenus creatum & productum extiterat] & ait: (Gen. 1.) “Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & “præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæq; terræ, omniq; reptili quod mouetur ſuper terrã.” Quo pronũciato creandæ naturæ cauſam, rationẽ, principia, formam ac virtutẽ, facultatemq; omnem ſummus eſt complexus artifex. Atque cauſam illam intelligere licet vt præſit, rationem verò, Faciamus, principia in ipſo nomine ADAM indicantur: nempe terra rubeſcens & fructifera forma ad imaginem, facultas, ſimilitudo Dei gubernatoris. De quibus hîc ſigillatim, quantum ad inſtituti operis rationem ſatis eſſe videatur, diſſeremus.

III. Principio autem naturæ, de qua agimus, auctorem ipſum eumdem eſſe accepimus, cuius virtute & efficientia ſuperiorum ſpirituum multitudo, & corporum omnium vniuerſitas edita aut condita conſtiterat, hoc eſt ELOHIM, de cuius veritate & virtute ac nominibus aliàs agebamus, tribus verbis pro captu noſtro ſignificatum; Virtutis, Sapientiæ ac bonitatis, vel Patris, Verbi, & ſancti Spiritus: quorum vt vna ſimplexq; natura eſt, ita idem in orbis condendi ratione & exemplo conſilium, idem in condito actus, eadem in gubernando voluntas, efficacitas, efficientia, atque laus. Verùm in naturæ huius poſtremò effingendæ & concinnandæ, ac perficiendæ communione ſingularis quædam tum voluntatis ac propoſiti, tum opificij ac dignitatis prærogatiua declarata eſt, dum omnium perſonarum ſumma concordia pari dilectione, eodémque propoſito duo pronunciantur verba: alterum, Faciamus: alterum noſtram bis repetitum ad imaginem noſtram, ad ſimilitudinem noſtram. BE TSALMENV CHIDMVTHENV. in imagine noſtra, vt ſimilitudo noſtri. Itaque pluralis numeri verba faciamus, & noſtram, trium diuinarum perſonarum auctoritatem & maieſtatem, conſenſionem & efficientiam atque (ſi ita loqui fas fuerit) operam quæ ad omnem aliam naturam nomine quidem plurali ELOHIM; verùm ſingulari verbo fecit, creauit, appellata fuerant: ad hominis verò præſtantiam declarandam plurali verbo Faciamus, ſiue Faciemus communi vnius ac trini Dei voce commune conſilium, communeq; opificium pronunciatum, declaratum, & quaſi peculiare ac proprium diuinæ virtutis opus iam inde, antequam ederetur, commendatum eſt: cùm cetera omnia à Deo creata, edita, vel exiſtere, germinari, produci, eſſe, & creſcere iuſſa decernentis ac iubentis verbi virtute & efficientia enituerint: hoc verò vnicum genus ſingulari inſtituto atque opera & arte ſoli Deo attributum videatur, cuius efficiendi & promendi facultatem nulli alij naturæ, quàm diuinæ vel conſtare, vel concedi & communicari par erat. Quidquid enim vel corporeum eſt, vel minori, quàm diuina natura conſtat, diuinæ imagini

& ſimilitudini ponendæ & exhibendæ minimè eſſe potuit idoneum. Nam nulla
ſecundùm Deum natura quicquam efficere præſtareq; valet vltrà id cuius in ſe-
ipſa principium tenet, quod vbi fuerit factum, vel ſibi ſimile, vel par, vel ſe
etiam minus dicere poſſit. Itaque cùm plantarum genus omne, tum animantum
formæ quæ vel aquis, vel ex terra primùm exorta ſunt: præter aquea vel terrea
principia nihil vlterius probare poſſunt: quamobrem vbi curſum, numerum, ac
menſuram exegerint ſuam, in propria rurſus primordia, hoc eſt, in terram vel
» aquam ſingula reſoluta reuertuntur. S. S. E. Auferes ſpiritum eorum, & defi-
» cient, & in puluerem ſuum reuertentur. &, Fœnum hodie eſt, & cras in cliba-
» num mittitur: cuiuſmodi arborũ, plantarumq; omniũ vbi finis acceſſerit exitus,
etiam eſſe & mutatio cognoſcitur. Itaque opus hoc de quo agimus diuinæ volun-
tatis, auctoritatis, & efficientiæ ſingularem quandã, & præter cetera creata &
condita præſtantem prærogatiuam ſibi vendicat. Id quod multis & præclaris di-
Esaiæ 45. uinæ doctrinæ teſtimoniis confirmatum prædicatur. Væ qui dicit fictori ſuo, te-
» ſta de ſamiis terræ: Numquid dicet lutum figulo ſuo, quid facis, & opus tuum
Iob 33. abſque manibus eſt? &, Si potes reſponde mihi, & aduerſus faciem meam conſi-
Deut.4. ſte. Ecce & me ſicut te fecit Deus: interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante
» te, ex die quo creauit Deus hominem ſuper terram.

IIII. Materiam verò ex qua huius operis corpus conſtaret, ſingularem quoque &
præſtantem eſſe Deus voluit, & quæ ſua etiam natura dignitatem præ cetera-
rum animantum natura obtineret. Namque aliæ omnes promiſcuo nomine ex
Gen. 1. variis terræ tum partibus, tum ſuccis productæ narrantur. Producat ARETS
» animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm
ſpecies ſuas, & factum eſt ita. Ad hominis verò fingendi ſtructuram præcipua
& nobiliſſima terræ pars delecta & comparata fuit, ea videlicet, quæ propter
frugum & fructuum edendorum vbertatem, & propter coloris venuſtatem
ADAMAH dicitur: cuius etiam non qualiſcumque portio ad tantum fuit vſur-
pata opus, verùm potiſſima, minimeq; fæculenta, eademq; ſuo in genere pinguiſ-
ſima, lentiſſima, & maximè ductilis ac tractabilis, & cui ex his aliisq; præſtan-
tiæ rationibus nomen GHAPHAR conuenit. Eſt autem GHAPHAR tenuiſſima
& pinguiſſima terræ vel terrei cuiuſque corporis pars: pinguis magis quàm ſalſi
ſuccus compos, cognationem habens cum tribus corporibus, vno quidem mine-
rali GOPHRITH, quod Latinè ſulphur vocamus: pingui, viuaci, ac natura ſua
incorruptibili, ad ignisq; vim omnium liquorum proximè accedente: Altero
verò GHOPHERETH ductiliſſimo ac lentiſſimo omnium metallo, quod plum-
bum vocatur, quodq; ſub terra conditum diutiſſimè durat, & facillimè omnium
igne liquatur. Tertiò verò ligni ſiue arboris genere GHOPHER dicto pinguiſ-
ſimo & leuiſſimo aquisq; opportuniſſimè innatante; atque illis minimè læſo. Cu-
iuſmodi principio quantum nobilitate, facilitate, atque duratione in humani
corporis materia, ceteris animantum corporibus antecellat, facilè dignoſci poſſit.
S. S. E. Non omnis caro eadem caro, ſed alia hominum, alia piſcium. Atque
hanc materiæ præſtantiam illa expoſitione indicatam obſeruare eſt. Formauit
igitur Deus hominem de limo terræ GHAPHAR MIN ADAMAH, limum
de terra: vocula MIN ſecretionem egregiè etiam in ADAMAH factam decla-
rat. id eſt, particulam ex humo optimam & viuaciſſimam, molliſſimam, maxi-
meq; habilem ac ductilem, ſecretam, ex qua videlicet vas fingeretur ſanctiori

animæ

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

*animæ capiendæ & aſſeruandæ idoneum, hoc eſt, templum conſtrueretur ſpiritui ad imaginem Dei facto dicandum: cuius natura ſpiritus non corporea eſſet, aut ex materiæ habitu, vel euaporatione, vt ceteris animantibus contigerat, ſed corporis planè expers, generoſa, à corruptione & ceſſatione immunis, tanto omni corporea cognatione præſtantior, quanto ad ſublimioris naturæ, hoc eſt, diuinæ imaginem non iuſſu ac dicto, ſed efficaci operæ formabatur. Prius enim terreum illud ſimulacrum fictum conſtitit pulcrum quidem & egregium, atque mirabili figura à ceteris diſtinctum corporibus, nullo tamen viuens modo: deinde verò ſingulari & admirabili flatu Dei imbutum, penetratum, & viuum redditum. Quidquid enim à viuente Deo quocumque proficiſcitur pacto, vita eſt, quamquã certis ordinibus pro Dei conſilio, rerumq́ captu per ſingulas generũ formas diſtincta communicetur: nedum hæc ipſa, de qua agimus, quæ Dei ſingulari voluntate, ſtudio, beneficio & efficientia, atque adeò inſpiratione donata fuit, vita dicenda ſit. Atque figmentum illud quo humanum ſimulacrum prius conſtabat, quamquã exterius multis partibus ac membris diſtinctum appareret, vnum tamen & continuum erat, vno linearum ac ſuperficiei ambitu contentum, totumq́ integrum, verùm interius non ſolidum, ſed cauum, multisq́ meatibus penetrabilem, foraminibusq́ peruium, partibus aliis pendentibus, aliis hærentibus inſtructũ: de quarum natura, ſerie & vſibus aliàs diſſerere auctor ipſe dabit: in medio autem totius vnà principem tenebat partem indendæ animæ, atque communicandæ vitæ deſtinatam, & regiæ cuiuſdam inſtar habentem, quam ſacra lingua* LEB, *Latina, cor nominat: à cuius foro & ambitu ad ceteras omnes ſimulacri internas & externas partes innumerabilis foraminum, canalium, & tuborum, cuniculorũ, aliorumq́ meatuum aperturæ ac ductus diſtincti diſcretiq́ pertendebantur, per quos animæ informatricis irent atque redirent ſpiritus atque halitus, & exteriores etiam auræ animalium ceterorum perſimiles pro reginæ animæ opportunitate, commoditate & vſura exciperentur ac redderentur: cuius auræ recipiendæ ac reddendæ cauſa geminæ in ſimulacri facie ſemper patentes feneſtræ viſebantur, à quibus libera ad cordis vſque regionem via erat: per has autem feneſtras nouus ac ſingularis primùm ſpiritus omnibus qui à corpore participant ſpiritibus longè præſtantiſſimus, à conditore Deo primùm immiſſus inſinuatusq́ eſt: cui illa inerat vis & natura, quam in imagine ſua Deus efficiendam decreuerat. Isq́ vbi primùm immiſſus eſt ad cor vſque, tamquam ad propriam præcipuamq́ ſedem penetrans, in ceteras totius ante ſimulacri, iam verò deinceps corporis humani partes, tum ſua ipſius natura, tum etiam variis virtutis & efficientiæ operarúmque miniſtris ſpiritibus, veluti ſatellitibus peruadens totum illud figmentum ex luteo, ſiue terreno carneum, ex pingui & lento* GHAPHAR *ſanguine rubens, multiplici ac vario ſucco opportunè refertum conſtituit, atque ex conſequenti animatum viuum nobile agileq́ effecit. Idq́ non vnica tantùm ac ſimplici vita viuendíque actione, ſed duplici vita, interna, qua animus ipſe perpetuo frueretur, & externa, qua corpus animatũ quoque vteretur: atque vtriuſque vitæ multis & variis virtutum, efficacitatum, actionum, & operum opportunitatibus & facultatibus exemplíſque inſtruxit. Ita vt in illo breui admodum opificio totius mundi cum rectore, gubernatore, miniſtrisq́, miniſtrationibúſque ſuis inſtar quoddam ſpectaretur externis omnibus, & corporeis craſſioribúſque regionibus ac partibus ab internarum virtutum exercitu*

*occupatis,*

*occupatis, informatis, & exercitatis, & exercitibus illis permiſſum: inque imagine Dei efformatum illum diuinum ſiue ſpiritum, ſiue halitum, ſiue aliis quibuſlibet nominibus appellandum rectis & gubernatis. Eius autem gubernationis vis & pondus diuinæ imaginis ratione & veritate fundabatur, exercitatio verò & vſus ex lege quadam proficiſcebatur diuinarũ in gubernando mũdo actionum imitatrice. Quæ* ſimilitudo, *ſiue* vt ſimilitudo Dei *appellabatur. Namque ita pronũciauerat auctor,* Faciemus hominem in imagine, & vt ſimilitudinem noſtram. *cuius dicti & pronunciati duæ ſunt partes, altera naturam ipſam ſignificans* in imagine: *altera verò naturæ efficacitatem & facultatem, atque ex his profectam efficientiam indicans,* vt ſimilitudinem noſtram. *Namque* TSELEM, *imago ipſa eſt, & in re ſpectatur.* DEMVTH, *ad actiones refertur. Atque imago nonnumquam corporea, ac ſenſibilis eſt: quæ videlicet rem corpore conſtantem refert, quales in corporeis conſpicimus ſimulacris, vel pictura & arte quauis factis, vel naturæ efficientia ſpectandis, cuiuſmodi multæ in ſpeculis liquidis & terſiſſimis corporibus apparent. Quæ omnes vt corporum repræſentant figuras & habitus: ita corporeæ imagines dicendæ ſunt: Interdum verò imago non ex corporis figura vel habitu ſpectatur: verùm ex ſpiritu, qui ſpiritus in natura ſua infinitus omnipoténſque eſt, imaginem ſui eiuſdem ſecum obtinet naturæ; neque enim quicquam extra infinitum eſſe poteſt, quod infinito, tamquam proprium adſcribatur. Quippe infinitum ſe & ſua omnia complectitur, ſecúmque nullo pacto ſeparatum habet: ita vt quicquid infinitum refert: idem omnino, eiuſdémque naturæ ſimul infinitum ſit, atque hoc pacto diuinum* „*verbum Patris imago ſalutatur vnigenitus in ſinu patris, ſemper manens figu-*
Heb. 1. *ra ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ. Itaq; imago naturæ, quam refert nobilitatem obtinet, ſpiritus, imago ſpiritus eſt, corporis autem imago, corporea: & rei eius quæ ſenſu capi cognoſcique poteſt, ſenſibilis etiam euadit ima-*
Ezech. 23. *go. Sic Ezechiel Chaldæorum imagines in pariete depictas, ſibi ſpectatas narrat. Virtutum, etiam dignitatum atque efficacitatum imagines dicuntur, quæ videlicet alias eiuſdem generis verè exprimunt. Ita regni hæres paternum ſolium te-*
Gen. 5. *nens, & animum imitatus, patris imago dicitur. Ita etiam Adamo filium tertium ad imaginem ſuam genitum legimus. Igitur nulla rerum quæ initio mundi conditæ fuere, Dei imago legitima dici poteſt, non ſolùm ex iis quæ corpore, ſed neque ex iis etiam quæ ſpiritu conſtant, quales angelos & accepimus, & credimus: nullus enim ex illorum ſpirituum ordinibus imago dictus eſt: diuina nam ſi*
Heb. 1. *diceretur idem quoque Dei filius vocari poſtularet. Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, & ego hodie genui te? quin & ſi comparentur Angeli cum magnitudine, maieſtate, rectitudineq; Dei prauitatis exceptionem ſub-*
Iob 4. *eant. S. S. E. Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles [ad comparationem] & in Angelis ſuis reperit* THOHALAH, *prauitatem Latinus interpres vertit, nos exceptionem ſignificatam intelligimus. Nullum autem eorum quæ initiò facta ſunt corporum cum Dei natura imaginis nomine conferri poſſe, eiuſdem quoque*
Iob 25. *doctrinæ auctoritate accepimus. Ecce etiam luna non ſplendet, neque ſtellæ ſunt* „ *mundæ in conſpectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Itaque homo ille qui primus ex hac quam diximus materia factus animatúſque fuit, non vt legitima, & propria Dei imago extitiſſe exiſtimandus eſt: quippe qui quod ad corpus attinet, ex terra terrenus & effectus, &, vt poſt docebimus,*
*appella-*

*appellatus fuerit, ſed in imagine, & ſicut ſimilitudo Dei factus. Quæ omnia quamquam maxima & præclara ſint, ceteriſq; corporum præſtent naturis: ad comparationem tamen cum Deo non admittuntur. Vt neque corporea cum ſpiritibus, nec cum infinito finita, nec quæ menſurantur cum eo quod numero ac menſura immune eſt. Factum verò eſſe hominem his conditionibus principium illud commune euincit: Omnia feciſti in numero, pondere, & menſura.*

*Magnam nihilominus & præſtantem diuino conſilio ac beneficio dignitatem huic naturæ contigiſſe, iam deinceps obſeruata rerum auctoritate & ratione intelligemus, ſi illud principium ſtatuamus. Quidquid ad Deum refertur, quamquam Deo non omnino ſit ſimile, tamen ad diuinæ virtutis & communicationis atque appellationis rationem non eſſe alienum perinde atque verum eſt, quidquid ad lucem quocumque pacto refertur à tenebris non diſtinctum modò, ſed ſeparatum eſſe: & luminis, vel lucis potius quàm obſcuritatis noctis aut tenebrarum verbis ac nominibus tradi declararíque oportere. Iam ſi rem aliquam lucis imaginem habere aut eſſe dicamus, eandem quidem non obſcuram, ſed lucidam eſſe aſſentiemur. Lunam enim & ſtellas propterea lucidas & ſplendentes eſſe nouimus, quod acceptam ſolis lucem & in ſe habere & exhibere conſpiciamus pro imaginis quam referunt facultate ac modo, ſed quædam etiam corpora lucere experimur; quæ, quamuis ſupremi luminaris, hoc eſt, ſolis imaginem non repræſentent, nec virtute præſtent: tamen ex eo quòd verè lucent, & non exiguas luminis commoditates ad vſum præbeant, nullo iure vel tenebris adſcribi, vel ad obſcuritatis confuſionẽ relegari ſeſe patiuntur: cuiuſmodi ignium, lucernarum, & lampadum lumina ſunt, quæ quidem, vbi incenſa vigent, à tenebris & caligine manifeſtè diſtincta ſecernuntur. S. S. E. Nemo accendit lucer-* Mat. 6.
*nam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in* "
*domo ſunt. &, Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis. &,* Pſal. 118.
*Habetis firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes tanquam* 2 Pet. 1.
*lucernæ ardenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat. Itaque lucernarum natura ad tenebrarum turbationem & obſcuritatem nullo modo releganda eſt: imò potius ad luminaris maximi rationem & nobilitatem certis quibuſdam legibus & modis referenda, & luminis ac lucis nominibus & appellationibus commendanda ſuo iure fuerit. Quónam verò pacto, quóve iure ſtatuendum ſit, breui relationum diſtinctione diſpiciemus. Rerum quæ ad ſe inuicem referuntur, non par ex æquo omnium ordo eſt. Namque aliæ propter eiuſdem naturæ communionem, certa tamen diſtinctione referuntur, vt Verbum Patrem refert in diuinis, quod idem, vti diximus, cum Patre eſt, & Filius in humanis Patris imaginem repræſentat: quia homo eſt, perinde atque Pater homo eſt: verùm hic ab illo vt genitor, ille ab hoc vt genitus diſtinguitur. Aliæ verò ita ſeſe mutuò referunt, vt quamquam eiuſdem prorſus naturæ non ſint, tamen ea, qua referuntur, communicant ratione: vt ſimulacra & imagines aliæ vel natura, vel arte conſtantes, in eo, quo ſe mutuo referunt, communicare dicuntur; ſiue figura ea ſit, ſiue virtus & facultas, vel quidquam aliud ex quocumque definitionum genere. Atque ea quæ naturæ eiuſdem ſunt, cognata dicere nihil prohibet: ſic enim filius homo, patri cognatus eſt homini. Quæ verò diuerſæ naturæ ſunt, altera tamen alterius imago habetur, affinia ſiue confinia vocari poſſunt, vt quæ iiſdẽ finibus communicent. Ita vel picta vel exſculpta effigies, quæ modò rectè abſoluta euaſerit,*

ſerit, iis partibus quibus expreſſam repræſentat rem, vel lineis, vel coloribus, vel habitu ac geſtu, vel omnibus pariter affinis dici meretur, illo tantùm pacto quòd ſimiles teneat & probet fines. Hoc autem modo luna & ſtellæ nõ affines tantùm, ſed confines etiam dici ſe poſtulant, vt quæ non modò ſimiles, verùm eumdem obtineant finem, hoc eſt, eandem natura lucem, idemq́; lumen, quamquam non æquali & pari poſſeſſione ac nomine, ſiquidem vnicuique ſtellarum aſtrorúmque ſuum lumen à ſole pro ſuo ipſius captu & modo ſufficitur, alij magis, alij verò
1. Cor. 15. minus reſplendens. S. S. E. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt. In claritate differre dicitur, non in natura lucis: quod eadem omnibus à ſole diſtribuitur: non eodem modo tamen accipitur ac refertur. Quamobrem aſtra omnia, & ſecum inuicem, & cum ſole confinia dicimus. Tertium verò componendis, ac mutuo referendis rebus genus, accedit iis, quæ nec vna naturæ definitione, nec virtute aut facultate prorſus eadem, ſed imitatione quadam conueniunt, & comparantur: atque ita ad amicitiæ ac ſocietatis curã referri merito poſſunt: quamquam in huiuſmodi ratione id quod aliud imitatione conſequitur ab eo quod imitatur, maximo ſupcretur interuallo, dummodo illius & partes ſequatur & probet: ac perpetua obſeruatione tueatur. Cuius rei rationisq́; elegans omnino exemplum ignis, lux, & claritas comprobat: quæ, quamquam ſolis lumen comparatione minimè poſſit attingere, tamen multis, & ad multa opportunis modis & commodis imitatur: qua imitatione tenebris cumprimis aduerſatur, & quantum quatenusq́; poteſt, obſtat: & ad dirigendas hominum actiones ad pericula cauenda, & ad multa alia opportunas præbet commoditates. Non quod cùm ſolis ac diei lumine comparationem affectet, ſed quod ea præſtet, quæ à ſolis vtilitate, fauore, gratia, & probatione non repellan-
2. Pet. 1. tur. S. S. E. Cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ ardenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Huiuſmodi verò ignei luminis & claritatis ad ſolis naturam & lucem collatæ rationes cum iis de quibus iam diſſerebamus nominibus, non planè conuenire exiſtimemus: certo tamen, grato ac iucundo familiarique ſocietatis nomine appellandas ducimus, vt ſocietatis laudatum & commendatum ius à ciuitatis dignitate diſcernitur. Ciues enim & conciues eodem nomine, eodemq́; communicant foro ac titulo, ſocij verò non ideo dicuntur quòd titulo conueniant, ſed quod amicitia, imitatione, atque negotiorum, laborum, & quorumdam emolumentorum exemplis & vſibus conciliati agnoſcantur, probentur, & conſeruentur: ita vt ſocij minores maioribus nihil obſtent, aut officiant: imò potius adiumẽto in loco ſint, aut vicariam aliquando præſtent pro ſocius operam, & eatenus etiam maioribus probati, laudati, & ornati euadant. Cuius etiam rei alterum exemplum ſatis illuſtre, & aliàs ad multa opportunum ſubiicere non pigebit ex euangelica productum hiſtoria. Chriſtus Ieſus in terris verſatus dum euangeliſtæ munus exercet, ac præſtat Filius verus Dei, Patris auctoritatem atq́; efficacitatem omnino con-
Ioan. 14. tinens: idq́; verbo virtutis ſuæ vera & propria patris dicitur imago. S. S. E. Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Oſtẽde nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba quæ ego loquor vobis, à memetipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & pater in me eſt. Alioquin propter opera ipſa credite. Atque hæc quam indicamus, prima & præſtantiſſima imaginis ratio & cognatio eſt,

*eſt, quam in naturæ partibus quæſitam, Sol ac ſolaris radius pro ſuo foro atque ordine referunt: vti iam, cùm de cæleſtibus ageremus corporibus, deducebamus. Iam verò Chriſtus ille, verbum inquam Dei in terris viſus, ac paterni conſilij ac beneficij nuncium humano generi allatum expoſiturus, & communicaturus, duodecim elegit viros, quos eiuſdem nuncij Apoſtolos nominauit, atque Apoſtolici muneris auctoramento legitimè inſtructos officio faciendo primum deſtinauit. Quod ad eam quam nunc perſequimur diſputationem indicatum producere nunc ſatis nobis viſum eſt, aliàs eodem auctore & promotore Chriſto de Apoſtolatus iure, auctoritate atque argumẽto omni oportunius & plenius acturis. Atqui inter cæteras, quibus ille Apoſtolos ſuos inſtruxit parteis, dedit illis* Matth.10.
*poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Euntes, inquit, prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite, gratis accepiſtis, gratis date. Et illi exeuntes prædicabant vt* Mar.6.
*pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægrotos, & ſanabant. Poſt hæc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe venturus. His autem illud mandatum credidit omnibus in locis enunciandum, atque huiuſmodi ſigno firmãdum: Curate infirmos qui in illa [ciuitate] ſunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Reuerſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis, in nomine tuo, & ait illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Iam hoc loco triplex nobis apparet in eadem re auctoritatis ordo: primus ac præſtantiſſimus in Patris atque Filij diuino, ſiue ſolis ac radij naturali exemplo indicauimus: qui veram, abſolutam, & plenam, omniq́ iure legitimam cognationem obtinet: ſecundus verò Apoſtolorum eſt, qui acceptam à Filio atque à Deo Patre poteſtatem repræſentant: non tamquam ſibi propriam, aut natiuam, ſed communicatam & indultam, diuinam tamen dicendam, & ſuo modo affinem: qualemq́ in lunæ luce & claritate naturali ratione oſtendimus. Tertius autem deſignatorum apparuit ordo: qui, quamquam non Apoſtoli dicantur, diſcipuli tamen ſequaces ac deſignati nominantur; idq́ facultatis quod habent planè diuinum eſt. Qui vos audit (inquit) me audit. Hoc pacto ſtellarum lux planè ſoli adſcribitur; eodemq́ cognatio ſiue affinitas inter ſolem ſtellasq́ conciliata viſitur. Atque ita lunæ ac ſtellarum lumen ex lumine ſolis, immo ipſum ſolis lumen, ratione tamen eorum à quibus capitur diſtinctum eſt, & omnia ſoli vel cognata, vel agnata, ſiue affinia, quod ad lumen attinet, dici poſſunt, ad eundemq́ modum Apoſtolorum ac deſignatorum virtus & efficacitas, vt à verbo communicata cognationem cum verbo probat, & ſimilitudinem imaginémque re ac veritate ipſa tuetur: ſuis tamen (vti repetimus) diſtinctam gradibus animaduertendisq́ rationibus: verùm enimuerò præter eos quos Apoſtolos, & quos diſcipulos deſignatos nominamus: quidam etiam extitiſſe narrantur, qui cùm nec miſſi eſſent, nec deſignati; imò neque in diſciplinam & familiam nomen dediſſent, ex ſtudio tamen & imitatione eorum qui legitima ac verè diuina auctoritate pollebant, appel-*

*lato Ieſu nomine dæmoniis pellendis operam certo cum ſucceſſu dabant: id quod fieri non poterat abſque diuina voluntate, probatione, virtute atque efficientia. Atque de tribus illis ordinibus cùm ita Ieſus, ſimilitudine à pueris ad ſe vocatis*
Mar. 9. *capta, pronunciaſſet: Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine*
" *meo, me recipit: & quicumque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum qui miſit*
" *me: reſpondit illi Iohannes dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine*
" *tuo eiicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. Huiuſmodi verò viros non ex communicatione virtutis Apoſtolis, ac deſignatis collatæ, ſed ex imitatione magis officij atque ſtudio annuente: tamen & vim, ſuggerente Deo agenteis, cùm ad treis illos cognationis, agnationis, ſiue affinitatis ordines referamus, ad ſocietatis iam deſcriptæ parteis referendos eſſe arbitramur: cuiuſmodi rationem inter ſolis atque ignis lumen oſtendimus: namque vt ignis lumen non idem cum ſolis lumine, tamen nec ſine ſole eſſe aut efficere quicquam poteſt. Atque ad imitationis efficientiam, virtutem, & facultatem à ſole quoque certo quodam deriuata modo & pacto habet. Vnde & quæcumque agit & efficit, quamquam longè minora, non tamen contraria aut oppoſita, pugnantiáve ſunt, immo conſona atque adeò ſocietatis nomen, titulum, ac ius promerita ſunt. Id*
Ibid. 9. *quod à Magiſtro ipſo declaratum accepimus. Ieſus autem ait: Nolite prohibe-*
" *re eum: Nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè*
" *loqui de me. Qui non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.*

VI. *Igitur vt illud repetamus cuius cauſa in hæc exempla deuenimus, diſcrimen rurſus diſcernẽdum eſt earum rerum, quæ aliarum imagines dici poſſunt, & quæ ad imaginem, ſiue in imagine aliarum exiſtũt. Nam quæ eandem naturam obtinentes, virtutem etiam præſtant eandem, primi ſunt ordinis imaginis: quæ verò diuerſæ quidem naturæ: &, vt cum philoſophis Latinis loquamur, diuerſæ ſubſtantiæ atque dignitatis fuerint; virtutem autem præſtantiſſimæ, & capitalis rei præſtiterint: illius etiam vel ſecundo vel tertio ordine dicuntur imagines. quales lunæ & aſtrorum ad ſolem comparatas euadere docebamus. Eas autem quæ imitationis gradum rationemq́; obtinent, & ad ſocietatis referuntur iura, ad imaginem, vel in imagine conſtare pronunciamus, cuiuſmodi inter ignem atque ſolem diiudicata eſt ſocietas: ita igni cum ſole ſocietatem contingere intelligimus: vt illum in huius imagine quod ad lumen attinet, factum dicere poſſumus, illud obiter animaduertentes fieri non poſſe vt ignis obſcurus ac tenebroſus in imagine ac ſocietate ſolis eſſe legitimè ac propriè dicatur. Oportet enim idem etiam & lucis compos eſſe ac lucere, quod in maximæ lucis imagine factum con-*
צלם *ſtat. Illud porrò non omittendum eſt, verbum* TSELEM, *pro quo Latinus imagines, vel ſimulacra, vel idola reddit, nomini* TSAL *eſſe affine, & aliquando*
Pſal. 38. *vmbram ſignificare. vt apud Pſaltem: Verumtamen in imagine pertranſibit homo. Sed quam dicimus vmbram, non vno tantùm modo definiendam, verùm pro eius, cuius vmbra eſt, ratione dignoſcendam duximus. Nam quæ obſcuriſſimæ rei vmbra fuerit, ac prorſus tenebroſæ & cæcæ eam obſcuritatis quoque habere inimicum, par fuerit. qualis eſt quæ* TSAL MAVETH, *id eſt, vmbra mortis*
Iſaiæ 9. *vocatur. Cui vocabulo tenebrarum nomen ferè adiungi ſolet. vt, Habitantibus*
Lucæ 1. *in tenebris & vmbra mortis lux orta eſt illis. &, Illuminare iis qui in tenebris,*
" *& vmbra mortis ſedent. Quæ verò denſi opacique corporis vmbra in lucente viſitur loco: ea tametſi ad lucem collata obſcura dici poteſt ac debet: tamen nec*

*habetur*

*habetur tenebroſa, nec dicitur: nec enim prorſus obſcura, nec indefinita aut turbata eſt: quinimo certis limitibus ac lineis definita eius, cuius vmbra dicitur, corporis figuram refert: atque ex ea qua extenditur parte (modò opacum luce maius non fuerit) propter vicinì luminis beneficium, nec locum in quo iacet cælat, nec intuentium oculis videndi opportunitatem præcidit. Cuiuſmodi vmbram nubis beneficio Iſraelitis in ſolitudine ſuppeditatam legimus. Numquam* Exodi 13.
*defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. &,* "
*Subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius. Ita* Oſeæ 4.
*quæ obſcuriſſimæ rei imago, & vmbra obſcuriſſima quoque & ipſa erit, opaci verò aut aliàs denſi corporis maiori luci obiecti vmbra non prorſus erit obſcura. Verùm enimuerò quæcumque vel perſpicuæ, vel omnino clariſſimæ rei fuerit vmbra, eadem quoque lucida erit, cuiuſmodi illa fuit nubes quæ inter præeuntes Iſraelitas & inſequenteis Aegyptios media in medio mare interiecta fuit. de qua legimus: Et erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem: ita vt ad ſe inuicem* Exod. 14.
*toto noctis tempore accedere non valerent. Namque Angelus Domini anteriorem nubis partem luce penetrabat ſua, poſteriorem verò inductis ac denſatis tenebris, obſcuram & caliginoſam reddiderat: ita vt altera quidem ex parte mortis, ex altera verò lucis vmbram nominare liceret. Sic etiam cryſtallinum corpus lumini obiectum, vmbram quidem ſui ex aduerſo protendit: non tamen obſcuram, verùm claram & aſpectu iucundam. Atque hoc pacto de igne ſentiendum eſt, ſi modò ignem in ſolis imagine (vti dicebamus) factum ad vmbræ quoque rationem deducere libeat. Erit enim ignis in imagine, & quaſi vmbra ſolis, verùm non obſcura, nec etiam ex opaco producta, ſed ipſa ſolis lucem imitata vmbra. Ex iis demùm quæ nobis hactenus ſunt expoſita, argumentis & exemplis eius partis natura cognoſci poteſt, quam Deus terrenū illud pulcherrimumq́ figmentum poſtquam informauit in* ADAM, *hoc eſt, hominis integrauit ſpeciem, & certo nomine indito commendauit. Namque illi inſpiraſſe dicitur, non animam qualem ceteris animantum generibus diuino verbo inſtructa, terra diſtribuerat, ſed longè vt præſtantiore dignitate conſtantem, ita excellentiore & modo effectam, & nomine declaratam. Namque cætorum omnium generum animas* NEPHES HHAIAH, *id eſt, animam vitæ, ſiue animam viuentem dictas* Gen. 1.
*accepimus. Dixitq́ Deus, Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iu-* "
*menta & reptilia, & beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas. Factumq́ eſt ita. At verò* "
*præſtantiſſimo huic de quo agimus animanti futuro, ſingulari Dei beneficio atque opera etiam ſingulariter adhibita, vltrà egregiam corporis efformationem, alia ad vitam pars non cum ipſo corpore producta, ſed conceſſa atque inſpirata fuit: ea quæ per narium meatus immiſſa, cui auctor idem nomen fecit* NESEMAH HHAIIM. *quod Latinè vtcumque* DVPLICIS VITÆ SPIRACVLVM *interpretari licet. Atque aliis quidem animantibus omnibus vnius tantùm vitæ copiam factam, eam nomini* NEPHES *adrogatam accepimus. eſt autem* NEPHES *ea natura cuius vis in appetitione & ſenſu exercetur: nec vltrà ſenſus ſingulares vel communem profertur, Latinis plerumque anima dicta. Quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis. Hoc loco* Pſal. 106.
*& compluribus aliis* NEPHES *legimus: quæ non ad hominem tantùm, ſed ad animanteis omneis quæ eſurire ſitireq́ poſſunt, refertur. Illam autem duplicis vitæ compotem naturam quam* NESEM, *ſiue* NESEMAH *appellatam edocti*

 *ſumus:*

ſumus: vni tantùm homini, nulli præterea animanti in omni ſacra diſciplina tributam obſeruare eſt. Eamq́ eſſe intelligimus qua hominem in imagine ſua faciendum inſtituerat Deus. Faciemus hominem in imagine noſtra. & rurſus:
Gen 1. Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum: vtrobique eſt BETSELEM in imagine. atque vt inſtitutæ doctrinæ expeditionem verborum quoque conſtanti adiuuemus diſtinctione: huic duplici viuentum ſpirituum naturæ, duplex quoque Latinè agentibus nobis nomen vſurpandum erit, antiquiorum auctorum doctrina ſermone edoctis. Homini quidem ANIMVS, ceteris verò animantibus ANIMA conueniet. Et quamquam in omni hac operis inſtituti parte, cui corporis nomen facimus, quidquid tractauerimus, ex ſacris tantùm libris proferre ac firmare conſtituerimus: tamen cùm quicquam interceſſerit quod non tãtùm rerum, quantum linguæ ſermonisq́ explicationem ſpectet, auctorem vnum & alterum pro nobis facientem, opportunè producere & appellare à fori huius alienum non eſt cenſendum. Latinus ille auctor qui in vitia ſapienter perorauit, de naturæ noſtræ humanitate agens, ita diſſerebat.

Iuuenal. Sat. 15. ——— Separat hæc [natura] nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, diuinorumq́ capaces,
Atque exercendis, capiendisq́ artibus apti,
Senſum à cæleſti demiſſum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram ſpectantia. mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque ———

Itaque animarum & animi nomina eodem etiam iure & exemplo nobis deinceps concedentur vſurpanda. Atque vt nonnihil etiam ſolerti coniecturæ obiter operæ impertiamur, facili ad arbitrandum inducimur, Latinorum nomen MANES elementis immutatis & pondere vero conſtante idem cum NESMAH, ſiue NESEMAH eſſe. Nam quod Critici à verbo Maneo deducunt, minus profectò concinnum eſt: quippe cùm prima huius verbi ſyllaba breuis, nomen prima producta parere non poſſit.

VII. Igitur ſpiritus ille, ſiue ſpiraculum vitæ duplicis, ſiue iam animus vocetur: illud in homine præcipuum eſt ad imaginem, ſiue in imagine Dei factum, quod quidem non Deus, nec Dei imago qualis radius eſt ſolis, nec deriuata à Deo, vt lunæ & ſtellarum à ſolis natura ac radij, ſed ad imitationem Dei effecta, & in figmentum illud terrenum vitam allatura immiſſus eſt. Et inſpirauit in faciem eius inſpiraculum vitæ. In exemplari lingua pro Latino in faciem eius, legimus
באפיו BEAPAV, in naribus eius: qua de re id quod paulo antè agere ceperamus, paulò etiam inferius, interim enim de relatione animi in imagine Dei creati ad Conditorem ipſum, quod vnum supereſt expediamus.

VIII. Ignis lucidi & clari cum ſole compoſiti non cognationem, non affinitatem, ſed propter imitationis concordiam dicebamus conſtitui ac dici poſſe ſocietatem, cuius iuris rationes quod ſatis explicatas exiſtimemus, heic referri ſuperuacaneum fuerit. Hanc eãdem imaginem atque appellationem ad ſpiritum diuinum, atque ad humanum animum transferre ſacræ diſciplinæ auctoritate monemur.
Mat. 6. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum

tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Luca 11.
vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Ipſa rerum ratio ac deductio præ-"
ceptorem hoc loco de animi lumine verba facere indicat. & Iohannes, Hæc eſt, Ioan. 1.
inquit, annunciatio quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis: quoniam"
Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quoniam ſocietatē ha-"
bemus cum eo [vtpote in illius facti imagine, & ad ſimilitudinem] & in tenebris"
ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in ipſo ambula-"
mus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem. Ex his autem appa-"
ret quem in modum, humanum animum ad imaginem, ſiue in imagine Dei editum cognoſcere ac dicere conueniat: atque hoc pacto definire liceat Lucem à Deo creatam diuinæ imitatricem lucis, longè quidem minorem, tenebrarum tamen expertem ſimpliciſſimam & incorpoream, vtpote ab incorporeo Deo inſpiratam. Atq; hactenus quid ſignificet in imagine factum eſſe, ſat fuerit declaratum.

Verùm enimuerò vt corpore carens ſpiritus, isq; non infinita, ſed finita virtute præditus, eáque informabat corpora & membra commodius, aptius, & conuenientius moueret, tenuiſſimo alio veluti miniſtro opus fuit qui præſidentis imperio animi parens omnem vitæ opportunam actionem exerceret, in eáque re inſtar viſeretur totius orbis cuius corpora membraq; omnia vnius ſpiritus ELOHIM efficientia per inductos immiſſosq; miniſtros, corporeos inquam, ſpiritus mouentur, aguntur, & exercentur: ſic enim, vti iam diximus, mare nunc aurarum, nunc ventorum opera pro varia cauſa mouetur: id quod ad omnem totius qui cæli infimo ambitu cingitur, orbis partem referendum eſſe, iam naturæ contemplatione declaratum eſt. Vbi illud pro certo ſtatuimus, citra ſpiritus agitationem nullum corpus moueri. In animalium verò ceterorum corpore qui præcipuè imperium obtinet ſpiritus, hoc eſt, anima illa cui antiquum & primum nomen contigit NEPHES, corporea, vti dicebamus eſt, quamuis ea ſi ad ventum, immo & ad auram ex comparatione referatur tenuiſſima ſit, vtpote quæ non carnem & viſcera modò, ſed oſſa etiam vel duriſſima ac præcipuè ſolida ſubeſt, & obtinet, atque adeò ſuis efficientiis afficit, informat, & mouet, id quod non ſolitariè, ſed per miniſtros ſingulis partibus atque actionibus deſtinatos ſpiritus agit, & præſtat. Huiuſmodi non animam eam quam in animalibus ponimus principem, ſed miniſtros ſpiritus humano animo communis ille Conditor addictos voluit: quorum opera & miniſterio ea omnia quibus ad animalis corporis naturā, vim, actiones & paſsiones affectiones opus eſſet ab animo imperata præſtarentur: ita vt vnici animi gemina virtus, & ſpiritualibus rebus actionibusq;, & corporalibus affectionibus gubernandi ſufficeret, hoc tamen intereſſet quòd quæ merè ſpiritualia ſunt, ſuo ipſius lumine illo ſpirituali, & diuinam imitato lucem virtutemq; ageret ac tractaret ſupernæ illi claritati, tamquam auctori exemplarique ſuo intentus. Corporalia verò ex animalis naturæ legibus & rationibus, per corporeos tenuiſſimos & agiliſſimos expediret ſpiritus: quibus locus in quo verſari integrum eſſet, ab initio in terrei figmenti penetralibus paratus & aditus à facie ad cor, à corde verò ad omneis corporis parteis apertus, & plurimis diuerticulis concinnatus fuerat. His omnibus miniſterÿ ſpiritibus eodem quo ſubeundi corporis facultas & copia facta eſt momēto, Animus præfectus eſt, non ſingulari ſede aut loco, ſed vt exercitui princeps & gubernator: ex quo euenit vt qui ex ſuperioris, hoc eſt, ſpiritualis virtutis iure NESEM, ſiue animus dici poſtulabat,

*labat, ex inferioris, hoc eſt, animalis facultatis & præfecturæ lege non anima viuens, verùm in animam viuentem factus rectè dici poſſet. Atque hoc pacto & omine ea ex parte qua corpus viuens homo erat in animam tum genus numerumq́ referretur. Eodémque omine nonnihil minus haberet quàm Angeli, qui cùm corporis omnino expertes extiterint, animantum exſuperant naturam & genus. Hanc quoque ſpiritualium cum animalibus & corporeis admirabilem ſocietatem in hominis natura conflatam, & vnici animi geminæ virtuti à Deo*
Gen. 2. *creditam & commendatam illo documento didicimus.* Et inſpirauit in nares eius ſpiraculum vitarum, & factus eſt homo in animam viuentem. *atque ita homo, qui potiore ex parte animus, idemq́ duplicis vitæ compos erat, qua inferiori, hoc eſt, animali vitæ operam dabat* LE NEPHES HHAIAH, in ani-
1 Cor. 2. mam vitæ, *ſiue* viuentē. *& ex conſequenti,* animalis ac terrenus homo di-
Pſal. 8. cendus, *inq́ animantum referendus numerum. Quid eſt homo, quòd memor es*
» *eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab*
» *Angelis, gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera ma-*
» *nuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, inſu-*
» *per & pecora campi: volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Et primus homo de terra terrenus, idemq́ animalis homo, hoc eſt, in animam viuentem factus à Paulo vocatur. Duplici itaque parte, at vtraque à Conditore ſingulariter præſtita, genus hoc integrum extitit, cui* ADAM *nomen antiquum fuit. Altera quidem ſpiritu puro & abſoluto in imagine Dei facto, quem* MESEMAH, *ſiue animum dicimus: altera verò corpore, ſenſibus, ac ſentiendi facultate prædito: atque ob eam rem* CARO *appellato. Fuerat verò terra illa ex qua corpus effictum fuit,* ADAMAH, *hoc eſt, rubens, quæ ſimul atque vitam obtinuit, ruborem ſuum, non modò tuta eſt, verùm auctiorem adepta, atque ex hoc ipſo integræ naturæ nomen* ADAM *perpetuo tributum.* Formauit igitur Deus ADAM GHAPHAR MIN ADAMAH, *de limo, ſiue limum terræ. quamobrem à Conditore* ADAM *vocatum, ab interprete Apoſtolo, id eſt, terrenum, ſiue terreum dictum accepimus, Latino autem ſermone ab humo forſan hominem nominatum coniicere licet. ex vtraque verò parte conſtantem hunc breuiter indi-*
Pſal. 78. *cauit Pſaltes. Et recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus vadens & non rediens. Atque hunc animo cognoſcere & intelligere, corporis verò ſenſibus vti condito-*
Pſal. 94. *ris conſilio & beneficio contigiſſe idem declarabat auctor. Qui plantauit aurem,*
» *non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes, non ar-*
Pſal. 119. *guet? qui docet hominem ſcientiam? Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt*
Iob 33. *me [aptum ad intelligendum fecerunt] da mihi intellectum, &c. Spiritus Dei*
» *fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. Ecce & me ſicut & te fe-*
» *cit Deus, & de eodem luto ego formatus ſum. Atque quantum ad ſacræ diſciplinæ de hominis natura argumenta cognoſcenda & componenda viam munire pro tempore potuimus, hactenus diſſeruiſſe: & quemadmodum in imagine Dei factum hominem accipiamus, indicaſſe ſat fuerit.*

IX. *Proximum autem eſt, alteram illam tractare partem quam natura hæc à Deo accepiſſe dicitur* ad ſimilitudinem noſtram, *ſiue, vt ex primæua lingua explicamus,* vt ſimilitudinem noſtram CHIDMVTHENV, *vocula ſiue nota* CH, *certam conſtantemq́ rationem indicatæ rei, non tamen ſemper parem, &*
Pſal. 32. *æquè componendam adſtruit. vt ex illo liquet exemplo: Fiat miſericordia tua*
*ſuper*

*ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te. Namque miſericordiæ diuinæ virtus & efficientia omnem humanæ ſpei magnitudinem ſuperat. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Quamquam enim ſumma homini contingat perfectio, non tamen diuinæ fuerit æquanda perfectioni. Verùm eam in huiuſmodi ſermone animaduertendam ducimus rationem, quæ inter exemplar & exemplum obſeruari res veritasq́; monet. Manifeſtum enim eſt, ac ſæpiſſimè in ſacris hiſtoriis inculcatum, ſacri tentorij in ſolitudine conſtructi molem, fabricam, ſpeciem, & ſupellectilem omnem rectè, artificioſè fuiſſe à Bezaleele expeditam, ac Moſi arbitrio probatam exemplaris in monte oſtenſi retuliſſe inſtar. Secundùm exemplar quod monſtratum eſt tibi in monte. Verùm enimuerò nemo ſanæ mentis eſt, qui exemplum iſtud, quamquam apta, opportuna, ac delecta egregiaq́; materia, quamquam ſolerti opificio conſtans, exemplari diuino adamuſſim prorſus per omnia ſimile comparandum æſtimandumq́; euaſiſſe putet. Namque illud non terrenæ naturæ, id eſt, non huius creationis, non humana factum manu: iſtud verò his partibus illi incomparabile habitum eſt: quod tamen quatenus illius retulit imaginem, pro ſui ſeculi ratione Dei non probatum modò iudicio, ſed ſingulari ſui repræſentatione numinis auguſtum, fauſtum, ſacrum ſanctumq́; effectum & appellatum. Eadem verò vocula* CH, *inter exemplum illud, exemplarq́; ſuum, Deo pronunciante interceſſit: quæ in hoc, de quo nunc agimus opere, legitur & obſeruatur: atque eodem modo ac pacto nobis hoc loco referenda eſt, nempe Dei conditoris conſilio ac beneficio, ſingulariq́; dono eam in ſimilitudine rationem humanæ naturæ conceſſam, qua exemplar ab exemplo refertur, pro vtriuſque tamen partis dignitate, auctoritate, ac virtute. quod vbi ſic ſtatuerimus, quidnam ſimilitudinis verbum ſignificet è veſtigio deſpiciemus. Antiquum verbum* DAMAH, *pro quo Latinus ſimilare, vel ſimile eſſe reddere ſolet: non tam rebus naturisq́; rerum, quàm actionibus, paſſionibus, figuris, quãtitatibus, æſtimationibusq́; tribuitur. vt, Ero ſimilis altiſſimo. &, Similis eſto dilecte mi capreæ hinnuloq́; ceruorũ. &, Exiſtimaſti inique quòd ero tibi ſimilis? Et certè videtis quem elegit Dominus: quia non eſt ſimilis ei in omni populo. Ex quo intelligimus, illam, quam præſtare hominem Deus voluit ſimilitudinem ſui, ad ingenij facultatem, efficientiã, & actiones eſſe referendam: atque eo modo præſtari debuiſſe, qui cum propoſito diuino conueniret* ad ſimilitudinem, *ſiue vt vel* quaſi ſimilitudinem noſtram. *hoc eſt, vt in facultatum, virtutum, ingeniique exercitatione probandum, & venerabile noſtri præſtet exemplum. Vtq́; nos ſuperiorem inferioremq́; mundum cum ſuis ipſorum partibus omnibus, ſapientia, cognitione, auctoritate, & efficientia tenemus, & gubernamus: ſic ille pro animi ingeniiq́; ſui facultate, ſorte, & modo terrarum, atque maris orbis partes omnes & cognitione teneat, & imperio poſſideat, & præfectura proſequatur. Atque adeò vt in imagine noſtra conditus conſtabit, ſpiritu & animo; ita ſecundùm imperij noſtri inſtar à viuentibus omnibus, tanquam Dominus ac nutus noſtri vicarius & agnoſcatur, & agnitus obedienti ſuſcipiatur obſequio. Hanc verò huiuſmodi ſimilitudinis exempli ſignificationem ipſum diuinum nobis decretum explicuit.* Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæq; terræ, omnique reptili quod mouetur in terra. *Atque animi humani duplicem portionem ab initio fuiſſe antiqua & recentiora ſacrorum librorum reſponſa conſtanter docet,*

Iſaiæ 14.
Cant. 2.
Pſal. 49.
1 Reg. 10.

*variis tamen verborum ac rerum imaginibus tradunt: Alteram quidem ſuperiorem & principem, alteram inferiorem & comitem; illam quæ intellectione præſtaret, hanc verò quæ obſequio & exercitatione obſecundaret. Illam quæ Dei conditoris dictis intentam attentamq́ſemper, hanc quæ illius conſilio, monitu, & iuſſis, obſequentemq́ſeſe perpetua ſummaq́ concordia præberet. Ita vt ex illius auctoritate, & huius acceptione & obedientia quoddam, veluti coniugium, perpetuo conſtaret; cuius legibus ac conditionibus totus homo ſeſe cumprimis ipſum, & inferiora cetera omnia duceret, regeret, & gubernaret: denique hoc pacto res haberet, vt ſuperior pars ad diuini exemplaris inſtar ſeſe agendo conformaret, & idem hoc ipſum portio inferior ſubſecuta teneret, & obſeruaret: atque ita omnis hæc humanæ naturæ domus, quam terram mare coniunctam vocamus, cum tota familia ac ſeruitute ſapienter gubernata, feliciter prorſus ageret. Et quidem præſtantiorem illam in homine portionem, propter eam quam diximus agendi prærogatiuam maſculum, inferiorem verò feminam vocari arcano in ſermone obſeruauimus.* Creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos. *In omni enim earum rerum quæ ſexibus diſtinguuntur natura maſculinum femineo non virtute modò ac dignitate antecellit, ſed æſtimatione quoque vel dupla, vt minimum ſeſquialtera, vt mathematicis vtamur verbis, præſtat. S. S. E. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret tempus eius, peperit maſculum. &, Natus eſt tibi puer maſculus, & quaſi gaudio lætificauit eum. De æſtimationis verò taxatione ita diuino iudicio definitum legimus. Homo qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium. Si fuerit maſculus à vigeſimo anno vſque ad ſexageſimum annum, dabit quinquaginta ſiclos argenti ad menſuram ſanctuarij: ſi mulier, triginta. A quinto autem anno vſque ad viceſimum, maſculus dabit viginti ſiclos: femina decem. Ab vno menſe vſque ad annum quintum, pro maſculo dabuntur quinque ſicli: pro femina, tres. Sexagenarius & vltrà maſculus dabit quindecim ſiclos: femina, decem. Vterque ſexus homo legitimè appellatus.* ADAM *homo qui votum fecerit, vterque ad ſeſe vouendum idoneus legitimè admiſſus. Et ſpoponderit Deo animam ſuam, ſed maſculus quacumque ætate is conſtiterit, & obligatione voti prior, & muneris damnatione pluris multo æſtimatus. Prætereà & in æſtimationis rationibus caput & fundamentum. id quod vel nomen ipſum huic ſexui arrogare videtur, quod ex duabus iunctum partibus* ZEH & CHAR, *dignitatem & præſtantiam rei indicat. Idem enim ſignificat, quod Latinè interpretari poſſumus hic aries, dux & præfectus. Siquidem hæc omnia nomen* CHAR *continet, vt vel ex illo loco deducere licet.* SILHHV CHAR MOSEL HAARETS. *Mittite agnum ſiue arietem dominatorem terræ. Eſtq́ maximè nomen verbo* ZACHAR, *quod recordari, meminiſſe, memorem eſſe, atque interdum odore excellere & fragrare Latinè interpretamur. hinc etiam* MAZCHIR LEBONAH, *fragrantiſſima & optima turis, eademq́ rotunda lachryma, quæ à poetis Latinis ex re maſcula tura dicuntur. Atque huiuſmodi turis delecta portio ſacris Deoq́ inſtitutis dedicabatur ſuffimentis. Ex quibus omnibus exiſtimare animaduerteréque licebit, ſuperiorem illam hominis portionem inferiori longè præſtare, vtramque etiam Dei cultui & obſequio dicatam, recto ordine, ac varia obſequiorum æſtimatione eſſe obligatam,*

Gen. 1.
Iſaiæ 66.
Ierem. 20.
Leu. 27.
Iſaiæ 16.

gatam, vt vtraque videlicet id quod eſſet omne, quantumq́ valeret, Dei præſtaret obſequiis, atque maſculus feminæ omnibus rationibus anteiret, ducemq́ vt aries in ouium grege ageret, & capitis erga corporis cetera membra munus, officium, auctoritatemq́ tueretur. Nam prior natura maſculus quàm femina à Deo conditus extiterat, cui adiungenda femina, non ex capite, verùm ex latere prodiit. Vt ne alterius corporeæ incorpoream hanc ſignificantis feminæ fabricatione & exemplo enarrante Moſe comprobatur. Atque hoc pacto maſculus recto naturæ ordine Dei verbo ſacer, dicatusq́ eſſe debuit prior, poſterior verò femina marem ſecuta, Deo etiam obſequia probanda præſtare, ad quam ſeriem & οἰκονόμιαν appellans Apoſtolus: Volo autem vos ſcire quòd omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput verò Chriſti, Deus. & iterum: Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ. Atque præceptis & ſtatutis omnibus quæ ad ſacrorum rituumq́ rationem, & cultus dedicationem ſpectabant, mares præcipuè appellabantur, quorum id propriè munus erat: fœminæ autem tanquam miniſtræ non ſacrorum, non hoſtiarum, non etiam laudum carminum, ſed externarum quarundam operarum quæ illum decerent ſexum admittebantur: etiam ſi ex ſacerdotum familia, cognatione & ſanguine eſſent: quibus tamen alendis & ornandis ſanctorum carminum & epularum quarumdam copia atq; vſus communicabatur legitimè. Hic itaque ſexus ad ſanctæ familiæ cenſum & ordinem ſecundario referebatur iure, quamdiu à ſacerdotum domo non migraret. Marium autem prima & potiſſima ad omnem ſacri muneris officiíque, & hoſtiarum vſum fuerat electio. S. S. E. Separabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum eſt in pecoribus tuis, quidquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino. &, Reliquam autem partem ſimilæ comedent Aaron cum filiis ſuis, abſque fermento: & comedet in loco ſanctuarij. Ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incenſum. Sanctum ſanctorum erit, ſicut pro peccato atque delicto. Mares tantùm ſtirpis Aaron comedent illud. Legitimum erit in generationibus veſtris. & rurſus, Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur, carnibus eius: quia Sanctum ſanctorum eſt. Locutusq́ eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai, dicens: Numera filios Leui per domos patrum ſuorum & familias: omnem maſculum ab vno menſe, & ſupra. & paulo inferiùs: Quarum numeratus eſt populus ſexus maſculini ab vno menſe & ſuprà, ſeptem millia quingentorum. Hi poſt tabernaculum metabuntur ad occidentem ſub principe Heliaſaph filio Laël. Harum & ſimilium imaginum ſignificationes explicandi nunc locus non eſt: nobis aliàs, Deo id annuente, acturis: nunc verò ſatis fuerit oſtendere priores, in iis quæ diuinum ſpectāt cultum, & præcipuas mari ab initio conſtitiſſe parteis, & ſemper conſtare debuiſſe, adeò vt neque noui Teſtamenti ætate aliam rationem admiſſam, diuini voluerint miniſtri. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulierem non permitto: neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua.

[Margin: 1 Cor. 11. — Epheſ. 5. — Exodi 13. — Leuit. 6. — Num. 3. — 1 Tim. 2.]

Neque verò hoc loco de eius mulieris fabricatione agimus, quam Euam antiqua & noua ſcripta nominant: corpore conſtantem, & ex viri latere eductam, quæ etiam homo dicitur, & inferius deſcribenda: eademq́ vtriuſque hominis partibus ac portionibus definienda erit. Verùm de humano animo ſermonem inſtituimus, cui duplicem, vti diximus, portionem, ſapientia adſcribit ſuperiorem,

 & inef-

*& inferiorem, eaſdémque aliàs interiorem & exteriorem homines appellatas.*
Rom. 7. *Has inquam portiones, maſculum & feminam, ex naturæ ac facultatis ratio-*
Epheſ. 3. *nibus vocari intelligimus, atque eaſdem illa expolitione nominari. Maſculum*
Gen. 1. *& feminam creauit eos. Hæ ſunt generationes Adam. In die qua creauit Deus*
Gen. 5. *hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum, maſculum & feminam creauit eos,*
» *& benedixit illis: & vocauit nomen eorum Adam in die qua creati ſunt. Anim-*
*aduertenda enim obſeruandáq; eſt accurata illa verborum repetitio & expoli-*
*tio, eos, eum, creauit, vocauit, fecit, quæ magnum huius rei arcanum attenden-*
*tibus indicant. Namq; aliàs nihil mirandum homini in animantum genere &*
*cenſu conſtitutum maris & feminæ ſocietate & conſortio ad propagationem ſuæ*
*ſobolis indigere, neque adnotatione videretur id magis in hoc genere dignum,*
*quàm in ceteris animantum formis, quibus vtcumque ſexum communiter diſtri-*
*butum quidem fuiſſe, appellatum verò eſſe non conſtat. Nulla namque in vitæ*
*compotibus creandis, præterquam in vnica hominis natura, maſculi & feminæ*
*facta mentio eſt. His etiam illud accedit in prima quam de humani generis crea-*
*tione Moſes inſtituit, narratione tantummodo maſculi & feminæ appellata*
*fuiſſe nomina: in ſecunda verò de coniuge primo homini ſufficienda alia fuiſſe*
*vſurpata vocabula* IS *&* ISSAH, *vir & mulier. Ac de maſculi quidem no-*
*mine, etymo & ratione, quatenus ad hoc argumentum facere viſum eſt, dixi-*
*mus: de femina verò nonnihil etiam ſubiicere conſequens fuerit. illud in pri-*
*mis pro certo tenentes, quod ad naturæ integritatem, atque ad generis verita-*
*tem, cōditoris etiam auctoritatē: atq; adeò ad cauſam eandē eſſe maſculi ac femi-*
*næ definitionē; in virtute verò, efficacitate, facultate, conditionibus, ac legibus*
נקברה *non eſſe ex æquo pareis vtriuſque rationes. Feminæ antiquum nomen* NEKE-
נקק קב BAH, *his omnibus verbis affine eſt* NAKAK KAB KABAB KOB NAKOB,
קבב *quorum primum* NAKAK, *aperturam non peruadentem, ſed antri inſtar ha-*
*bentem ſignificat, quales in rupibus & ſcopulis reperire, ſacra hiſtoria indicat.*
Ierem 13. *Vnde ab Italis architectis nomen* Nichio *tractum coniicimus, quod apertu-*
Haiæ 7. *ram in muro ſignificat, non peruadentem, ſed ſemicirculi ichnographia inſtitu-*
*tam, ſimulacri cuiuſpiam excipiendi ac tutandi capacem. Ex eodem fonte nomen*
KAB *deriuatur, certæ cuiuſdam menſuræ ſextam ſati partem capientis, ex*
*aridis, quæ menſurari poſſunt rebus, Latini hunc modum* cabum *dicunt: quem*
*ad quædam vaſa, ollis non diſsimilia, referunt.* KABAB *quoque comprehende-*
*re & capere ſignificat, ex quo etiam capere verbum Latinis natum videtur: cer-*
*tè* KOB *&* KVB *tabernaculum, ſiue tentorium interpretes vertunt. At verò*
NAKAB *poſtremum verbum aperire & forare iidem interpretantur. Ex quo-*
*rum verborum contemplatione quæ, qualéſq; in vnoquoque genere feminæ ſint*
*partes, facilè intelligitur: nempe ea quæ à mare traduntur, certo quodam modo*
*excipiendi idoneæ, quæ capacitatis loco & tabernaculo continendi, ſeruandi, ac*
*tutandi, & qua parte exitus patet cùm opportunum fuerit reddendi, in lucémq;*
*proferendi, atque in ſumma generationis prærogatiuam verba hæc omnia cum*
*ſuperioribus mari attribuunt, conſeruationis verò, maturationis & prolationis*
*curam, facultatem miniſteriúmque commendant feminæ: quæ citra præcedens*
*maſculi officium nihil rectè inſtitutum, ac ſeriè deductum, certa præſtare valet,*
*quod in naturæ ordine ac definitione cenſeri meritò debeat. Hoc pacto in vniuſ-*
*cuiuſque* ADAMI, *id eſt hominis animo conuentum ſemper oportuit, vt maſ-*

*culus*

*culus dextram, femina ſiniſtram ſemper ſeruaret ac tueretur: ille in actionibus præcederet, hæc ſubſequeretur; ille ex Dei præſcripto dictaret & imperaret; obſequeretur hæc: maritum hæc quid facto opus foret interrogaret, eumq́; de diuina voluntate ac lege obaudiret, ſuſciperet, & officij opera iuuaret, & comitaretur id quod huius ſexus eſſe munus in muliere inſtruenda ſignificanter Apoſtolus præſcripſit. Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit: Siquid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Ante verò quàm de menſura, virtute & facultate* ADAMI *diſputemus, mulieris fabricam opifice Deo abſolutam contemplari oportunum exiſtimamus, quandoquidem præter naturale corporis partium propagationis cauſa cōceſſarum diſcrimen cetera viro ac mulieri eiuſdem naturæ ac definitionis, non tamen eo gradu exercenda contigerunt. Vtrique enim* ADAM *nomen à Deo impoſitum conſtituit, vtrique quod animum ſpectat par in imagine, & ad ſimilitudinem Dei datus ſpiritus, & maris ac feminæ conſimilis portio diſtincta fuit.*

## HVMANA SOCIETAS.

### CAPVT. II.

MVNDI *huius terrenique orbis regnum atque imperiale decus, non vni tantùm capiti, ſed pluribus eſſe commune & vtile voluit auctor, cuius ipſa felicitas, amplitudo, & rerum copia refertum omnino conuiuium poſtulare videbatur. Cultura etiam pro locorum ac temporum rationibus opportuna, frequentes poſcebat operas: quamquam minori labore præſtari illa tunc potuit, vt aliàs docebimus. Deinde verò ipſa humani generis præſtantia ac dignitas nimium profectò anguſta in vnius tantùm capitis perſona conſtaret, eoq́; beatiora viderentur cetera animantum ſecula, quòd pluribus ſingula numeris frequentabantur, atque multitudine ſui maris ac terrarum regiones tractusq́; decorabant. & hoc vnum animal omnium excellentiſſimū, maxima raritate vel vnico tantùm exemplo ſolum degeret & ageret, & ingenij ſui fructum vnius veluti plantæ inſtar rarum proferret: cuius fructus præcipua vis, in perpetua proprij atque communis conditoris obſeruatione, imitatione & laude ſpectanda fuerat: quæ res quò frequentior, eò pulchrior & auguſtior euaderet. Namque optimarum rerum copia quamquam maxima, tamen inopiæ ac penuriæ ſummo præfertur iure. Præcipuè quod rerum quæ finem ac modum ſortitæ ſunt, ſocietas, & mutua coniunctaq́; opera infiniti eiuſdem imaginem præbet: & eo nomine ac pacto auctoris infinitudinem quatenus poteſt, imitatur: collatis viribus munus officiumq́; ſuum plenius ac melius, atque adeò gratius & iucundius exhibet, quocumque pacto illud fuerit exhibendum. id quod ſapientes vt certum atque exploratum naturam rerum omnem ad factitandum inuitare, incitare, adhortariq́; conſueuere. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. Benedicite omnes Angeli Domini Domino: Benedicite ſol & luna Domino. Benedicite omnes ſtellæ cæli Domino. Omnes potius quotquot in vnoquoque genere ſunt formæ formarumq́; numeri ad laudum diuinarum perpetuum appellantur officium. quæ ratio vel vnica apprimè idonea ac legitima iudicanda fuerat ad humani generis optandam & probandam frequentiam. Verùm enimuerò omnem*

Concordat cum animæ lib. 1. c. 8.

1.

*hominum Angelorumq́ rationem & approbationem diuinæ prouidentiæ auctoritas ac ſententia infinito antecedit interuallo: cuius ſententiæ illud pronunciatum extitit exemplum.* Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. *Id enim cuius cauſa homo conditus, atq; in mundo conſtitutus erat, ſocietatem & frequentiam poſtulabat.* Vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, omniq; terræ. *Quod quidem vnius capitis viribus, munere & officio intra certas definito metas, plenè præſtari non poterat. Quamobrem de multiplicanda generis eiuſdem perſimili & pari congenereq́ omnino prole, decretum illud eueſtigio pronunciatum fuit:* Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. *Eiuſdem omnino ingenij, facultatis, & imaginis compos adiutorium illud, eiuſdemq́ conſilij & voluntatis, tum ad vitæ communionem & ſocietatem, tum verò ad prolis procreationem eſſe oportere, verborum indicat ſententia,* ſimile ſibi, CHENEGDO*: vt illi è regione & præſens ante oculos perpetuò habendum, veluti ſpeculum in quo ſeſe contempletur, & expreſſum agnoſcat. Latinè vtcumque huiuſmodi inſtar exemplum nomine* comparis *declarare poſſemus.* Compar illi, *ſic tamen* compar, *vt annutus & vultus illius obſeruantia nuſquam deflectat, ſempérque præſens, præſentem intueatur & iuuet. Huius adiutorij copia & quod in vno tantùm exemplum primum conſtiterat humanum genus, pluribus deinde capitibus propagandum porrò deinceps erat, omnibus quidem eadem natura conſtituris, ac ſimili prorſus ingenio ponderéq́ ſimili æſtimandis: quam quidem ob rem adiutorium illud quod ad ſufficiendam prolem comparabatur: compar,*
כנגדו *vti diximus, exiſtere decuit.* CHENEGEDO, *vt verò beneficium hoc ex comparatione æſtimatum cognoſceretur ceterarum, quas terra protulerat animantium formas naturasq́ omnes, adoptionem primo homini propoſitas voluit auctor: quibus examinatis & cognitis, quantum ipſe dignitate, facultate, ingenio, & efficacitate anteiret, cum ſumma Dei gratulatione agnoſceret, cumprimis, & quatenus imperij ſui ditio pertineret, quemadmodum tenenda exercendaq́ eſſet, intelligeret, atque ex conſequenti, qualem quantumq́ cultum, quam pepetuam obſequij laudem ipſe tantæ ſibi creditæ & collatæ dignitatis amplitudinisq́ auctori ac principi Deo daret: vtpote cuius liberalitate ac dono tot ſibi ſeruientum, & obſequentum variis ingeniis diſtincta, multis commoditatibus opportuna genera ſubdita recenſeret, propriisq́ ſingula deſtinaret ſeruitiis. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.*

II. *Humani generis naturæ inprimis, deinde ingenij ac ſenſus, efficacitatis atque muneris, demumq́ officij vltra ceteras animantes omneis præſtantiam, narrationis pars hæc attendentium oculis animisq́ commendat. ac diuini in hominem beneficij magnitudinem & amplitudinem indicat: non modò ex ipſa æſtimatione rei, ſed ex appellati numinis auctoritate, cuius duplex hoc loco nomen auditur: alterum arcanum illud quod ad liberalitatis & miſericordiæ argumenta referri iam aliàs indicauimus.* IEHVEH ELOHIM*: Nam quod benignitatem ſpectat vnius hominum generis cauſa* IEHVEH *cuncta animantum ſecula formare decreuerat. Idemq́* ELOHIM, *Creator, & opifex rerum ſapientiſſimus, & efficaciſſimus eadem verbo creata è terræ viſceribus produxit; eademq́ ſupremi principis auctoritate homini in poteſtatem, ſeruitium, vſumq́ tradenda, vndique coacta, cõuenireq́ iuſſa coràm conſtituit.* vt videret quid vocaret ea.

*apud exemplarem linguam pronomen amplius quicquam indicat, quam apud Latinam,* quid vocaret ipſi. *Verbum* KARA *cum acquiſitionis nota conſtrui in illa lingua ſolet: vt & hîc legimus conſtructum. Vocabulum quoque* MAH, *non tam verbi, ſiue vocis, quàm rei ſignificationem obtinet. atque ita rectè Latinè verſum eſt in vocem* quid, *ex vtriuſque ratione intelligimus periculum: primum humani ingenij in examinandis animantum naturis, & facultatibus factum: deinde etiam imperium in eaſdem Deo præſente & annuente conſtitutum & initum, poſſeſſionem perceptam, & ipſarum animantium obedientia ac ſeruitute ſubitam & confirmatam,* quid vocaret ipſi. *Quidnam muneris ac ſeruitij ex ingenij explorata, certaq́ notitia decerneret ipſi animanti in exercitium & operam, & ipſi decernenti in vſum & commodum. Namque, vti repetimus, pronomen* ipſi *latiùs hîc fuſum, ad vtramque refertur perſonam, animantum & Adami.* KARA, *pro quo Latinus clamare, legere, recitare, & ſæpiſſimè vocare legit, cum voce* MAH, *id eſt, quid interdum: frequenter verò cum vocabulo* SEM *constructum rei vel perſonæ cuiuſpiam electionem & conſtitutionem, ſiue creationem ad munus officiumq́ præſtandum factam ſignificat, cum argumento ingenij & facultatis, vel innatæ, vel inditæ & conceſſæ ad id quod agere aut præſtare iubetur. vt, Ecce vocaui ex nomine Bezelael filium Vri, filij* Exodi 31.
*" Hur de tribu Iuda, & impleui eum ſpiritu Dei, & ſapientia, & intelligentia, &*
*" ſcientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, argento, & ære, marmore, gemmis, & diuerſitate lignorum. &, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. &, Nunc hæc dicit Dominus* Pſal. 146. Iſaiæ 43.
*creans te Iacob, & formans te Iſrael. Noli timere, quia redemi te: & vocaui te*
*" nomine tuo: meus es tu. Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ re-*
*" cordatus eſt nominis mei.*
*" Huius cognoſcendarum appellandarumq́ rerum notitiam & auctoritatem Adamo ex diuino munere conſtitiſſe hæc quam exponimus actio declarauit. qua Deus vt arbiter & auctor omnia volatilium atque quadrupedum genera dignoſcenda, vocanda, nuncupanda, atque in proprios deſtinanda vſus propoſuiſſe dicitur: nihil vſque contendentia, vel reluctantia, vtpote ab auctore ipſo conuenire iuſſa ac tradita, & perpetuis obligata obſequiis.* vt videret quid vocaret ea. *Quid vnumquodque genus valeret, ingenióque & opera præſtare poſſet: vnde nomen differentiamq́ ab aliis ſortiretur: atque ita ſibi in ſeruitutis vſum venire obſequi iuberetur: interimq́ intelligeret quanto ſeſe diſcrimine communis conditor ab aliis omnibus ſeparauerat, quantoq́ maioris beneficij lege obligatiorem deuinctioremq́ ducere, ſentire, & gratiorem atque pium præſtare conſentaneum foret.* Et omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. *Nondum enim omnes animantum formas Adamus tum primùm recens & in lucem vocatus ſpectauerat. Quem tanti exercitus viuentium multitudine & copia, tanta ingeniorum & ponderis varietate, velut iucundiſſimo perſonarum rectè inſtructarum ſpectaculo lætum exhilaratumq́ fuiſſe, atque eò magis diuinæ gratulatione liberalitatis incitatum, quod illa omnia ſua vnius cauſa à Deo producta, ſibiq́ tradita accepiſſet. Ideoq́ tamquam principi recenſenda, ac propriis miniſteriis ſigillatim dicanda proponerentur. Id quod, quam primum magna celeritate expeditum eſt, cunctis generibus certa ordinum ſerie illi appellatis, & ſuas vnoquoque ſibi à Conditore tributas, & à nomenclatore deſcriptas, & commendatas parteis ſumma cum obe-*

ditione

ditione & alacritate audiente & ſuſcipiente, atque in poſterum perpetuo oppor-
tuneq́; peracturo, ipſum eſt nomen eius, totius generis commune atq; vniuſ-
cuiuſque proprium capitis, hoc illa verba ſignificant. animæ viuentis, id eſt,
cuiuſlibet in ſingulis generibus capitis, quam diu vita conſtat, ipſum nomen
eius. non modò generis totius, verùm vniuſcuiuſque exempli ſiue capitis & ani-
mæ: idq́; nomen ſuis agendis partibus, Deo ſemper & homini ipſi quoad illud
conſtiterit, præfecturæ eius probabit. Quod hoc in loco nomen Latinè dicimus,
in primæua lingua ſonat SEM, quod nomen, famam, celebritatem, vires, effica-
citatem, certitudinem & proprietatem, atque adeò idem quod apud Latinos
RES interpretari poſſumus. Namque ad omnia hæc huius verbi ſignificatio va-
riis in locis obſeruata extenditur: cuius etymologia à verbo SVM, ponere, con-
ſtituere, ſtabilire, certum facere, & complura alia huiuſmodi rei, veritatis, & ef-
ficacitatis imaginem & rationem referentia & exprimentia: quæ omnia quan-
tum in vocabulo SEM ſignificationis contineatur, indicant. Videlicet res, ve-
ritas, ingenium, munus, & facultas: ita vt documenti illius, hoc eſt nomen eius
interpretatio illa fuerit. Quidquid de vnoquoque animantum genere pronun-
ciauit ac declarauit Adamus, id verè ac reapſe pondus & ingenium perpetuum,
munusq́; ſtatum & immutabile cenſendum eſt, ſuis temporibus opportunè, vbi
res poſtulauerit certa actionum, vel paſſionum opera exhibendum & præſtan-
dum. Nam quam diu vnumquodque ſingulorum generum caput viuet, pro-
priam re, & certa obedientia tuebitur vocationem, perinde atque ſol, luna, ſtel-
larumq́; multitudo ſuam etiam à Deo nominatam vocationem tuentur. de qua
Pſal. 119. ſcriptum eſt: Ordinatione tua perſeuerat dies: quoniam omnia ſeruiunt tibi.
III. Quamquam verò tantarum ſibi ſeruientium, dictoq́; audientium copiarum
tam multis partibus inſtructum ſpectaculum iucundum, atque gratum admo-
dum hominis animo fuerit, tamen eo nomine nõ ſatisfecit. quod nullum in tanta
viuentium frequentia vel ad vitæ ſocietatem & communionem, vel ad proprij
generis propagandi facultatem, quod ſecum facere & conuenire poſſet, excipien-
dum optandumq́; fuerit. Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius,
CHE NEGDO compar ſibi. Cùm omnia quæ propoſita fuerant & nominata
genera deferendæ ſibi ſeruitutis partibus commoda, non tamen adiumenti con-
ferendi conſortio dignitati & artibus idonea comperirentur, vel vnum quod-
piam ex illis, vel omnia ſimul. Ex qua contemplatione diuini in ſe genusq́; ſuum
beneficij magnitudinem apertè cognouit Adamus, eamq́; duplici pondere æſti-
mandam: & quod tam multis, variis, ac ſingulis proprio in genere pulchris &
probatis animantum naturis, ingeniis, & facultatibus, vltrà omnem compara-
tionem ſeſe præſtare agnoſceret, & quòd præter alias complures virtutes, quibus
ex diuina liberalitate productus erat; tot, tamq́; variis naturæ atque rerum ge-
neribus cognoſcendis, animum ſortitus erat idoneum, iiſdemq́; exercendis, & ſibi
in vſum habendis poteſtate præfectum. Ita vt mente atque imperio omnia ſe
quodammodo eſſe intelligeret: alia verò præter ſe ſingula tantùm ſuum locum
ſeruare, & ad humanæ ditionis & poteſtatis nutum in ſtatione manere propria.
Deinde etiam, quod linguæ atque ſermonis compos factus, quidquid noſſet &
vellet verbis ſignificare, diſtinguere, & communicare aliis poſſet, cùm cetera om-
nia vel nutu, vel indiſcretis & anguſtæ ſignificationis vocibus ſonantia ſenti-
ret: quas cùm ipſe intelligeret, tamen ab illis minimè percipiendus, niſi quantum
ad

*ad ſeruitutem iis ſubeundam faceret. Atque totius præſtantiæ præter ceteras naturæ parteis illud præcipuum fuerat caput, quod ipſius animus in imagine Dei factus & inſpiratus, maris & feminæ naturam, vim, facultatem, & pulchritudinem obtineret, duplicisq́; compos eſſet vitæ. Ceterorum autem tantùm animæ eſſent, eæq́; feminæ omnes* NEPHES HHAIAH, *nulli verò alij, præter ſe ampliſſimum illud nomen & adiunctum* NESEMAH HAIIM, *tributum, adſcriptumq́; indicari poſſet. Hoc eſt animus duplicis vitæ compos: cuius vt conſortem quem & ad omnem vitæ partem aptum & promptum, & ad propagandi generis copiam commodum adiutorium haberet: eodem, hoc eſt, ſexto die Deus effecit.* Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam. *Ex pluribus nominibus ſomnum ſoporemq́; ſignificantibus, vnum hoc loco vſurpatum* THARDEMAH, *profundum, atque omnis externi ſenſus penè expertem ſomnum, vel voce ipſa repræſentat: qui tamen non ſemper internam animi agitationem impediat. cuiuſmodi incidere ſolet iis, qui vel intenta mentis opera quicquam ſummoq́; ſtudio agunt: ita vt corpore ſopito, veluti mortui attendentibus videantur; vel qui maxima mæſtitia oppreſſi iacet, ac vltra cōmunem & vulgarē vſum dormiunt, non niſi clamore & agitatione excitandi. Talis Ionæ in naui præ triſtitia ac tempeſtatis fragore contigit olim ſomnus. Talis etiam Abrahamo inter diuiſas hoſtias dormienti, & reſponſa diuina interiùs percipienti contigerat. Eſt vbi huiuſmodi affectioni nomen ſpiritus propter efficacitatem præponatur. Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, Prophetas & principes veſtros qui vident viſiones, operiet. Rarò autem vocabulum hoc citra ſingularem adnotationem vſurpatur. Huiuſmodi itaque ſopore affectus Adamus, nihil eorum quæ circa ſe agebantur ſentire potuit: quare nec (tametſi ſuo in genere ſapiens eſſet) auctori Deo aliqua ex parte conſiliarius eſſe, atque indicare quemadmodum adiutorium illud conficiendum, conformandumq́; foret, vt ſibi compar prodiret. Itaque totum id quidquid factum exiſteret, bonitati, ſapientiæ, ac virtuti Dei acceptum referendum erat. vt nullo nomine quicquam alij naturæ quàm auctori ſuo debens. Nam quod ex viri coſta ædificaretur, nihilo minus Dei opus erat, quàm vir ipſe de limo terræ efformatus. Itaq; ſopor ille ad vtramque ſapientiam probandam opportunus fuit: vnam primam & maximam Dei auctoris admirando opificio mulierem eadem ex natura conſtituentis, alteram verò Adami poſtea excitati, & rem qualem Deus effecerat cognoſcentis conſentaneoq́; nomine appellantis.* Cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. *Mutui amoris perpetuæq́; concordiæ inter marem atque feminam fundamentum ab ipſis formationis initiis iactum, communis conditor volens ex viuente iam terra, atque adeò ex eodem vnico prius corpore viri, mulieris corpus efficere conſtituit: quod, quamquam alterum euaderet, idem tamen dici iure poſſet ac deberet. Quidquid enim elementi iam animati ac viuentis in viri corpore fuerat in detracta coſta, eiuſdem cum toto corpore materiæ participe continebatur, pro magnitudinis tamen ratione veluti in triticeæ maſſæ fermento exiguo eadem continetur, quæ in tota maſſa fuerat virtus, & quæ nouam trium ſatorum maſſam, aut maiorem etiam fermentare poſſit. Atque ex vno tritici grano terræ credito, ſuſcepto & foto, germen, herbam, ſpicam, ac demum frumētum in ſpica plenum Dei verbo produci conſtat: id quod certo fit temporis ſpatio: ſic diuina virtus nihil expectatis temporis horis, vno*

Ion. 1.
Gen. 15.

tantùm momento coſtam pro rei ratione, opportunitate, & loco auctam, emollitam, atque variis partibus comparatam, in humanum conformauit corpus, eodem prorſus inſtructum ſpiritu, quo virile prius fuerat inſtructum. Cuiuſmodi repentinam procreationem, coagmentationem, & efformationem abſolutam ab eodem verbo, non ſemel magna cum ſpectantium admiratione & vſura præſtitam cognouimus, vbi ex paucis panibus exiguiſq; piſcibus opportunam frequenti populo ſaturando ſuffectam, atque redundantem copiam, & deſerto in loco ſuppeditatam legimus, in quo non modò primi panes non fuere deſiderati, ſed multis etiam reliquiarum caniſtris compenſati ſuperfuere: ita nihil ex virilis corporis integritate, ſubductione vnius coſtæ quod requireretur, defuit. Et repleuit carnem pro ea. Ita vt potius auctum, quàm imminutum viri corpus dici poſſit, cui durior & ſiccior ſui pars tenerioris & mollioris, atque temperatæ magis portionis ſuccedaneo ſupplemento ſit reſarcita. & ex ea regione vnde feminæ origo erat, tenerior erga comparem promitteretur affectus. Neque verò coſtam nudam, ſed vna cum carne inhærente intelligimus à Deo ſubductã: quippe quam integri viri partem integræ mulieris & conſortis integrum principium eſſe Deus voluerat. Coſtæ verò natura præter alia omnia membrorum oſſa duplicis rationis ac iuris prærogatiuam promittebat comparis æqualitatis, & ſimilis omnino ſenſus ac voluntatis. Nam cordis in animali domum & quaſi contignationem, regiumq; tabernaculum coſtarum conſtructio vendicat. Deinde etiam vti cor ceterarum partium princeps medium tenet locum; ita coſtarum concameratio totius corporis media regione conſtruitur. Nullæ verò res magis compares, magiſq; ſibi conſimiles eſſe putantur iis quarum non modò natura eadem, verùm etiam idem vel inuicem conueniens centrum fuerit: illæ enim cùm paria cetera habeant, cum eodem nitantur centro, pariter eodemq; moueri modo, atque in idem ſimul contendere, deduci, peruenireq; poſſunt: id quod in bigarum rotis manifeſtum eſt, quarum alteram altera iuuat, & ambæ pariter impoſitum ſuſtinent pondus, & quò rectoris mens intenderit, vectum perferunt. Atque ita rata altera ad alterius conſtituta eſt latus, vt nihilominus ambæ ſe mutuo intueantur & conſpiciant, ac dextræ ſiniſtra è regione reſpondeat, & verè CHENEGEDO, ſiue ſibi ſimilis dici mereatur. Et quidem qua ratione rotæ mouentur & aguntur, altera alteri comes latus, vti dici ſolet, tegit: qua verò onus acceptum ſuſtinent, altera alteram conſpicit, adiuuat, è regioneq; habet. ita ex re ipſa, hoc eſt, coſtæ natura & ratione intelligimus, fabricæ illi à communi conditore in mulierem ædificatæ & conſtructæ à lateribus, id eſt, ab ipſa principis partis, cordis inquam, domo initium fuiſſe factum, in eademq; formato & collocato corde reliquas omneis corporis parteis fuiſſe abſolutas ad inſtar viri, quod ad cetera potiſſima & præcipua attinet; præter eas quæ ad propagandæ ſobolis facultatem adiutorij rationem ſubituras conditoris ars & ſapientia conſtituit. Ita ex vna eadem iam viuente vnius ADAMI materia duo constructa ſunt viua corpora, numero tantùm diſcreta, & prioris ac poſterioris ordine perpetuò obſeruando ſibi conuenientia eiuſdem NESEMAH HHAIIM, vitarum ſpiraculi communione ceteris omnibus animantibus præſtantia, atque in imagine & ad ſimilitudinem ELOHIM. Duo autem ſignificat nomen TSELAGH coſtam & latus. Quoniam latera coſtis muniuntur. atque ita vocabulum ipſum eandem omnino corporis carniſque naturam probat, & vtriuſque corporis atque animi

ſocietatem

*ſocietatem commendat, atque legem poſteriori præſcribit à priori non diſcedendi, ex cuius latere ſeſe ortam ſimilemq́; conditam, ac diuino opificio conſtitutam nouit. Nam quod ex latere* ADAMI *productum fuit, id Adamum quoque eſſe naturæ euincit ratio. S. S. E. Quod natum eſt ex carne, caro eſt. &, Aedificauit Deus coſtam* quam tulerat de Adam, in mulierem, *non caſu, vel temere, vel materiæ occaſione, verùm conſilio & artificio diuino muliebre corpus ad prolis propagandæ commoditatem & facultatem fabrefactum, comparatum, fœcunditatisq́; virtute inſtructum fuiſſe verbum* ædificauit, *apertè declarat: quod in primæua lingua ſonat* IBEN, *& certam conſtructionis notitiam, artem, & naturam ſignificat: verbi initium eſt* BANAH, *quod in omni ædificiorum exemplo vſurpatur quidem, verùm ad domum præcipua quadam adnotatione refertur, ad quam familia referri ſolet: ita filij qui prolis ac ſobolis propagandæ cauſa procreantur, ex eodem verbo* BEN *&* BANIM *dicuntur: quaſi ædificij ſiue domus parteis dixeris: ſic verbum* BANAH *propoſitum, conſilium & ſtudium, atque iudicium & operam demumq́; opus conſignificat. Atque hoc in loco Dei iudicium & artificium eò intendiſſe obſeruamus; non vt alius homo maſculus, qui alter vir dici poſſet, quamquam ex eadem materia effectus, ſed vt homo eadem conſtans carne, tamen nō vir factus, verum mulier facta, & muliebri corpore ac facultate inſtructa euaderet.* In mulierem *corporis partibus in illam naturæ facultatem & vim comparatis & formatis: ideo adnotanter ſcriptum,* Coſtam quam tulerat de Adam. *Namque cetera propter quæ ambo* Adam vocabantur, *ambobus cum nomine pariter tribuebantur, ſoloq́; diſtinguebantur ordine, quod alter homo prior, alter poſterior extitiſſet, quódque hæc ex illo non, ille ex hac ædificatus eſſet. Nam ſemper illud primum conſtare oportet, Maſculum & feminam creauit eos, & vocauit nomen eorum Adam in die quo creati ſunt. Quatuor autem in hac hiſtoria celebrantur nomina: quorum ratio ac diſtinctio ipſis in locis obſeruanda commendatur. Priora duo ſunt* ZACHAR *&* NEKEBAH, *iam nobis antea oportunè tractata: poſteriora verò ſunt* IS *&* ISAH *diuerſa voce, & ſingulari ſignificatione. Namq́;* IS *affine valde eſt voci* ES, *quæ ignem ſignificat, corporum omnium naturalium efficientiæ præſtātiſſimæ ac celerrimæ: & vel duriſſima quæque vincere, frangere, aut emollire valentis. Cuius ſpiritus quamquam in omne latus circumactus agat, in ſuperna tamen contendit, & longius pertingit. Huic naturæ virilis ratio & facultas, atque efficacitas perſimilis ac propè congener habetur. Adde quòd ignis maſculinam tuetur naturam, vtpote nihil ex ſeſe pariens, verùm producendi ac pariendi in aliis vim fouens. Id quod præcipuè igni illi cæleſti, hoc eſt, Soli conuenit. Itaque virilem naturam, vim & facultatem ardentem, efficacem & penetrātem, atque vndique ſeſe dilatantem: verùm in ſuperna præcipuè ſuſpicientem & contēdentem accipimus, quam his nominibus cunctis regiæ præſidētusq́; dignitatis titulo decorare conueniat: & hæc illi ſingulariter definita tribuere. Hoc ipſum, quo appellatur, nomen* IS *indicat, præter ea quæ recenſuimus: idem etiam quod apud Latinos* vnuſquiſque *conſignificans. Et quidem quæ diximus omnia diuini opificis conſilio & efficientia mulieri quoque communicata fuiſſe intelligimus: non tam ex nomine* NEKEBAH *(cuius in hoc opificio mētio non fit) ſed ex deriuato vocabulo* ISAH *ad eamdem ſignificationem referēdo, cum annotatione tamen ordinis ac temporis, & principij atq; femininæ declinationis exemplo, ita*

Ioan 3.
Gen. 2.
Gen. 5.
איש
אש

*vt* ISAH, *ad* IS *relata ſemina cogitetur, tempore & ordine poſterior, & à*
*viro etiam profecta, ſiue deſumpta. Notanter verò dicimus,* ad IS relata: *Nam-*
*que vocabulum abſolutè pronũciatum, & ad rem tantùm quam ſignificat, appel-*
*latum huiuſmodi admittit interpretationem* ISEADEM, *hoc eſt, eadem femi-*
*nino modo atque gradu igneam vim & præſtantiam efficacitatemq́; obtinet, &*
*eadem virtute in ſuperna tendere poteſt. Hæc enim femineæ literæ* H, *vis & ad-*
*notatio eſt: vt quidquid in maris natura conſtat, idẽ femininæ femina tamen ra-*
*tione vendicet. Quidquid enim equo ex nomine* ZZVZZ *tribuitur, idem equæ*
*feminæ vox* ZZVZZAH *arrogat. Atque ita fit vt nulla maior ſocietas, nulla*
*ſtrictior neceſſitas indicari poſſit, quàm ea quæ inter eiuſdem generis marem &*
*feminam ad naturæ propagationem, & ad vitæ communionem initur. Ceteræ*
*namque ſocietates vel dualem, vel pluralem conſtituunt numerum. Gemelli fra-*
*tres duo, vel gemini, vel alter & alter, vel ad ſummum cùm cõſpirant, vterque*
*dicũtur: nec magis conueniunt aut iunguntur pater & filius, ſed neque amiciſſi-*
*mis quidem hominibus, quorum ad commendandam amicitiæ præſtantiam, vna*
*eſſe fertur anima: eiuſmodi coniunctio & ſocietas citra numerum contingit.*
*Quippe huiuſmodi amicitiæ deſcriptio* IDEM *velle, idémque nolle: non tamen*
*vnum idemq́; eſſe perhibetur. Atqui in viri ac mulieris coniunctione, ſocietate*
*& amicitia vera comparis, &* KENEGEDO *ratio & obligatio reperitur;*
*quandoquidem non vnum tãtùm velle, vnumq́; nolle Deus eſſe cõſtituit, vel illo*
*pronunciato* KENEGEDO, *verùm etiam alterum corpus, alterius quaſi mem-*
*brum, & duo pariter carnem vnam, vnum cenſeri appellaríque corpus: id quod*
*Adamus, quamuis propter ſoporem quemadmodum à Deo fieret, non ſenſiſſet,*
*tamen excitatus, propter acceptam à Conditore ſapientiam planè cognouit: &*
*cognitum pronunciauit: & communis legis decreto, ad omnem generis prolem*
*pertinere decreuit, iudicium ac præceptum dictãte atque approbante Deo,* Qui
" adduxit eam ad Adam, Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, &
" caro de carne mea: Hæc vocabitur virago: quoniam de viro ſumpta eſt.
*Quamquam Latinus interpres verborum pondus propter linguæ penuriam non*
*omnino reddidit: arcanam tamen in exemplaribus verbis latere ſignificationem*
*indicauit: quam nos breuiter pro tempore, externa tantùm ſublata cortina reue-*
*lauimus: Namque vlteriora ac penitiora ſacratioraq́; multo adhuc detegenda*
*ſuperſunt, quæ Deus aliàs patefacere dabit iis, quibus notas volet facere diuitias*
" *myſterij huius, de quo ſcriptum eſt: Sacramentum hoc magnum eſt. ego autem di-*
" *co in Christo & in Eccleſia. Veruntamen de eadem, quam adnotabamus, natu-*
" *rali ſocietate & coniunctione ab eodem Apoſtolo relatum conſtat, Qui adhæ-*
" *ret meretrici, vnum corpus efficitur cum meretrice. ſicut ſcriptum eſt, Erunt duo*
*in carnem vnam. Id quod Paulus ab Adamo pronunciatum, tamen verum, &*
*à diuino iudicio profectum adſtruit.* Os ex oſsibus meis. GHETSEM, *id ſæpè*
*ſignificat quod apud Latinos* os oſſis, *hoc eſt, firmiſſimam animalis corporis par-*
*tem: non rarò etiam ad reciproci pronominis transfertur ſignificationem: ita vt*
GHETSEMI me ipſum, GHETSEMECHA, te ipſum: GHETSEMO, ſe-
met *valeat. In phyſicis ſermonibus idem vocabulum ſubſtantiam ab accidenti-*
*bus diſtinctam ſignificat, atque in theologicis myſteriis quod ſupremum ac præ-*
*ſtantiſſimum in vnaquaque natura eſt,* GHETSEM *etiam dicitur. Ita inueni-*
*mus* GHETSEM HAIOM, *&* GHETSEM HASAMAIM, *hoc eſt, diei & cœli*

*corpus,*

*corpus, os, rem, veritatem & præſtantiam. Quidquid itaque in ſe veri, firmi, præſtantis ac ſolidi: denique ſubſtantiæ cognouerat Adamus, quamobrem ſibi omnes animantes ceteras conuenire negabat: id omne huic nouæ compari cõſtare agnoſcit, & adiudicat: non tantùm quod ad exteriorem, ſed quod ad interiorem, & ſuperiorem ſui partem faceret: ab hac enim aſſertionem inchoauit*, Os ex oſſibus meis, GHETSEM MEGHETSEMAI, *cui alteram adiunxit* BASAR MIN BASARI, caro de carne mea: *cum annotatione tamen cùm feminini ordinis, tum etiam participationis potius quàm integritatis.* Hæc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. *Quam quidem communionem ac participationem coniunctione mutua integratum, & in vnum copulatum iri ſignificauit, copulationis vnioniſq́; vinculo quod amicitiam aliam affinitatemq́; ſuperaret omnem.* Propter hanc relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. *Namque hoc pacto quæ vtriuſque coniunctione & compare coniugio proditura eſſet ſoboles, vnius integræ carnis formam, ingenium, vimq́; præſtaret: atque ita idem eſſet cum producentibus productum quod ad cetera attinet præter numerum, & integra illæſaq́; manente vndiquaque vnione illa, quodcumque progigneretur caput, eandem non ſolùm animi & corporis naturam, ſed partium portionumq́; omnium, cùm inferiorum tum ſuperiorum integritatem tueretur: proſpiciente hanc vim, donántéque Deo, atque huiuſmodi fauſtis & auguſtis reſponſis confirmante.* Ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam. *Iiſdem partibus, iiſdemq́; donis, paribus & congeneribus ingeniis ac virtutibus præditos & inſtructos filios horũ eſſe voluit Deus, quibus beneficio ac munere ſuo, illi primùm conditi parentes inſtructi fuerant. Siquidem Deus idem qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, & parentibus ipſis, & ipſorum futuris liberis, nondum etiam natis, verùm in parentum natura & virtute contentis, atque in illa benedictione, quaſi iam præſentibus, dixit:* Creſcite [*qui, qualesq́; nũc eſtis*] & multiplicamini [*prolibus ſuſcipiendis, atque ita*] replete terram [*parentes & proles*] & ſubiicite eam [*eodem beneficij ac dignitatis à me vobis omnibus conceſſa beneficio ac iure.*]

## DE HOMINIS PRIMVM CONDITI natura, conditione, & ingenio.

### CAPVT III.

EIVSDEM *vt naturæ & conditionis, ita conſimilis, & pariter probandi ingenij, cunctos hominis liberos atque ſingula huius generis capita eſſe, Deus voluit, & conſtituit: vti ex ipſius benigno reſponſo edocti ſumus.* Concordat cum animæ lib. 1. c 9. ac 10.
*Iam verò cuiuſmodi illa fuerit conditio, inueſtigare operæpretium non vulgare fuerit.* 1.
*Principio autem hominem* in imagine Dei *factum nouimus, & quidnam cuiuſque ordinis ac modi illud eſſet, diſſeruimus: nempe naturam lucis compotem: lucis, inquam, creatæ à Deo, atque illi figmento adhibitæ, quam* NESEMATH HHAIM, *id eſt*, ſpiraculum duplicis vitæ *vocatam accepimus, nulli terrenarum quadrupedum, ac nec auium communem, eandémque naturam Angelis*

 paulò

*paulò inferiorem, qua videlicet parte carne terrena fictam, minúſque agilem eſſe conſtaret: ceterùm aliàs nobilem, generoſam, præſtantem, & propter illam* in imagine Dei *factam partem, gloria & honore coronatam: adeò vt Angelos etiam propter hanc hominis naturam, ſi non primario, tamen conſequente iure creatos didicerimus, Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis? Atque illud quod* imaginem, *vel* in imagine *legimus, quodq́; ſocietatem cum illo in lumine Spiritus ſanctus interpretatur, tribus nominibus explicari licet, ſapientiæ, efficacitatis, ac bonitatis: hæc enim tria Deo tanquam propria, æterna, eadémque nullis temporis aut modi cohibita terminis tribuuntur. Homini verò magna quidem, imò ampliſsima; verùm certos non excedentia terminos: adeò tamen ſumma contigerant, vt in terris homo ad terrena omnia relatus, quaſi Deus quidam videri & haberi poſset, qui vicariam dignitatis diuinæ ſortitus fuiſſet naturam, ſapientem, efficacem, & benignam. Atque ſapientiam in ſuperiorum & inferiorum cognitione, efficacitatem in eorumdem ad proprium finem directione, benignitatem verò in bonorum omnium communicatione verſari intelleximus. Fuiſſe verò homini ſupernorum notitiam cùm ceterorum ſpirituum, tum præcipuè Conditoris & principis Dei, pluribus argumentis docemur, ex quibus vnum ipſa naturæ ſuggerit ratio. Quòd quamprimùm ſeſe homo cognouerit, neceſſariò intellexit* in imagine, & ſicut ſimilitudinem Dei *creatum. Quin vel hoc ipſo illius naturæ in cuius imagine factum ſeſe agnoſceret, dignitatem, præſtantiam, ſi non omnem, vtpote infinitam, vel tantam tamen, quantam ipſe ſocietate & imitatione referret, nouiſſe conſentaneum fuit. Atqui illum ſibi notum fuiſſe, vel ex eo liquet, quòd nullam ſibi comparem animantum laudauerit, præter eam quam poſtremùm ex oſsibus carnéque ſuis factam agnouit, ac de ſuo nominãdam nomine, auctore, & probante Deo prædicauit. Sed ex omnibus erga ſe reſponſis, alloquiíſque diuinis acceptis & intellectis, multis modis ac nominibus numen ſibi eſſe cognitum probare potuit: vt verum, vt præſentem, vt rerum omnium, ſuiq́; conditorem, vt ſapientem, efficacem, & bonum, vt Principem & gubernatorem: vt erga ſe præcipuè benignum, totiq́; rerum imperij auctorem: vt præceptorem, legiſlatoremq́; iuſtiſsimum: vt denique ſemper proſpicientem, fauentem, & auxilio, præſidio, & perpetua cura patronum atque tutorem. Namque hæc omnia animo in imagine Dei creato, manifeſta fiebant illis diuinis oraculis.* Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram. Dixitq́; Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & omnia ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animãtibus terræ, omniq́ue volucri cæli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita. *Id quod aſſertionis cauſa narrationi adiunctum eſt,* Et factum eſt ita, *apertè indicat ea omnia quæ à Deo dicta, declarata, conceſſa, & ſingillatim enumerata fuerant, reapſe præſtita, atque illis cognita & accepta conſtitiſſe, & ex conſequenti rerum omnium quæ ſub ambitu cæli in terrarum orbe ſpectantur, certam & exploratam illis fuiſſe notitiam: non ſolùm autem rerum, ſed temporum, opportunitatum, & commoditatum diſtinctas fuiſſe partes, rationes, modosq́; omnes. Nam quæ iam recenſita*

Heb. 1.

Angelos

*recenſita ſunt genera cuncta, vſus cauſa illis tradita referuntur. Vſum verò naturæ ordine cognitio præit: nemo enim iis, quæ ignorat, rectè vti dicitur. nam quæ cum periculo tentantur, & experimento committũtur, fallaciæ ac deceptionis metu non carent: neque ſi ſemel quicquam huiuſmodi ſucceſſerit, perpetuam conſtantemq́; rationem tentantibus probat. At qui ſacra veritas conſtanter aſſeuerat omnia, vti dicta à Deo fuerant, & vera & certa conſtitiſſe*, VAIHI CHEN, & factum eſt ita. *Quamobrem nullius generis aut formæ, ex iis quæ conceſſa ac tradita accepere, naturam, vim, opportunitatem atque vtilitatem, modum, & vſurpandi rationem illos vſuros latuiſſe intelligimus: intelligentes, apprimeq́; cognoſcentes quid ſibi, quid animantum ceterarum vnicuique generi aptius commodiusq́; foret: vnde petendum, quando legendum, quemadmodumq́; in vſus eſſet aſſeruandum.* vt eſſent illis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. *Apparet itaque manifeſtè; nihil eorum quæ tertio die Dei verbo tellus protulerat, primorum hominum ſenſum notitiamq́; fugiſſe, ſed neque viuentum genus vllum, non ex iis modò quæ terram frequentarent, verùm etiam ex illis, quibus quinto die mare atque æther volantibus aut natantibus, vel repentibus ornari & repleri cœperunt: vtpote qui præfectura, imperio ac poteſtate illorum omnium donati fuerant: quod munus ſine manifeſta eorum quibus imperandum erat, notitia ac diſtinctione exerceri non poterat. Id quod idem homo vel præſentis Dei iudicio probauit, adductis omnibus coram ſe animantibus, quibus nomina aptiſſima, & adeò naturæ conuenientia impoſuiſſe narratur*, & omne quod vocauit Adam animæ viuentis, hoc eſt nomen eius. *Atqui cognitionem notitiamq́; illam primorum hominum, quam ſapientiam potius vocare placet, ſimplicẽ, rectam, primariam, &, vt ita loquamur, vniuerſalem fuiſſe arbitramur. non à ſenſu, vel ab experimento obſeruatam, & mendicatam. Namque omne obſeruationis & experimẽti ſpatium tempúſve ipſa eadem dies qua & ceteræ primum animantes, & poſt has primus vir, ac deinde mulier prima creata fuit, manifeſtè excipit: idemq́; recenſionis modus confirmat, qui ſola diuina adductione, & humana inſpectione, & continuata nomenclatura expeditus eſt.* Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. *Vt quamprimùm vnumquodque videret, eueſtigio vocaret, atque ita pronunciaret, hoc vocabitur* ARIEH, *hoc* ZZVZZ, *hoc* TSON, *& cetera: quemadmodum ſtatim viſam mulierem, ita excepit:* Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur ISAH, quia de IS ſumpta eſt. *Quod nomen nõ ex conſequenti aliquo facultatis obſeruatæ exemplo, ſed ex primis principiis oſſiũ & carnis, & deſumpta ab* IS *natura factũ fuit. Idem etiam in nomine altero imponendo oſtendit, ex virtute videlicet & facultate ante omne experimentum, quæ vitæ prolibus omnibus cõciliandæ ac fouendæ, atque ad partum vſque ſuſtentandæ & promouendæ idonea erat, & illi iam tum primum videnti cognita.* Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ HHAVAH, eo quòd mater eſſet CHOL HHAI, omnis viuentis. *Cùm tamen nondum quiſquam ex illa viuus prodiiſſet fœtus. Atqui ita exiſtimare cõueniet, communes naturæ omnis creatarum rerum notiones homini primò ante priuatæ, aut ſingularia exemplorum experimenta, dum humanitas ſuo in ordine maneret, conſtitiſſe. Id quod Salomon apertè docet, dum primum hominem ſapientia à*

*Deo*

Deo imbutum & locupletatum aſſerit cumprimis: deinde verò ſapientiæ munus eſſe ait, quodcumque verbum, quodcumque rerum genus obiectum fuerit, aperire, exponere, & explicare quamprimum viſum, idq́; firmum & ſtabile aſſerere: Ecclef. 7. Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis » miſcuerit quæſtionibus. Fecerit Deus ETH HAADAM, illum hominem quem fecit IASAR. Significat autem IASAR, vt ſimplex vocabulum eſt, id quod Latinis rectum, omni obliquitatis, curuitatis, dubitationis, & cogitationis diuerſæ exceptione immunem: ſi verò ad compoſitionis formam referatur, idem ſignificat quod ab initio perpetuo principem & liberum atque imperantem, ductorem directorémque: quibus ſignificationibus illud indicatur, integram Adamo recens facto rerum cognitionem nullo diſcurſu aut cogitationis, & inueſtigationis ad verum inueniendum labore indigentem, ſed verè ſimplicem, apertam, atque exprompťam. Namque vt idem ipſe Salomon eueſtigio declarat, hu» iuſmodi ſapientiæ vis, facultas, & præſtantia eſt. Quis talis vt Sapiens, inquit, » & quis cognouit ſolutionem DABAR, verbi & rei, vtrumque pariter ſignificat DABAR. Subdit etiam deinde: Sapientia ADAM lucet in vultu eius. ſiue, vt in exemplari eſt, Illuminabit perpetuo facies eius. lumine inſtruet, quo cũcta videri cognoſciq́; poſſint. Atque huiuſmodi illa rectitudo fuit, qua Adamum inſtructum Sapiens ille aſſeuerat, Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum. De cogitationibus verò quibus eũdem vltrò ſeſe immiſcuiſſe culpat, poſteà etiam agemus. Nunc illud repetere commodum fuerit, Hominem ea parte qua in imagine Dei factum, hoc eſt, qua marem prætuliſſe naturam accepimus, quæ ſibi à Deo cognoſcenda concedebantur, citra cogitationum ambages potuiſſe cognoſcere, immo & probante annuenteq́; numine auctoreq́; ſuo cognouiſſe. Id verò felix fauſtumq́; ſemper futurum retinere potuiſſe, tamquam ſingulare munus naturæ propriæ ab auctore tributum, dummodo ſuæ non pœnituiſſet ſortis, vt poſtea notabimus. Atque hanc fuiſſe primi vitam hominis arbitramur, id eſt, illam NESEMATH HHAIIM, ſpiraculum vitarum, ſiue ſpiritum vitarum in imagine Dei acceptum, cuius virtutem & efficacitatem omnibus efficientiæ exemplis & actionibus præſtitam oportuit. Nam non in imagine tantummodo, ſed ſicut ſimilitudinem Dei illum factum edocti ſumus. Et imaginem quidem ad naturam, ſimilitudinem verò ad naturæ exercendam, præſtandam & probandam virtutem referimus. Namque vt ignis in imagine ſolis, calorem luménque ſuum, ſicut ſolis etiam ſimilitudo præſtat: ſic homo partem eam, quam in imagine obtinebat auctoris ſapientis, efficacis, & boni Dei, pro modo muneréque ſuo, ſicut ſapiens efficax & bonus agendo exercere, præſtare, & probare debuit. ita vt nihil ageret quod propriam mentiretur, vel dedeceret in Dei imagine factam naturam, nihil niſi rectum intenderet, nihil niſi manifeſtè pulchrum, & hoc nomine ſibi cognitum & perſpectum vellet, aut admitteret.

II. Atqui hominis cognitionem vltrà bonorum fines nec vagatam principio, nec vagandi licentiam obtinuiſſe legimus: verùm ipſis bonorum terminis contineri iuſſam exercitationis & operæ cum ſumma & optima voluptate ponendæ commoditatem & opportunitatem habuiſſe animaduertimus. Satis namque illi ſecundùm eam quæ de Deo diuiniſque rebus contigerat, notitiam in tanta conditarum formarum copia materiæ atque argumenti ſuppetebat, quibus cognoſcendis intento perpetua ſupererat diuinarum laudum celebritas, perpetua rerum

imperio

*imperio ſuo ſubditarum cum magno & iucundo fructu & vſu exercitatio, ac perpetua tot tantorumq́ generum, in quibus diuinæ bonitatis lux nitebat, congratulatio. S. S. E. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Ea autem erant quæcumque à primo conditi orbis die, ad ſexti vſque finem facta, & ſeptimi diei quiete ac benedictione perfecta, abſoluta, in perpetuumq́ conſtituta fuerant. S. S. E. Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitq́ Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat. & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret. Quæcumque autem ſex illis diebus creata fuerant, eumdem, quem à principio ſortita ſunt, naturæ modum, eumdem virtutis & efficientiæ tenorem hominis cauſa perpetuò ſeruatura erant, modò ſuum homini, quod fuerat conſtitutum, constaret ius, omniáque in ſeipſis bona, atque illi omnia non in curas, non in laborem, aut in moleſtiam, ſed in animi iucundam occupationem, hoc eſt, in prioris, & maſculæ partis recreationem, & alterius portionis, femineæ inquam, ſuauem, honeſtum & gratum perſeueratura vſum; quem rerum gradum, ſtatum, ac tenorem primùm ita deſcriptum accepimus.* Iſtæ ſunt generationes cæli & terræ, quando creatæ ſunt [*Hæc, inquit, totius ac ſingularum mundi partium prima fuerat conditio*] In die quo fecit Dominus [*miſericors & benignus, idémque*] Deus [*conditor & gubernator*] cælum & terram, & omne virgultum agri ante quàm oriretur in terra, omnémque herbam regionis, priuſquam germinaret: Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram: & fons aſcendebat de terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. *Hoc in ſtatu terrarum orbem conditum ac ſibi traditum accepit homo omnis mali, omnis laboris & pugnæ, ac difficultatis omnis expertem, quem ipſe etiam complurìbus ac maximis muneribus ac bonis à Deo inſtructus & ornatus ſuſcipere, tueri, & officio faciendo regere debuit & potuit: quippe cui nihil vel in orbe toto, vel in ſeipſo mali aut prauitatis obſtabat. Namque Dei verbo & auctoritate nullum vſquam malum, nullum prauum aut turpe genus rerum conſtiterat, ſed quæcunque fuerant edita, bona, perfecta, & opportunis numeris fuerant conſummata. id quod nomine* omnia *aſſeueranter declaratum eſt,* Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. *quod Latinus dicit* omnia, *ſiue* cuncta, *ſacer ſermo pronunciat* CHOL, *voce eadem ſingulari ac plurali pariter, à verbo* CHALAL *deducta: idem ſignificante, quod apud nos perfecit, abſoluit, conſummauit, compoſuit, & in ſummam contulit. Hæc ſignificatio vocabuli* omnia *ſiue* cuncta *omnem prauitatis vel defectus excludit exceptionem. Quæcunque itaque Dei verbo facta fuerant, cælum, terra, & in his contenta quælibet, perfecta, abſoluta, conſummata, propriis conuenientibusq́ inſtructa partibus: denique, vt vno expediamur verbo,* omnia *erant. Id quod Euangeliſta eodem ampliſſimo vſus nomine ſignificauit,* Omnia *per ipſum* [*verbum*] *facta ſunt. Facta, inquit, ſunt omni vitio, omniq́ exceptione ſemota, ſingula ſuum omne, ſuumq́ totum obtinuerant Verbo auctore. Atq́ in his hominē etiam ſui totius integritate præſtaſſe diuiniq́ iudicij laudem & probationem in ſua quoque natura adiiſſe & cognouiſſe, præterquàm quod in diei ſexti actis ſcriptum legimus, ſingulari quoque repetitione commemoratum accepimus.* Hic eſt liber [*hæc hiſtoria*] generationis Adam in die

Gen. 1.
Gen. 2.

quacreauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum, maſculum & feminam creauit eos: & benedixit illis, & vocauit nomen eorum ADAM, in die quo creati ſunt. *Hæc, inquit, hominis prima conditio, huiuſmodi ſtatus recens creati fuit, ſinguli maſculus & femina creati ſunt, ad ſimilitudinem Dei facti ſinguli (hoc indicat vox* illum) *ſinguli benedictione diuina amplificati, vnuſquiſque eodem nomine* ADAM *vocatus: ita vt cuicumque nomen* Adam *ex diuina impoſitione conueniret, eidem etiam & cetera quæ narrata ſunt, Dei beneficio tribuerentur* in die quo creati ſunt. *Quid verò de illa conditione animi in imagine Dei facti ſtatuendum fuerit, iam diſſeruimus. De virtute verò & efficientia, facultatéque eiuſdem, quam* ſicut ſimilitudinem *appellari accepimus, eámque in actione verſari indicabamus, nonnihil etiam ſubiiciemus.*

III. ADAM *nomen à nomine* ADAMAH *factum conſtat.* Formauit igitur Dominus ADAM GHAPHAR MINHA ADAMAH. hominem puluerem ex ADAMAH. ADAMAH *autem terram dici vberem, fertilem, & fructibus ferendis idoneam. Eam verò portionem ſelectam & elegantem, quam in fingendo homine poſuerat Conditor, non ſterilem, non otio & ſegnitie marcentem, nõ ceſſatione ſqualentem ſini, ſed egregio cultu ac digno conditionis ſuæ fructu nitentem ſpectari, commendari, & auctori atque principi Deo Angelisq; illius placere & probari oportuit: id quod vel nominis ipſius argumẽto euincitur. Nemo enim iuſtus dici poteſt, quin idem iuſtè, nemo ſapiens quin ſapiẽter, nemo rectus quin rectè agat: nemo etiam* Ferax terreus *dici meretur, niſi idem hoc quod nomine præfert moribus ac re præſtare probetur. Quamobrem hominem illum, quem ita deſcriptum initio conſtitiſſe nouimus, propriæ terræ, hoc eſt, ſui ipſius perpetua cultura, & pulcro fertilitatis ornatu auctori dominóque ſuo placentem & gratum eſſe decuit: ſi naturæ, hoc eſt, humanitatis propriæ integrum nomen tueri, vt par erat, iuuiſſet. Qualem verò terram colere, id eſt, qualem ſui naturam & humanitatem fouere, conſeruare, & perpetuò ornatam cuſtodire deberet homo, facilè intelligemus vbi deſcriptam à Moſe vate hiſtoriam, non ſolùm externa & ſimplici ſignificatione, ſed arcana etiam eademq; vera expoſuerimus ratione.*

IIII. *Præter ceteras totius orbis terræ parteis, quas multiplici rerum genere inſtructas & ornatas vnius hominis vt præfecti ac domini cauſa legimus, ſingularem etiam hortum à Deo plantatum, & propter eximiam cum iucunditate mixtam fructuum copiam & vtilitatem voluptatis cognomento commendatum accepimus. hunc autem hortum in terra conſitum, & ab initio conſtitutum ex illa voce* MIKEDEM *intelligimus. Cuius vocis vis & temporis & loci antiquiorem partem ſignificat; ita vt* à principio, ab ortu, ab orientali terræ parte, *atque adeò, quod ſummum eſt,* præ antiquo, *ſiue,* præ principio, *interpretari quis poſſit: quæ omnia quemadmodum cùm re cõcordent, facilè diſcernemus, ſi duplicem vitam cumprimis homini propoſitã & oblatam ſtatuerimus: alterã quidem animi natura ſua æternam, alteram verò corporis non ex naturæ definitione, ſed ex Dei conſilio ac beneficio perpetuam: Priorem vitam Dei verbum illud eſſe, per quod omnia, & à quo omnia facta ſunt, ex Euangeliſtæ Iohannis doctrina, & ipſius verbi profeſſione didicimus, In ipſo vita erat. &, Ego ſum via, veritas, & vita. Poſteriorem verò certæ virtute arboris à Deo in illo iucundiſſimo horto ſatæ prorogari, & in perpetuũ conſeruari conceſſum quoque intelleximus.*

Plan-

Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formauerat. Produxitque Dominus de humo omne lignum pulchrum, & ad veſcendum ſuaue, lignum etiam vitæ in medio paradiſi: lignumque ſcientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum. qui inde diuiditur in quatuor capita: nomen vni Phiſon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Hauilath, vbi naſcitur aurum: & aurum terræ illius optimum eſt. ibíque inuenitur bdellium, & lapis onychinus. Et nomen fluuij ſecundi Gehon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertij Tigris, qui vadit contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates. *De horti huius terreno ſitu præterea, quæ à Vate ſimpliciter narrantur, nunc plura dicere animus nobis non eſt, de hominis natura ſermone iam inſtituto, id tantùm obſeruare contentis, vniuerſam illius loci naturam, rationem, fertilitatem, vtilitatem & iucunditatem primo illi homini mari & feminæ, viro & vxori, longè melius cognitam & exploratam conſtitiſſe, quàm nunc nobis quatuor fluuiorum, Gangis, Nili, Tigridis, & Euphratis celeberrima conſtant nomina. Vnam ſcientiæ boni ac mali arborem excipimus, quam initiò notatam quidem, verùm incognitam homini ſacra hiſtoria narrat. Ceteras verò arbores omnes variis & elegantibus ſuauibusq; decoras fructibus, iiſdemq; ad eſum vtilibus & commodis, & notas homini, & ad vſum à Deo conceſſas, omneis, inquam, etiam vitæ arborem in medio horti ſitam, cuius repetitu opportuno fructus corporeæ naturæ vires ſua ſponte infirmiores, vtpote ad terrenum principium referendas, cùm debilitari vel caſu vel æuo eueniret, redintegrare & firmare, atque ita ad perpetuitatem prorogare valebat. Namque ſi hoc poſtea etiam corruptæ naturæ hominum, niſi interdictum foret, præſtare poterat, vt ſuo loco docebimus, longè quidem commodius integræ & morbis ac debilitatibus minus obnoxiæ præſtitiſſet carni. Verùm his breuiter tactis, arcanam rationem aliquantiſper cum reuerentia tractare, & velut antiquæ veritatis monumentum pro tempore oſtenſum venerari fas fuerit, ad Dei benigniſſimi laudem, cuius tot, tantaq; in humanum genus conſtant beneficia, & ad humanæ primùm auerſionis culpam, deinde pœnitentiæ & conuerſionis eiuſdem Dei miſericordia & bonitate fulciendam exhortationem.*

*Arboris ſiue ligni Latinis dicti ſacrum arcanumq; nomen eſt* GHETS.*quod* V.
*vim, virtutem, facultatem, firmitudinem, durationem, & obturationem adſi-*
*gnificat. eſtq; proximum verbo* GHATSAH, *quod claudere, includere, & obtu-*
*rare Latinis eſt, & nomini* GHETSA *conſilium ſignificanti. atque etiam verbo*
IAGHATS, *pro quo conſulere, conſilium inire & ferre ſæpe verſum obſerua-*
*mus. Atque hæc prima in hoc argumento interpretationis eſto pars: cui proxima,*
*eáque breuis erit nominis* humus *explicatio, quod Latinus pro* HAADAMAH
*reddidit. Hoc verò terram non quamlibet, verùm eam quæ frugibus fructibusq;*
*ferendis apprimè idonea eſt, ſignificare iam oſtendimus: idq; hoc loco cum ſingu-*
*lari notatione legitur, quæ certam & iam notam indicat rem. Quamobrem ter-*
*ram hanc humanam interpretamur naturam certo conſilio atque magno Dei be-*
*neficio fœcundam & fertilem primùm factam. De qua arcanum illud extat car-*
*men,* Benedixiſti Domine terram tuam. &, Etenim Dominus dabit benignita- “
*tem: & terra noſtra dabit fructum ſuum. Præterea ex ſenſibus alij cognitioni* “

 *præci-*

præcipuè inſeruiunt : in quibus viſus primas tenet ; alij vſui animalibus percipiendo, cuius præcipuus index Guſtus eſt. Vterque horum vbi quicquam elegantiæ in quo exerceatur, nactus fuerit. S. S. E. Lux oculorum lætificat animam. &, Videbunt te & lætabuntur. item : Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Atqui ſi externi corporis ſenſus ad animi internas regiones referantur: priorem, hoc eſt, viſum ei tribuimus parti, quæ in veri cognitione & contemplatione verſatur, poſteriorem verò ei, quæ in actionibus componendis exercetur: illi intellectus, ſiue mens Latinum nomen eſt; huic verò voluntas, ſiue electio & animus etiam. Ex his itaque in hunc modum declaratis partibus facilè deducemur in illius horti notitiam, quem in humo illa, quam feracem adnotabamus, Deus ab initio inſtruxit, multis ac variis conſitum virtutibus & facultatibus, tum ad cognitionem & contemplationem, tum verò ad vſum conceſſis: inter quas media eminebat vitæ æternæ arbor, animo hominis in æternum gratiſſimis vitæ muneribus cōſeruando efficaciſſima, & quæ omnium ceterarum arborum principatum ac regnum teneret. Nihilominus tamen ceteræ omnes & contemplatione ſui, & vſura atque exercitatione humano animo commodiſſimæ & iucundiſſimæ ducebantur. His enim nominibus omnes commendari audimus, pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. quibus duobus verbis & ad arborem vitæ in medio paradiſi relatis humani boni ſumma omnis arcanè indicata ſtatuitur. Habuit itaque homo in illo ſibi per Deum conceſſo humanitatis horto, quidquid intellectu digniſſimum & iucundiſſimum, quidquid actu ſuauiſſimum facillimumq́ foret præſenti ſemper in eiuſdem horti medio vita illa, quæ eadem lux hominum appellatur & erat. Habuit quoque vberrimum gratiæ, voluntatis ac prouidentiæ Dei fluuium in eodem horto redundantem, atque ad externas totius terræ parteis, diductis quatuor fluminibus, iiſdémque multarum & pretioſarum virtutum copia commendatis, pertinentem. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum. Hæc humanæ beatitatis imago, hæc eius, quæ prima homini in terris contigerat, vitarum vſuræ deſcriptio arcana eſt. Cuius ſimplex interpretatio illa nobis fuerit. Hominem variis & multiplicibus tum intellectionis, tum etiam actionis facultatibus ac donis inſtructum, quibus media præerat æterna vita, id eſt, diuinum Verbum & Sapientia atque lux tamquam omnium intellectionum & actionum ſcopus, & totius vitæ ducendæ aſtrum: illum, inquam, hominem iuſſum eadem illa colere & cuſtodire, perpetuóque colendo ſeruare in vtilitatem, non Dei, vtpote nullius egentis humani boni vel officij, ſed ſuiipſius, ſeſe hoc pacto in proprio munere & regno atque amplitudinis conceſſæ ſibi dignitate conſeruaturum, beneficio & gratia Dei numquam deficiente, vtpote quæ in ipſo hominis horto erumpebat : tum hortum ipſum internum & concluſum irrigans : tum etiam ad externas & vicinas remotáſque terræ pertinens regiones. Atque ita Dei propoſitum perſeueraret, quod nihil aliud niſi obedientiam poſtulabat, eodem iure quo omnia alia, quæ facta ſunt, auctori obediebant ſuo. maximè cùm hæc omnia in ipſius hominis obedientis vſum & bonum cederent. S. S. E. Principium ſapientiæ timor Domini, & ſcientia ſanctorum prudentia: » Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. Si ſapiens » fueris, tibimetipſi eris. Igitur ſapientiam illam, cuius perpetua exempla & cognoſcendis, & agendis, gerendiſque vocationis ſuæ rebus præſtare homo debuit,

Prou. 15.
Pſal. 118.
Ibidem.
Prou. 9.

buit, & potuit: quibus conditionibus ac legibus Deus addixerit, opportunum
iam fuerit inquirere & veſtigare.

Principiò duplicem in vniuerſum conditionum ſiue legum ſummam homini VI.
dignitatem ſuam conſeruaturo Dei conſilio ac decreto ſtatutam accepimus: alte-
ram credendi diuinis effatis, alteram verò obſequendi & parendi iuſsis ſtatu-
tíſque ſupremis. Dicimus autem effata, quæcumque Deus dixerit, ſiue ea ad co-
gnitionem, ſiue ad actionem referantur. Quæ vbi ſemel à Deo dicta conſtite-
rint, vt veriſsima haberi, excipi, & perpetuò retineri conueniat. IVSSA verò
eam nominamus effatorum partem, quæ ad eorum, quibus imperantur, faculta-
tem & virtutem in propriis officiis exercendam & præſtandam inſtituta ſunt.
Cùm verò duplex animi humani conſtiterit portio, altera ſuperior, inferior al-
tera: illa mas, hæc femina, vtriuſque virtutem recto ordine ac more exerceri
oportuit. Fuit autem rectus ordo, vt ſuperior, cuius partes in cognoſcendo ac de-
cernendo agebantur, quod ſcitu & cognitu dignum erat ſuſciperet, ac tractaret:
& quod facto opus eſſet, inferiori, hoc eſt, feminæ excipiendum & actu efficien-
tiáq; præſtandum committeret, commiſſum verò inferior illa portio, ſiue femina
exciperet fouerétque libens. Atque ita ex vtriuſque partis concordi ſtabiliq; con-
uentione, conſenſu, & virtute, quam Dei iubentis benedictio & fauor felici ſem-
per progreſſu ſucceſſuq; proſperaret, dignus tam pulchro ac decente coniugio pro-
diret officiorum fœtus, orbem totum pro Dei voluntate & gratia exornaturus,
& multis oportuniſq; modis ac rationibus inſtructurus: vt verum illud & con-
ſtans etiam in hoc arcano coniugio euaderet, quod in altera illa externa maris &
feminæ ſocietate & coniunctione verum etiam euaſiſſe cognitum exploratumq;
eſt, præcipuè quòd priorem diuinæ benedictionis partem ſpectabat; Creſcite &
multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam. Iam verò cognitionis
argumentum omne duobus partimur generibus: altero eorum quæ ſunt, altero
verò eorum quæ abſunt. quæ ſunt, præſentia dicũtur, quæ abſunt, aut iam præ-
teriere, aut futura expectantur. Atque hoc pacto, vt à propoſito non diſcedamus,
diuinarum rerum cognitio vtramq; ſibi vendicat partem: nempe eam quæ præ-
ſentia reſpicit, & eam qua vel præterita, vel futura noſcũtur. Cognoſcitur enim
Deus vt qui eſt, veréque conſtat: idemq; vt mundi auctor cognoſci poteſt, vtq;
humanæ felicitatis princeps, & alterius etiam melioríſque vitæ Pontifex &
largitor. Mundi opificium ad præteritum refertur tempus. S. S. E. In principio "
creauit Deus cælum & terram. Vt verò melioris vitæ auctor futurum reſpicit "
tempus, ad eos, quibus promittitur expectaturq; relatum. vt, Labores manuum Pſal.127.
tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. Quo autem pacto natura "
hominis erga has, quas diſtinximus, cognitionis partes initio habuerit, facilè iis
dignoſcetur, quibus integer ille primus hominum ſtatus conſtiterit, in imagine
Dei, videlicet factorum, & ad ſimilitudinem etiam perfectorum. Namque de
iis quæ in præſentia conſtabant, diuinis rebus præſenti etiam cognitione inſtrue-
batur homo, eum cognoſcens Deum, qui ſe in imagine Dei creaſſet, maſculum &
feminam feciſſet, qui ſibi animalia omnia cognoſcenda & nominanda obtuliſſet,
regenda commiſiſſet, mulierem ex proprio corpore ſumtam tradidiſſet, rerum
omnium quæ ad cibos vtiles eſſent & commodæ, poſſeſsione auxiſſet; denique ſe
præſentem præſens identidem alloqueretur: ita vt quod ad præſentia Dei attine-
ret, clariore cognitione ac certiſsima, &, vt ita dicamus, præſentiſsima vteretur

 homo.

*homo. Atque huic etiam proxima, quatenus præterita conſiderarentur Dei. Quamquam enim homo nulli rei creandæ vel producendæ, vel informandæ teſtis adfuerat, adeò vt neque mulierem ex proprio latere quonam modo Deus fabricaret, vidiſſet; recentem tamen rerum omnium creationem vel ex ſui ipſius, quod paulo antè non erat, exemplo, vel ex mulieris, quæ poſt ſe facta fuit, ſpectaculo certam exploratámque habuit. Cùm præcipuè in ſuo ipſius animo, quem in imagine Dei acceperat, quo hæc omnia cognoſcere poſſet, lumen obtineret, & multarum rerum, quæ editæ iam fuerant, notitiam ipſe ſibi formaret certiſſimam: atque hac parte & virtute auctorem omnium verum & efficaciſſimum imitaretur, non qui res ipſe crearet, ſed qui cognoſceret, animique cogitatione apud ſe formaret.*

VII. *Futurarum verò cognitio rerum & euentuum atque terminorum tempora ac momenta, quæ Deus in totius orbis gubernatione decreuerat; non ita certa, manifeſta, atque explorata primùm ac recens creato homini fuerant atque præſentia & præterita, qualia modò indicabamus: verumtamen quæ huiuſmodi ad poſterum tempus referenda eſſent, vel ſemel à Deo pronunciata, ſi non cognitione manifeſta conſtare, tamen certiſſima fide excipi, credi, & firmiſſimè teneri hominis animo conueniebat, ſiue illa ad promiſſum læti & felicis ſucceſſus, ſiue ad triſtis & grauis euentus prædictionem & omen referrentur. Quo quidem in genere ſatis ſuperq; fuerat certa prædictionis & moniti diuini notitia, cuius ſimplicitati atque veritati & bonitati omne fictionis & fallaciæ, deceptionis, atque adeò omne interpretationis opinionisq; genus repugnabat. Tunc enim Deus ſimpliciſſimus hominem adhuc ſimplicem ac rectum, necdum in varias cogitationes diſtractum ſimpliciter, apertè, & clarè alloquebatur, & vt præterita & præſentia verè pronunciabat, ſic etiam futura quæcumque prædiceret, vt clara & aperta,*
» *ta, ita quoque veriſſima & certiſſima teneri oportuit. Dixerat autem Deus, Ecce*
» *dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna*
» *quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam & cunctis*
» *animantibus terræ, omniq; volucri cæli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, &*
» *in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Dixerat hoc Deus,* & fa-
» ctum eſt ita. *Præſenti etiam præſentes obtulerat animantes omnes ad cognitionem, vſum, & imperium: dederat quoque præſentem mulierem agnoſcenti atque ita pronuncianti,* Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. *His tam præſentibus quàm præteritis auditis, viſis, cognitis, atque exploratis, atque ſumma veritate confirmatis, non minus certa eſſe oportuit ea, quæ in futurum expectanda vel cauenda & auertenda præſentis ac præteritæ veritatis auctor idem prædiceret. Quandoquidem par fuerat animum tot rerum certa cognitione inſtructum, atque ex diuino beneficio auctum, in fide exerceri & probari eorum, quæ in poſterum dilata, quamquam cognita non eſſent, perinde atque illa quæ iam nota erant, certiſſima atque veriſſima haberi conſentaneum eſſet. Huiuſmodi enim virtutis eius, quam Fidem dicimus, cuiuſq; facultatem inter ceteras virtutes humano animo conceſſam edocti ſumus, definitio eſt.* EST *autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Hoc itaque cumprimis virtutis munere hominem ſibi dilectum atque perpetuò placiturum tentatum, examinatum & probatum voluit Deus, quem tantis donis amplificatum non otioſum aut ingratum, ſed iis, quibus conueniret, partibus in auctoris*

*ſui*

*ſui cultu & ſeruitute occupatum & exercitatum viuere decuit. Impoßibile autem eſt ſine fide placere Deo. Duabus autem potiſſimum partibus conſtare humanum animum accepimus: altera, quæ intelligendi; altera, verò quæ eligendi, ſiue volendi viribus præſtat: vtramque autem Deo auctori ſuo ſpiritui, in cuius imagine factum ſe cernebat, ad ſimilitudinem etiam in ſeruitutem & obſequium dicari & conſecrari oportuit. Poſteriorem quidem obediendo, vt iam iam declarabimus, priorem verò credendo iis, quæ, quamquam non apparerent, pro certiſſimis tamen ſuſcipi, haberi teneriq́ꝫ perſonæ, pronunciantis, inquam, Dei & excipientis hominis, conſentaneum erat. S. S. E. Captiuantes intellectū in obſequium fidei.* 2. Cor. 10. *Namque hoc hominis animo conceſſum fuiſſe, hoc eſt, diuinis effatis fidem præſtare hominem potuiſſe, vel ipſius Dei proponentis & allocuti auctoritate confirmatur, qui nullo pacto quicquam fruſtrà dixiſſet: cuius excipiendi & præſtandi vim ſeruo ſuo negatam cognoſceret, atque eadem allocutione eodémque effato ſuæ gratiæ auxilium præſens indicauit: qui enim eo pacto ſibi inſeruiri iubebat & volebat, idem omnia ſufficiebat quæ ad illam commoda opportunaq́ꝫ ſeruitutem forent. S. S. E. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1. *Nam qui tam pulchrum inſtructúmque hortum ſoli homini plantauerat, plantatumq́ꝫ ad culturam & vſumfructum tradebat, quidnam illi quod ad eam rem facere poſſet, ſubduxiſſet? Qui ſapientiæ ſuæ delicias cum filiis hominum eſſe aſſeruit? Cuncta illis profectò largitus eſt, quæcunque ad ſuarum deliciarum veritatem & conſtantiam prodeſſe poterant. id quod admiratus vates prædicabat: Quid eſt homo quòd memor es eius? aut filius hominis " quoniam viſitas eum. Magna quidem in hoc verbo,* quoniam viſitas eum, " *ſignificatio ac multiplex latet. Ita vt rem ad ſummam referamus, primam humani animi partem propoſito futuri euentus argumento in fide verbo ſuo habenda & obſeruanda exerceri & probari voluit Deus, eáque fide conſtante & anteſignana, atque adeò animum inſtruente, alteram partem, hoc eſt, voluntatem in officio obedientiæ & obſeruantiæ perpetua religione continendam præcepit. Atque vtriuſque partis argumentum vti decens, rectum & ſacrum, ita etiam illo in ſtatu homini obſeruatu facilè fuit; cui nulla omnino res obſtabat, nulla requirebatur vis & facultas quo minus huiuſmodi per Deum impoſitæ leges obſeruarentur. Simpliciſſima enim, abſoluta & pura illi naturæ ſimplicitas aderat, nullius ad vitam commodæ opportunæq́ꝫ indigens rei, nullaq́ꝫ illis eiuſmodi indigentiæ vel conſcientia vel notitia, ſed nec cogitatio quidem vlla erat; adeò vt cum nudo corpore agerent tam vir quàm femina, nihil illa nuditate lædebantur, nec offendebantur quidem, vtpote quam ſimplicem, naturalem, & ſibi conuenientem nouerant, & ad ſecuritatem & libertatem, imò & membrorum omnium concinnitatem & pulchritudinem vltrà omnium animantum aliarum exempla admirabilem verè tunc referebant: nec minori tunc gaudebant nuditatis propriæ prærogatiua, quàm aues, quàm feræ & pecudes, quarum vel plumæ, vel pili, vel ſetæ natiuam feritatem, vel ſilueſtre ingenium, vel aliàs illo membrorum tegumento indigentem animam arguebant: aliàs cæli, ſoli ac temporis obnoxiam iniuriis, quorum nihil in homine excipiebatur tunc recto in imagine Dei, quod animum ſpectat, facto: quod verò corporis membrorumq́ꝫ ſitum reſpiceret, erecto: cælum perpetuò intuenti, terra iacentia omnia longius proſpicienti, facilè in quoduis latus ſeſe flectere & voluere valenti, ſtatura denique recta, &*

quæ

quæ ipſa ſui contemplatione imperium non in animalia tantùm, ſed in omnes inferiores terræq́; vicinas vel contiguas parteis repræſentabat, & illud veriſſimum aſſerebat: Præſit piſcibus maris, volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæq́; terræ. Hanc humanæ naturæ ſimplicitatem, rectitudinem, ingenuitatem, & libertatem, atque concinnam & ſibi conſtantem tam interiorum partium & virium animi, quàm exteriorum membrorum corporis facultatumq́; concordiam, illa breui quidem, verùm valde multum ſignificante expoſitione Spiritus ſanctus indicat: Erant autem ambo nudi, Adam ſcilicet & Heua, & non erubeſcebant. Quod Latinè legimus vterque, ſiue ambo nudi, in ſacra lingua שניהם ſonat SENEHEM GHARVMIM HAADAM VEISTHO, Duo, ſiue bini ipſi ערומים GHARVMIM, ille ADAM & mulier eius. Singula verba propriam poſtulant contemplationem. SENEHEM ex verbo reddimus ipſi, alter & alter; ita vt vtrumque marem intelligamus: dein verò, quínam mares illi eſſent, declaratur. ille Adam & mulier eius. Nam ille Adam animo mas erat, & mulier illius Adam, quæ poſterior facta erat, animo etiam erat mas eadem animi natura conſtans, qua ſuus IS, ideoq́; ISTHO dicta, id eſt, ISAH ab illo IS altera ſiue ſecunda. Atque ea ex parte qua alter & alter quaq́; dicebantur illi, vel ipſi, erant pariter GHARVMIM. Huius pluralis GHARVMIM ſingulare nomen eſt GHAROM, quod ita pronunciatum ſignificat idem quod nudum, ſimplicem & apertum, nullo tegumento, nullo fuco velatum; id quod corpori cumprimis tribuitur, & à corpore ad animum ex ſimilitudine tranſlatum ſimplicitatis, puritatis, candoris & ingenuitatis aſtruit ſignificationem. Atque ita vtrumque illorum primorum hominum, quos iam appellauimus, corpore quidem nudum principio egiſſe: nulla tamen propterea ex parte defectum aut egentem, ſed quadam natiua & ingenua nuditate viguiſſe quidem, & ſe ceteris præſtare animantibus probaſſe. Animo etiam ſimplici, recto, aperto atque candido, nullis falſis, nullis fictionibus, nullis fucis infecto, & quæ nouerat tenuiſſe, & quæ dicenda erant apertè & clarè, & conſtanter dixiſſe ac dicere potuiſſe, qualia illa
„ iam dixerat: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur
„ ISAH, quia de IS ſumpta eſt. &, Propter hanc relinquet homo patrem & ma-
„ trem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carnem vnam. Ad hunc cognoſcendi & elocutionis modum idem nomina cunctis indiderat animantibus adeò rectè, aptè & concinnè, citra omnem vel erroris, vel opinionis exceptionem, vt apertè Spiritus ſanctus pronũciarit: Et omne quod vocauit Adam animæ viuentis, hoc eſt nomen eius. Atqui cùm illa corporum nuditate nihil egentes viuerent, illaq́; animorum ſimplicitate ac rectitudine quæ cognoſcenda erant cognoſcerent: & quæ agenda erant, vterque ſuo in ordine manens agere poſſent; eatenusq́; egiſſent, non erubeſcebant. Verbum pro quo Latini interpretes vertunt nunc erubeſcere, nunc verò confundere vel confundi, interdum morari ac tardare & ceſſare, in exemplari lingua eſt BVS: cuius pondus omnibus quas memorauimus, & pluribus etiam noſtratibus vocibus vix plenè redditur; iiſdem conſtat elementis cum SVB, inuerſis tamen; pro quo noſtrates conuerti, redire, pœnitere, mentem mutare & reſipiſcere ſolent reddere. Eſt autem vt voce tranſpoſitum alterum verbum alteri, ita etiam ſignificatione oppoſitum, adeò vt amborum ſignificata ſimul eſſe non poſſint; ſed alterum ab altero pellatur, & poſterioris ſignificati vis prioris ſignificati incõmodis quædam veluti medicina ſit:

ita

*ita vt quæ nocumenta prius verbum detexerit & indicauerit, ea poſterius verbum quemadmodum corrigenda ſint, breui doceat voce. Nam* BVS *omnia illa conſequitur, deformitatem, errorem, turpitudinem, lapſum, mendacium, mēdum, fruſtrationem conſilij vel voti, vel opinionis & ſententiæ: quæ, cuicumque accidunt, eidem e veſtigio pudor, confuſio, hæſitatio ac turbatio, aliaq́ huiuſmodi probra & opprobria animiq́ incommoda eueniunt: quibus corrigendis, ac ſanitatis cauſa & ſpe depellendis remedij adhibendi opportunam partem in ſignificato verbi* SVB *diuina Sapientia, vt aliàs oſtendemus, conſtituit: ita vt quicumque inciderit in* BVS, *ſi medicinam ſibi fieri optet, poſcat, & à medico faciendam credat: ſedulo diligentiáq́ ſtudio vtatur* SVS. *id eſt, Quiſquis animi errore, ſtultitia, turpitudine, atque alia prauitate & inſania ſeſe laborare ſenſerit, pœnitentiam, conuerſionem, oppoſitamq́ ineat & inſiſtat viam, actionibus & paſſionibus illis, ex quibus pudefactio & perturbatio illa nata fuerat. Quicumque enim ſeſe emundauerit ab iſtis, erit vas aptum in ſanctificationem Domino. Verùm de hac ratione pœnitentiæ, in quam ex verborum vicinitate defleximus, aliàs plenius agendum. Nunc illud tantum cognoſcere ſat fuerit, Nihil in primorum hominum animis, nihil in corporibus, vel prauitatis ac deformitatis, vel turpitudinis fuiſſe, vnde vel erubeſcentia, vel, hæſitatio, vel, cuiuſcumque eſſe poßit, nominis turbatio naſceretur: quare neque pœnitētia, aut conuerſio & reſipiſcentia optanda & ineunda tunc fuerat. id quod negatio* NON *verbis illis præpoſita aſtruit:* Et non IITHBOSASV, & non erubeſcebant, & non confundebantur. *Imò verbum in futuro tempore pronūciatum perpetuitatem, vti iam aliàs adnotabamus, adſignificat,* non erubeſcent, *quamdiu illam, quam tenebant, conditionem tuebuntur,* non erubeſcent. *vt illud: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Nulla in illa ſimplicitate erubeſcentiæ origo erat. Atqui erubeſcentia cùm ad paßionum referatur genus, neminem alium præterea afficit, quàm ipſum, qui erubeſcit. &, Cùm paßio hæc ex turpitudinis vel prauitatis morbo naſcatur (S.S.E. Confundantur omnes iniquè agentes) fit vt in eum ipſum vertatur & incidat, in quo orta eſt, eumdemq́ affligat & vexet. id quod omnibus morbis, morborúmque affectionibus commune eſt. Neque enim qui errat erroris ſui rubore alios, verùm ſe ipſum inficit, & ipſo ſeſe rubore erraſſe prodit, aliis vel ridentibus & inſultantibus, ſi inimici: vel miſerantibus, ſi amici aut ingenui candidiq́ fuerint. Quamobrem verbum* BVS *hoc in loco reciprocum eſt, & paßionem omnino iiſdem adſcribit de quibus dicitur,* LO IITHBOSASV. *non illos ſui ipſorum pudebat, vel Latinè etiam, Non pudefiebant. Nihil illis inerat vel aberat quamobrem pudefierent; nihil quod vel Deum offenderet, vel alia animantia ſe minora vllo pacto læderet, vel terreret. Namque hæc omnia minori ſenſu prædita ſunt, quàm vt verecundiæ homini eſſe poßint: quippe cùm iudicio careant, & facultate dignoſcendi ſi quid in hominis requireretur natura, quem tot partibus ſibi præſtare cognoſcebant, præcipuè cui nihil omnino tunc deeſſet. Deum autem ſimpliciſsimum illorum nuditas & ſimplicitas cùm externa membrorum & corporis, tum interna animi ac virtutum offendere non poterat: vtpote vtraque parte decens, & auctoris ipſius iudicio probata & laudata, qui viderat cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Sed neque illos pudefacere potuit ſua illa nuditas, vt quæ proprium locum & ordinem, propriamq́ rectitudinem tutata, ſeſe ipſa commendabat iiſdem illis propriæ*

 *naturæ*

*naturæ & facultatis bene conſciis, & recto more cuſtodientibus. quem quidem morem & ordinem perſonarum adnotatus ordo indicat* HAADAM VEISTHO, *Adam ſcilicet & Eua, ſiue ex verbo,* ille ADAM, & illius ISAH. *vterq; enim eodem quo creati fuerant ordine & gradu ſuam ſimplicitatem ac nuditatem obtinebat & ſeruabat: vtq; ille in ſuo, ſic illa in ſuo quoque ſtatu nihil requirebant aut notabant, vel excipiebant quamobrem pudefierent. Atque huiuſmodi quem qualemq; rudi quodam ac noſtræ modò facultati concordanti oratione & ſtylo deſcribebamus, primus humanæ fuerat naturæ ſtatus: cuius integram perſequi hiſtoriam nec huius temporis, nec noſtræ fuerit opis, nec mortali cuipiam tractare conceſſum, cui tota vt minimum horti illius regio, natura, virtus, fertilitas, & plantarum fructuúmque copia ſingulari Dei beneficio non fuerit patefacta. Cuius felicitatis quiſquis compos factus fuit, admirandam formam non his quibus in communi ſermone vtimur verbis & modis enarrari poſſe aiunt. Sapien-*
1 Cor. 2. *tiam loquimur inter perfectos: Sapientiam verò non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur.*

VIII. *Verùm enimuerò illam hominis integram conditionem non otio marcere, ſed certis muneribus propriisq; virtutibus conueniente ac decente officio præſtandis exerceri atque ſpectari oportuit, vt ceterarum omnium quæ conditæ ſunt rerum, propria cuiuſque non in otio, verùm in commiſſo ſibi negotio ſpectatur facultas. Quibus autem legibus huiuſmodi exercitatio definita & poſtulata fuerit, proximum eſt doceri. Idq; facilè conſequemur illo tatummodo, quod ante agebamus, repetito principio: Oportuiſſe hominem duobus illis nominibus maris & feminæ, quibus conſtabat, ſua in ſtatione & proprio gradu perſeuerātibus exerceri, vtroque videlicet ſuas ſuſtinente parteis, quibus totius hominis perſona perageretur. Et ſuperioris quidem nominis parteis in cognitione cùm infimarum tum ſupernarum, quæ cognoſci fas erat, rerum, verſabantur: inferioris verò portionis munia in iis quas agendas portio ſuperior cognoſceret & commendaret, ſuſcipiendis & expediendis abſoluendiſq; probanda erant. Huius negotij leges fuere, vt ne quid præterea, quæ à Conditore & Principe Deo decreta præſcriptaq; eſſent aut conceſſa, vel ſuperior portio cognoſcere tentaret, vel inferior ſuſcipere & experiri appeteret auderétve. Vtrique portioni præceptum poſitum eſt commune quidē obedientiæ & obſequij ſiue religionis erga Principem, Pontificem, Deumq; ſuum: ſingulare verò vtrique quidem ſuum, priori vetitum plura ſcire quàm auctor concederet: poſteriori verò interdictum plura vſurpare & appetere ſibiq; addicere quàm benignus Princeps largiretur. Ad vtriuſque vetiti obſeruationē ab animo ſiue à ſuperiore Adami portione Fides ab anima, portione inquam minore, continentia exacta fuit. Fides, vti dicebamus, in illo ſtatu non tam de præſentibus aut præteritis argumentis, quàm de futuro non apparentium poſtulabatur: Obſequium & continentia ad præſentia & futura etiam pertinebat exempla. Atque harum legum argumentum ſignificatione duplex vnius ac ſimplicis imagine rei, ſimplici verborum figura vtrique portioni ſuas partes tunc agnoſcēti propoſitum fuit. Cuius illud à Spiritu ſancto dictatum legimus exemplar:* Præcepitq; ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. *Vſque adeò clarè & apertè legis huius ſententia & ſignificatio omnis audientibus primis illis conſtitit, vtpote ſimpliciter*

*pro-*

*pronunciatæ, vt vel feminæ ipſi poſtea recitāti explicata non ad eſum, & vſum tantùm, ſed ad tactum etiam vetitum pertinuiſſe referretur. Sic enim poſtea illam recitaſſe legimus.* De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur: de fructu verò ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. *Quamuis plura quàm audierat retuliſſe videatur, tamen id quod explicando adiunxit, ex ipſis vetiti verbis intellexit. Namque in exemplari vetitum ita ex verbo prohibet,* & ex ligno illius cognitionis boni & mali non comedes, ab eo. *Duo ſibi vetita intellexit mulier, eſum videlicet ac tactum hac ſententia, Ex ligno cognitionis ne comedito, ab eo recedito. Namque huiuſmodi illius linguæ præciſiones plus etiam quàm longior oratio ſignificant, vt* RAHHOK MIPENIIM GHERCHAH, *Procul à gemmis æſtimatio eius. A verbo mendacij* Prou. 30.
THIRHOK, *procul fies. Dominus de Sion rugiet propter Sion. Quid mihi eſt in* Amos 1.
*cælo: & à te quid volui ſuper terram. extra te, præter te, vnum. Sic hoc loco* Hal. 72.
MIMMENV, *non otioſam repetitionem, ſed vel acceſſus atque tactus interdictionem interpretabatur mulier: tantum abeſt vt vetiti ſententiam ignoratam ſibi excuſare poſſet.*

IX. *Quoniam verò credendi ſiue fidei argumentum ad euentum proponere Deus voluit: euentus autem futurum ſpectat, & antecedentem occaſionem ſiue originem conſequitur: Vetitum verò abſolutè pronunciatum, præſens ac futurū complectitur tempus, recta naturæ ſerie vetitum hac in lege ante fidei præceptum pronunciatur: cùm tamen fides dignitatis natura, cetera præcepta & mandata antecedat. vt, Audi Iſrael, Deus tuus Deus vnus eſt. Verùm quoniam illa circa duplicem præcipuè rationem verſatur, præſentis & futuri, vbi alterum conſtat, alterum proponere ſatis fuerit. Atqui duplex illa ratio ita ab Apoſtolo indicata eſt: Accedentem ad Deum primùm oportet credere quod eſt, & quòd* Heb. 11.
*inquirentibus ſe remunerator ſit. In priori parte quòd eſt Deus, præſens verbum præteritum etiam vendicat ex nominis* Deus, *vi & ſignificatione. ſiquidem* ELOHIM *creatorem & gubernatorem ſignificat atque adeò iudicem: verùm eumdem infinita & conſtante miſericordia benignum nō adeò clarè nomen hoc, quàm arcanum aliud* IEHVEH *docet. Cuius præcipuam admirandamq́ſignificationem ad miſericordiæ & veritatis rationes referri iam ſæpius indicauimus. quare documenti illius Apoſtolici huiuſmodi ſignificatio eſt, Accedentem ad Deum primùm oportet credere quòd verè eſt* ELOHIM, *& quòd idem etiam eſt* IEHVEH. *id eſt, credere oportet illum eſſe Deum, qui mundum à ſe conditum gubernet, & erga ſui cultores homines miſericors beneficentiſſimusq́ſit. Nouerat quidem primus hominum Deum eſſe, eumdem creatorem & gubernatorem, eumdem benignum & beneficum vel in ſe ipſo agnouerat; Iudicem verò non expertus erat. Quippe benignitatis oſtendendæ & oſtenſæ quamplurima à mundi initio argumenta extabant. Iudicij verò exercendi nulla in mundo eatenus materia notabatur, præſertim ex eo nomine quo pro commeritis pœnæ & ſupplicia exiguntur. Omnia quæ ſub cælo erant ſuis in locis & muneribus recto conſtabant ritu & ordine, gubernatorisq́ſui, hoc eſt, verbi diuini agebantur inſtitutis. Voluit autem Deus ſéſe vt bonum & liberalem benignumq́ſua ſponte exhibuerat, idem velle perpetuum ſibi obſecuturis probare; ingratis verò & ordinem deſerentibus ſuum iudicij exercendi, & pœnas irrogandi auctoritate & poteſtate*

 *valere.*

*valere. non qui hoc poſterius optaret, ſed qui optantibus ex iudicij & vindictæ ratione ac natura tribueret. Atque ita apparet diuinum in hac re conſilium non fuiſſe, exercendi iudicij materiam occaſionémve quærere, ſed eiuſdem auertendi ſtudium & curam homini iniicere, eidemq́; ſuarum partium cuſtodiam & integritatem vtroque nomine ſuadere, & beneficentiæ perpetuæ promiſſo(* Ex omni ligno comedes*) & iudicij ac punitionis prædictione, quæ reuerentiæ metum etiam poſſet addere. Et quoniam in illius naturæ poteſtate delectus & conſilij vis erat, hoc eſt, quoniam illi integrum erat obtemperare, & non obtemperare dictæ legi, quid vtramuis partem vel ex beneficio, vel ex iudicio diuino conſequeretur, præmonitus homo eſt. Vtraque verò præmoniti pars ad conſeruandam hominis felicitatem tendebat: quæ tunc rectè cõſeruaretur cùm homo idem quod Deus*
» *vellet, idemq́; nollet. Qui ſua ſponte bonum ſemper homini optat. S.S.E. Ego*
» *cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, dicit Dominus. Atque ad hoc ipſum conſilium omnem illam legem cum conditionibus prædictionibusq́; adiunctis re-*
Pſal. 84. *ferre, & in hanc partem interpretari oportuit. S.S.E. Audiam quid loquatur*
» *in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos*
» *ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Verumtamen propè timentes eum ſalu-*
» *tare ipſius: vt inhabitet gloria in terra noſtra. Namque Dei conſilium propoſitumq́; illud fuerat, vt in humanitatis noſtræ terra gloria amplitudoq́; inhabitaret. Hoc enim & Principis Dei ſapientiam, maieſtatem, auctoritatemq́; decebat, qui hominem non brutorum more vni tãtùm actioni alligatum, ſed in imagine ſua factum, liberum, & ſibi ex voluntate potius quàm ex neceſſitate ſeruientem, atque hoc nomine ſicut ſimilitudinem ſuam agentem voluit, vt ipſe*
1 Ioan. 1. *vltrò benè & benignè agit. S.S.E. Deus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt vllæ.*
» *& ſi dicimus quòd ſocietatem habemus cum illo, debemus & ipſi in lumine am-*
» *bulare, ſicut & ille in luce eſt. Decebat hoc etiam ipſam hominis naturam, propoſitis bonorum & malorũ finibus in eam partem, vti quam diuinum lumen commendabat, quamq́; propria vtilitas poſtulabat. Namque ratio hæc Dei erga hominem, cumq́; homine agendi & paciſcendi diuinæ ſapientiæ iudicio conſtans*
Deut. 11. *perpetuaq́; ſemper obſeruatur. En propono in conſpectu veſtro hodie benedictio-*
» *nem & maledictionem: benedictionem, ſi obedieritis mandatis Domini Dei ve-*
» *ſtri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem, ſi non obedieritis mandatis*
» *Domini Dei veſtri, ſed receſſeritis de via quam ego nunc oſtendo vobis, & am-*
» *bulaueritis poſt deos alienos, quos ignoratis. Id quod erga humanam naturam*
Eccli. 15. *Deo antiquum ſemperq́; obtentum Sapientia adſcribit. A Deo profecta eſt ſa-*
» *pientia. ſapientiæ enim Dei adſtabit laus, & in ore fideli abundabit, & domi-*
» *nator dabit eam illi. Non dixeris: Per Deum abeſt. quæ enim odit, ne feceris. Non*
» *dicas: Ille me complanauit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Omne exe-*
» *cramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum.* DEVS
» AB INITIO *conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit*
» *mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in*
» *perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod vo-*
» *lueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum:*
» *quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in poten-*
» *tia, videns omnes ſine intermiſſione. Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe ag-*
» *noſcit omnem operam hominis. Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit*

*ſpatium*

ſpatium peccandi : non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium. Teſtes inuoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & bonum benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum: & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas (Ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum.) Deut.30.

X. Duo itaque illius diuini edicti fuere membra: alterum fidem, alterum obſeruantiam & religionem, ſiue timorem Domini ſpectabat. Timorem Domini ex Sapientis definitione, religioſitatem ſcientiæ vocamus. Religioſitas enim custodiet & iuſtificabit cor: iucunditatem atque gaudium dabit. (Eccli.1.) Obſeruantiæ mentio prius facta, eam quam indicabamus rationem, commendat. Fidei verò præceptum obſeruantiæ muniendæ cauſa adiunctum. Ex omni ligno paradiſi comede. Complures fuerant arbores, complura ligna, complura GHETSIM, complura ſapientiæ, ſcientiæ, & conſilij commoda & idonea, pulcherrima, & amore digniſſima argumenta. Omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. (Meminiſſe retulerit duplicem horti illius admirandi ſignificationem iam nobis eſſe indicatam.) Quæ omnia non permiſſa tantummodo, ſed conceſſa, ſed vltrò oblata, ſed parata etiam. quem diuinæ ſapientiæ & liberalitatis antiquum & proprium morem eſſe accepimus. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. (Prou.9.)

XI. Omnium itaque animi atque animæ bonorum cognitionem, vſum & fructum, atque adeò vitæ ipſius, quæ præſtantiſſima ceterarum arborum erat, copiam diuinæ liberalitatis benigno dono homini contigiſſe intelligimus, vno tantùm excepto genere, quo nihil minus conuenire homini diuina Sapientia cognouit, ac declarauit. Ex ligno HADAGHATH, ſingularis cuiuſdam ſcientiæ boni & mali non comedes: ex eo. Etenim naturæ in imagine Dei factæ, ſecundùm ſimilitudinem Dei acturæ, & vtroque nomine bonæ atque boni obtinendi cauſa creatæ, non modò mali cognitio non erat appetẽda, verùm neque boni cuiuſpiam quod à ſapientiſſimo Conditore fuiſſet exceptum (ſatis enim illi pro magno bono obedientia habenda fuerat) nedum illius boni quod ſine malo pariter cognoſci non poterat, malo autem illi ipſi qui cognoſceret malo & calamitatem perniciemq́; allaturo: præſertim cuius vſusfructus, cuius cognitio inquam & vſurpatio ab aliis omnibus quæ ad cognoſcendum & vſurpandum conceſſa erant, longè nimium diſtabat: imò non ſecus atque vitæ mors opponebatur. Id quod notatio HE nomini ſcientiæ adiuncta indicabat apertè. HADAGHATH, ſcientiæ illius cuiuſdam, cui nihil cum aliis commune eſt. Nam cetera cognoſci comedíque poſſunt ad famem leuandam, ad vitam alendam, ad multa alia homini vtilia, quibus vitæ oportunè etiam petitum & adhibitum lignum immortalitatem conciliaret. Verùm enimuerò excepti ligni appetita & obtenta ſcientia omnia prorſus diuerſa, imò aduerſa & contraria effectum iri prædicebãtur: quod vel ipſum nomen mali declarabat, & non minus iſto horrendum boni & mali nomen ſuſpicere dabat, duo contraria & ſecum pugnantia permixta ſignificans, atque ex conſequenti magna diſſidia turbationemq́; horribilem comminatum. Itaque vel ipſa nominum & verborum aperta pronunciatio, rem, de qua agebatur, auertendam, cauendam, & fugiendam arguebat, imò & notabat. Atque hoc vetitum reuerenter exceptum, & continenter obſeruatum oportuit, tam-

*etſi nulla vlteriore explicatione fuiſſet confirmatum.*

XII. *Verùm enimuerò ne quicquam requirere aut deſiderare poſſet homo, quod ad eruditionem inſtructionémque ſui vllo modo videretur facere, ne quicquam ad excuſationem defenſionemq́; ſui poſteà aliquo iure arripere valeret: prætereà, quæ vetãdo edoctus fuerat, maximi mali, in quod ſeſe, ſi periculum faceret, præcipitaturus erat, ab auctore & Principe bono ſapienteq́; Deo præmonitus eſt, & parati euentus, ex vetiti violatione, vel temeratione non diu expectandi, ſed quamprimùm experiundi ac ſentiendi damnationem, infelicitatem & miſeriam ſupremam edoctus audiit,* In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. *Imperitum mortis hominem, quódnam, quamq́; graue malum mors eſſet, latere fortaſsis potuit. Illud tamen certè non latebat, quantum, quàm æſtimabile, quantaq́; cuſtodia dignum bonum vita eſſet, illa præſertim vita, qua ipſe idem in imagine, & ſicut ſimilitudo Dei viuens fruebatur, quáque donatus & præditus, omnia quodammodo, imò mirabili modo erat. Nam præterquam quod vt in imagine illa Dei creatus, magna & multa diuinæ virtutis momenta in ſe agnoſcebat: præterquam quòd diuinarum rerum notitia mirum in modum gaudebat: humana omnia, hoc eſt, cetera quæ ſub cælo eſſent, & intellectione comprehendebat, & poteſtate imperióque gerebat, atque virtutum, facultatum, & efficacitatis omnium inſtar habebat: quamobrem* τὸ πᾶν *atque* τὰ πάντα, *id eſt,*

Ioan. 1. omne & omnia *propter excellentiam appellari iure potuit. S. S. E. Omnia*

» *per ipſum [Verbum] facta ſunt. Atque eadem omnia eiuſdem verbi cuſtodia & obſeruatione fuerant conſeruanda. His & quamplurimis aliis, quorum compos homo erat, quantum bonum vita eſſet, cognoſcere poterat, atque adeò cognouerat; quibus contrariam omnino mortem, ſi non ſenſu & experimento, certa tamen intellectione conſequi, & ſuſpicione cauere & vitare debuit, & potuit. Denique eidem ipſi, cui hæc prædicebantur, hoc eſt, humano animo, eadem die, qua iuſſum violaretur, mors eueſtigio euentura obnunciata eſt. quam mortem interpretamur abalienationem à Verbo, in quo vno humani animi vita erat. Hanc verò prædictionem ſuperiori hominis portioni, hoc eſt, mari factam, primæua lectio apertè docet: quippe cuius verba & pronomina maſculinam præferunt formam,* BIOM ACHALCHA, in die qua comederis tu mas. LO THOCHAL NE comedito tu mas. THAMVTH, morieris *mas. Itaque lex prædictióque omnis hominis animum præcipuè reſpexit, cui priores in omni vitæ actione parteis, vtpote inferiorem partem ducturo, & in legis obſeruantia contenturo, Deus arrogauerat. Et quamquam animus, vt animus erat, non comederet ex viſibilis ligni fructu, tamen ab inuiſibili tunc mali ac boni ſcientiæ fructu comedẽdo prohibebatur. Neutrum enim ſine altero tentari poterat: neque inferior pars tunc citra ſuperioris, qui intercedere atque vetare debebat, & poterat, notitia, conſenſu, vel conniuentia & permiſſu quicquam aduerſum diuinam præſcriptionem admitteret. Itaque Dei ſermo humanum cumprimis tangebat animum, cuius officium erat dictis & effatis diuinis atque prædictionibus credere, & ad vetitum reuerentia & continentia excipiendum & obſeruandum inferiorem femineam portionem, informare & regere, quatenus idem naturæ ſuæ ius & ordo poſtulabat, quatenuſq́; diuini ac tunc ſemper præſentis Verbi ſapientia & ante inſtituerat, & in præſentiarum imperabat. Quod Verbum quamdiu illis repudiatũ non eſſet, quamdiu ſacrumſanctum haberetur; vitam, quæ eatenus principio conſtiterat,*

*terat, conſtruaturum ſeſe receperat libentiſſimè. S. S. E. Et deliciæ meæ eſſe cum* Prou. 9.
*filiis hominum. His etiam accedit, quòd quæcumque vel intellectione, vel fide* ⁀ *ſc*
*cognoſcenda fuerint, ſuperiorem ſpectāt & appellant portionem, hoc eſt, animum ad id præcipuè muneris officiiq́; idoneum. Vt autem prius illud,* NE comedito, ne tangito, *continentia & reuerentia, vti dicemus, obſeruandum: ſic etiam illa futuri euētus prædictio ac denunciatio:* In quacunque die comederis, mori morieris. *id eſt, verè & reapſe, atque certiſſimè morieris, mortemq́; ſubibis, à vita prorſus alienam: illud, inquam, quod prædicebatur, quamuis nondum appareret, firmiſſima fide ſuſpiciendum, tenendum, ſeruandumq́; fuit: atq; ita vtramque hominis portionem in proprio officio exerceri & contineri oportuit.*

XIII. *Hactenus mundi opificium rerumq́; naturas omnium contemplari licuit, atque hominis, cuius cauſa omnia condita fuerant, admirandam conditionem amplificationémque cognouimus. Quippe quem non modò totius terræ præfectum animantúmque ceterarum dominum, ſed horti illius amœniſſimi ac fertiliſſimi cultorem, atque vſus fructusq́; compotem Deus effecerat: nulla excepta arbore, præter vnicam: cuius obſeruatione tamquam diuini in ſe, inq́; ſibi tradita & credita omnia principatus ſigno ac teſtimonio probatum voluerat. Et quidem arborem illam duplici nomine deuotam exiſtimare hominis intererat, & quod tamquam anathema Deus interdixerat, & quod idem ſibi naturæq́; ſuæ pernicioſam & peſtilentem declarauerat. Atque hæc orbis omnis tum recens creati, abſoluti, & ſuis legibus adornati facies fuit, quæ ſexto operis die integra, & omnibus perfecta & exacta numeris enituit. Eadem etiam auctori Deo ſapientiſſimo adeò placuit, vt ſequentis proximi diei conſecrato quieti ſuæ feſto celebri, atq; in poſterum ſtatuto, animantibus omnibus, atq; homini præcipuè ſacroſanctam indicere placuerit.* Plantauerat autem Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formauerat. *& rurſus:* Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum. *Ex primæuæ linguæ verbis:* Quietauit illum in horto voluptatis ad colendum eum, & ad cuſtodiendum eum. *molliter, placidè, & citrà vllam prorſus moleſtiam ab illo potuiſſe coli hortū, & cuſtodiri lectio indicat; vtpote viribus inſtructo idoneis & præſentibus, quas nec ſoli, nec cæli natura turbaret, aut diſſiparet: quas cùm ceterarum fructus arborum iuuarent: tum præcipuè vitæ lignum fulciret ac tueretur, tantum diuini tutela Verbi valebat. atque vna tantùm deuoti illius ligni venenata & peſtifera vis humanam virtutem à Verbo abalienatam turbare, perdere, & in nihilum redigere valebat. Quamobrem huic narrationi de homine in paradiſum locato, legis decretum è veſtigio ſubiunctum eſt.* Præcepitque ei, dicens: &cet.

IGITVR perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab omni opere quod patrauerat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ob omni opere ſuo, quod creauerat Deus vt faceret. *Hoc modo ac pacto totius mundi fabricam omnem integram, plenam, & exactam ſemel, vnico continuato per ſex dies opere conſtitiſſe accepimus; in qua nihil omnino requireretur quod vel auferri, vel adinueniri & adiungi veræ ſapientiæ ratio poſtularet. Cuius operis integritatem continuam, & nullo nouo conſilio aut opere indigentem aſſeuerans admiratusq́;*

*Sapiens*

„Sapiens, prædicauit: Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul. Deus ſolus „iuſtificabitur, & manet inuictus in æternum.

# DE CONSTITVTIONE MVNDI.

## CAPVT IIII.

Concordat cum animæ lib. 1. c. 12. 13. 14.

I. QVAM rebus omnibus perfectis, mundiq́; probata pulchritudine, quietem ſacrauerat Deus, nulli eorum quæ iam facta conſtabant, generi non communem eſſe voluit; ſed ſingulis integritatis ac bonitatis propriæ gratulationem, illo, quo ipſe quieuit die, impertitus, ſuam deinceps naturam conditionémque tueri indulſit. Id quod in ceteris omnibus rerum ac naturæ formis ratum, fixum, conſtansq́; euaſit, præterquam duabus ceterarũ omnium præſtantiſsimis, & quas maximè in ſuo ordine manere decuerat, & oportuerat. id eſt, ſpiritum naturæ, cuius pars & humanæ etiam quæ omnis vitio facto corruit. Vtraque à Deo electa, vtraque electionis compos ea ex parte, qua libertatem ſuam ingenuè tueri debuit, dum ſorte ſua non continetur, altioraq́; ſe quærit, dignitate, loco, cõditione, donis, muneribus, denique amplitudinis conceſſæ depulſa gradu, vtraque in exitium corruit. Atque hac duarum tantùm partium ruina, ceteris omnibus incolumibus, quod factum fuerat opus, demum reſedit ac ſubſtitit, deincépſque per ſecula manſit. Ex qua ratione primum illud tempus, quo cetera cuncta in ſua ſtatione manſerunt, Angeli verò nonnulli & homo vitium fecerunt, Η ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ ΚΑΤΑΒΟΛΗ, id eſt, conſtitutio mundi appellata eſt. Hæc autem res quibus de cauſis profecta fuerit, quemadmodum facta, quamquam ex ordine in huius operis anima narretur, tamen hîc repetita, & nonnullis partibus adnotata operæpretium attendentibus faciet.

DE ſpirituum natura & virtute hiſtoriaq́; omni, quantum ad non obſcuri compendij methodum facere viſum eſt, ſatis in hoc, quod ſtruimus corpore, iam diximus. Ex illo genere quidam, cui propter egregiam conditionis pulchritudinem HILEL antiquum nomen fuerat, virtutis magnitudinem ſuæ, munerumq́; quibus præſtabat officia, in miniſterium Dei erga hominem, quem ſe minorem quadamtenus nouerat, decreta * videns, diuino conſilio deeſſe apud ſe conſtituit, defectionisq́; ſuæ cauſam cum ceteris communicauit ſpiritibus, indignum videri illorum gradu & ordine queſtus minoris naturæ fouendæ cauſa ſibi, collegiſque ſuis tantum virtutis, efficacitatis, atq; ſplendoris contigiſſe, quos mundi regnum atque adeò in homines ipſos imperium decere magis videbatur. Atque prima conſilij illius origo iſta fuit, Inuidia nimirum, inquietum & peſtilens malum: quod cuicumque incidit, rabiem cumprimis molitur, qua ſibiipſi primùm, deinde aliis perniciem ſtruat. Ingenium enim hæc ad nocendum vehementer acuit, voluntatemq́; incendit, audaciam firmat, & viam munit, mentem verò ita turbat, vt præterquam ſibi vni, nemini alij benè eſſe velit, bonorum & malorum fines ac definitiones, & modos, & cauſas longè aliter quàm res habet, conſtituere doceat. Huius exitialis morbi origo vnica ſuiipſius amor eſt, qui primus & contentioſiſsimus veritatis, bonitatis, iuſtitiæ, virtutumq́; omnium atque adeò Dei hoſtis habetur. Namque Deus vt ſummè bonus, bonitatis ſuæ diuitias rebus omnibus impertitur; Amor verò proprius nemini cuiquam, præterquam ſibi vni, aut

* ſ. inuidens

propter

propter ſe vnum boni quippiam eſſe vult: neque vmquam tantum ſibi bonorum eſſe arbitratur, vt non plus etiam atque etiam conuenire exiſtimet. hinc eſt quod nullo quieſcit loco, nullo ſe ſatis beatum gradu conſiſtere poſſit, dum alium altiorem, quamquam ſibi minimè paratum intellexerit. Deniq; eligendi ac definiendi quod ſibi expediat ius & facultatem nemini cedere, ſed vſurpare ipſe velit. Hoc illius magni Luciferi morbi, atque totius in orbem inducti mali initium fuit, ſcilicet non contenti ſuo ordini decreta ſtatione, & ſublimiora ſibi promittentis atque affectantis. Id quod Spiritus ſanctus Apoſtolo referente notauit. Angelos verò qui non ſeruauerunt τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ſuum illud ipſorum principium & principatum ſufficientem. Namq; omnia hæc ſignificantur verbo ἀρχὴ ſed reliquerunt ſuũ illud proprium οἰκητήριον, domicilium ſtationemq; conditionis ſuæ. Hæc muneris atque officij proprij deſertio ex amore ſui profecta, ſpiritum illum in inuidiam impulit, ex inuidia inſana rabies deiiciendi hominem de gradu ſuo, ſibiq; ſubiiciendi: atque ex conſequenti obtinendi magni nominis gloriam, & aſtutiæ calliditatiſq; palmam, qua diuinæ ſapientiæ rationes prævertiſſe, ordines ac propoſitum inuertiſſe dictitato gloria accreſceret & fama Altiſsimo, quamquam non par, ſimilis tamen & æmula. Id quod ab illo ſpiritu quondam præſumptum & iactatum, ab illius inuidæ ſuperbiæ imitatoribus, atque ſui ipſorum amantibus poſteà nonnullis exemplis fuit vſurpatum: ex quibus vnum inſigne apud Babylonis regem ſpectatum, per vatem ſuum notari, referri, & recitari Deus voluit. Sumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices: Iſaiæ 14.
Nomen MASAL narrationis vel ſententiæ, vel argumenti ſignificat genus, quod ex vna vel actione vel re vel perſona petitum, ad alia explicanda & oſtendẽda vſurpatur. Idemq; Latinè propriè exemplum, Græcè verò propter vſurpationis rationem παραβολὴ dici ſolet. Ait itaque Deus per Vatem, quòd ſpiritui illi ſuperbo & arroganti quondam in mentem venit, & tentare non piguit: atque demum ſuo cum magno malo euenit, idem illud tu exempli cauſa aduerſus Babylonis regem vſurpabis. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſsimo. Vel ipſa præſumptæ orationis ſublimitas exemplum non ab hominibus, verùm à ſuperioris naturæ hiſtoria petitum docet. Numquam enim Babylonis regi mortali carni & ſanguini illud venire in mentem potuit: Aſcendam ſuper altitudinem nubium. multo minus illud: Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Verùm quod iſti ad terrarum imperium vſurpandum, Superbia in animum iniecit: cuidam alij ad diuinos affectãdos honores, & ſapientiæ captandam gloriam, proprius amor inſolẽtiſsimè perſuaſerat: nempe Lucifero præſtantis naturæ ſpiritui, qui manè, hoc eſt, antequam dies in orbe terrarum eluceſceret, iam ille creatus oriebatur: tanta intelligendi claritate præditus, vt Luciferi nomen obtineret, cuius aſtri lumen ceteris præſtare notum eſt. Quam tamen claritatem ob ſuperbiam ad mendacij & aſtutiæ argumenta tranſtulit ſimulatque ſuum principium & principatum prodere, ſuamq; deſerere ſtationem decreuit. S.S.E. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas Ioan 8.
in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax eſt, & pater eius. Ille primus, ille maximus homicida, hoc eſt, humani generis occiſor fuit.

*Cuius ſpiritu rex Babylonius actus vulneraſſe gentes accuſatur. Ille ſe in cælum aſcenſurum cogitabat, ſoliumq; ſibi ſuper aſtra Dei collocaturum, quippe qui humanæ naturæ tyrannidem occupare parabat, cui miniſtrādæ & ſe, & alios ſpiritus deſtinatos dedignabatur. Quod ſi alij in ſua ſtatione manere optarent, præſcriptos vnuſquiſque à Deo obtinere curſus, ſe tamen vt regem ſolium figere, & quieſcere conſtituiſſe, non Dei aſtrum amplius appellandum, ſed ſui iuris, ſui dominij compotem futurum. Id verò quónam pacto aſſequeretur, iam inuentū apud ſe agitabat, & conſtitutum ſecum ipſe communicabat:* Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. *Quibus in verbis humanæ ruinæ arcanum latet, nunc breuiter reuelandum: quandoquidem Dei beneficio magna myſterij huius rationem aperiri noſtro contigit ſeculo.*

II. *Bella & pugnæ quæcumque fortibus & robore ac virtute comparari poſſe videantur, incidunt, virium periculo cōmitti & exerceri ſolent: ſin verò in vtroque pugnantium ſumma non ſit virtus, is, qui minor eſt viribus, ſi aſtu, prudentia, & calliditate valeat, nihilominus nec ſpem deponit victoriæ, nec aleam tentare recuſat, præcipuè cùm in huiuſmodi gerendis rebus primas conſilio & aſtutiæ parteis plurimorum calculo tributas nouerimus, & vel illa Sapientis ſententia docet: Cogitationes conſiliis roborantur: & gubernaculis tractanda ſunt bella.* (Prou. 20.) *Quæ hîc* gubernacula *legimus, in exemplari dicūtur* THAHHABVLOTH, acutæ curæ *à Latinis poëtis dictæ; quarum magna in bello vis eſt, earúmque diuerſa pro argumenti ratione vel vituperatio, vel laus: nam ſi rectè & ſapienter ineantur huiuſmodi curæ, prudentiæ & calliditatis merentur nomen: ſin verò impurè, iniuſtè, & inſolenter ponantur, aſtus, fraudis atque doli notantur infamia. Atque ita verbum* THAHHABVLOTH *ad vtramque vel probandæ vel improbandæ ſapientiæ partem ſignificandam vſurpatur. Cuius diuerſitatis exempla ſunt: Et prudens gubernacula poßidebit. &, Conſilia impiorum fraudulenta.* (Prou. 1. Prou. 12.) *vtrobique eſt vox* THAHHABVLOTH. *Manifeſtum verò non modò Lucifero fuerat, verùm omni vel communis compoti ſenſus liquet, Spiritum illum cum Altiſſimo [Deo] longè minus de virium præſtantia contendere potuiſſe, quàm primam illam matutinam ſtellam, à qua nomen ipſe mutuauerat cum ſole. Namque illa quamquam id, quod præſtat, lumen ſoli acceptum referat, tamen corpus, formam, naturamq; ſuam omnem non ſoli, ſed communi conditori Deo debet. At verò Lucifer iſte, de quo agimus, non ingenij modò ſui magnitudinem & cognitionis ac facultatis præſtantiam: verùm ſe etiam totum quidquid eſſet, Auctori ſuo debere ſeſe nouerat. ſine quo neque eſſe potuiſſet initio, nec poſtquam factus eſſet, poterat durare. Quamobrem numquam ſe ipſe Deum appellauit, ſed id quod erat tamen ad ſimilem Altiſſimi gloriam prouehi, & amplificari poſſe arte calliditateq; ſua ſibi perſuaſit.* " *Aſcendam in cælum, & ſuper* " *aſtra Dei exaltabo ſolium meum. Id quod, vti excepimus, virtute & efficacitate ſua fieri minimè poſſe certo certius nouerat. Bonitate autem ſe Deo ſimilem reddere non magis etiam valebat, poſtquam huiuſmodi admiſerat & ceperat conſilium. Siquidem bonitas cuiuſcumque generis in proprij muneris atque officij edendis exemplis ſpectatur. Vidit Dominus vniuerſa quæ fecerat, & erant valde bona. Quippe quæ in numero, pondere & menſura facta fuerant, à quibus partibus quodcumque degeneraret, propriæ bonitati deeſſe argueretur. Quare non minus Lucifero conſtabat ſe munus officiumq; ſibi à Conditore creditum deſeren-*

Lucifer.

ſerentemà bonitatis laude eueſtigio depoſitum iri, quàm ſolem in tenebras verſum lucis nomine & commendatione priuandum eſſe. Principio autem ſtatuendum eſt magnitudinem, amplitudinem, imò infinitudinem diuinæ ſingularitatis, qua ratione noſtris animis cognoſcere fas fuit, ab immenſitate illa, qua valet & conſtat, ſeſe cognoſcendam tribus nominibus concedere & inſinuare. virtutis ſiue efficacitatis, quam potentiam ſcholæ vocant: & Sapientiæ, & Bonitatis, quæ aliàs Benignitas, aliàs Liberalitas, ſæpiſſimè HHEZZED miſericordia dicitur: Ad hæc enim tria nomina, quæ attributa dici ſolent, omnia alia commodè referuntur, quamquam plurima ſint, & ſuas ſingula rationes vendicent. Ex iis verò tribus nominibus vbi duo iam à Luciferi facultate excluſa fuerint, virtutis videlicet & bonitatis, quibus nullo pacto ſe Altiſſimo ſimilem fore ſperare ille poterat, proxima ſuſpicio fuerit inquirere num ſapientiæ æmulationem ſeſe præbere ſperauerit. aliàs enim nullum ex illis maximis reliquum videatur, ex quo affectatæ cum Deo contentionis cauſas habuerit. ita vt quod nec viribus, nec bonitate conſequi poterat, Sapientia ac THAHHABVLOTH, id eſt, acutis curis aſſequi ſperaret. Hîc verò eſt aut nuſquam quod quærimus: Hæc mala cauſa Lucifero exitium, hæc orbi eſt molita ruinam. Id quod ex illius oratione ab Iſaia recitata, & nobis explicanda arguetur. Sedebo in monte teſtamenti. Huius myſterij interpretationem ex primæua orationis verbis veſtigare operæpretiũ fuerit. Duo ſunt nomina HAR & MOGHED, pro quibus Latinè monte teſtamenti legimus. Nomen HAR grauidum & prægnans aliquid ſignificat, & ex hoc ſignificato ei terræ parti impoſitum eſt, quam Græci affini vocabulo ὄρους, Latini montes vocant. vt in naturæ hiſtoria ex interpretatione atque re declarabamus. MOGHED nomen à IAGHAD verbo factum, teſtimonium, teſtationem, prædictionem, conuentum, pactum, &, vt ſic loquamur, proteſtationem interpretamur. Namque ad hæc omnia verbum illud vſurpatur. ita in monte teſtamenti, arcanè ſic enarrare poſſumus, In grauida & prægnante prædictione & proteſtatione. Duo etiam alia verba his adiuncta ſunt, quibus propoſiti ſui præſumptionem expoliuit Lucifer, in lateribus Aquilonis. Quæ Latini fæmora vocant, primæua in lingua IARCHETAIM dicuntur: quæ quia bipartita ſunt, & è regione oppoſita, ad latera etiam ſignificanda transferuntur. quamobrem Latini interpretes nomen IERECH pro loci ratione nunc in femur, nunc in latus vertunt. vt, Pone manum ſubtus femur meum. &, Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Affine autem eſt maximè nomen IERECH verbo RACHACH, & nomini RACH, quorum alterum mollire, alterum teneritudinem, mollitudinem, & blanditiem ſignificat. At verò TSAPHON, pro quo Latini Aquilonem reddunt, à TSAPHAN verbo nomen deductum eſt: atque vt TSAPHAN abſcondere, celare, occultare, tegere, & quæ ad hæc referuntur multa, ſignificat: ita TSAPHON occultum, celatum, arcanum, ſiue myſterium interpretari eſt. Ex quorum verborum ac nominum interpretatione ad præſumpti Luciferò conſilij explicationem aditus iam nobis paratur. quẽ planior, & ſermoni proprior oratio faciliorẽ reddet, in hunc modũ. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Firmabor in grauida & prægnante prædictione, in mollitudinibus arcani. huic etiã præſumptioni illud adiunxit: Aſcendã ſuper altitudinem nubiũ. Hæc verborũ interpretatio lucem etiam ex rebus admouẽdam poſtulat. Rerum verò illa ſumma nobis ratio fuerit.

הר מועד

Gen. 24.
Pſal. 127.

צפון

III. *Diuina prædictio illa*, In quacunque die comederis ex eo, morte morieris, *magnam in ſe continebat ſignificationem: ac veluti montes metallis, mineralibus, lapidibus; atque aliarum plurium elementis rerum grauidi ſunt, quas non niſi rupti manifeſtant: ita illud* Mori morieris, *maximam plurimorum malorum copiam, variarumq́; ærumnarum turbam vel vnico* mortis *nomine continebat & premebat: non quidem vltrò in mundum proditura, niſi ab homine tentata & rupta. Hanc verò tentationē ac ruptionem, qua ex parte fieri poſſe intelligebat Lucifer, curaturum ſe indicabat, ex ea nimirum quæ in arcano illo atque occulto vetito molliſsima ac tenerrima appareret, id eſt, ex interpretationis genere molliſsimo, & ad mollem, teneram, ac femineam hominis partem, ad ſenſum (inquam) & animam, minus difficili, imò magis plauſibili & accommodato. Nam cùm omnibus à Deo creatis & conſtitutis rebus certas pro cuiuſque natura & ingenio leges à Deo inditas, vel indicendas cognoſceret Lucifer, eam quam homini indictum iri conſentaneum erat, excogitata calliditate & aſtutia ſe curaturum eidem homini violari, atque ex conſequenti, regnum in orbem terrarum conceſſum perdi: id quod vbi eueniret, ſe & imperio in homines augendum, & maximæ ſapientiæ præconio celebrem euaſurum, atque Altiſsimo putandum tenendumq́; ſimilem: vt qui id quod Altiſsimus ſumma & ſimpliciſsima Sapientia fecerat & conſtituerat, calliditate & aſtutia, hoc eſt, propria ipſius ſapientia turbare, inuertere, atque hoc iure ſiue hac iniuria ſibi arrogare nouiſſet. Vt verò parteis quas ſibi ad hanc conficiendam rem ſumpſerat, indicaret, adiunxit etiam illud:* aſcendam ſuper altitudines nubis. *Nomen pro quo* nubes *Latinum audimus, in exemplari lingua eſt* GHAB, *quod craßitiem, denſitudinē, ac turbationem complicationemq́; dicere noſtra in lingua poſsumus. Quo verbo arcanam illam prædictionem ſimplicem, rectam, atque omni ex parte ſimilem, temeraria, denſa & craſſa, atque ambigua & implicata ratione & argumentatione ſibi fore turbandam; & hoc pacto ad humani generis perniciem ſe ex ſublimi loco latenter & obſcurè pugnaturum ſubindicauit. Id quod quemadmodum tentatum, actum & confectum fuerit, oſtendemus: vbi de iſtius mēdacis actoris perſona ad hanc rem ſuſcepta, numquam deinceps poſtea depoſita nonnihil dixerimus.*

IIII. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.

*Quem naturæ ingenio, dotibus & virtutibus* HILEL, *id eſt, Luciferum factum, dictum, & à Vate Iſaia ex Dei mandato appellatum nouimus, nunc ſerpentem, eumdemq́; callidiſsimum ſuo ipſius vitio redditum: & ita dictitatum legimus, perſona, quam lucidam & ſimplicem, claram & vtilem, amabilémque ab Auctore acceperat, depoſita, & in aſtutam, lubricam, fraudulentam, horribilem, omninóque turpem mutata.*

Serpenti, *Latinum nomen vnde factum fuerit, cuiuis apertè conſtat, nihilq́; illius naturæ ſignificat, præter motum: at verò quod in exemplari & primæua lingua hoc genus animanti nomen impoſitum eſt, ſua ſponte malitiam, vanitatem, calliditatem, verſutiam, ambiguitatem, & nocumentum arguit. Namque verbum* NAHHAS *ad animi actionem & cogitationem refertur, non ſimplicem quidem nec apertam aut ſynceram; ſed vanam, vafram, verſutam, aſtutam, & quæ interpretatione volubili ac verſatili vtatur: qua auditores & conſultores falli, decipi, & errare plerumque cogantur. Huiuſmodi mentis actionem anguſtiore*

ſtiore quidem vocabulo: verumtamen non alieno Latini interpretes indicare ſtudent: nam pro NAHHAS verbo augurari; & pro NAHHASIM plurali nomine auguria reddere ſolent. Atque huiuſmodi ſenſus & ingenium aſtutum, & ad inſidias & dolos comparatum illi tribuitur animantum generi, cui Latini ſerpentis, colubri ac draconis nomina fecerunt: quippe cui maior in calliditate & aſtu, ac fraude, maior in natiuo oris veneno atque peſtilenti halitu fiducia eſt, quàm in membris, quibus caret: vel in viribus, quas pro corporis magnitudine minores habet. His accedit motus flexibilitas & lubricitas, in plano, aperto, ac ſolido ſolo tarda, in aſperiori verò ac denſiore velociſsima. Adde quòd vel accedenti vel aufugienti præterquam in tenui puluere, qui facilè à ventis deleri poteſt, nullum ad ſeſe inſectãdum iſtud animal relinquit veſtigium. S. S. E. Tria Prou. 30.
mihi ignota ſunt, & quartum penitus ignorat anima mea. ex quibus vnum eſſe "
ait viam colubri in petra. His autem artibus & partibus hoc animantum genus "
ceteris animantibus, quæ & membris & viribus valent, cum paruis, tum etiam maioribus atque adeò feris, imò & auibus quoque capiendis, perdendis, ac deuorandis inſidiari ſolent: & ſibi in periculis ac diſcriminibus cauere & proſpicere. Vnde & prudentiæ prærogatiuam inter cetera viuentia obtinuit. S. S. E. Eſtote Mat. 10.
prudentes ſicut ſerpentes. Quam tamen prudentiam non ſimplicem, & laudi abſolutè apponendam, ſed calliditati adſcribendam, atque in malum & incommodum inſidias ac dolos tendentem, multa ſacræ diſciplinæ documenta arguunt. Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant Eccl. 12.
beſtiis? Sic & qui comitatur cum viris iniquis. Longam quidem de hoc animan- "
tis genere hiſtoriam contexere facilè foret, ſi huius propriè loci opus id eſſet. Verùm ad id quod in præſentiarũ agimus, argumentum illud breue documentum ſatis indicij præbere animaduertentibus poterit: Serpens erat callidior omnibus animantibus terræ; *ſiue*, callidiſſimum omnium: *nam ſuperlatiui rationem in hac oratione obſeruamus. Calliditatis nomen Latinum ad laudem interdum, plerumque ad vituperium appellatur. Idem accidit antiquo nomini* GHAROM, *quod proximum eſt vocabulo* GHARVM: *hoc* nudum, *illud* callidum, aſtutum, vafrum, *ac* doloſum *interpretamur: nonnullam enim cognationem vel ſimilitudinem animi ac ſenſus calliditas cum corporis nuditate habet: maximè verò ſerpentis aſtutia ac lubricitas ingenij cum ſuiipſius corporis nuda figura, & nullis plumis, nullis pilis aut ſetis, nullo natiui veſtimenti genere; niſi tantùm leui, lubrica, plicatili, & verſatili pelle, eadémque perpetua. Hæc ingenij nuditas,* GHORMAH, *id eſt aſtutia, vafrities, & verſutia dicitur: qua cunctis animantibus terræ, id eſt, terreſtri tantùm anima ac ſenſu præditis, ac nihil ſublime aut cæleſte repræſentantibus, præſtat ſerpens. In quo genere primas obtinet obtinuitq́; vnus quidã, qui, quod ad ſtationẽ propriam, in qua cõſtitutus erat, mutare conſtituit: nullam potius naturam imitari voluit ex omnibus animantibus quas Dominus Deus creauerat, niſi iſtam omnium aliarum callidiſsimam & nocentiſsimam. cuius vbi induit perſonam, & indutam maximopere egit, numquam amplius depoſuit: atque vt antea in cæleſtibus ſpiritibus primas tenere exiſtimabatur, ſic in terreſtribus animis & ingeniis, virtute & bonitate poſtremas vel nullas, malitiæ verò ſummas obtinuit, ac tutatus eſt* MICHOL HHAIATH HASADEH, *ex omnibus feris agri, præter & vltrà, atque extra omneis nocentes feras. Namq́; huiuſmodi vis & ſignificatio eſt vocis illius*

MIN. *In exemplari lingua nomini ſerpentis, adnotationis ac ſingularitatis adſcribitur nota* H. *ille quidam ſingularis ſerpens. Atque iam de iſto primo malorum omnium parente, deq́ ipſius ſacrilego propoſito & cõſilio quæ plurima dici explicariq́ poterant, breui quidem, verùm appoſita eademq́ horribili imagine diſertum eſt. imagine (inquam) tribus malis præcipuè notis indicata, obſcuri & impliciti mendacij, verſutæ calliditatis, & nocumenti maximi. Hæc enim illa ſignificantur deſcriptione: quæ ſi primo & natiuo hominis ingenio & ſenſu atque animo toto componantur, maximo diſtare diſcrimine haud dubiè deprehendentur. Hîc enim ſumma rectitudo, ſimplex nuditas, expedita & concinna veritas, nullis tenebris obſcurata, nullis cunctationibus interturbata, nullo mali ſenſu læſa, ideo nullis ſuſpicionibus cauta ſpectabitur: illic verò malitia, falſitas, vanitas, calliditas, verſutia, aſtus, ambitio, docẽdi auiditas, & iſta omnia agendi promptitudo & audacia, atque in ſomnis cupiditas, non vt in priuato aliquo riuulo, ſed in ipſo fonte copioſiſſimo cognoſcentur: atque ex conſequenti, quàm horribilem, quamq́ ſemper ſuſpectum hunc humani generis hoſtem haberi & caueri ſemper oporteat, indicabunt. Sed quòd diuinus ſpiritus tum ſæpiſſimè aliàs, tum apertiſſimè per Apoſtolum admonet: Sobrij eſtote, & vigilate in orationibus, quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærẽs quem deuoret. Itaque iam quam mentem, quam facultatem, quas arteis, quod votum & ſtudium hic mendacij pater optauerit, edocti ſumus, quemadmodum verò propoſitum expedierit ſuum, proximum eſt vt attendamus.* Qui dixit ad mulierem. *Dum iſte ſuum propoſitum ſignificante oratione pronunciabat, inter cetera quæ apud ſe ſtatuiſſe ac dixiſſe fertur, illud etiam erat,* ad latera Aquilonis, *quod nos interpretati in mollitudinibus, ſiue teneritudinibus arcani, exponebamus. id verò ſibi agendum illo pacto decreuiſſe:* Aſcendam ſuper altitudinem nubis, *quod quid ſignificaret, iam etiam oſtendimus. Dixeramus verò, hoſtem iſtum non virtute, non ſimplici ſapientia, ſed calliditate ſeſe inſtruxiſſe ad victoriæ tentandam aleam: Calliditatis autem in bellicis inſidiis pars eſt expugnandæ rei loca prænoſcere, vtrum omnia æquè firma ac munita ſint, an quid alicubi quoquo modo minus firmum, minorisq́ in expugnando laboris ac negotij deprehendatur, quòd huiuſmodi quæcumque fuerint, ad verſutiam exercendam oportuna magis putentur. Iam primùm in homine coluber ille duo ſimul eſſe cognouerat, marem & feminam: huius naturam teneriorem minusq́ robuſtam intellexerat; ipſum verò hominem duobus etiam capitibus conſtare videbat, viro & muliere: atque femineam mulieris partem nonnihil quàm viri molliorem ac teneriorem putabat. Namque id vel carnis mulieris habitus & ſpecies arguere videbatur: quamobrem humani generis expugnationem à lateribus Aquilonis, à teneritudinibus myſterij illius inchoandam duxit. Itaque mulierem primam adortus eſt: quam ea parte tentauit, qua feminam eſſe ſciebat, hoc eſt, ab exteriore homine, ſiue à ſenſu vel à carne (nam his omnibus nominibus exterior appellatur homo.) Hoc ita adnotandum, obſeruandum, & vtilitatis noſtræ cauſa commemorandum Spiritus nos docet ſanctus. Mulier ſeducta eſt in præuaricatione, non vir. Significanter admodum Latinus interpres hoc loci vertit* ſeducta. *Seducere enim dicitur cùm quis ea ſeorſum cum alio agit, quæ apertè, palàm & publicè aliàs agere non auderet. idcirco in hiſtoria legimus,* dixit ad mulierem. *Iam verò primam calliditatis curam in infirmiore parte ad expugnandum obſeruanda,*

*ſeruanda, & adeunda poſitam intelligimus, verſutiam verò in expugnatione adhibitam cognoſcere expediet. Cumprimis illud ſtatuendum eſt, humanum animum, quem aliquando ſignificationis cauſa* intellectum *vel* mētem, *eundemq́; ſæpius* interiorem hominem, *ſiue* marem *vocabimus, in illa priore electione & conditione, quam à Conditore acceperat, recta, clara, aperta, & expedita cognoſcendarum æſtimandarumq́; rerum facultate, virtute & promptitudine inſtructum fuiſſe adeò, vt quamprimum oblatis animantum atque rerum aliarum formis nomina dicere & imponere valentem ſacra hiſtoria depinxerit. S. S. E. Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, hoc eſt nomen eius. Ideoq́; præſtare poterat ſingularitas illa animi in imagine Dei facti, & perpetua præſentis & aßiſtentis Dei prouidentia & illuſtratio atque doctrina verbi, lucis, inquam, veræ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cuius vſura lucis quamdiu humano animo maneret, nulla ignoratio, nulla dubitatio aut ambiguitas, nulla in cognoſcendis æſtimandiſve rebus cunctatio & mora ſubeſſe poterat. atque ex conſequēti nulla vagatio aut collectio, imò nec obſeruatio quidem vlla requirebatur. Fecerat enim Deus hominem* IASAR, *quod vocabulum ab interpretibus Latinis in* rectum *vertitur: verùm qualis nam illa rectitudo fuerit, explicando oſtendemus vocabulo.*

IASAR *tribus præcipuis elementis conſtat* ישר I. S. R. *& quamquam ſimplex vocabulum ſit, tamen futuri verbi figuram refert, vt ex littera prima apparet* I. *Atqui futurum perpetuitatis rationem obtinere iam ſæpius inculcauimus: quare ex hac parte perpetuum interpretamur. Duæ verò, quæ reſtāt, literæ* S.R. *in illa lingua magnam affinitatem habent cum verbis* SVR *&* SVR. *quorum alterum in dextro, alterum in ſiniſtro* ש *cornu punctum habet. prius ad canendi & cantici, atque adeò ad firmitudinis & munimenti ſignificationem vſurpatur, poſterius præſtantiam, imperium, poteſtatem, & principatum, menſuram, decorem & pulchritudinem atque plura alia ad hanc rationem referenda repræſentat: ita vt nomen hoc, quod nunc interpretamur* IASAR *lætum, canentem, firmum, certum, principem, imperantem, eminentem, pulchrum, decorum, atque menſuræ potentem: imò menſuram ipſam, & omnia hæc perpetuò habētem explicare poßimus. Hoc itaque pacto homo à Deo conditus* IASAR *extiterat: atque ita* rectus *Latinè dici potuit, vt verum illud ſit ſemper, id quod rectum eſt, ſui atque obliqui eſſe iudicem. Atque etiam diſcerni & cognoſci quanta rectitudinis præſtantia, quanta dignitas & pulchritudo, quanta ſit prædicatio & laus. In hunc itaque modum hominem rectum factum intelligimus, hoc eſt, Dei & ſui ipſius & aliarum rerum cognitorem & menſuram etiam omnium ſe inferiorum naturarum comprehendentem rationes, & æſtimantem quod ad cognitionem faceret: quod verò ad vſum & exercitationem, regulas, formulas, præcepta ac inſtituta diuina tenentem, quibus vſum numquam falli fruſtraríve poſſe. Ex quo diuinæ diſciplinæ documento intelligimus marem illum hominem primis naturæ notionibus rerum & veritatibus ampliſsimis inſtructum fuiſſe, hisq́; ſe ac ſua omnia gubernare ac regere ex Dei inſtituto & lege potuiſſe: ideoq́; ad illius mirabilis horti culturam fuiſſe deſtinatum ac deductū: in cuius naturæ obſeruantia, atque etiam in ſuæ ipſius conditionis exercitatione, ſuorum bonorum ſummam & conſeruandæ beatitatis copiam conſtitiſſe. Quæ res cùm ſerpenti illi callidiſsimo explorata eſſet, non primùm atque aperto congreſſu tentanda viſa eſt, ſed,*

ישר

*ſed, vti diximus, tenerior pars ex inſidiis verſutè aſuteq́; petenda & contaminanda. Nouerat enim idem, mulierem à viro amari, nempe ſuum os, carnemq́; de carne ſua vocatam, dignamq́; dictam, propter quam relinqueret homo patrem & matrem, vti duo in carne vna eſſent. Nouerat item inferiorem hominis portionem ſuperiori vtpote naturæ ſuæ partem, eamq́; bonam & ſibi aptam caram eſſe: Quare primum expedientiſsimum expugnationis à ſe ineundæ negotium ab his humanæ naturæ inferioribus partibus auſpicandum & inchoandum ſuſceperat, vt his in fraudem illectis, captis & occupatis, facilius totius naturæ maturaret ruinam. id quod non præter ſententiam euenit. Iam verò quo potiſsimum argumento expugnationis machinam inſtruxerit, attendamus.*

V. *Nulli naturæ ſuum bonum non exoptandum expetendúmque eſſe ac videri, idemq́; ſummo ſtudio quæri & comparari debere, aſtutus ille Draco, etiam antequàm coluber fieret, ſciebat: non etiam ignorabat bonorum iudicium inferiori hominis portioni non conſtare, ſed à ſuperiore eſſe petēdum, ſuperioris verò partis eſſe, quæ nouerat quamplurima roganti rectè & apertè reſpondere & conſulere: quæ verò maiora eſſent, à Dei oraculo petita & relata pro rogantis captu & vſu communicare. Duo autem ſimul commiſcere & confundere ſerpens curauit, vt mulierem primùm caperet. alterum quidem conceſſum, alterum verò vetitum, quorum mixtura obiecta & à muliere adrepta ac deuorata humanæ naturæ partem ſibi deditam fore, inde verò alteram dedendam expectauit. Prius quidem vitij expers erat, hoc eſt, proprij boni optio & expetitio. poſteriùs verò cùm feminæ nec integrum nec fas fuiſſet, tentari, agi, tractari ſine vitio non poterat, id eſt, proprij boni iudicium vſurpare etiamſi ſua ſponte nulloq́; adhibito aut conſulto doctore aut monitore id præſumere vellet. Nam quamquam inferior portio ex rebus aliquid aliquantulumq́; cognoſceret, non tamen quantum ſatis eſſet ad ſeſe regendum ſuoq́; more & modo viuendum tenebat, quippe quam nec ſolam viuere deceret, nec à ſuperioris conſilio & iudicio degenerare oporteret. S. S. E. Faciamus illi adiutorium è regione illius. Non quòd primas obtineat, ſed quòd è regione primas obtinentis conſiſtat. Igitur proprij boni natiuum & ingenitum amorem duplici fraude decipere & corrumpere ſerpens ille curauit, nimirum deſertione proprij loci & officij (qua contage ipſe iam laborabat) & conuerſione ad ſeſe conſulendum & audiendum: quarum alteram vel vtramuis pariter vbi obtineret, rem ſibi expediendam omnem promiſerat. Namque hoc pacto mulierem & inferiorem hominis portionem à Dei verbo & iuſſu alienatam à gratia quoque abalienatum iri in procliui erat. Atqui ſermonis cum muliere habiti formula & exemplum indicat, primum aliquod initium dicendi factum, vnde ad argumentationem & ſuaſionem caperetur anſa. Namque vbi Latinè legimus,* Cur præcepit vobis Deus vt nō comederetis ex omni ligno paradiſi? *in exemplari ita ſcriptum inuenimus,* APH CHI AMAR ELOHIM LO THOCHLV, etiam quòd dixit Deus, non comedetis. *Vocum illarū* APH CHI *& vtriuſuis etiam ſeorſum ſignificatio connexionem cum præcedenti oratione perpetuò indicat; vt apud Latinos* etiam quòd. *Verùm huiuſmodi præcedentes orationes aliquando expreſſas inuenimus, cùm aliàs ratio laboraret omnis: nonnumquam verò omiſſas obſeruamus, quando videlicet argumenti pondus ex iis quæ referuntur verbis conſtat. Sic enim exploratorum, quos ad regionis cognoſcēdum ſtatum Ioſue miſerat, poſt incolumē reditum oratio deſcribitur,* CHI NATHAN

ADO-

ADONAI &c. *Nam dedit Dominus terram in manus noſtras, vbi manifeſtum* " *veſtigium viſitur præcedentis principij in dicendo, verùm omiſsi à narratore tantùm argumenti oportuni ad id quod agebatur, vim referentis & locum indicantis. cuius illud ad perſuaſionem pondus erat, Datam eſſe illis à Domino terram. aliàs, vti diximus, rationis ac linguæ obſeruatus vſus orationem ab ea coniunctione, quæ cauſalis dicitur, inchoatam non fert, ne dum à duabus, altera adnectente, cauſali verò altera. Quamobrem id quod in hac oratione non eſt expreſſum, cuius ſententiæ, quorſumq́; intentum eſſet, facile coniectu eſt, tum ex cauſa & fine, tum ex rationis vi, tum etiam ex eiuſdem argumenti exemplo ab eodem arguto & callido impoſtore non ſemel vſurpato & repetito. Solemne autem iſti eſt, eos quos à recto calle reuocare atque à felici conditionis ſtatu deturbare ſtudet, ad diffidentiam principio flectere, in qua ſi labantes & in dubio pendentes videat, facili momento ad fidei detrimentum impellit, indeq; in ſcelus & nefas protrudit. Sic quondam Iſraelitas Dei iuſſu ad rubri maris littus deductos diffidere primùm, deinde de reditu cogitare, ſin minus deſperare ſalutem curans in huiuſmodi infidelitatis indicem clamorem incitauit, Clamaueruntq́; ad Do*- " *minum, & dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto,* " *ideo tuliſti nos vt moreremur in ſolitudine: Quid hoc facere voluiſti vt educe*- " *res nos ex Aegypto? Nónne iſte eſt ſermo quem loquebamur ad te in Aegypto, di*- " *centes: Recede à nobis, vt ſeruiamus Aegyptiis? multo enim melius erat ſeruire* " *eis quàm mori in ſolitudine. Non longo poſt tempore in idem diffidentiæ exemplum & præſentis conditionis pœnitudinem eoſdem impulſos legimus. Quinto decimo menſis ſecundi die poſtquam egreſsi ſunt de terra Aegypti, & murmu*- " *rauit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſen & Aharon in ſolitu*- " *dine, dixeruntq́; filij Iſrael ad eos, Vtinam mortui eſſemus per manum Domini* " *in terra Aegypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus pa*- " *nem in ſaturitate. Cur induxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem* " *multitudinem fame? Quin & ipſum* IESVM *Nazarenum, quem à Deo pro*- " *prium ac dilectum filium appellatum audierat, tamen cùm tentare inimicus ille auſus eſt, ea ex parte qua infirmum cognouerat, id eſt, feminea, hoc eſt, animali aggreſſus ad ſimilem diffidentiæ cogitationem inducere conatus eſt, Si Filius* " *Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Id enim illi in mentem iniicere voluit: ni*- " *mirum, Filium appellatum, non tamen excipi, tractari, ac foueri in morem dilectorum filiorum, ſed in ſolitudinem deductum, multis diebus cibo carentem, ac demum eſurire permiſſum, & niſi ipſe ſibi poſtulando aut aliud ſeriò agendo conſulat, quaſi neglectum, & in diſcrimen inopiæ ſupremæ videri coniectum. Huiuſmodi itaque oratione Serpentem illum feminam adortum ex argumenti ratione & formula coniicimus, atq; docere conatum, humanæ naturæ quamquam principis in terra conſtitutæ conditionem non tamen in eum, quem oporteret, gradum deuectam à Deo fuiſſe, ſingularitati nimirum ſuæ magis quàm liberalitati erga alios conſulente, vel non vſque adeò homines diligēte, cuius negligentiam ſua ipſorum diligentia compenſari & corrigi facile eſſet: itaque ad cogitationem de inuidia Dei, vel de minore, quàm res poſtularet, erga ipſos prouidentia: denique ad diffidentiam inſinuandam orationis ac propoſiti neruos intendit. Multa in illorum conditione adhuc requiri ſignificans, quæ ad beatæ vitæ vſum plurimum facerent, quorum vt nec deſiderium ſentiretur, ignorationem*

*Deus conſulto dataq́ opera curauerit. Nam ſi notitia & cognitio ſuppeteret omnium, non dubium eſſe quin facultas & copia expeteretur, eademq́ vel poſtulatione, vel ſuo ipſorum ſtudio & conatu curaretur & quæreretur, nullius verò rei, quæ ſciri poſſet, ignorationem decere eos, qui in imagine Dei fuiſſent facti, & ſicut ſimilitudinem illius referre ac præſtare deberent. Argumento autem huius inuidentiæ vel ſubductionis illis eſſe poſſe interdictam illius arboris vſuram, cuius conſpectæ, vtpote in medio horti poſitæ, exemplum alia illis nondum viſa, negata quaque arguere facilè poterat. Itaque argumenti loco rationem illam inductam intelligimus.* APH CHI AMAR ELOHIM LO THOCHLV, etiam quòd dixit Deus ne comedatis, *vel vt in Latina, qua nunc vtimur, verſione legimus,* Cur præcepit vobis Deus, *ita vt voculam,* cur *ad diſputationis non initium, ſed progreſſum referamus. Cur niſi conſilio ſubducendi aliquid, quod adhuc in veſtra beatitate requiritur? Verùm, vti indicauimus, argumentationis vis & formula in exemplari lingua apertè obſeruatur. Iam verò nubis iſtius, in quam aſtutiſſimus ille draco aſcendit, denſitatem & perplexitatem atq́ turbinem aliquantulum contemplari non pigebit. nam hoc agere ad vitandas cauendasq́ illius technas oportunum eſſe arbitramur.*

VI. *Nouum fortaſſis & inſolens hoc noſtris putabitur philoſophis, maximè verò Græcis, & iis qui Græcorum diſciplinis imbuti ſunt; theologis etiam iis, qui naturæ cognitionem Græcis acceptam referunt, ſi non inſolens, infrequens tamen videri poſſit, vt nobis aliquando videbatur, nondum in Sanctuarium Dei, quatenus opus erat, ingreſſis. Verùm poſteà Dei beneficio plura & maiora ac veriora quàm à philoſophis illis diſcere contigerat, edoctis; quod liberaliter acceptum erat, ſine inuidia cum condiſcipulis, & non alta ſapientibus, nec ingenio indulgentibus, ſed à diuino magiſterio ſimplicem veritatem petentibus, ad communis doctoris laudem communicare placuit & placebit ſemper ſecuris perpetuò varij de noſtro conatu iudicij apud homines habendi, certis autem & conſciis animi & ſtudij noſtri ac ſedulitatis erga omnes, atque ſimplicium & ingenuarum mẽtium candoris & charitatis perſuaſis: à quorum & ſingularibus ſententiis & communi concilio, non præmia, quæ nulla vnquam appetiuimus humana, non laudem & gloriam, quam ſoli Deo deberi nouimus; verùm eius, cuius vnicum inter homines patrocinium appellamus, charitatis, inquam, poſcimus officia: quæ huiuſmodi eſſe à Spiritu ſancto edocti ſumus,* CHARITAS *patiens eſt, benigna eſt,* 1 Cor. 13.
" *charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non*
" *quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniqui-*
" *tate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuſtinet. Huius virtutis & magiſtræ nos præceptis & inſtitutis inſtructi, quodcumque & qualecumque id eſt, quod nobis pro ſinus noſtri captu commiſſum fuerit, in commune libenter & gratis conferimus, ſiue ea ordeacei panis ſiue piſcium fruſta & quadræ eſſe dicantur, id agentes tantùm, vt quæ iis, quibus comedere placuerit, apponimus, non ex penu noſtro prompta, nec argento coempta, ſed ex ſanctorum ſcriptorum benedictione & lectione petita agnoſcantur. Quidnam eadem cuique ſapiant, quantum vel voluptatis, vel nutrimẽti afferant, nec noſtri muneris præſtare, nec ſolicitudinis ac ſedulitatis curare eſt. Verùm auctori ipſi, hoc eſt, diuino ſpiritui permittere, qui pro vario vniuſcuiuſque ſenſu iudicare & prouidere poteſt & ſolet. Scimus manna ex æthere demiſſum Angelorum opera*

præpa-

*præparatum aliis gratum, ſuaue & vtile euaſiſſe: aliis verò ad nauſeam vſque fuiſſe faſtiditum. quare nec dubitamus, obſeruatas nobis in ſacra lectione ſententias, & ad inſtituti argumenti rationem concinnatas multis, quibus noſtri ingenij humilitas deſpectui eſſe poßit, vel quibus coturnicum carnes potiores videbuntur, reiectum ac fortaſſe irriſum atque adeò infamatum iri. Nec ideo mirabimur: quin potius maiora & meliora ab illorum grandibus expectabimus ingeniis, quibus & corrigamur, & ſublimiora, quæ candidè & benignè communicata fuerint, doceamur. modò illud nobis omnibus diuini ſpiritus cũprimis conſtet inſtitutum. Sic & vos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum,* AD ÆDIFICATIONEM ECCLESIÆ *quærite vt abundetis.* Commodum *autem hoc loco de noſtris ſcriptis, quæ antehac, Chriſto gratia, non pauca typis mandata in lucem prodierunt, & his etiam, quæ nunc agimus, profiteri: nempe hæc & illa omnia nec rationem nec naturam nec vſum lactis exceßiſſe ad eum modum, quo comparata & porrecta hactenus fuerint: namque nec noſtrarum nobis à Deo conceſſarum partium facultatis eſſe, nec huius, in quo communiter verſamur, ſeculi viribus & habilitati præſtantiorum eſcarum & ſolidi cibi copiam conuenire nouimus. Idq; cũ magno animi dolore ac deſiderio citari poſſe intelligimus, quod iam ante mille & quingentos annos à Doctore gentium obteſtatum legimus. Ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus:* 1 Cor. 3.
*tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim* "
*poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis. Cùm enim ſit* "
*inter vos zelus & contentio, nónne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambu-* "
*latis? Hoc magnis, vt ſibi videbãtur, ſapientibus Chriſtianis ex Gentium grege, hoc linguarum & vaticinij atque ſanitatum interpretationis, aliarumq; gratiarum facultate inſtructis, ac de illa contendentibus obiiciebat Apoſtolus. Nec ſecius etiam aut maius aliquid obteſtabatur iis, qui ex circumciſione crediderãt, doctißimis quidem illis ſuo ipſorum iudicio & in antiquorum librorum lectione diu multumq; verſatis. De quo [Chriſto] nobis grandis eſt ſermo & interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſus indigetis vt vos doceamini quæ ſunt elementa exordij ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* Heb. 5. " " " " " " "
*Atque in iis quæ hactenus tractauimus, exiguis ac tenuibus, neque cum magnæ ſapientiæ ratione & pondere conferendis, nihil noſtro adſcribimus ingenio, nihil merito arrogamus priuato, quin potius quidquid id fuerit, quod legẽtibus vtile eſſe poßit, vnius Dei donis acceptum referimus: cui id quod præſtare iuſſos nos agnoſcimus, probare confidimus, hoc eſt, fidem conſcientiámque bonam à priuati commodi cogitatione alienam. Namque in paruis paucisq; huiuſmodi fideles nos eſſe oportere, ipſius Verbum, ipſius Sapientia, filius, inquam Dei, ſoluſq; verus hominum cuiuſcumque ordinis magiſter nos docuit: ab omniq; infidelitate & negligentia illo ſermone deterruit. Dico enim vobis, quòd omni habenti dabitur: ab eo autem qui* Lucæ 19.
*non habet, & quod habet auferetur ab eo.* *Nos quod ab illo accepimus, ad Chri-* "
*ſtianæ Reipub. menſam damus, ipſamq; ſortem totam ei dicamus & ſacramus, cuius id, quod quidquam eſt, eſſe profitemur, cum vſuris pro ſuo iure & iudicio,*

*cùm venire placuerit, repetituro, noſtramq́; fidem probaturo, tarditatem verò, ceſſationem & imbecillitatem atq; inertiam ceteraq́; in nobis excepta pro ſua clementia condonaturo:* Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.

VII. *Rationem, ſiue ratiocinationem, ſiue diſcurſionem appellare libeat, certum, proprium ac ſingulare humani animi munus eſſe, frequentibus philoſophantium ſententiis receptum adeò eſt, vt ferè communiter homo rationis compos animal definiatur. Rationem autem hoc loco, ex horũ etiam explicatione vocamus compoſitionem rei vnius notæ cum alia etiam nota, ex quarum vel cõuenientia, vel diſcrepantia aliquid præterea aliud, quod nondum notum erat, vel conuenire, vel diſcrepare cognoſcatur. S.S.E. Ecce hoc inueni, dixit Eccleſiaſtes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem. In hoc enim ratiocinationis vis & facultas atque ars verſatur omnis. Atque iidem iſti doctores, humanum animum omnis notitiæ expertem oriri dicunt, & quamprimum natum raſæ tabulæ, in qua nihil depictum fuerat, ſimilem eſſe ferunt, verùm natum & ſenſus compotem euaſum tum demùm diſcere & cognoſcere: diſcendi verò initium à ſenſibus accipere, ſingularia rerum & actionum excipientibus atq; animo obiicientibus, animo item ſiue intellectu communes notiones componente, atque ex his, cùm opus fuerit, ratiocinandi facultatem exercente. Ita quamquam præcipuam magisq́; homine dignam cognitionem animo tribuant, poſteriorem tamen faciunt, & ſenſuum non officio modò, ſed beneficio indigentem: quorum priores in omni cognitionis opere partes eſſe aiunt, idq́; non modò antiquitate ac tempore, ſed etiam claritate & euidentia. Atque humanæ cognitionis hæc in vniuerſum ſumma eſt ab iis philoſophis ſubducta, qui non à Deo edocti, nec diuinis inſtructi diſciplinis, ſed ſuo indulgentes ingenio rerum naturam quatenus & quemadmodum conſequi potuerant, diſcipulos, ſibiq́; aſſentientes docuerunt. Cumq́; ipſi nullam doctrinam admitterent, cuius prima elementa ad ſenſum & ad tactum explorata non tenuiſſent, ſuis rationibus & argumentationibus atque etiam nominis comparati celebritate quamplurimos in eandem turbam concedere coëgerunt: tametſi, vt hominum ingenium ad contentionem promptum & audax eſt, magnis deinde de cognitionis facultate, vſu, cõſtantia, certitudine, ambiguitate, turbis ac diſſidiis inter ipſos fuerit pugnatum, & adhuc pugnatur. neque verò vllus contentionum expectari poteſt aut finis aut modus, niſi iudex appellatus quiſpiam petatur, qui veritatis iudicata cauſa litem dirimat, & ſilentium litigantibus indicat, & iudicium ſubeuntibus quietem tranquillitatemq́; animi, & lucem illam veri à tenebris alienam communicet. De qua ſcriptum eſt: Lux oculorum lætificat animam, & auditio bona impinguat oſſa. Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientum commorabitur. Qui abiicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis. Tantarum verò litium compoſitorem, iudicem, ac veræ ſcientiæ doctorem optimum, præſtantiſſimum & efficaciſſimum vnicum Dei verbum eſſe accepimus, & credimus: cuius iudicio quiſquis obſecutus fuerit, atque diſciplinæ nomen dederit, inq́; vnius verba iurauerit, eum quantum in veri ac decori cognitione profecerit, nunquam profecto pœnitebit. S. S. E. Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt. Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſiui. Videte (monet*

Eccleſ. 7. Prou. 15. Pſal. 118.

*Apoſto-*

*Apoſtolus) ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam ſecũdùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Christum. Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus enim eſt Magiſter veſter. Fons vitæ eruditio poßidentis: doctrina ſtultorum fatuitas. Timor Domini diſciplina ſapientiæ, & gloriam præcedit humilitas. Timorem autem Domini hoc loco interpretamur fidem, reuerentiam, & obſequium diuinis effatis præſtita: quandoquidem diuina effata veræ & conſtantis ſcientiæ fontes limpidiſſimi & perpetui ſunt. Hanc verò interpretationem à Sapiente accepimus, ita docente: Timor Domini ſcientiæ religioſitas: religioſitas custodiet & iuſtificabit cor, iucũditatem atque gaudium dabit. Quamobrem nobis in huius operis* anima & corpore *nihil ex noſtro ſenſu agere, ſed actionum omnium cùm argumenta tum materiam ex diuinorum ſcriptorum lectione pètere ac depromere, & in commune cõferre profeßis, ſi quædam animaduertantur allata, quæ cum philoſophorum familiis, vel omnibus vel nonnullis minus concordare videantur, veniam ſperamus daturos eos, qui illarum familiarum tutãtur parteis, ſin minus autem conceſſuros nõ noſtra, verùm ſacrorum Vatum & Apoſtolorum & Christi folia recitare, & oracula ac reſpõſa referre, interdumq; explicare, nihil cum illis contẽdere ſtudentes, nec nouam doctrinam aut ſectam inſtituere cogitantes, nec Epicureos nec Stoicos, ſed nec Peripateticos impugnare curantes, multo etiam minus verba ſeminãtes, aut nouorum dæmoniorum inferẽtes cultum (cuiuſmodi nominibus Athenïẽſes Pauli doctrinam inſectari & proſcindere ſolẽt) verùm Deum, qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, de ſuo ipſius opificio narrantem audientes, & audita fideliter ac ſincerè ad noſtram aliorumq; conſolationem referẽtes. In cuius doctrina quænam qualisq; humana natura initiò fuerit, quantum à principio, ordine, ſtatuq; ſuo degenerauerit, in qualem deuenerit cõditionem, quid ex ſe agere & efficere valeat, vel nõ valeat, quid à Conditore ſuo diuino verbo ſperare, credere, poſcere debeat, ac demum donatum acceptura, & acceptum admiratura & profeſſura fuerit. Omne, inquam, hoc traditur. Cuius ne tantillum quidem in totis didicimus Athenis, quamuis ad nihil aliud vacantibus, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui.*

Col. 2.
Mat. 23.
Prou. 16.
Ibid. 15.
Eccli. 1.
Act. 17.

VIII. *In hac igitur diſciplina accepimus hominis naturam non ad diſcurſus ac ratiocinandi laborem principio damnatam & obligatam extitiſſe, verùm rectam factam & principem perpetuam, ac ſui ipſius & aliarum quamplurimarum rerum notitiæ compotem, vti iam in ſuperioribus fuſiùs oſtendebamus. ita vt animus hominis magna & aperta cognoſcendi facultate præditus, nec ſenſus, nec agitationis ſolertiæve ad rerum capiendas formas, aut inueniendas cauſas egeret. Sed quæ à Conditore Verbo acceperat, perpetua eiuſdem verbi prouidentia & præſente ſemper liberalitate obtinens omnia conſeruaret, atque adeò omnia ſuo illo in regno & principatu eſſet, id eſt, omnia cognita contineret & gubernaret. Nam quid his minus illud Sapientis oraculum ſignificat?* Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum. *Quid, inquam, ſignificat minus quàm illud, quod de Dei verbo affirmatur? Omnia per ipſum facta ſunt. Illam itaque primam hominis rectitudinem, & ſui ipſius, & aliorum cognitionem & gubernationem fuiſſe intelligimus ſibi præſentem, & ſenſibus pro diuino iure prouidentem & imperantem, ita vt ſenſus eò intenderet, eoq; ſentiret modo, quo ab animo inſtrueretur. hoc eſt, animalis & feminea portio ſuperioris portionis,*

*id eſt, viri ſui nutum ſpectaret & ſequeretur interim dum quid ſibi bonum eſſet, quid conueniret aut expediret cognoſcere non ipſa ſuarum partium eſſe duceret, ſed ad viri conſilium referret, vir autem à Deo, tamquam à vero lumine acciperet. Erat etiam tunc viro integrum feminam in officio continere, & ab alieno munere, hoc eſt, ab omni officio vſurpando arcere: erat feminæ decorum, virum, in cuius conſpectu manebat, intueri, rogare, & in re agenda omni non præire, verùm ſequi. Hunc vtriuſque ordinem inuidus ille draco & aſtutus hoſtis interturbare & inuertere conatus, obtinuit; initio, vti diximus, expugnationis à femina ſumpto. Quam admoto argumento ab illa rectitudine ſua mutauit, & à viri conſpiciendo nutu ad ipſum, à quo expugnabatur, audiendum ſeduxit: deinde etiam ad ſuam ipſius facultatem vltra præſcriptum & ius non exercẽdam tãtùm, ſed promouendam & amplificãdam, atque adeò ad iudicium faciendum, ad decernendum, tandemq́ ad ſuſcipiendum nefas, ac demum ad virum non modò illiciendum, ſed ſibi ſuoq́ imperio ſubdendum induxit. Hæc denſitas nubis illius fuit, vnde iſte ſe arcanum illud expugnaturum præſumpſerat. Atque inprimis mulierem, quam non ad iudicandum de ſuo ipſius bono, ſed ex viro interrogandum, multo minus ad diſputandum conſtitutam nouerat, ſibi reſpondere, ſecum agere, & relicto viro, ſecum conferre curauit & ſtuduit, idq́ obtinuit.* Cui reſpondit mulier. *In exemplari verbum feminea forma & nomen cum ſingularitatis nota ſcripta legimus* VATHOMER HA ISAH, Et dixit illa mulier. *Eo modo eóque ſpiritu, quo mulier dicere potuit, præſertim illa cuius non illud agendi ac dicendi munus fuerat creditum. Et quidem verbum* AMAR *dicere ſignificat, hoc eſt, aliquid expenſum & meditatione tractatum eloqui. Sed qualis meditatio, qualis agitatio eſſe poterat mulieris illius? Idem verbum in ſerpentis allocutione vſurpatum legimus: verùm maſculino genere deſcriptum* VAIOMAR, & dixit ſerpens, *inquam, illo ſuo vafro ingenio meditatus dixit, elocutusq́ eſt illi mulieri. Illa verò quo erat ſenſu dixit quoque & locuta eſt, cuinam?* EL HANAHHAS, *ad illum animantium omnium aſtutiſſimum ſerpentem. Verùm ex tam diſparis diſputatorum paris congreſſu & colloquio quiſnam ſperandus fuit exitus? Non enim illa mulier quod à ſerpente audierat, ad virum conuerſa, retulit; ſed dixit ad ſerpentem: animalis portio non ad ſpiritualem vim, cui coniuncta & addicta fuerat, conuerſa eſt; ſed ad ſpiritum vafrum, aſtutum, ſui atque viri ſui oſorem, inuidiaq́ incenſum: cuius malignitatem ipſa, vt animalis, non callebat.* 1 Cor. 2. *Animalis enim homo non percipit ea quæ ſpiritus ſunt, cuiuſcumque illa ſint ſpiritus.* 1 Ioan. 4. *Ideoq́ ab Spiritu ſancto monetur, ne omni credat ſpiritui: ſed probet ſpiritus an ex Deo ſint. Atqui mulier illa non modò credidit, ſed ſeſe credidit illi inuidẽtiæ & malignitatis vafro ſpiritui.* De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur, de fructu verò ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.

*Verbi* AMAR, *ſiue* DICERE *in ſacris quod pondus qualisq́ ſignificatio ſit expoſuimus, atque in illo non locutionem tantùm, ſed ſenſationem, ſiue conceptionem, & animæ loquentis paſſionem comprehendi oſtendimus. Ex cuius verbi adnotatione quid in hac mulieris oratione docere & explicare, Spiritus ſanctus per Vatem ſuum voluerit, veſtigabimus: nempe oſtẽdere inferioris portionis, hoc eſt, hominis feminæ, qualis natura, qualisq́ agendi & efficiendi ſit facultas, &*

*quibus*

*quibus definiatur terminis, quantiſve vagari poſſit ſpatiis, nimirum non amplioribus quàm ceterarum animantum natura vagatur, quibus tantum* NEPHES, *id eſt, anima data eſt. Homini namque animum datum quoque iam nouimus, hoc eſt, maſculam & ſuperiorem, ſiue ſpiritualem & interiorem portionem, eidemq́ ad corporis nutrimentum, conſeruationem & exercitationem adiunctam & coniunctam exteriorem portionem, quàm animam in ſacro ſermone vocatam nouimus. S. S. E. Quia ſatiauit animam eſurientem. &, Omnem eſcam abominata eſt anima eorum. Atqui naturæ omni animali duplex eſt à Deo conceſſa facultas, altera cognoſcendi ea quæ ſibi vtilia ſunt, altera verò ea quæ ſunt cognita, ad vſum petendi. Quæ verò vtilia eſſe dicimus, non ex iudicio aliquo à ſe inito & facto, ſed ex documentis à Conditore datis & inſcriptis cognoſcuntur. His documentis inſtructus bos fœnum & paleas comedit, aues puræ puris cibis; impuræ, carnibus & aliis eſcis impuris aluntur. In ſumma, Vnumquodque genus ſuas agnoſcit & retinet parteis in illa ampliſſima Conditoris indulgentia. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omniq́ volucri cæli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita. Quando igitur ita factum eſt, atque ita erit, planum fit, omni animæ viuenti, & cognitionem eorum quibus ali poſſet conſtare, & appetitionem huic eſſe adiunctam cogitationi declaratam illo oraculo, Vt habeant ad veſcendum. Vltra hæc verò nullam iuſti & æqui, aut iniuſti & iniqui animantum naturæ cognitionem vel diſcretionem conſtare intelligimus: namque hæc facultas vnius interioris hominis in imagine Dei facti fuit, qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid iuſtum, quid iniquum, quid verum, quid falſum cognoſcere potuit, &, quamdiu rectus maneret, cognoſcebat nullius alterius documento expectato, quàm Dei, cuius verbo inſtruebatur, & exerceri poterat ſicut ſimilitudinem, vti explicuimus. Atque vnicuique naturæ ſuum quoddam bonum eſt, quod appetere & conſequi expediat: id verò ſi communi ratione indicare volumus, ſui ipſius tutelam definiemus, quæ in duabus actionibus verſatur, commodi appetitione, & incommodi fuga. Appetitio nulla eſſe poteſt incognitæ rei, quare & cognoſci oportet appetendam rem, non vt rem, ſed vt commodam: neque enim ciconia vernum tempus vt vernum cognoſcit, ſed vt nido ponendo, & proli procreandæ oportunum. id quod à communi Conditore Verbo* IEHI *edocta retinet, & ſeruat. Fuga etiam nulla eſſe poteſt animali rei ignotæ, ſed notæ, non quidem ex propriæ naturæ, ſed ex incommodi cauſa. ideoq́ leonem caprea fugit, nō quòd leonis naturam pernoſcat; ſed quòd ſibi incommodam cognoſcit feram. Atque vt viuere, ſeſeq́ in vita tueri & conſeruare commune bonum animantibus eſt, & ſub tali forma notum, quippe quibus huius auræ vitalis vſura grata dulciſque eſt; ita rurſus commune malum omnibus habetur mors, non quidem vt cognita qualiſnam ſit, ſed vt malum & vitæ contrariū formidata. Nulla enim animans dum viuit, quid nam ſit mors nouit, ſed mortem malum vitæ contrarium cognoſcit; ideóque vt vitam amat, ita contrà mortem exhorreſcit. Cognitionem autem boni atque mali communis duæ conſequuntur paſſiones, prioris quidem appetentia, poſterioris verò horror ſiue formido: ex vtrauis oritur conatus, vel ad obtinendum quod appetitur, vel ad fugiendum & vitandum quod horretur: ita duo*

Pſal. 106.

*hæc*

*hæc tantùm conatus principia in animantibus obſeruantur, nempe appetitio, & formido. illa boni à ſe ſuo modo cogniti, hæc verò mali cogniti ſuo modo, hoc eſt, vt bono oppoſiti. Ceterùm de iuſti & iniuſti ratione vt nulla cognitio, nulla illis* Pſal. 79. *cura eſt. Aper enim vineam ingreſſus, depaſcit, vaſtat ac depopulatur: non qui nocendi aut iniuriam inferendi, ſed qui ſeſe alendi ac oblectandi ſenſu id faciat: vt verò vineæ cuſtodem aut aliàs hominem vel canem ſe robuſtiorem videt, fugit protinus, nō vt iniuriæ factæ, vel damni illati cōſcius, ſed mali & nocumēti quod ab illis metuat, formidans; quo metu, tamquam freno remoto, nil dubium eſt quin appetitum expleat ſuum. Atque hactenus quæ qualiſq; animalis naturæ cognitio, quæ affectiones, cuiuſmodiq; ſint conatus, breuiter indicauimus: quas quidem parteis animali, hoc eſt, femineæ hominis portioni tribuimus, tanto ſublimiores, præſtātiores & viuidiores, quanto melioris ac ſelectioris pulueris materia contigit, vt aliàs, Deo volente, diſſeremus, cùm de animalium partibus ac ſenſibus agetur. Verùm præter ea quæ communiter cum animalibus ceteris inferior hominis pars obtinebat: ita vt ſignificauimus, præſtantia, nihil illi ad veri & falſi, ad iuſti & iniuſti, pulchri ac turpis, aut vllius alterius rationis formam æſtimandam vel iudicandam ac diſcernendam vel expendendam, imò neque tentandam quidem facultatis fuerat à Conditore conceſſum. atque adeò iis ipſis, quibus valebat, partibus ne quicquam quidem experiri aut agere præter conſilium & conſenſum, atque etiam reſponſum viri, hoc eſt, portionis ſuperioris è regione cuius manere iuſſa fuerat, ita vt ne comedere quidem, aut ſui ſeruādi cauſa cibum aliúdve commodum appetere ſolam, & ſine viro fas eſſet. Namque ex vtraque portione vnus Adam, id eſt, homo vnus conſtabat. cui prædictum à Deo fuerat:* Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comede: In quocunque enim die comederis, morte morieris. *Quæ lex tametſi vtramque ſpectaret portionem, tamen ſingulari verbi concēſſione & iuſſu pronūciata eſt, vtpote vni homini, id eſt, vni integræ naturæ, non duabus, poſita & indicta. Illis enim in futuro denunciata eſt verbi vocibus* THOCHAL & TAMVTH, *vtrumque genus maſculinum & femininum comprehendentibus; idq; ſingulari numero* comedes, non comedes, morieris, *vt indultum, vetitum, & prædictum vtrique ſimul competere intelligeretur, quam diu hæc maneret à Deo inſtituta coniunctio, ſua profectò beatitas illa humano generi integra & cōſtans incolumiſq; eſſet. Verùm illud cumprimis in illa nube agenti aduerſario curatum eſt, non modò mulierem ſeducere, non modò inferiorem portionem priùs adoriri, verùm etiam ad coniunctionis & cōſenſus diremptionem, & ad ſuum bonum priuatè ac ſeorſum inquirendum, expetendum, & ad priuatum commodum quærendum & capiendum inducere; id autem acuto & vafro argumento molitus eſt, nimirum verborum quæ ſingulari numero à Deo pronuntiata fuerant, mutatione, partitione, & cōſequente inuerſione.* Præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno paradiſi. *Quod Deus dixerat:* Non comedes, *argutus iſte impoſtor mutauit in* non comedetis. *Deinde verò ſingulare vetitum,* de ligno ſcientiæ boni & mali, *in commune vertit,* ex omni ligno paradiſi. *Nam negatio* LO *in illa lingua communi vocabulo* CHOL *adiuncta orationem communem ſiue vniuerſalem remotionem plerumque conſtituit. Qui enim in illo ſermone huiuſmodi formulam vſurpat, Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, ex germano & vulgatiſſimo ſenſu*

idem

*idem ſignificare intendit ac ſi Latinè dicatur, Nullum verbum apud Deum eſt impoßibile. Quòd ſi quis illud ſignificari contendat, aliquod quidem poßibile, aliquod verò impoßibile eſt: is argutulè magis & impropriè, quàm germanè & ſimpliciter interpretabitur, & ad verſutiam ac deceptionē potius diuertet, quàm rectam & cōcinnam diſſerendi viam tenere cenſebitur: id quod in hac argumentatione intēdere & agere aduerſarius iſte in nube ſemper manens, deprehēditur. Quippe commune vetitum ſtudioſè obiecit, vt mulierem ſimplicem, & illius artis, hoc eſt, fallaciarum imperitam ad reſpondendum & conferendum incitaret, & ex cuiuſcumque reſponſi occaſione vlterius vrgeret, tandemq́ in fraudem illiceret. Atque primum quidem quod intēderat, citißimè perſuaſit, nimirum coniunctionis illius diuiſionem à femina admiſſam, & diſceptandi atque reſpondēdi licentiam præter ordinem ac decorum cùm ſui ipſius, tum integræ naturæ hominis. Cumprimis illa pluralibus verbis vſa eſt,* veſcimur, ne comederemus, ne tangeremus, ne moriamur. *Hîc iam duplex ſiue error, ſiue temeritas, ſiue potiùs audacia notatur mutantis primùm verborum numeros, deinde etiam diuinum ſermonem contaminātis: nam quod ſingulariter à Deo pronunciatum fuerat,* non comedes, morte morieris, *ab illa relatum eſt,* non comedetis, non tangetis, morte moriemini. *Atqui viuentis Dei verba mutare & inuertere, vel in ſacrilegij generibus, vel in Ariolandi peccatis, vt aliàs docebimus, cenſetur: permagni enim intereſt, quid, quādo, quemadmodum Deus eloquatur, obſeruare, retinere, ac religioſè ſanctéq́ cuſtodire & referre: id quod ſuo magno periculo Moſes & Aharon aliquando ſentientes, non ſemel confeßi ſunt. Omnem verò naturæ ſuæ facultatem à Deo conceſſam, ipſo in reſponſo femina explicuit: & quid ipſi etiam liceret, non ritè quidem, vti par erat, verùm confuſè declarauit. Erat autem ſua ipſius facultas, vt illa aiebat, cognoſcendi ligna omnia, ex quibus comedere, ali & viuere poſſet; atque adeò lignum vitæ, inter cetera, ſibi paratum ſubindicauit. Argumentationis autem obiectæ vim ſibi notam eſſe, & facilè infringi aut minui, ſaltem temperari poſſe, veluti iactabunda oſtendit. Tātum abeſt vt prohibiti ſimus ex omni ligno comedere, vt potius id nobis prorſus conſtet liceatq́ comedere ex omni arbore paradiſi, vna tātùm excepta, quam neque tangere nobis Deus permiſit: idq́ interdictum nō Dei, ſed noſtri cauſa videtur factum, hoc eſt, ad vitandam mortem: quam cùm nondum cognouerimus, quippe omnis mali expertes viuimus, tamen malum vitæ contrarium eſſe, ideoq́ horrēdum & fugiendū nouimus. id quod vt omni animanti inſitū eſt: ita nobis etiam,* ne fortè moriamur. *In primæua lingua oratio hæc dubitationē excludit* PEN THAMVTHVN. *Vocula* PEN *prædictioni aſſeueratæ, potius quàm ambiguæ inſeruire, pluribus exēplis eſt obſeruata. Oritur enim à* PANAH *verbo, quod aſpicere, animaduertere, proſpicere, & aduertere ſignificat: idēq́ valet quod apud Belgas* wacht; *apud Hiſpanos* cata. *apud Italos* guarda. *Præterquā verò quod diuinam iußionē & prædictionem ex ſimplici geminam referens, femina inuertit, in figura etiam dicendi, & in genere quoque indicando violauit. Namque Deus aduerſionis voculam* PEN *non inſeruerat, ſed iudicij ſententiam certißimam aſſeueranter comminatus eſt,* morieris: *hæc enim vis eſt verbi eiuſdem infiniti & futuri ſimul coniuncti, vt viuere viues; viſitare viſitabit. cuius frequentißima reperiuntur exempla. Nunc mulier quod decreti forma pronunciatum fuerat, in moniti formulam mutauit. iamq́ ipſa diuini dicti pondus grauitatem*

*tatem & rigorem imminuere, eleuare, ac lenire viſa eſt: ſaltem hoc ſe cupere declarauit, vtpote, quæ propter mollitudinem propriam, dura omnia horreat. & auertat, aut quantum poteſt, vel interpretatione, vel cogitatione, vel alio pacto mollire & minuere ſtudeat: id quod antiquum adhuc retinet. Præterea maſculinum, vel commune verbum* THAMVTH *à Deo pronunciatum quod ad marem cumprimis referendum erat, vtpote naturæ totius caput & gubernatorem, illa multitudinis numero citauit adiuncta litera* ן, *id eſt* N, *quæ femininam in fine verborum indicat ſignificationem. Atque ita vel vtramque portionem pari mollitudine ſibi in ea re, hoc eſt, in mortis metu ſubindicabat; vel non viro ſaltem; aut priores partes in cauenda morte vel admittenda, quàm ſibi dari. Illius enim orationis* PEN THAMVTHVN, *huiuſmodi interpretatio eſt.* quippe moriemini feminæ, *ſiue femininè, ſiue muliebriter. Itaque ſuam cumprimis rem agi, ſuiq́; rationem præcipuè ſeſe habentem ſibi proſpicere ac metuere: deinde verò ſecum ſimul ſui comparis rem, quamuis non pariter agere ſeſe ſignificabat mulier. & qua parte femina erat, cognoſcere quidem ſe quid ſibi vtile eſſet ad vitam, idq́; appetere & vſurpare libenter & liberè, quamuis nõ ſolitariè.* De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur. *in exemplari ſic:* MIPERI GHETS HAGAN NOCHAL. De fructu ligni paradiſi veſcimur. *Nullo modo potuit concedere totum id quod argumentator propoſuerat, quippe manifeſtè falſum erat. Verùm eo modo reſpondit, vt aliquatenus cum illo communicarit. Ille communi abſolutaq́; remotione vſus fuerat: illa cõtrà aientem vſurpat orationem, non tamen prorſus contrariam, hoc eſt, nõ adeò amplam atque ſi dixiſſet:* imò ex omni, præter vnicam tantùm arborem. *Et quamquam ad orationem Dei propius accedere videatur, tamen ſerpentis orationi nõnihil communicat: menti verò & propoſito non parum adſtipulatur. Serpens inuidiam Deo adſcribere, & ſe magis illis fauentem prætexere ſtuduerat, exaggerato interdicto diuino. illa nõ contrà expendit & exaggerat beneficij diuini magnitudinem, ſed frigidè, ſimpliciter, atque leuiter: imò non ſine detractione copiam ſibi factam refert; & ſi nõ omnia negata & vetita, non tamen omnia conceſſa eſſe admittere videtur. Oſtendit præterea id quod vetitum fuerat, nõ ſibi non optari atque appeti, vel omnino auerſari ſtudio & voluntate obaudiendi Deo auctori benefico, & omnibus nominibus digniſsimo Principi, ſed tãtùm horreri & caueri prædicti ac obnunciati mali, hoc eſt, mortis metu; idq́; ſibi perinde inſitum eſſe, atque ſui ipſius cõſeruandi cupiditatem & curam: quo amoto metu, nulla ſibi æqui atque iniquiupereſſet examinãda & obſeruanda ratio. Itaque non appetentiæ defectum ſibi eſſe in cauſa quominus ex illius ligni fructu comedatur, verùm ignorationem & metum. Ignorationem quidem vtilitatis & commodi ex illo fructu expectãdi, cuius nulla alia notitia adhuc conſtabat, quàm nomen ſcientiæ boni & mali, metus autem inerat mortis ſibi & viro ſuo obnunciatæ: quæ in illius arboris natura latere ex monitu Dei ſibi videbatur. Se autem, & ſibi, & viro ſuo cauere in ea re velle.*

*Hactenus in mulieris reſponſo, facultatis, cognitionis, cupiditatis & affectionum, necnõ & eius ſapientiæ, quæ carnalis vocatur, atque ſuiipſius amoris imago expreſſè, atque ſuis coloribus depicta eſt. Namque illa præſentis copiæ, & à Deo conceſſæ vſum ſibi conſtare faſſa eſt: quid iuſtum, quidve iniuſtum eſſet, cognoſcere non ſuarum eſſe partium indicauit. tantùm ſui commodi opinione ad*

*cupiendum induci ſe poſſe, incommodi verò metu deterreri ſolere confitetur. amicitiam etiam erga ſocium profitetur ſuum, ita tamen vt ſuiipſius præuertat, primasq́; teneat amor, potiorq́; habeatur ratio. Namque hæc ordinis prærogatiua in verbis* nos, noſtrum, comedimus, agimus, timemus, *& ſimilibus adnotatur. Quibus ex rebus omnibus animaduertimus primam ſui veneni partem, hoc eſt, ſuiipſius amorem fuiſſe à ſerpente in ipſo colloquij principio mulieri inſpiratam, indeq́; morbi concepta initia intelligimus.*

*Verùm enimuerò priuſquam vlteriùs progrediamur, operæpretium non vulgare fuerit attēdere & obſeruare quemadmodum vtraque iſtarum perſonarum,* IX. *hoc eſt, ſerpens & femina diuinum oraculum citando mutauerit: namque hoc primum exemplar quidem fuerat ingenij, audaciæ & ſapientiæ vtriuſque partis. quod quocumque modo, quibuſcumque figuris & verbis, aut circuitionibus poſtea deinde fucatum fuerit, & variatum apparuerit; tamen reapſe obtentum, & omnibus in exemplis conſeruatum eſt, hoc dieq́; obſeruatur. vt humanum corpus quocumque veſtiatur modo, tamen idem corpus, iiſdémque membris cōſtans eſt. &, vt de marinorum reptilium generibus differentes oſtendebamus, quacumque forma ſibi teſtacea domos parent, tamen numquam cocleæ ſuam ſpiram, conchæ ſuam lunarem deſerunt figuram. Itaque ex diſciplinæ ac prudentiæ nobis vſu fuerit, tres illas orationis de eadem re formas & imagines ad comparationem deſcribere, Latinis quidem verbis redditas, verùm ex religioſa & ſimplici primæuæ linguæ interpretatione petitas; tametſi nō ad Latinum ſermonem germanè conformatas. Diuinum primum oraculum in hūc modum habuit,* Et præcepit Dominus Deus ſuper illum Adam, dicendo: De omni ligno paradiſi comedere comedes: & de ligno illius ſcientiæ boni ac mali nō comedes ex illo: nam in die comedere te de illo mori morieris. *Serpens de eadem re ſic retulit.* Etiam: nam dixit Deus, Non comedetis de omni ligno paradiſi. *Mulier verò in hunc modum pronunciauit:* De fructu ligni paradiſi comedemus, & de fructu illius ligni, qui in medio paradiſi, dixit Deus: Non comedetis de illo, & non tangetis in illo, quippe moriemini. *Dei quidem oratio ſimplex, aperta, clara eſt, liberalitatem & bonitatem dicentis probat: omnia oportuna, vtilia & ampliſſima indulgentis: id verò quod prorſus pernitioſum eſſet, interdictum excipientis, iudicium iuſtiſſimum interminati ac prædicentis apertè. Serpentis verò oratio cōciſa, vafra & fraudulenta, benignitatem diuinam obſcurans, celans, imò & inficiata, & inuidiam arguens. Mulieris autem, hoc eſt, carnis, ſiue inferioris hominis oratio, nō tam interpretationem, quàm mutationem diuini dicti habet, partim Dei liberalitati tribuēs, partim verò detrahens id quod conceſſum & indultum fuerat, ſibi, quaſi proprium arrogans, præcepti ſeueritatem admonitum penè deflectens; demum iudicij ſententiam & comminationē ad terroris incutiendi rationem & modum deriuans. Quibus cum formulis omnes, quas in ſacris libris legimus, Dei, ſerpentis, & carnis orationes, quicumque accuratè conferet, haud dubiè comperiet ſingulas tum perſonas, tum orationes perpetuò ſibi cōſtare ſimiles. Idq́; interim dum caro cum ſerpente diſputat: nam poſtquam perſuaſa eſt, tum verò ſerpentis diſcipula reddita, ſapientiam quoque imitatur ac refert ſerpētinam, quam diabolicam Spiritus ſanctus vocat. Nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſus veritatem: Non* Iacobi 3. *enim eſt iſta Sapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.*"

*Atque hæc breuiter indicaſſe, ac digitos in triplices Sapientiæ fontes intendiſſe, in præſentiarum ſat fuerit; nunc verò ad argumentationis progreſſum & exitum reuertamur.*

X. Dixit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.

*Perſonarum rationem in omni oratione obſeruare retulerit, ad cognoſcēdam dictorum ſententiam: plurimum enim intereſt, quiſnam, & cui, ac de quo loquatur, attendere. Quis cuiuſque mentis ſerpens fuerit, cuius etiam ingenij mulier extiterit, paulo antè intelleximus. Is ergo ſerpens illi mulieri iam deſcriptæ, non ſimpliciter locutus eſt, ſed ex ſuo conſilio, propoſito & ſtudio* dixit, *hoc eſt, falsò elocutus eſt. Nam ſua ipſius oratio & ratio, hoc eſt, falſa, fuit; qui, cùm ex ſe loquitur, mēdacium loquitur: nihilq́; minus agit cùm loquitur, quàm vera dicere, aut vtilia monere. Semper ſuper nube eſt, quàm inter ſuum atq; eius, quē alloquitur, ſenſum interponit. id quod hominis animus, modò attendere vellet, facilè internoſceret: verùm dum hìc conniuet, vel ceſſat, vel alio modo agere nō vult: interim ſerpens cum muliere agit, hoc eſt, cum portione inferiore ſuiipſius cumprimis amante, & ad externa tantùm capienda idonea, nihilq́; in arcana ſpirituum penetrante. Id verò primum in hac oratione ſerpens agit, ſcilicet, vt pondus omne quod mulieris retardare poterat appetentiam & cohibere audaciam, vel remoueat prorſus, vel eleuet. quo ſublato, certam ſibi promittit in diſputatione victoriam. Cognoſcit feminam non moribus, non ratione, non reuerentia, nō amore & obſeruantia Dei, verùm metu detineri. hunc metum adimere conatur, quo adempto, illi non altius quàm ſenſus cognitione agendum nouit: nec rogandum eſſe virum ſuſpicatur illi iam ad diuiſionem & diſiunctionem non inclinatæ modò, ſed inductæ. Atque ita primam enunciationem ab inficiatione inchoat. id quod illa & ſibi & viro ſuo metuebat, fieri poſſe negando. huiuſmodi verò enunciationem facit.* Non mori moriemini. *Manifeſtè quidem falſa videri potuit inficiatio iſta, non modò viro, qui tum audiebat ac ſilebat: verùm ipſi etiam feminæ, cui audita anteà comminatio illa fuerat,* In die comedere te mori morieris. *Namque obnunciationes hæ apertè, & frontibus aduerſis pugnabant,* Mori morieris. *&,* non mori moriemini. *Et qui ſenſus alteram capiebat, quantumuis muliebris, idem & alteram ceperat, quamquam recitando, vt obſeruare eſt, immutauerat. Quid ergo voluit ſerpens, quid efficere potuit tam aperta inficiatione dicti Dei, cui non minorem quam ſuo fidem habere debuit, & potuit mulier? etſi non maiorem voluiſſet, parem ſaltem haberet. atqui in pari fide pugnantia maxima erat, quæ dubium ſenſum ad melioris auctoris & potentioris dictum accipiendum inclinare & impellere potuit: Namque inter duos venatores incluſam belluam, alterum, quem robuſtiorem ſentiat, magis metuere, cauere, atque declinare & effugere curaturam, quàm alterum, res ratioq́; euincit. Eamdem quoque à duobus vocatam hominibus, quorum alterius beneficia in ſe cōſtiterint non ignota, alterius verò nulla extiterint, hoc relicto, illum ſecuturam potius conſentaneum eſt; idq́; vſu perſepe venire videmus. Ex quo iam ſerpentis technæ & inſidiæ vafritiesq́; apparēt conatæ Dei apertam prædictionem à ſimplicitatis fide ad interpretationis ambiguitatem reuocare: namque vbi hoc efficeret; mulieris ſenſum ad molliorem, ſibiq́; iucundiorem partem ſibi impulſum*

*iri*

ări intellexit: quod & confecit demum. Eſt autem huiuſmodi tractu nubis, id eſt, argumẽtationis parte ſiue fallaciæ ſolertia vſus. Quamquam duo dicta pugnare quidem videantur verbis: illa tamen, ſi non eandem, & conſtantem ſibi inuicem contineant ſignificationem, minimè pugnare dicẽda ſunt. Alia autem ſignificatio eſt prædictionis Dei, vt ab illo pronunciatæ, alia verò vt abs te recitatæ: nam tu malum aliquod magnum vobis euẽturum times, ſi ex illa arbore aliquid fuerit guſtatum, nimirum mortem: qua obita pereundum ſit penitus; id quod effugere, quàm fieri poſſit diligentiſſimè, naturæ omni expedierit. quod & ego non improbem. Verùm in hoc falleris, quòd id mortis genus, quale putas, timeas; atqui eiuſmodi mortis metum vt deponas, id ego tua cauſa boniq́ veſtri ſtudio ago, facileq́ perſuadebo ſi rem ipſam compares & attẽdas: tantum abeſt vt ex illius arboris vſura morituri ſitis, vt contra potius & vita, & ſenſu, atque cognitione euadatis vlteriore & ampliore. Namque ideo illi arbori cognitionis boni & mali nomen Deus ipſe impoſuit, quòd eam facultatem & efficacitatem illius eſſe idem nouerit, vt quacumque die comederitis ex illa, ambo auctiores multo, quàm nũc eſtis, efficiamini: nunc pauca ſcitis, ſaltem non omnia, quæ ſciri vobis, cognoſciq́ poterãt. Noſtis enim ea bona tãtùm quæ vobis in horto, uti tu refers, Deus monſtrauit & conceſſit. & an bona omnia quæ noſſe poteratis, noueritis, hoc diſputare omitto: certè malũ nõ cognoſcitis (& hæc nõ parua cognitionis inopia eſt) nedum quod mali & boni comparationem ignoratis; atque ideo non tam ſuauiter fruimini bono atque frueremini, ſi quantum à malo diſtet, pernoſceretis. imò neque malum vllum eſſe ſuſpicaremini, niſi vobis illius nomen tantùm Deus indicaſſet: idq́ non cura & amore veſtri, ſed inuidentia videtur egiſſe, ne tãtum, aut tam amplè ac liberè atq; ipſe ſcit, vos ſciretis. Namq́ illum oppoſita & pugnantia omnia cognoſcere negare non poſſumus, quem vobis boni ac mali ſcientia interdicẽtem audiuiſtis. Quare planum fit, inuidere illum vobis cognitionem ſuæ ſimilem, velleq́ vt quod habetis bonum, nõ ea ratione qua bonum eſt plenè ſciatis, ſed ea tantùm qua illi acceptum refertis, vt ab illo perpetuò pẽdeatis & mendicetis: quod veſtra ſpõte deinceps vbi ex arbore comederitis, ab eodem (inquam) die habere & poſſidere poteritis: deinde malum quod ille non ignorat, vos omnino neſcire vult, ne hac etiam ſe imitemini prærogatiua: poſtremò, comparationem vtriuſque partis vobis ex conſequenti ſubducit, cuius facultas & copia non modò ad iucundiorem boni vſum facit, ſed ad prudentiam (quæ ſapientiæ magna virtus eſt) ſi quid maximè, confert. Nam cognitum prorſus malum ſapientius, prudentius, & maiori ſtudio euitatur & fugitur; ignotum verò, tantùm, vt nũc tibi, metuitur. Diſtat autem plurimum quid metuas ignorare, vel ſcire. Deus malum, quia nouit, non amat: tu nõ odiſſe potes quamdiu ignoraris, timere verò potes interim, vt nunc facis. Sed qui odit, longè validius deteſtatur & auerſatur malum, quàm qui metuit ſolùm: odium verò ſine cognitione aliqua non initur. cognitionem Deus vobis ſubducit, vt & hoc etiam nomine non modò ſe nõ imitemini, ſed audire ſemper debeatis: permagni verò refert, veſtram vos cognitionem vltrò ac ſemper ex libito & arbitrio vſurpare, an ab alio ſemper expectare & petere, non ſecus atque eum, qui iter ſit facturus, propriis oculis viam cernere, vel ductore indigere ſemper, aliàs quo eundum, quóve perueniendum eſt, neſcire, & ſæpe hærere vbi non opus; properare, vbi periculum aut impedimentum proximum eſt. Denique cæcis nulla viæ iucunditas, nulla pulchrarum rerum

*ſpectandarum voluptas, magna multorum commodorum vel incommodorum ignoratio & fraudatio cum cæcitate accidit. His contrà, cùm ſenſus perficitur, cùm viſus reſtituitur, ſumma adiungitur cum magno fructu voluptas. Vos verò hactenus cæci eſtis, certè non omnia videntes, non omnia ſcientes quæ ſcire poteratis, & videre. Nam tametſi bonum ea ex parte videtis, qua vobis videri conceſſum eſt, id eſt, ad vſum tantùm veſtrum, non videmini ceterarum animãtium conditionem valde anteire, quibus tãtùm oportunarum & vtilium rerum vſus, earumdemq́; notitia quædam non expedita & iucũda, ſed rudis conſtat, fugiendarum verò ac præſertim mortis nulla cognitio, ſed tãtùm metus eſt. Vos ad cognitionem præter cetera omnia facti & comparati, tamen ſubtiliſsima & acerrima cognitionis parte fraudamini, quæ niſi contrariorum examinatione & perceptione contingere nequit. His accedit quod vt dignitate omnibus animantibus præſtatis, ita etiam ſenſu præſtaretis, niſi vobis hãc partem Deus inuideret: non enim ſatis eſt ſapienti res, rerum cauſas, euenta, & exitus in communi cognoſcere, niſi etiam eadem hæc experimento percipiantur. Atqui experimentum non animo, ſed ſenſu capitur: & tamen nec boni & mali cognitionem animo, nec experimentum ſenſui veſtro conſtare Deus voluit. ita vos ab ea perfectione detinet, quæ vtrique communis, vtrique iucũda atque decens eſſet. Etenim cùm ſimul ſitis, ac ſimul viuatis, voſq́; mutuò iuuare ex veſtræ ſocietatis iure debeatis, manifeſtum eſt vtriuſque veſtrum perfectionem ad alterum etiam pertinere: atque vt altera ex parte ad Dei ſimilitudinem agere poteſtis, altera quoque, hoc eſt, ſenſu, agere poſſe, niſi impediamini. Deus quamquam ſimplex ſit, tamen propter multiplicis virtutis & facultatis præſtantiam, quam obtinet, plurale nomen vſurpat* ELOHIM: *vos autem cùm duo ſitis, tamen vno nomine vocauit hucuſque* ADAM, *& vnius tantùm facultatis vſu inſtruxit, cognoſcẽdi, inquam, quæ ipſe vobis nota, & ad vnum relata velit. Tu nihil cognoſcis niſi cum viro tuo ex decreto Dei* CHE NEGHEDO: *ille nihil cognoſcit præter ea quæ à Deo accipit quod ſi vterque cognoſcat & ſciat, cùm ſocij & alter alterius adiutorium ſitis, profectò multo commodius, multo liberalius, lõgeq́; illuſtrius & expeditius agetis: agetis, inquam, vt duo, voſq́; iuuabitis mutua opera: tu tuas partes ages, multaq́; cognoſces boni & mali elementa: vir item tuus proprias etiam agens parteis, cognoſcet plurima; atque ita nihil vos ex rerũ notitia latebit, & vtriuſque oculi aperientur, tui experimento ſumendo: viri verò tui oculi rationibus cognoſcendis, atque experimenti ponderibus æſtimandis plus videbunt, quàm nunc vident. Hoc pacto non Deo ſingulariter, ſed diis euadetis ſimiles, compotes facti boni & mali, vos in veſtra natura hoc habebitis, veſtróque modo, quod in ſua Deus pro diuinitate ſua habet; id, quod habebitis, veſtro exercebitis arbitrio, ſcientes bonum & malum. Quod verò vobis nunc indico, non ex propria ſententia, ſed ex re ipſa prædico, quam rem Deo notiſsimam aſſeuero :* Scit enim Deus quòd in die qua comedetis. *Id quod Deus ſcit verum eſt, adeóque verum, vt ipſe etiam partim indicauerit, partim celauerit. Scientiam boni & mali vobis contingere poſſe non abnuit ille, cùm & eiuſmodi illius arboris naturam, vim, & efficacitatem eſſe ſignificauerit: nec verò vos vetaret, niſi illud aſſequi poſſe cognoſceret. Id verò celauit, quod veſtra retulerat, ipſius non intererat, hoc eſt, vos illi pluraliter ſimiles futuros: non enim ſimiles fieri vult, ſed ſicut ſimilitudinem ſuam, idq́; ſingulariter ſolùm. Tantum abeſt vt ex illo fructu paſti,*

*morte*

*morte moriamini, eo modo, quo tu exiſtimas, vt viuidiores multò ſitis euaſuri oculis apertis prorſus, qui nondum ita habent, cognoſcentes bonum & malum, quod nunc ignoratis, ſimiles denique diis, quales non adhuc eſtis. Quòd verò ita vt ego doceo euenturum ſit, hoc argumento cognoſcere poteſtis: Deum dixiſſe ais, In quocumque die comederitis, mori moriemini: ſed mori, vt tu exiſtimas, & ſcire ſimul eſſe non poſſunt. Ex arbore illa vobis bonum & malum ſcire continget, idq́ eadem die: ergo non accidet mori: nam oportet vtrumque ſimul ſciri, bonum (inquam) & malum: ſed mori, vti tu times, vtique interpretaris, malum tantùm eſt. Si ergo eadem die mori moriemini, quæ facultas, quis vſus ſcientiæ boni ſupereſt? Bonum verò & malum ſcire vobis conſtabit, quare & vita, qua id poßideatis & exerceatis, manebit. Verùm ne vos adeò in verbo hæreatis* mori moriemini, *quemadmodum Dei verba interpretari poßitis, docebo: non enim ad ſenſum veſtrum, ſed ad ſuum eloquitur Deus, quem qui penetrare velit, acutè & ingenioſè agendum ſibi eſſe ſtatuat. Id quod hoc pacto nunc agere incipietis, me doctore, poſtea verò vos ipſi boni ac mali ſcientiæ compotes facti, vltrò ac facilè interpretabimini & cognoſcetis. Scire enim bona bonum eſt, ſed Dei verba germanè interpretari bonum eſt. ideoq́ vobis hoc facilè cõtinget, bonum & malum vbi ſcire contingat. Mortem igitur quam Deus prædixit, quemadmodum interpretari oporteat, ex me nunc diſcite. Mors ea dicitur, quæ præſentem ſtatum, & vitæ vſuram extinguit. id quod verè vobis eueniet, nempe vt huic defectui, quo nunc laboratis, mortui, & cæcitate iſta depoſita, alia viuatis vita, quæ cum boni ac mali cognitione quadret, atque ex conſequenti, integri ambo & perfecti euadatis, ambo quod expediat & non expediat cognituri, ambo vobis & ſeorſum & inuicem conſulturi, auxilioq́ futuri. Namque huic morti vobis ſubitæ & exantlatæ contraria eueſtigio ſuccedet vis, id eſt, perfectio veſtra & ſimilitudo deorum. vt verbo* MVTH, *quod mortem ſignificat, opponitur* THVM, *quod abſoluere, finire, perficere, & ſanum integrumq́ eſſe interpretamur. atq́ ita poſt* MOTH *Deus ſubiecit* THAMVTHVN, *cui ſi vltima elementa, quæ ad ornatum, vel ad genus & numerum indicandum faciunt, dematis, relinquitur* THAMV, *id eſt, perfecti ſunt & integrati. Sonat autem* MOTH THAMV, *idem quod* mori integrati ſunt. *id eſt, priori conditioni mori, integrari & perfici eſt. Et quidem Deus non dixerat* THAMVTHVN, *ſed* THAMVTH: *cuius poſtremum elemẽtum verbi cogitatione adimere mendax ille ſerpens feminam docuit.* Serpentis documenta. *Docuit etiam diuina dicta à ſimplici & genuina ſignificatione ad propriæ cupiditatis ſenſum detorquere: docuit argumentari: id quod homini antea minimè fuerat opus: ſed argumentandi artem, quam ipſe primus inuexit, nõ puram, non ſanam, non germanam docuit, ſed fallacem, fucatam, contaminatam, hoc eſt, ſuis mendaciis, ſuisq́ ipſius fraudibus aptam vſurpauit; eaq́ non virum, ſed mulierem primùm imbuit. Namque vir rectus & in imagine Dei factus, nec iſta indigebat arte, nec vtebatur, vti iam præfati ſumus: verùm ex cognitionis rectitudine ſe atque feminam regebat, ſemper à Dei verbo tamquam vnico vero proprio magiſtro doctus ac ductus. idq́ non coactè, ſed liberè agens, vtpote qui ſicut ſimilitudinem Dei ageret. Non itaque diſcurſione vtebatur, nihil quod ad cognitionem ſuam faceret, ab inferiori petebat portione: quin potius inferior à ſuperiore, cuius è regione erat, ad cognoſcendum & ad appetendum excitabatur ac inſtruebatur: ideoq́ è regione illi conſtabat, non vt* GHEZER, *id eſt, principale*

*adiu-*

*adiutorium, ſed vt* CHENEGHED, *hoc eſt, aßiſtens, atque adeò adminiſtrans. Quamobrem non cum viro ſerpens initiò, ſed cum muliere egit, in hoc etiam ſuas partes tutatus, mendoſi, inquam, & mendacis partes, omnia peruersè & inuersè agentis. Quibus autem fallaciis, qualibus mendaciis, qua fraude argumentationem hanc curruperit dum cum muliere diſputat, non eſt huius loci nunc perſequi: quippe quod longioris operis & operæ ſit, plenamq́ postulet artis tractationem, quamquam non adeò prolixam requirat. cuius exemplum oportunè nobis exhibitum iri ſperamus, cùm de humani ſtatus conuerſione dabitur agere.*

XII. *Igitur illud ſua argumentatione ſerpens intendit, illud curauit, & obnixè egit, vt in muliere ſui ipſius amorem priuatum incenderet primùm: quod vbi confecit (confecit autem prorſus) nihil amplius vel cum illa, vel cum viro operæ ſibi conſumendum eſſe duxit. Satis namque intellexerat ex eiuſmodi amoris proprij inſinuatione cetera omnia, quæ ad patrandum facinus adiuuare poterant, eſſe conſecutura. Quare tantùm illam fallaciam* non morte moriemini *ſummi boni ſpecie fucatam & coloratam obtrudere ſtuduit: ſpecies autem fuerat,* eritis ſimiles diis; *quod vbi ſuaſum fuit mulieri, cetera omnia ad perſuadendum idonea ille proprius amor adhibuit, ea inquam omnia, quibus inferior portio, hoc eſt, muliebris animalis pars affici poterat. Namque ſublato mortis metu nihil in arboris ſpecie apparere videbatur, quod cum partibus & facultatibus, quibus mulier inſtructa fuerat, non congrueret. Erant autem facultates duæ præcipuæ, ſenſus oculorum, quē vt variis rerum figuris & ſpeciebus vltrà ceterarum animantum facultatem excipiendis aptum habebat, ita etiam datum exiſtimauit. Tactus etiam guſtusq́ ſenſus, cui olfactus aſtipularetur, non tantùm ea quæ vitæ alendæ & propagandæ commoda eſſent, expetere & capere valeret; ſed illa etiam, quæ ad illecebras & voluptates facerēt, quibus carnis teneritudo & mollities iuuaretur. Illius prioris ſenſus voluptas in rerum viſendarum varietate & elegantia ſumi poterat; huius verò alterius, hoc eſt, guſtus, odoratus & auditus (qui omnes tactus quidam ſunt) perceptio omnis in carnis deliciis conſummari poſſe ducebatur: non fruſtra igitur vel tantam in figuris & coloribus varietatem & pulchritudinem, vel tantam tamq́ variam in fructibus ſaporum odorumq́ elegantiam à Conditore Deo diuiſam diſtributamq́ eſſe; non tantam in oculis humanis & in guſtu & palatu ceterisq́ ſenſus tactus partibus facultatem & amplitudinem fruſtra reperiri, ſed vt hi ſenſus illis capiendis iuuarentur & recrearentur. Idq́ vtriuſque generis Conditori Dèo probaretur: maximè verò cùm ex horum vſu ea vtriuſque hominis pars promoueretur, quæ ad cognoſcendum conceſſa erat, videlicet communis ſenſus in inferiore, & intellectus in ſuperiore portione. namque vtramque promotum iri nomen ſcientiæ boni & mali ſubindicabat, & ſapiens ille ſibi viſus ſerpens prudentia ſapientiaq́ ſua docuerat, non minorem promittens promotionem, quàm oculorum aperitionem atque adeò ſimilitudinem Deorum. Itaque poſt amotum feminæ metum, propriiq́ amoris incenſum ſpiritum, cupido non, vt anteà erat, modeſta manſit: imò ad facultatum ſuarum exercitationem, vſum, & expletionem excitata eſt, hoc eſt, ad ambitionem & conditionis vlteriorem gradum affectandum, ad voluptates oculis, & guſtu, & totius carnis ſenſu appetendas & capiendas. Id quod ſacra hiſtoria huiuſmodi notauit oratione,* Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile. *Prima duo mem-*

membra Latinè etiam lecta apertam habent expoſitionem: Nam bonum ad veſcendum ad carnis delicias, pulchrum oculis ad viſus delectationem refertur: Tertium verò membrum ad ſuperbiam vitæ attinere primæuæ linguæ verba docent, VNEHHEMAD HA GHETS LE HASKIL, & appetibile illud lignum ad faciendum intelligere. hoc eſt quod nobis illa Latina verba, aſpectuq; delectabile ſignificare volunt: atque in ſumma concupiſcentiam inferioris portionis ad interdicti diuini violationem incitatam ex hac narratione intelligimus: in quo quidem impetu peccatum iam fuerat admiſſum, non tamen adeò graue adeoq; pernitioſum atq; idem futurum erat ſi committeretur etiam, maximè verò à ſuperiore portione non impeditum, retentum, atque, vt par fuerat, omnino præruptum. His enim gradibus peccatum illud quod ad mortem pertrahit, oriri, creſcere, & conſummari ſpiritus ſanctus declarauit: Vnuſquiſque Iac. 1.
verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus; deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.

Et tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit. Excitatam feminæ poſt metum ademptum concupiſcentiam committendi ſceleris furor ſecutus eſt, nulla, vti iam adnotabamus, iuſti & iniuſti, nulla decoris vel turpitudinis ratione habita: quia inferior, hoc eſt, feminea hominis portio pro ratione voluntatem ſiue libidinem ſuſcipit, qua ſuſcepta, viro etiam imperare ſtudet, atque adeo imperat. Feminei impetus feſtinationem ac temeritatem impotentiamq; verborum coniunctio & ſtructura declarat, & tulit de fructu illius. nec verò tuliſſe contenta, & comedit, ac pari temeritate dedit viro ſuo, qui & comedit. Certè vir ſerpentina oratione non fuerat ſeductus: quippe qui voluntatis & vetiti diuini conſcius præcipuè, & ſui ipſius magis compos fuerat, quàm femina, vtpote fortior, valentior, & externarum voluptatum minimè appetens, & qui Dei dicta noſſe & interpretari poterat, nec alterius quàm Dei magiſterio indigebat. Rectè enim multa falſa in ſerpentis oratione animaduertere ac deprehẽdere poterat, verùm ſui amorem quoque diuinis prætulit verbis. Namque ex amore ſui mulierem plus quàm ſatis amare cœpit, vtpote partem ſui in toto homine & vitæ ſociam, cui obſequi quàm aduerſari potius duxit, exiſtimans nimirum ni pareret & obſequeretur, minoris amoris, vel odij potius, ſuſpicionem mulieri eſſe creandam, cuius tamen non poterat effugere nec ſocietatem, nec rixam, aut perpetuam querelam. Namque non diſsimile inter inferiorem ac ſuperiorem portiones, & inter virum & mulierem incidit exemplum; quale à Sapiente notatur, Mulieris ira, & irreuerentia, & confuſio magna: mu- Eccl. 25.
lier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo. Cor humile, & facies triſtis, & plaga mortis mulier nequam. Manus debiles, & genua diſſoluta, mulier quæ non beatificat virum ſuum. A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. Mulieris perſuaſio vnico tantùm argumento ad expugnandum armata expugnauit virum: erat enim ille qui vinci poſſet, non rationibus, quibus præualebat, ſed amoris illecebra & communionis coniunctioniſq; commemoratione, quam violatam illa facilè conquereretur, niſi idem ſecum à marito fuiſſet commiſſum. Non enim fruſtrà & à Deo inſtitutam, & ab ipſo viro agnitam, & laudatam coniunctionem, Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea; propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, &

erunt duo in carnem vnam. quod ſi in carnem vnam, & in idem velle, & in idem agere, atque in idem conficere; alioquin ſocietatem non fore concinnam. Oportere autem virum ea agere, quæ ex mulieris eſſent rẽ. quippe huius commodum partis in alterius etiam euaderet commodum: eſſe autem huic ſuum commodum valde exploratum viſa arbore pulchra oculis, ſuaui ad veſcendum, & appetibili ad intelligendum, ſiue aſpectu delectabile. Denique hanc eſſe coniunctionis legem, vt nihil plus vna pars ſibi ipſi quàm alteri velit, ſi modo conſeruanda incatur ſocietas. quod profectò verum & obſeruatione dignum ducitur, dum ſocietatis non turbetur aut inuertatur ordo, hoc eſt, dum minus & inferius ſocietatis caput primas in agendo occupare non præſumat: namque hoc vitio admiſſo coniunctionem ſocietatemq́; periculoſam, difficilem, & intractabi-
Eccli. 26. lem, incompoſitam, omninoq́; moleſtam fore conſequitur. S. S. E. Sicut boum iu-
» gum quod mouetur, ita mulier nequam: qui tenet illam, apprehendit ſcorpionem. Hæc, de qua nunc agimus femina, ſocietatis initium in agendo à ſe auſpicari voluit, idq́; communionis prætextu molita eſt. quod cùm hoc, quod agebatur, è rẽ ſua eſſet, è re quoque viri erat cognituri etiam plura quàm anteà. deditque viro ſuo. Non petiit à viro ſuo, ſed ipſa carpſit, ipſa comedit: & eodem quo ipſa comedit momento, viro ſuo, ſibi indulgenti, dedit; amorem nimirum ſuum erga virum quaſi profeſſa, vt quæ quidquid ſibi pro ſua facultate appeteret, idem illi pro ſua quoque curaret: idq́; illi gratum & admiſſum oporteret, vtpote à mutuæ ſocietatis conditione non alienum. In primæua lingua duo verba obſeruantur, quibus huiuſmodi coniunctionis & communionis argumentum fulcitur: Nam viro ſuo adiunctum legimus GHIMAH cum ipſa, magna ſignificatione eius, quam illa prætexebat, ſocietatis. Conſenſus verò & indulgentia viri atque adeò admiſſum quoque vitium, & cum vitiò ſuſceptum ſcelus: idq́; non ex errore, ſed ex mera & libera à ſuiipſius & mulieris amore profecta volũtate, declarat verbum vnicum per coniunctionem ad præcedentia adnexum, & comedit, conditione ſocietatis ad mulieris placitum accepta, ſimul cum illa comedit. Simúlque cum illius temeritate ex ſerpentis dolo profecta ipſe prudens & ſciens à VERBI interdicto, hoc eſt, ab auctore, amplificatore, tutore & conſeruatore ſui VERBO deſciuit. & comedit de fructu arboris ſcientiæ boni & mali à muliere porrecto. quamprimùm verò comedit, eorum munerum, quæ à VERBO acceperat, iacturam fecit: atque ea tum primum cognouit ſolummodo, in quibus boni & mali confuſa turbataq́; vis continebatur: nec tamen illa ipſe, vti vidimus, ſolus & citra adiutorium, ſed muliere ſubminiſtrante obtinuit. Hæc enim viro, id eſt, animo in illa coniunctione vel potius diſiunctione pars obtigit, & perpetuò manſit, vt nihil deinceps boni vel mali cognoſceret citra feminæ, animæ inquam, adiutorium; & qui antea ad intelligendum ſenſus opera non indiguerat, iam deinceps poſtea nihil ſine ſenſu cognoſcere poſſet. Mulieris verò cognitio atque modeſtia illa natiua in aliam tranſlata eſt conditionem, longè à VERBI inſtituto diuerſam: nimirum in auidiſſimam appetentiam eorum, quæ bona ſibi cognoſceret, & vehementem auerſionem, & fugam diuerſorum his, hoc eſt, malorum. cognitionem verò boni ac mali non à Deo primùm poſtularet, non à marito etiam peteret, ſed ab illius, quem doctorem admiſerat, ſerpentis doctrina & ſententiis auſcultationéque attenderet. Serpens autem diſcipulæ, quam adeò nactus erat, ac reddiderat doctrinæ docilem ſuæ, ſemper ad conſilium & reſponſum præſens eſſe apud

*apud ſe conſtituit; hoc pacto regni in humanum genus, quod ſuis artibus obtinuerat, poſſeſſione vſurus perpetua, & gloriæ præconium apud complices & ſuarum partium fautores reportaturus, vt qui voti propoſitiq́; ſui compos euaſiſſet. hoc eſt, admirabilis ſapientiæ, imò calliditatis exempli cum diuina ſapientia ſecundo euentu contendentis; quo euentu ſimilis Altiſsimo, quod præſumpſerat, euaſiſſe ſibi atque ſuis viſus eſt.*

*Iſta igitur in duabus præcipuis totius conditi orbis naturis, in parte, inquam, ſpirituum cæleſtium, & in toto humano genere, tunc primùm facta vitia toti operi, quamquam ceteris partibus integro & conſtanti, labem ac dedecus attulerunt maximum: ſed terræ præcipuè, cuius omne imperium ab homine, cui antea traditum fuerat, ad Serpentis illius antea Luciferi poſt hoc Diaboli cognominati poteſtatem per calliditatem, fraudem & aſtutiam deuolutum ac tranſlatum eſt. atque adeò homo ipſe, quòd ſeſe vltro à* VERBI *reuerentia, fide, & obſeruantia abalienatum ſerpentis obſequiis dediderit, æterna morte, & maximorum donorum proſcriptione damnatus ac mulctatus eſt. Demùm ex illo admirandæ conditionis gradu & ſtatu, in quo, ſicuti iam deſcripſimus,* omnia *factus vigebat, in* NILVM *conuerſus eſt. Id quod magni cum myſterij ſignificatione à diuino Spiritu per Iohannis Euangelium accepimus,* Omnia per ipſum [VERBVM] facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. XIII. Ioan. 1.

*Atque hæc illa eſt quam in ſacris ſermonibus Conſtitutionem mundi vocatam legimus: Aperiam in parabolis os meum: eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. &, Vt inquiratur ſanguis omnium prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione hac. &, Vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Namque hæc verbi* καταβολὴ *vis eſt apud architectos frequentis, cum diſtinctione tamen vſurpati. iunctum enim obſeruatur aliquando cum partis nomine* θεμελίων καταβολὴ *fundamentorum iactus ſiue conſtitutio: interdum cum totius vocabulo* ἡ τοῦ ἔργου καταβολὴ *ſtructuræ, ſiue operis conſtitutio vel reſidentia. Atqui* ὁ κόσμος *totum continet opus. Mundi itaque conſtitutio in hunc, quem diximus, modum, habere viſa eſt ab eodem ipſo die, quo primùm natura omnis ſuo in ſtatu firmatur, hoc eſt, ab octaua poſt primum ortum. Namque ad ſeptimam vſque mundus omnis adhuc recens ſuis cum partibus integer manebat: Septima dies nihil laboris admiſit: hanc verò Conſtitutio ſubſecuta eſt, vitiúmque in humana natura non ſummo manè diei octauæ, ſed clara & aperta luce apparet factum. Siquidem & allocutioni ac diſputationi tempus datum, & videndæ contemplandæq́; elegantiæ arboris oportunitas, & comedendo additum ſpatium, atque iis, quæ deinceps conſecuta ſunt, agendis & conficiendis locum interuallumq́; aſsignari conſentaneum fuerit.* Mat. 13. Lucæ 11. Ioan. 17.

# CONSTITVTI MVNDI FACIES.

## Capvt. V.

Concordat cum animæ lib. 1. c. xv. SAPIENTIAM diuinam in condendi & perficiendi mūdi opere pruden-
tiſſima Conditorisq́; digna electio comitata fuit. Electionem autem appella-
I. mus iudicio examinatam ſingularum partium ac totius naturam tam in ſua de-
finitione abſolutam, quàm in vi, efficacitate, ſiue facultate ad ſuum cuiuſque
opus oportunè præſtandum, atque etiam concinnitate & ratione ſingularum in-
ter ſe & partium cum vniuerſo & vniuerſi atque partium erga Conditorem ob-
ſeruantia. Hanc electionem vt à Deo profectam viſum, vt verò in rebus con-
Gen. 1. ſtitutam bonum dici adnotauimus. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant
Pſal. 103. valdè bona. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: omnia in ſapientia fe-
Prou. 16. ciſti. &, Pondus & ſtatera iudicia Domini: opera eius omnes lapides ſeculi. Nul-
lam verò ad otium aut ad inanitatem conditam fuiſſe vel minimam in orbe par-
tem, ſed ſingulis ſua eſſe diſtributa miniſteria, adſcripta ad creationis finem lex
manifeſtè docet. Vbi Latinè legimus: Requieuit Deus die ſeptimo ab omni ope-
re, quod patrauerat. In primæua lingua cum cauſæ ſignificatione in hanc ſen-
" tētiam ſcriptum obſeruatur: Quia in eo requieuit ab omni opere ſuo, quod crea-
" uerat Deus LAGHASOTH. quæ vox ita vt pronunciatur, duo ſignificat, Deum
quieuiſſe à nouarum aut plurium in orbe rerum creatione; & ea quæ creata fue-
rant, non fruſtra fuiſſe condita, ſed LAGHASOTH, ad faciendum. Alteram ſi-
gnificationem Latinus interpres expreſſit, alteram expoſitoribus addendam re-
liquit. In ſingulorum verò generum actione ſiue exercitatione publici & com-
munis obſequij erga Conditorem ſuum concinnitas atque decus perpetuum ſpe-
Pſal. 118. ctatur, multis ſacrorum Vatum carminibus decantatum. In æternum Domine
" verbum tuum permanet in cælo: in generatione & generationem veritas tua:
" Fundaſti terram, & permanet: ordinatione tua perſeuerat dies: quoniam omnia
" ſeruiunt tibi. Omnia Deo ſeruire Vates ait, præter hominem; qui, cùm in ordina-
tione Dei non perſeuerauerit, noua electione ac lege denuò inſtituta, coerceri in-
Ibidem. diguit, aliàs omnino periturus. id quod ſolicitus Vates agnoſcebat: Niſi quòd lex
" tua meditatio mea eſt, tum fortè periſſem in humilitate mea. Verùm de noua ele-
ctione aliàs & plura, Deo propitio, diſſeremus.

II. Lex humano generi tum primùm condito lata violationis pœnam diuini iu-
dicij decreto conſtitutam quamprimùm, id eſt, eadem die ſubeundam, cauēs præ-
dixerat: In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Diuina be-
nignitas eouſque hominem promouerat & conſeruarat in illo dignitatis & po-
teſtatis ordine, cuius vmbram quamdam deſcripſimus, conſeruatura perpetuò,
multisq́; nominibus ac beneficiis auctura ſemper, ſi in ſua electione ſtare & ma-
nere iuuaret, ſi vltrò vitium eo tempore non faceret, quo mundanum totum con-
ſidebat opus, vitio autem tam fœdè ac turpiter facto, exigenti pœnas iuſtitiæ di-
uinam benignitatem locum dare oportuit. Namque & hoc ſimplicis ac puræ ſum-
mæq́; veritatis, quæ Deo propria eſt, poſtulabat, & ſerpentinæ litis partes effla-
gitabant, & ſceleris violatæq́; legis reus commerebatur. quamobrem præuarica-
tionis manifeſtum crimen pœna præſens inſecuta eſt, mors in mundum tam pri-
mùm

*mùm eſt illata. Mortem autem hoc loco interpretamur, idipſum quod Iohannes Euangeliſta declarauit, feliciſſimi illius humani ſtatus, quem omnia idem appellauerat, euerſionem & redactionem in nihilũ, lucis in tenebras mutationem, totiusq́; ordinis & concinnitatis perturbationem, vt nulla pars ſuum, quem ſortita fuerat locum, tueretur, nulla ſuum faceret ex præſcripto ritu officium. Superior ac dignior portio, quæ totius imperium obtinuerat, cæca, debilis, manca, denique oppreſſa & mortua iaceret. Inferior verò & exterior, id eſt, femina, quam viro adiutricem poſteriorem quidem & addictam conſtituerat Deus, viuida, vigens, & inſolens atque ſuperba, fræni ac diſciplinæ impatiens, imperij virilis contemptrix, diuini quoque detrectans, ſerpentini autem auſcultatrix euaderet, & in omni humana actione ita anteiret, vt ab animo tanta primùm cognoſcendi copia inſtructo, nihil poſthac deinceps cognoſci poſſet, niſi id tãtùm, cuius cognoſcendi oportunitatem illa ipſa concederet, atque fores aperiret: cùm tamen ipſa propter naturæ debilitatem, quam minimè correctam experta eſt, & propter eius, cuius magiſterio obnoxia manſit, malignitatem variis & multis erroribus cùm priuatè, tum communiter ſæpe admittendis laboratura eſſet. Atque ab hoc humanæ naturæ ſtatu, ab hac inuerſione, ab hac morte, humanæ & mundanæ philoſophiæ principia ducta intelligimus, non ab illo primo & feliciſſimo, qui genuinus germanusq́; homini ex Dei beneficio contigerat, recentioribus mundi ſapientibus ignorato, antiquiſſimis verò ſub nube & imagine obſcurè admodum & ambiguè ſignificato, diuinis autem documentis & monumentis arcanè quidem, verùm pleniſſimè indicato ac deſcripto.*

*Duplicem autem animalis ſiue exterioris hominis ſiue feminæ facultatem in ſumma commemorabamus, alteram cognoſcendi ea, quæ ſuarum partium eſſet cognoſcere; alteram verò appetendi quæ profutura, contraq́; fugiendi quæ nocitura viderentur. Cognoſcendi verò vim in communi ſenſu præcipuè reſidere: cuius miniſtri & ſatellites ſiue nuncij priuati ſunt ſenſus, ſinguli ſuis admittendis & referendis cognoſcendarum rerum generibus præpoſiti: Appetentiam autem vnicam notare eſt omnibus rebus appetendis idoneam & promptam, quæcumque ex bonorum genere, fugiendis verò, quæ ex malorum genere, hoc eſt, incommodæ eſſe cognoſcerentur. Verùm enimuerò vtriuſque facultatis gubernatio quondam penes virum atque ſuperiorem portionem, ſiue interiorem hominem erat, nullo tempore nulloq́; loco erraturum, aut inferiori portioni impoſiturum, quamdiu ſuum ordinem ſeruare, ſuámque fide & obſequio erga Deum conditionem tueri, vti decebat, atque vti oportebat, iuuiſſet. Sed tamen poſtquam ſuum officium prodere, poſtquam mulierem in legis præuaricatione vltrò ſequi non piguit, ſeſe deinceps in diuinam iram, in pœnam & in mortem datum cognouit; ac mulieri, quam ſibi docendam ac ducendam acceperat, erudiendum ſeſe commiſſum, & ſæpiſſimè non ducendum, verùm trahẽdum, diſtrahendum & vexandum, multisq́; modis affligendum agnouit. Illa igitur gubernationis depoſita & abdicata poteſtate, illis à viro ad gubernandum ſemotis virtutibus, femina quoque illi modeſtiæ & obſeruantiæ primæ commortua: inſolẽtiæ ac temeritatis audaciæ & aliis, quæ mortem pariunt, mortémque fouent, & mortuorum membra depaſcuntur: venenatis vermibus & vitiis præterea à Serpente progeneratis draconibus ſcatere & feruere occepit. Hisq́; omnibus mortis regnum firmatum eſt: ita, vt quamquam vitæ priſtinæ caro mortua fuerat, morti tamen & cor-* III.

 ruptioni,

ruptioni, id eſt, peccato, viuebat, peccatoq; impenſè operam dando, exercebatur: atq; hoc pacto iniuſtitiam ad iræ & iudicij Dei diem ſibi accumulās theſaurizabat, pœnarumq; tandem luendarum grauitatem & multitudinem ſibi parabat, & viro etiam, quem ſibi obtemperare importunè ſtudet, comparabat. Atq; hæc in ſumma primæ illius mortis deſcriptio, hæc horrenda delineatio fuerit: non quantum illa malum mundo attulerit, plenè oſtendens propter ingenij noſtri tenuitatem & peruerſitatis tantæ horrorem, ſed quantum ad generis humani deflendam ſit ſatis ruinam. Nam quid miſerabilius, quid lamentabile magis eſſe poteſt, quàm triſtiſſimum ſpectaculum magnæ ſapientiæ in ſummam ignorationem, ſummæ concinnitatis & concordiæ in maximam & perpetuam peruerſitatem ac diſcordiam, amicitiæ & gratiæ Dei in iram iuſtiſſimam, poteſtatis & imperij terreni & libertatis ingenuæ in rebellionem totius mundi, in ſeruitutem turpiſſimi & infeſtiſſimi hoſtis; deniq; lucis in tenebras, perpetuæ vitæ in æternam mortem, & perpetuò grauiſſima ſupplicia mutationem? atque adeò non vnius aut alterius tantùm capitis, ſed generis totius humani, omnium ſub ſole creaturarum præſtantiſſimi, ad huius miſerabiliſſimæ tragœdiæ communionem, nullo excepto, vocati? S. S. E. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione

Sap. 1.

» viuorum. Creauit enim vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terra-
» rum: & non eſt illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.
» Iuſtitia enim perpetua eſt, & immortalis. Impij autem manibus & verbis ac-
» cerſierunt illam: & æſtimantes illam amicam, defluxerunt, & ſponſiones poſue-
runt ad illam: quoniam digni ſunt qui ſunt ex parte illius. Deus creauit homi-

Sap. 2.

» nem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum: inuidia
» autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitātur autem illum, qui ſunt
ex parte illius. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per

Rom. 5.

» peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaue-
runt. Stipendia enim peccati mors. Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt

Ibid. 6. Ibid. 8.

ſapiunt: Nam prudentia carnis mors eſt. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt
» Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt,
Deo placere non poſſunt. Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen

Apoc. 6.

» illi Mors: & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor
» partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ. Quantum demùm ab illius primæ conditionis dignitate, auctoritate atque elegantia hominis natura degenerauerit, vel vna nominum mutatio arguit. Nam qui antea homo in imagine & ſecundùm ſimilitudinem Dei conditus, & vt minimum in animam viuentem factus dicebatur, quiq; præſtantiſſima creaturarum audiebat: poſt admiſſam labem ſæpe & communiter caro, propriè autem & ſingulariter caro & ſanguis, & interdum corruptio dictitatur. Omnis caro ſicut fœnum vete-

Eccli. 14.

» raſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi: alia generantur, & alia de-
iiciuntur. Sic generatio carnis & ſanguinis alia finitur, & alia naſcitur. Quid

Ibid. 17.

» lucidius ſole? & hic deficiet: aut quid nequius quàm quòd cogitauit caro & ſan-
guis? & hoc arguetur. Omnis caro fœnum, & gloria eius quaſi flos agri: exicca-
tum eſt fœnum, & cecidit flos. Caro & ſanguis non reuelauit tibi. &, Qui ſe-
cundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt. Hoc autem dico, fratres, quia

Matth. 16. Ioan 3. Rom. 8. 1 Cor. 15.

» caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio in cor-
» ruptionem.

Vt

*Vt verò ad hæc nomina carnis, & ſanguinis, & corruptionis hominis naturam iam labefactatam referamus, animaduertẽdum eſt, id omne quod homo in iſta conditione, quam ipſe ſibi molitus eſt, ſapit & ſcit, ad carnis; quod verò appetit & conatur, ad ſanguinis reuocari nomina, & vtraſque affectiones vtrique tribui parti: atque ita ſapientiam & prudentiam carnis dici eam, quam homo ſenſuum opera inceptam etiam intellectus munere & officio comparat, eandemq́ mundanam, interdum terrenam dici: quam cum appetitionis impetu coniunctam & exercitam diabolicam nuncupari obſeruamus, ſæpiſsimè verò animalem. vt, Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere. Namque illa ſapientia hominis prima lucida, candida, mitíſque fuerat, lenis omnino, æqua, benigna, & ſecundùm ſimilitudinem Dei agens, ad iuſtitiam conformata, ſine corrupto ſui amore, ſine inuidia & contentione: quæ verò poſt vitam amiſſam ſecuta eſt, carnis dictitata ſapientia & prudentia cum ſui ipſius primùm amore impotenti feratur, inuidiam & cõtentionem comites ad ſuas adſciſcit partes. Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſus veritatem: non eſt enim iſta ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica: vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Appetitionem verò ab iſta ſapientia profectam concupiſcentiæ corruptionem, D. Petrus vocat. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur: Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur, libertatem ipſis promittentes, cùm ſint ipſi ſerui corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* IIII. 1 Cor. 2. Iac. 3. 2 Pet. 1. & 2.

*Hæc itaque deſcriptio carnis & ſanguinis eſt à cõmunione ſpiritus Dei prorſus aliena, ab ipſaq́ mundi conſtitutione malis actionibus intenta. S. S. E. Dixitq́ Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum: quia caro eſt. &, Videns autem Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intentata eſſet ad malum omni tempore: pœnituit eum quòd feciſſet hominem in terra. & iterum: Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Iſtius verò carnis & ſanguinis adumbratam quidem verbis, verborũ verò ſignificatione expreſſam effigiem, aliquantiſper intueri, cùm ad alia multa, tum ad veri cognitionem atq́ ad miſericordiæ diuinæ cum perpetua laude admirationem noſtra retulerit.* V. Gen. 6. Gen. 8.

*Antequam vir & mulier affectatam boni & mali cognitionem primi occuparent, quinam, quales & quanti fuiſſent, quanta virtute valuiſſent, in quanta vixiſſent felicitate, magno atque illuſtri argumento & exemplo diuinæ ſapientiæ, prouidentiæ, tutelæ & gratiæ in ſe, vel ipſa ſui contemplatione probauerant; atque adeò Sapientiæ verbis confirmatum audierant, Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Verbum quippe Dei homines, cum quibus erat, omnibus facultatum, virtutum & efficientiarum nominibus locupletatos ad ſui ipſorum cumprimis, & ad aliarum animãtum terræ ac maris regnum & gubernationem, ad beatam terræ poſſeſsionem inſtructos conſeruabat & fouebat, nullius prorſus indigos rei ad benè, quietè, beateq́ viuendum oportunæ: imò vltra ceterarum, quæ in terra commendabiles & commodæ cognoſcerẽtur, copiarum vſum, voluptatibus omnibus cùm corporis tum animi affluentes, non qualibus cetera animalia dele-* VI.

delectantur, quæ prona & ventri obedientia, atque prorſus terreſtria ex terra extiterāt: ſed iis, quibus capiendis ſingularis hæc, de qua agimus, natura è Conditoris iudicio, voluntate & opificio idonea euaſerat: hoc eſt, quibus præſente & annuente, atque vltrò indulgēte verbo Dei fruebatur in illo fertiliſſimo ac ſaluberrimo, inq; ipſorum vſum ſingulariter plātato, & inſtructo honeſtiſſimarum voluptatum horto; cuius breuem formam à Spiritu ſancto deſcriptā accepimus. Præter alia verò dona, quibus humani generis amplificatio commendabatur, illud cumprimis ampliſſimum erat, conſuetudo & alloquium atque colloquium Dei, quo munere & beneficio perpetuo frueretur. Quidquid enim integræ quondam naturæ contigiſſe legimus, id omne cumulatiſſimè ex Dei liberalitate ſem-
Malach. 3. per conſtaret. S. S. E. Ego Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non eſtis conſumpti. Nam ſi Iacobi filij, quamuis ob violatum fœdus exitium commeriti eſſent, propter propoſitum tamen & cōſilium de Iacobo ornando & amplificando decretum, ab immutabili Deo non ita relicti ſunt vt cōſumerentur; manifeſtum fit, hominis integri filios integros quoad locum, ordinemq; ſuum tueri iuuaret, nulla bonorum & beneficiorum parte, qua primi parētes fruerentur, fraudatum imminutúmve iri. Id quod dilucidè ſacra hiſtoria in exemplari ſermone obſeruata ſignificat, in quo vocabula ſunt ETH, & HA, quorum exemplo Latini carent, ſingularem adnotationem & certam indicātia rationem, VAICHAHH IEHVEH ELOHIM ETH HAADAM VAIANIHHEHV BEGAN GHEDEM LEGHABODAH VL SOMRAH: VAITSAV IEHVEH ELOHIM GHAL HAADAM LEMOR MICHOL GHEZHAGAN ACHOL THOCHAL. Et tulit IEHVEH [*Deus benignus*] ELOHIM [*Deus creator gubernator*] illum ipſum hominem terrenum [*integrum*] & quieſcere faciet eum in horto voluptatis ad colendum illum [*hortum*] & ad cuſtodiendum illum. & præcepit Deus benignus, conditor gubernator ſuper illum hominem terrenum dicendo, De omni ligno ipſius horti comedere comedes. &cet. *Quæ in hac breui hiſtoria diligenter expenſa referuntur, huiuſmodi ſunt: Hominis cauſa plantatum hortum homini non modò ad tempus indultum, ſed ab ipſo Deo benigno gubernatore & principe gemina auctoritate benignitatis & gubernationis commiſſum, tamquam feudum perpetuum.* quieſcere faciet eum. *Commiſſum verò ad culturam & cuſtodiam cum facultate vſusfructus omnium arborum, vna excepta: cuius interdicto, veluti tributo, diuinum dominium agnoſcēdum conſtituebatur. Id verò cōceſſionis, iuris, exceptionis, muneris impoſiti* ad colendum & cuſtodiendum. *Et reliqua omnia, Deo auctore præſente & allocuto fuiſſe acceptum commodè, leniter & intrepidè, imò iucundè & purè ac lætanter homini auditum: vtpote famulo ingenuo & frugi, atque omnibus tūc boni famuli partibus commendabili & grato. Nam quamquam homo, quo iure terras terrenaq; omnia, atque aquatilia etiam poſſi-
» deret, præfectus princepsq; etiam Deo pronunciante audiebat, Vt præſit piſcibus
» maris, & volatilibus cæli, & beſtiis terræ: quamquam terrarum poſſeſſor cōſtitu-
» tus fuerat. Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum; tamen iiſdem quibus hæc obtinebat nominibus, titulis, & auctoramentis, atque etiam ſingulari & aperto conſilio, dicto ac decreto Dei famulus, cultor, obſeruator, & feudatarius erat: & in illam conditionem munia præſcripta, & leges acceperat* colendi & cuſtodiendi *horti, cuius vſumfructum diuina largitione obtinebat.*

*Cuius*

*Cuius culturam Deo principi ac Domino locum & operas ſuas identidem reuiſuro probaret; cuius etiam obſeruantiam & reuerentiam in vetitæ arboris fructus continētia exerceret. Quæ omnia humanum genus omne, quod in primo illo omnium parente veriſſimè repræſentatum eſt, ſpectabāt: Vt enim cælum cæli Domino ſuo iure cōſecratum fuit, ita Domini beneficio terra filiis hominum iiſdem legibus, eodemq; iure quibus homini, data fuit. Huic verò illius primæ & antiquæ conditionis repetitæ ſummæ quantum homo iſte poſt conſtitutionem mundi diſcrepās diſſimilisq; euaſerit, qualis ex boni & mali cognitione redditus, quantum ab illo mutatus fuerit, attentè ſpectemus: quamquam turpe & miſerabile ſpectaculum iſtud profectò fuerit, Deo inquā & Angelis inuiſum, nobis tamen quamdiu in eadem ſcena verſari & conflictari non deſinitur, minus videatur horribile.*

Et aperti ſunt oculi amborum: Cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.

*Vtrique hominis portioni, viro inquam & feminæ binos oculos datos, ſacra diſciplina indicat, eoſq; duplici facultate præditos ſignificat; ea tamen conditione, vt vtriuſque facultatis vſura nec ſimul nec pariter iniri aut contingere poſſit. Quæ facultas primùm exercita fuerat: in iis tantùm verſabatur cognoſcendis, quæ ex conditoris Dei benignitate conceſſa fuerant, hoc eſt, commodis omnibus & naturæ ſuæ maximè conuenientibus & oportunis, nulláque contraria vi imminutis aut contaminatis. Interioris hominis, viri inquam, oculus Deum ſeſe illius modo temperantem & oſtendentem primo ordine, ſecundario verò ſpiritus, tertio porrò mundana omnia quæcumque cæli extimo continentur ambitu, lōgè melius cognoſcebat, quàm vllo animalis hominis ingenio cogitari aut ſermone explicari poſſit. Feminæ verò oculo ea tantùm videbantur, ea cognoſcebantur, quæ cum conditione ſua conuenire Deus iudicauerat, nullo errore, nulla turbatione, nulloq; figmento commixta. Quæ verò iſti parti ex altioris ordinis rebus oportuna quoque eſſent, nullo requirebantur vel loco vel tempore, dum illa integritas atque legitima coniunctio inter virum & feminam maneret propter communicationem vel vnionem potius vtriuſque partis. Inerat autem vtriuſque oculis facultas altera longè inferior quàm illa prior: Namque illa ex virtute naturæ in imagine & ad ſimilitudinem Dei conſtantis non modò ſuperiori portioni contigerat, ſed ad inferioris etiam commodum & ornamentum pertinebat. Poſterior verò ex terræ natura & affectionibus inferiori parti primùm accedebat, & communionis ratione ad ſuperiorem quoque ex conſequenti attinebat. Qua enim homo ſocietatem cum Deo habebat, magni luminis erat compos: cuius virtute & corpus lucidum erat, & ea quæ corpore cognoſcebat, penè diuina ſuo in ordine dici poterant, præſertim cum aliarum animātum terreſtrium ſenſibus & ingeniis comparata. Nam & ſtellarum figuras, luces, ordines & curſus oculis; ſonorum ac vocum differentias & concentus, odorum qui ex variis plantis, & aliis rerum generibus efflātur, temperaturas, & multa alia quorum vſura nulla animantibus conſtat, longè melius tunc animalis & feminea natura capiebat & plenius, quàm qui poſteà in iiſdē ipſis generibus ſentiēdis multum temporis curæ atque ſtudij poſuerunt. Quippe hos experientia & longi temporis obſeruatione eruditos potius quàm peritos, nec æqualiter quidem omnes effici videmus: quos quidem integra perſeuerante natura nulla parte minus inſtructos fore* VII.

*quàm primi parentes extiterant, res, ratio, ac diuinæ benignitatis contemplatio*
Gen. 1. *docet. Siquidem vniuerſæ naturæ, totiq́ generi dictum fuerat: Fructificate &*
*multiplicamini, & implete terram, & ſubiicite eam. Itaque qua parte homo ter-*
*renus, quaq́ in animam viuentem factus dicitur, illa etiam, quæ ſui muneris eſ-*
*ſent, rectè & legitimè agebat & capiebat. Fecerat enim Deus hominem rectum.*
*Atque huiuſmodi quidem illius prioris oculorum facultatis conditio huiuſmo-*
*di fuerat vſus. Altera verò facultas longè minor erat, ab illa priori & cæleſti,*
*vt ita appellemus, tantum diſtans, quantum lux à tenebris, corpus ab vmbra,*
*veritas ab ænigmate differt. Facultas inquam craſſa, tarda, & nubibus ac nebu-*
*lis obnoxia: denique terrena, qualis infantibus nōdum in mundo natis, ſanis au-*
*tem, nihilq́ omnino vitiatis intra matris aluum eſſe animaduertitur: iis enim*
*tametſi cognoſcendi & ſentiēdi facultas conſtet, nullus tamen interea vel men-*
*tis, vel præcipuorum ſenſuum, viſus, auditus, & odoratus, ac nec guſtus quidem*
*vſus eſt. Ad eumdem penè modum poſterior illa, de qua agimus, humanorum*
*oculorum & ſenſuum facultas in primo illo homine mare & femina habebat.*
*Atque ita ex diuini verbi, à quo tunc natura ducta, tota ac recta ſeruabatur, ef-*
*ficientia ab illius facultatis vſu nulla ex parte tunc deſiderando detenta vaca-*
*bat. Ad hunc itaque modum duobus illis humani generis portionibus, ita vt*
*iam diſſeruimus, principio habentibus & agentibus oculos clauſos fuiſſe intelli-*
*gimus, id eſt, ad terrenæ cognitionis vſum, qui cum altera priore & ſublimiore*
*cognitione ſimul eſſe non poteſt, nō magis quàm purū cum impuro, cum immun-*
*do mundum, cum clara die nox. Cuius rei certo & idoneo argumento exemplum*
4 Reg. 6. *illud fuerit, quod in Eliſæi miniſtro Deus edidit, Conſurgens autem diluculo mi-*
» *niſter viri Dei egreſſus eſt, viditq́ exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, &*
» *currus: Nunciauitq́ ei, dicens: Heu, heu domine mi, quid faciemus? Hæc omnia*
*iis oculis eoq́ ſenſu acceperat miniſter, quo ipſe tunc valebat, id eſt, humano ter-*
» *reſtriq́ tantùm, eodemq́ affectu, terreno nimirum, metuebat. Cumq́ oraſſet Eli-*
» *ſæus, ait: Domine aperi oculos eius, vt videat. Atqui viderat videbatq́ tum ille,*
*& apertis oculis, herum intuebatur & alloquebatur ſuum. Sed quos oculos ape-*
*riri puero poſcit Vates? nimirum quos quondam apertos habuerat humanum ge-*
*nus, peccatum verò clauſerat & obturauerat, eoſdem ad tempus aperiri puero*
» *Vates poſcit: Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus*
» *equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſæi. Hic alius videndi ſublimior*
*vſus facilè coniectura docet, quemadmodum quondam primis parentibus vide-*
*re & cognoſcere contigerat. Hæc humanorum oculorum altera ſublimis facultas*
*fuerat, quæ eadem ſuum officium inoffenſè faciens, in imagine & ſecūdùm ſimi-*
*litudinem Dei agebat. Altera verò animalis ac terrena nondum in mundum*
*tunc edita diuini verbi obſequio tenebatur, eiuſdemq́ verbi gratia & virtute*
*veluti fœtus materni alui calore & ſinu fouebatur, boni ac mali nondum quic-*
*quam cognoſcens, ac neque cognoſcere quidem deſiderans; illo verò leni beatoq́*
*obſequij diuini carcere violato & rupto, facultas iſta altera repentè mali iam*
*compos facta prodiit, eadémque priùs mali quàm boni vim ſenſit & cognouit,*
*amiſſaq́ prioris facultatis vſura, & in nihilū redacta, poſterioris cognitionis ele-*
*mēta prima ſuo cum magno didicit malo: vtriuſque autem diſciplinæ multiplex*
*diſcrimen tum aliàs omni ex parte, tum ex ipſis principiis & originibus diſcer-*
*nitur. Quippe illius prioris cognitionis primordia ampliſſima auguſtiſſimáque*

erant,

*erant, diuini verbi documentis in animo atque in ſenſu, qui tum vigebat, pro vtriuſque modo inſitis, omnis omnino expertibus vel dubitationis, vel ambiguitatis, vel formidinis: ita vt quid vnicuique portioni agendum eſſet aut quærendum apertè & planè conſtaret, & ſicut ſimilitudinem Dei ageretur. Alterius autem ab homine vltrò petitæ & repertæ cognitionis elementa arcta, anguſta, & ſua natura dubitationis plus quàm veræ & ſolidæ notitiæ promittentia, vtpote ſingularia, & nullo alio pacto quàm experimentis obtinenda, & quæ periculum plerumque minitentur, idq; non rarò pariant: quorum origo ex anguſtiſſima totius cognitionis regione, hoc eſt, ex ſenſu, ducitur. regione inquam varia, varij ſitus & ingenij mutationibus ac tempeſtatibus multis & freque̅tibus peruia, innumeriſq; obnoxia corruptelis, atq; multoties effœta & ſterili, deniq; malis, damnis, & calamitatibus excipiendis ac retine̅dis, magis quàm bonis & commodis idonea: in qua mali cognitio prius plerumque contingat quàm boni: illa frequentior, iſta verò rarior; illa ſæpe ex comparatione malorum memoria magis ac deſiderio, iſta ſæpiſſimè ex ſenſu & re percipiatur. Cuius rationis & veritatis vis in illo eodem, quod doctrinæ cauſa oportunè induximus, exemplo perſpicitur. Qui nihil anteà cognouerat, quàm ex materno vtero prodiret fœtus, cùm primùm natus prodiit oculos in primis & manus aperit: illis mundi huius partem videre, his apertis, aliquid ſe capere & apprehendere poſſe ſignificat. ſed quo ſtatim auditur vagitu mali ſenſum & cognitionem ſibi primùm acceſſiſſe confitetur: idq; luctus & fletus longitudine & aſſiduitate aſſeuerat. S. S. E. Sum* Sap.7.
*quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius qui* «
*prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, & decem menſium tem-* «
*pore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni con-* «
*ueniente. Et ego natus accepi communem aërem, & in communiter factam deci-* «
*di terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. In inuolumentis* «
*nutritus ſum, & curis magnis: nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis* «
*initium. Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* *Manifeſtè docet hoc loco Sapiens, prima in animali homine vitæ rudimenta à mali cognitione proficiſci, eademq; in infantibus, qui tunc aliter ſibi cauere nequeunt, vagitu & fletu argui & indicari. Id verò terrenum illum, qui primus factus fuit, priori conditioni mortuum, & huic alteri mundanæ exortum, ſtatim expertum ſacra declarat hiſtoria.* Et aperti ſunt oculi amborum. *In exemplari lingua legimus,* TIPAKAHHNA GHENEI SENEIHEM. & apertæ ſunt duo oculi ſecundæ duorum illorum. *Vnico vocabulo* SENEIHEM *in hac conſtructionis collocato ſerie illa omnia arcanè continentur,* duo ſecundæ duorum illorum. *Oculorum duale nomen in primæua lingua interdum maſculino, non rarò feminino inſtruitur genere.* GHENEI IEHVEH HEMAH MESVTATIM, *oculi Domini ipſi extenſi.* VEETH GHENEIHEM HAZONOTH, Prou 4.
*& oculi ipſorum illas adulteras.* adulteras oculos *dixit ſuo in ſermone Vates.* Ezech.6.
*Atqui ſerpens in ea quam cum muliere inierat, diſputatione calidiſſima oculorum nomen ambiguo vſurparat genere,* VENIPHKEHHV GHENEICHEM, & aperientur oculi veſtrùm. *Nullum nec nomini nec verbo certum adiunxit genus: ita vt illa exiſtimare poſſet, eoſdem, quibus tunc vtebantur, oculos magis atque magis aperiri poſſe, apertumq; iri (Huiuſmodi enim callidi illius Serpentis reſponſa eſſe ſolent, ambigua & ad fallaciam co̅parata.) Nunc verò cùm hiſtoriæ*

*ſcriptor quemadmodum res ipſa euenerit, diſertè narrat: verbo vſus eſt feminino* THIPHKAHHNA, apertæ ſunt, *non maſculos, verùm femininas oculos, eaſdemq́; femininè fuiſſe apertas. id quod re ipſa declaratur, quando prima illa iſtius iam conditionis cognitio non à virili portione, id eſt, non ab animo, ſed à feminea, nempe à ſenſu inchoata tunc fuit, hodieq́; inchoatur. Iſtis verò oculabus, ita hoc loco verbi cauſa nominandis, iſta prima experientia, inquam feminea cognitionum matre, quidnam primum cognitum fuerit, eueſtigio ſubiũctum legimus.* Et cognouerunt ſe eſſe nudos. *Nudos quidem antea fuiſſe, tamen minimè ideò erubeſcentes audieramus, cuiuſmodiq́; illa fuiſſet nuditas differendo coniecimus, coniecturaq́; cõſequebamur. Erat autem nuditas quæ cum ſimplicitate, integritate & perfectione conſtare potuit. id quod vocabulo ipſo adnotandum indicauit ſcriptor,* GHARVMIM. *Penultimum vocabuli pluralis elementum* Iod *eſt, quod maſculinam cumprimis vim obtinet, nominibusq́; præbet; atque perfectionis imaginem repræſentat in numeris. Eſt enim decẽnary numeri nota, vltra quem numeri integritas non excreſcit. Nam poſt numerandi metam, hoc eſt, decimum calculum, ad carceres denuò, hoc eſt, ad vnitatem reuertimur. id quod vel ipſa numerorum nomina in omnibus ferè linguis confirmant,* vndecim, duodecim, tredecim, *vnum, duo, tria cum decem. In vocabulo itaque*
ערומים GHARVMIM *prius deſcripto* Iod, *ſuam vim ſignificationemq́; manifeſtat. Sic inquam nudos fuiſſe indicat, vt cum nuditate tamen ratio integra & numerus naturæ ac virtutis perfectus conſtaret. At verò hoc in verſu, & paulò etiam inferiùs elemẽtum* Iod *eò loci, quò primùm fuerat, deſideratum aliàs retractum offenditur: nimirum vbi minimè ex verbi ratione requirebatur, hoc eſt, non ad pluralis maſculini finem, ſed poſt primum verbi elementum, vt mutato proprio, ac primo ſitu, & præpoſterè tranſlatum in aliam regionem ſuprema infimis, & infima ſupremis perperam variata arguat, & maſculinam illam primam perfectamq́; rerum vim ſuo è loco deturbatam indicet. quare ita ſcriptum viſimus,*
עירומים Et cognouerunt CHI GHEIROMIM HEM. Quòd nuduli ipſi, *turpiter,*
הם *perperam, & præpoſterè magnoq́; cum defectu nudati & expoliati. Atque literarum adnotata ſtructura id quod explicuimus, indicat: verbi verò, ſiue vocabuli integri ſignificatio ad ſuas parteis reuocata, miſeriam & calamitatem illam amplificat. Namque* GHEI, *ſeorſum, euerſionem, ſiue deſolationem vertere poſſumus.* RVMIM *verò, ſiue* ROMIM, *ſublimes, altos & excelſos interpretamur. Ita totum nomen* excelſorum deſolationem *ſignificat. Tales verò atq; in hanc figuram & calamitatem prolapſos ſeſe homines illi primi cognouerunt, atque in eandem conditionem vniuerſum humanum genus in ſe ipſis redactum ſenſerũt: conditionem profectò miſeram, pudendam & probroſam, præſertim ſi cum priori comparari meminiſſent, ſi prioris adhuc memores erant, vt fuiſſe videntur. Nam quamquam præcipuarum virtutum iacturam fecerant, quia tamen non omnino ad infantiæ redacti fuerant ruditatem, cùm elocutionis & linguæ vſu, cumq́; ſenſus exterioris facultate, & aliis nonnullis viribus corporeis & animalibus memoriæ partem retinuiſſe euincuntur. Namque vt vtraque pars ruinæ ſuæ principia, capita, antecedentia, & formam recordata cauſatáque fuit; ita alterius recordationem ſtatus non prorſus oblita eſt. vt qui canendi, vel numerandi rationes, modos, & exercitationem ex veterno, vel alio morbo oblitus eſt: ſeſe tamen illa nouiſſe ac tenuiſſe recordatur, quæ iam propter acceptam*

ceptam ex morbo mentis vocisq́ debilitatem repetere & redintegrare non valet. Igitur in iſta poſteriore conditione, qua non, vt anteà, Verbo, ſed mundo viuere cœperunt, quod primum cognouere malum, damnum, detrimentum, probrum, defectusq́ fuit: id quod nuditatis imago, quam contemplati ſumus, indicat. Rectitudinis quidem priſtinæ meminere non vt compotes, verùm vt deſiderio affecti: bonum cognouere non præſens, verùm requiſitum in ſe. cuius quærendi ac deligendi magna difficultate laborare cœperunt. Appetitionem boni proprij cum illo ſui amore, cui primùm tenaciſſimè inhæſerant, coniunctam tenuerunt. Veri verò boni veriq́ mali iudicium peruerſum in ſcipſis experti ſunt: quare nec optandi aut petendi rationem & modum inuenire aut conſtituere facilè potuere: quippe qui non iam amplius ex illa maſcula virtute agerent, ſed ex feminea, eademq́, quamquam viuente, tamen temeraria & multiplici ſtultitia laborante, ac non rarò ad furorem inſaniente, atque illi ſui amori cæco nimium affectui nimio plus indulgente: denique, vt optimè ageret, ad omnem cognitionis exercitationem & vſum externi ſenſus reſponſa primùm petitura, & ad experimentum examinatura; idq́ non rarò, vti diximus, non ſine periculo, interdum etiam cum graui incommodo maloq́ ſuo actura. Nec verò hoc ſatis moleſtiæ eſſet, niſi huiuſmodi fruſtra tentatus aditusq́ labor in fallaciam fraudemq́, cùm ſenſum, tum animum protruderet: atque ita alterius malum alteri quoque noceret, exitióque eſſet. Cùm igitur alio meliore modo nuditatis malum vel in bonum vertere, vel corrigere, vel minuere neſcirent: ingenij & conſilij, quibus tunc ſeſe valere exiſtimabant, vires experiri & exercere conſtituerunt, non conſulto diuino verbo, à quo ſponte deſciuerant, ſed ſua ſponte iam agentes quaſi ſcilicet diis ſimiles de auertendo malo aſciſcendoq́ bono deliberantes, amboq́ mutuò ſeſe iuuantes, in eandem inuenti rationem, vterque pro ſua parte conſpirarũt. qua quidem in deliberatione plura ipſis & ſenſu conſpecta & intellectu agitata, exiſtimari oportuit, antequam id conſtitueretur, quod arreptum demùm fuit. quid nam verò id qualeq́ extitit? Conſuerunt folia ficus & fecerunt ſibi perizomata. Solummodo hoc inueni, dixit Eccleſiaſtes, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe innumeris miſcuerit quæſtionibus. Quis talis vt ſapiens eſt, & quis cognouit ſolutionem verbi? VEHEMA BIKESV HHASBONOTH RABBIM, Et ipſi quæſierunt cogitationes, numerationes, ratiocinationesq́ multas. Ecce hîc iam noſtrum rationis compos animal, noſter homo à philoſophis definitus: quorum definitioni iam deinceps poſthac ab illa prioris rectitudinis euerſione & ruina ſubſcribimus. Idem vocabulum in hoc Salomonis dicto obſeruamus vſurpatum, quod à Moſe in eandem ſententiam fuerat enunciatum. Scripſerat Moſes CHI GHEIROMIM HEM, Quod nuduli ipſimet, repetit Salomon, VEHEMAH BIKESV, Et ipſimet perquiſiuerunt. Quàm recta & prudens, imò quàm praua & ſtulta prima humana animalis ratiocinatio & diſertio fuerit, in exemplum etiam plurimarum, quæ hanc imitatæ ex mundi ſapientia prodierunt, manifeſtè nobis hîc oſtenditur. ea verò facilè ex comparatione oppoſitioneq́ rerum deprehendetur. Atqui nuditatis in corpore humano malum & incommodum operimento ſiue amiculo vel veſtimento, ſi non omnino curari, corrigi ſaltem exiſtimandum fuerit: id verò cùm ſolo ſenſu cognoſci non poſſit, ratiocinationem ſiue diſcurſum aliquem poſtulat. Senſus enim incommoda ſentit, commoda cupit; ſed quod qualéve commodum præſenti ac lædenti incommodo opponatur, nõ ſenſus,

ſed animi opus diſcernere eſt. Animus cùm iam in hoc ſtatu nihil ſine ſenſus opera cognoſcere poſſit, experimentum capere ſenſum iubet; ſi primum ſuccedat, vel decretum & probatum admittitur, vel aliud petitur, cuius vſus aduſque melioris inuentionem durat. delectus verò comparationem ſequitur: comparatio autem niſi vario & multiplici experimento conſtare non poteſt. rurſusq; in ſingulis experimentis ſenſum periclitari neceſſe fuerit: atque ita, quoniam periclitādi longiſſima via variisq; diuerticulis & ſalebris moleſta eſt, experimentum difficile & periculoſum cenſetur, ex quo etiam iudicij atque delectus difficultas & aſſidua mutatio, perpetua formido, ingens demum in conſtantia arguitur & notatur. Et quidem hæc breuiter de corporis nuditate: cuius imago etiam ad animi nuditatem ſignificandam transfertur. Animi enim, vt portio duplex, ita nuditas quoque duplex viſitur: qua animus propriè dicitur, id eſt, qua ſapere & ſcire poteſt ignoratione, errore & ſtultitia non rarò afficitur. quam affectionem animi nuditatem appellamus. qua verò animæ vim facultatemq; obtinet. pulchrū, rectum, atque decens agendo ſequi obtinereq; poteſt ac debet. id cùm non obtinet, ſuo veſtimento caret; atque ita nudus eſt, vel ſi contrarius affectus aut opertus ſit generibus ab illo honeſto diſcrepantibus, vel prorſus nudus vel probris opertus dici ſolet. Quare ad vtriuſque portionis veſtimentum & ornamentum ea peti & comparari oportuerit, quæ vtrique conueniant portioni: aliàs enim vtramuis nuditatem pudefactio perpetuò comitatur: quæ quidem in ſuperiori parte, hoc eſt, in animo, ſedem ſemper occupat, comitesq; ſibi indiuiduas aſciſcit formidinem, latendi & fugiendi curam & ſollicitudinem, inconſtantiam, atque vltionis expectationem, moleſtiſſimos ac perpetuos animi atque animæ tortores. Id quod primi iſti, quorum hiſtoriam legimus, homines manifeſtò patefecerunt in ſe edito exemplo. Nam qui nudi quondam non erubeſcebant, ſed neque habebant cur erubeſcerent. Ecce iam erubeſcunt ambo, & quo turpia celent, hoc diſquirunt, ac ſtudioſè agunt, deditaq; moliuntur opera. Oportet autem illos omnibus arboribus inſpectis operimenti potiùs quàm indumenti cauſa ficulneæ folia prætuliſſe, vtpote quæ inter fructiferas illius horti plantas latitudine, craſſitie, tenacitate, ac durationis diuturnitate primas habere viderentur. Iamq; hæc delectus actio prima non ſine cogitationibus & comparationibus conſtitit. Placuit verò tum rudibus & boni peritia nondum inſtructis commentum: quemadmodum verò ad vſum concinnandum & adaptandum foret, cùm in natura ipſa foliorum id non appareret, ingenio excogitandum, & arte conficiendum fuit. Artis quidem exercendæ materia rebus ſuppeditabatur ipſis: ars tamen nondum erat, neque antea extiterat dum nulla extitiſſet egeſtas: quæ artium genitrix vnica videtur eſſe. Prima verò & antiquiſſima omnium artium ex egeſtate & inopia inuentarum conſuendi diſciplina fuit. hoc eſt, ea agendi faciendiq; ratio, qua quæ ſeiuncta offenduntur, & ſingillatim ad aliquem ſui vſum præbendum idonea non ſunt, conuenire, cōiungi, & cohærere cogantur, & ad finem vitæ vtilem habilia reddantur. Atque hoc proprium & antiquiſſimum ratiocinationis eſt opus à diſſerente humani animi facultate repertum & perpetuis aſſiduiſque actionibus exercitum. Quin & ipſa conſuendi cerdonica ars ab illis primis parentibus tradita, & veluti inſita mortalibus omnibus communis eſſe deprehenditur: quamquam nō omnibus ex æquo elegāter tractata propter ſtudij & exercitationis defectum. Nemo namque hominum eſt qui ſine humano etiam doctore

non

*non aliquid conſuere, connectere & coniungere ſciat, atque interdum id agat: vt vel hoc ſigno ſeſe illorum primorum parentum non modò filium, ſed & diſcipulum profiteatur. id quod in aliis artibus non ita communiter viſitur. de quibus aliàs Deo votis fauente agemus. Verùm enimuerò quo filo, quóve vinculo ficulnea folia ab illis primis ſartoribus coniuncta fuerint, cùm certi nihil ex ſacra hiſtoria habeamus, nec ſingulariter indicare nos poſſumus, nec indicatione adeò indigemus exacta: ſatis enim fuerit intelligere ſimplex aliquod ex herbarum potius quàm arborum aut arbuſtorum generibus vinculum lentum, flexile, plicatile, tenue ac penetrabile fuiſſe repertum, quo & pungi atque aperiri foliorum fimbriæ, & minori diruptionis periculo coniungi & contineri poſſent. cui conficiendæ rei præter iuncorum genera varia multam etiam materiam in herbarum natura terra ſuppeditat, in quibus vna mirum in modum habilis & vtilis noſtro iam orbi nota ex America tranſlata viſitur: cuius folia & cuſpidem acutiſſimam, & fili ad vicem valde tenaces præbet fibras. Denique commiſſio illa & coniunctio foliorum nec duris & firmis adeo, nec durabilibus valde vinculis expedita fuit. Talia enim eſſe oportuit fila, qualia cum foliorum virentium primùm, deinde verò areſcentium natura conuenirent. Ex his ergo confecta & conſuta narrantur cingula ſiue faſciæ ſiue perizomata humanæ nuditatis turpitudinem cognitam celatura: quàm verò apta, quàm commoda, quamq́ vtilia iſta demùm euaſerint, vel ipſa materies docet foliorum: quæ quamuis maximè, ſtudioſiſſimè ac denſiſſimè conſuerentur, breuiſſimo tamen ſpacio natiui membrorum caloris ac ſudoris cum ſalſugine & ſolis ac ventorum vi exſiccata fragilitate ac tenuitate, demùm ſponte ſua rupta, diſſipata ac diſſoluta deciderent. Nec prætermittendũ quoque ducimus ad membra molliora & leniora iam variæ intemperiei obnoxia fouenda ac tutanda ineptitudinem foliorum aſperitatis horridæ, & nullo pacto cuti hærentium, ſeſéve inſinuantium, imò magis magisq́ in horas reſilientum ac diſiungẽdorum, quibus ad eam rem vitiis ficulnum folium adeò notabile eſt, vt nec brutis animantibus fœno frondeq́ viuentibus, vel viride vel aridum præbeat pabulum. Et quidem quod ad externum tegumentum, velamen, veſtitum, cultum ornatumq́ faceret, tale primæ artis ingenio excogitatæ, & experimento cognitæ celebre, & ad poſteritatis memoriam, atque adeò imitationis perpetuitatem notatur exemplum. Quid plura ipſis iiſdem auctoribus poſt induſtriam, poſt diligentiam, poſt laborem, ac tandem poſt experiẽtiam, eadem ipſa die intra paucas horas, vti mox audiemus, improbatum, damnatum, atque adeò inuiſum habitum deprehendere eſt. Atque hæc de corporis nuditate & velamine ſignificaſſe ſit ſatis, non omne argumentum proſequi profeſſis.*

*Animi verò nuditates ac turpitudinis partem aliquam non ſine horrore, pudore & commiſeratione communi ſpectauimus: nec enim patris noſtri, imò noſtra ipſorum verenda prorſus conſpicienda; imò potius diſſimulanter atque retrorſum obiecto velo occulenda duximus. Quemadmodum autem illi velauerint & occuluerint, poſteroſq́ idem agere & imitari docuerint, audire & animaduertere proximum eſt.* Et conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. *Papæ, quidnam hoc rei eſt! num eodem modo, eadem ex materia, eodem artificio, vtriuſque hominis interioris inquam & exterioris nuditati conſultum cautúmque fuit? Quidnam animo cum ficulno folio? quod neque corpori quidem decens, hærens, aptumq́ probari potuit? Nimirum hæc illa noua ſapientia & boni ac* VIII.

*mali*

*mali ſcientia eſt, hoc nouæ artis, hoc affectati & comparati ingenij opus, hæc acutiſsima conditionis iſtius induſtria, auctoribus iſtis quondam dum prior manebat ſtatus ignotum ſapiendi genus, ſic fiunt homines, imò adeò ſic hodieq́; faciũt, & ſic patiuntur homines. Atqui eandem ſui celandi rationem ambobus initam, ſacra declarat hiſtoria,* Conſuerunt, & fecerunt ſibi LAHEM, *ſibimetipſis* perizomata, *faſcias, non quibus totum corpus velaretur & amiciretur, ſed quibus ea celarentur, quæ turpiora pro tempore apparebant.* HHAGOROTH *multitudinis numero pronunciatum nomen nõ ſingulas tantùm, ſed ternas, quaternas, aut etiam plures vtrique faſcias confectas arguit: quibus, vti diximus, quæ magis indigere putabantur, velarentur corporis partes. Sed quinam conuenit amiculo vel cingulo ex ficulno folio conſuto cum animi nuditate? Idem nimirum vtriuſque partis cum vtriſque cingulis conuenientiæ deprehẽditur. Nam quantum ficulnum illud naturale folium animalibus membris hærere animaduertimus, tãtundem animi quoque partibus ficulnum alterum arcanum folium hærere & conuenire notatur. Cuiuſmodi verò arcanum hoc ſit, ex nominis obſeruatæ notitia indicabimus. Arbori Græcis* συκῆ, *Latinis verò* ficus *vocitatæ in primæua lingua nomen impoſitum fuit* THEENAH. *Cuius rationem ad naturam pertinentem, nõ opus eſt vt modò enarremus: alteram verò, nempe arcanam ex etymo, quatenus ad argumentum præſens indicandum faciat, ſic interpretamur. Quatuor elementis conſtat hæc vox,* TH. A. N. H. *vltimum, id eſt* H, *feminini generis eſt index in toto vocabulo: in vocabuli autem partibus fundamentum*

תאנה תא *quoque adiuuat. Ex his elementis primum* THA *nomen cõſtituitur, pro quo Latinus interpres* thalamum *reddit, & in vmbraculum verti quoque poteſt. Ex iiſdem etiam literis, quamquam nõ ſimul omnibus, fit verbum* THAAH, *quod limitare, vel finire, limiteq́; circumſcribere ſignificat. Ex poſteriore elementorum*

אנה *parte vocabulum* ANAH *conficitur, quod, ſi verbi formam retineat, mærere, lugere & ſuſpirare; ſi verò nominis vim præſtet, hoc eſt, ſi vtraque vocali longa pronũcietur, mærorem, luctum & ſuſpirium interpretari conueniet. Namque in has Latinas voces ab interprete noſtro vulgatæ verſionis tranſlata vocabula*

תאנה *hæc quiſquis conferre cupiet, comperiet. Porrò totum nomen* THEENAH *alibi, pro ſententiæ ratione & vſu* occaſionem, cauſationemq́ue *exponunt interpretes. quæ ſignificatio à ficus arboris natura & ingenio nõ eſt aliena. huius ſi-*

4 Reg. 5. *gnificationis exemplum vel illud inſigne admodum eſt. Animaduertite & vi-*

" *dete quòd occaſiones quærat aduerſum me. Occaſiones autem hoc loco quærelæ, contẽtionis, diſsidij ac rixarum atque etiam pugnæ oportunitates & anſas exponimus. Ex hac voce fortaſsis Latinis* anſæ *nomen acceptum & contractum fuerit. Cuiuſmodi verò natura & materia inſtructus animus hominis cingula ſiue faſcias ſibi quoque artificio cõſuerit, his vocis partibus ſeparatis, atque ſimul deinde cõiunctis coniiciemus, nec nõ ex aſsiduis eiuſdem curæ opificiiq́; exemplis in mundo ſpectatis deprehendemus. Intellectus alteram vim, quæ ab antiqua veri cognitione, alteram verò quæ ab honeſti appetitione deſciuerat, pro vero, germano ac ſolido, proq́; purè atque ingenuè decoro vmbram quãdam & thalamum eumdémque limitatum tum veri tum etiam decori plerumque arripere; quæ potius mærorem ac luctum, quàm alacritatem & lætitiam ſui vſurparẽt, anſamq́; frequẽtiſsimam ad cõtentiones & rixas, diſcordias, & immortales præberẽt inimicitias. Id quod certè cõſuendi arte, quam quiſque ſibi vſurparet, cõficere ſolere*

*declara-*

*declaratum eſt. Namque ambo ſibi* conſuerunt, *ambo ſibi* fecerunt, *non integrum & perfectum quicquam, quod omnem velaret, foueret, ac tueretur nuditatem, ſed quod eas nuditatis partes, quæ magis vexarentur, ambiret*, perizomata. *Fecerunt inquam ſibi faſcias ex leui & ſuperficiali apparente, nõ profundè hærente (Hoc enim nomen* GHALEH, *id eſt, folium, ſignificat.) Thalamo & vmbra triſti ac luctuoſa, occaſionemq́ cõtentionibus afferente, materia non ſimpliciter quidem vſurpata, ſed orationis filo & ratiocinationis non adeo exacta arte & induſtria, ſartoria inquam induſtria communi quidem omnibus, non tamen æquè ſolertibus aut peritis.*

Et cùm audiſſent vocem Domini Dei ambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi.

*Miſericordiam & prouidentiam diuinam erga humanum genus lectio hæc contemplandam adorandamq́ indicat cumprimis, quam duobus nominibus* IEHVEH *&* ELOHIM *appellãdis ſignificat. Eò namque miſeriæ deciderat homo, vnde ſeipſum tollere minimè poſſet. Namque ademptam vitam, conſecuta mors nihil amplius aut melius præſtare valebat, quàm mortuos retinere ſuos. Mortem verò diaboli inuidia in orbem allatam Sapientia pronũciauit, & Iohannes de Verbi Dei virtute & conſilio ac beneficio agens*, Sine ipſo, *inquit*, factum eſt nihil quod factum eſt, *cùm idem* omnia per ipſum facta *prius dixiſſet. Atqui quod nihil factum fuerat, ſe ipſum poſthac aliquid efficere non poterat. Ex iuſtitiæ diuinæ ſentẽtia princeps ille mortis hominem ſibi ex illa die addictum, regnoq́ ſubiectum tenebat, quare & huius mundi principis appellationem vſurpauit. Cuius iura tribus communibus capitibus continerẽtur; Deliciarum ac voluptatum cupidine, Auaritia & Ambitione; de quibus antea feminæ iam perſuaſis dicebamus Iohannis documẽto inſtructi, Omne quod eſt in mundo cõcupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ nõ ex Patre, ſed ex mundo eſt. Verùm vt propoſitum Dei de hominis præſtantia maneret, à diuina ſapientia cum miſericordia ſimul de electione humani generis promouẽda decretum eſt, ita vt iuſtitiæ ſatisfieret, cuius de ſentẽtia mortis iudicium indictum fuerat, & miſericordiæ illi infinitæ ad ſuum ornãdum hominem facultas & efficacitas cõſtaret: idq́ per Verbum efficeretur, per quod omnia, & in quo omnia: nõ quod homo id ſibi efficere aut cõparare, imò nec promereri poſſet, vtpote à vita abalienato, & in mortis ſeruitute detẽto; ſed quòd bonitas, benignitas, & miſericordia diuina id vellet, quodq́ ſanctiſſimi nominis Dei* IEHVEH ELOHIM, *gloria & maieſtas idem poſtularet ad iudicium ac damnationem vafri illius & callidiſſimi Serpentis, qui ſapientiæ palmam ſibi conſtare exiſtimabat, vtpote diuinum propoſitum à ſe temeratum & irritum iactantis. Paulus ſeruus Dei, Apoſtolus autem* IESV *Chriſti ſecundùm fidem electorum Dei & agnitionem veritatis, quæ ſecũdùm pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus ante tempora ſecularia. Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini Dei noſtri, neque me vinctum eius, ſed collabora Euangelio ſecundùm virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione ſua ſancta: non ſecũdùm opera noſtra, ſed ſecũdùm propoſitum ſuum & gratiam, (quæ data eſt nobis in Chriſto* IESV) *ante tempora ſecularia, manifeſtata eſt autem nũc per illuminationem Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminauit autem*

IX. 1 Ioan. 2. Rom. 9. Tit. 1. 2 Tim. 1.

» vitam & incorruptionem per Euangelium. Ad hanc autem electionis promo-
uendæ rationem & cauſam illud facit quod ab eodẽ Apoſtolo ſcriptum legimus:
Rom. 9. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (vt ſecũdum
» electionem propoſitum Dei maneret,) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt
» ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio
» habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim
» dicit, Miſerebor cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo cui miſerebor. Igi-
Ephes. 2. tur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Et vos cùm eſſetis mor-
» tui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecũdùm ſeculum
» mundi huius, ſecũdùm principem poteſtatis aëris huius, ſpiritus qui nunc opera-
» tur in filios diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in
» deſideriis carnis noſtræ, facientes volũtatem carnis & cogitationum, & eramus
» natura [labefactata] filij iræ ſicut & ceteri. Deus autem (qui diues eſt in miſeri-
» cordia) propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui
» peccatis, cõuiuificauit nos in Chriſto, (cuius gratia eſtis ſaluati,) et cõreſuſcitauit,
» & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſeculis ſuperue-
» nientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.

X. Has arcanas & abundantes gratiæ diuitias ante ſecularia tempora propoſi-
tas apparare incipiebat diuinum Verbum, ſtatim poſt introductam illã in mun-
do egeſtatem & mortem. Id quod ſignificans Moſes Domini Dei vocem ad au-
ram poſt meridiem ambulantis auditam hominibus fuiſſe narrat, vt ante locu-
tum quàm rogatum ſignificet. id quod verbo etiam ambulantis indicatur, re-
ciproco, inquam, quod ambulationem nõ coactam, non poſtulatam ab homine,
ſed ab ipſo Deo vltrò inſtitutam intelligimus MITHHALECH ſeipſum mo-
uentis, idq; ad auram poſt meridiem LE RVAHH HAIOM ad reſpiratio-
nem ac dilatationem temperamentumq; diei illius. Diei namque illius
prima pars miſera, calamitoſa ac luctuoſa, letalis denique humano generi fue-
rat; quam tamen non ita procedere ac finiri paſſus Deus miſericordiæ æternæ &
infinitæ beneficio, deambulatione, verboq; ſuo atque allocutione, ac demùm con-
ſtitutæ ſalutis temperauit promiſſo: vt vna eademq; dies perditi primùm, deinde
verò renouati orbis referret imaginem. Eodem itaque die quo ſeſe homo perdi-
derat, quo ſeſe filium iræ fecerat, Deus in gratiam ſibi reuocandum & amplifi-
Pſal. 144. candum oſtendere & declarare voluit: Suauis enim Dominus vniuerſis: & mi-
» ſericordia eius ſuper omnia opera eius. Cuius ſolij iuſtitia & iudicium præpara-
tio eſt, cuiusq; faciem miſericordia & veritas præcedunt. Manifeſta autem Dei
conſtantia in hac obſeruatur narratione, manifeſta rurſus hominis mutatio de-
prehenditur, qui cùm antea Dei eloquio ſuauiter, iucundè, & leniter atque effi-
cienter frueretur, poſt peractum facinus vel ſola voce terretur; quæ tamen ſalu-
Pſal. 84. tis cauſa edebatur vox. S. S. E. Audiam quid loquatur in me Dominus: quo-
» niam loquetur pacem in plebem ſuam, & in ſanctos ſuos, & in eos qui cõuertun-
» tur ad cor. Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius. Abſcondit ſe
Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi. A facie
IEHVEH ELOHIM, miſericordis & creatoris, gubernatoris ac iudicis ſe
abſcondit, quid faceret à facie ELOHIM. id eſt, Si miſericordis & gubernatoris
vocem & vultum formidauit, quo pacto haberet, ſi iudicem tantummodo ſibi
imminere intellexiſſet? vſque adeò ſeſe capite minorem cognouerat, vt neque
miſeri-

*miſericordem ſua virtute ſpectare auderet, quippe qui iræ filium ſeſe factum noſceret, nedum iudicem non formidaret. & quidem in actione hac miſericordia iudicium anteibat; quare* IEHVEH *nomen priuſquam* ELOHIM *ſcriptum legimus. Illud verò nobis hominis hiſtoriam deſcribentibus perpetuò conſtare oportet, quod iam aliàs prædictum eſt, Humani generis naturam, ingenium ac mores in primis illis parentibus vt in fonte & capite ſpectari, diſtinctè verò ac diffuſè in duobus primis filiis Caino & Abelo declarari. ita vt omnia quæ apud illos obſeruētur vel acta, vel facta, vel ab illis profecta ad totam illorum pertineant poſteritatem. Adamum Adamiq́ uxorem ſcelere quamprimùm admiſſo, & mortis iudicium apud ſe ſenſiſſe, & maximorum bonorum, quibus ex Dei beneficio præditos accepimus, copiam illam deſideraſſe, id eſt, nuditatem ſuam agnouiſſe intelleximus, deinde verò ſui velandi ſolicitudine anxios ſpectauimus. Id quod conſcientiæ actionem & curam primam interpretamur, & quid illa ſolicitudine demùm, quantumq́ confectum fuerit, attendimus: quãtum verò profectum, deinceps videbimus. Nec verò nihil contulit illa ſui ipſorum cognitio, quæ peccati homini prima occurrit, ea enim ſeſe à gratia Dei excidiſſe expertus primùm eſt: præſertim cùm prioris cõditionis non protinus exuiſſet memoriam: facile enim, & quantum à ſe illo primo, quem nuper diuina manus finxerat, quem diuina benignitas innumeris ornamentis auxerat, mutatus deinde euaſiſſet, perſenſit: atque adeò quidnam malum eſſet cognouit: vitãdumq́ malum, & fuga dignum intellexit: quemadmodum verò vitari ac declinari poſſet, non facile inuenit. Quin & primæ inuentionis exemplo ingenij conſiliiq́ ſui tenuitatem prodidit. Id quod primo illo inuēto velamine in promptu fuerit arguere. Nam quanquam ſui generis, id eſt, hominis oculis quodammodo ſeſe velatum, idq́ ad tempus præbere viſus eſt: vbi tamen Dei audiit vocem, in ſyluæ denſa & opaca ſeſe abdere feſtinauit, vel hoc vno ſigno inuentum ſuum nihil apud Deum nuditatis obtegendæ cauſa valere cõfeſſus, atque eodem etiam ſtultitiam cum cognitione boni & mali aſcitam declarans, dum ſe vel in denſiſſimis vmbris Deum latere poſſe putaret. id quod fruſtrà tentari quamprimum edoctus didicit, & poſteros ſuos in ſe ipſo variarum inuentionum ſuæ ipſorum nuditatis velandæ cauſa excogitatores, fruſtrà tamen fore, indicauit. Iſte enim in illa boni ac mali ſcientia tot, tamq́ multiplicium cogitationum, excogitationum, ac repertorum ad vtriuſque animi portionis, hoc eſt, ad veri ac decori comparandam facultatem fons; iſta eſt placitorum, ſentētiarum, & opinionum ſcaturigo, curæ ac laboris plurimum, vtilitatis verò minimum humanis actionibus rebuſq́ ſuffectura, imò quæ niſi Dei corrigatur voce, anxietatem & perplexitatem ac turbationem, nihil præterea ad veram conferat ſalutem. Quidquid enim agat, vbi primum à Dei verbo digreſſus peccauerit homo, quidquid ad ſui vel defenſionem, vel occultationem, vel ad declinandam culpam conquirere, comportare ac prætexere ſtudeat, & conetur; tamen nec vocem Dei præuertere, nec in vllo latere loco poterit: nec vitare quo minus & vocantis, & ſeſe internè rogantis, atque examinantis ad confeſſionemq́ culpæ ac turpitudinum quærentis verba non audiat.* Vocauitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? *Vocationem naturæ omni humanæ iam prolapſæ, atque ſeſe zonis ficulneis operire, intraq́ denſas arborum vires intrudere molitæ, factã, indicat nomen* Adam *cum certa adnotatione ſcriptum, & pronomen* ei, *in loco ſignificantiſſimum. Id enim quod primo illi homini contigit,*

 tigit,

tigit, perpetuò eiuſdem hominis generi, cùm ſeſe eadem obtulerit occaſio contingere, vnuſquiſque mortalium apud ſe agnoſcet, niſi planè ſenſu communi careat. Quamprimū enim vnuſquiſque qui modo infantiam exceſſerit, mali quippiam admiſit, metu perculſus, ſeſe in fugam coniicit quò euaſurum putat. Vnde verò hoc datum aut qui partum? Nimirum intus monſtratum conſcientia percellentis Dei vocem audiente & expauente, inter fugam verò cogitationum & conſiliorum qualiumcumque excitatur turba, aliis inter ſe accuſantibus, aliis defendentibus aut excuſantibus: nullis tamen ex propria auctoritate abſoluentibus, aut ſecuritatem promittentibus: ita vt quamquam tutus homo ſit, non tamen apud ſe ita planè & quietè agat, vt illam vitare poſſit quæſtionem, Vbi es? Ex qua interrogatione diuina homo non eodem loco, non eadem qua prius erat conditione manere arguitur. quippe qui cùm antea præſente Deo agens, præſentem non metuebat, non pauebat, non formidabat: imò habere & audire gaudebat, nudusq; minimè offendere Dei conſpectum credebat. Nunc verò tametſi, vt ſibi videtur, amictus: tamen coram Deo nudus ac turpis ipſe vel voce adlocuti audita ſibi verè cenſetur. Vocatur autem prius à Deo Adamus & præuenitur, atque deſertæ
» arguitur & monetur primæ ſtationis, Vbi es? *Quid eſt homo, quòd memor es*
» *eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum.* Prima Dei vox in paradiſo audita, memoriam & curam, ſecunda verò viſitationem & curationem erga humanum genus probat, erga omnem, inquam, cui Adami conueniat nomen; ne quis vmquam eorum, quibus ad audiendum ſunt aures, memoris ac viſitantis Domini Dei ſibi cauſetur non factam vocem, pacem locuti ſuper eos, qui conuertuntur ad cor. Verùm enimuerò ea lege Deus hominem vocat ac reuocat, vt vocanti reſpondere velit. Nam ſi non reſpondeat, ſi vocem ſurdis auribus nō admittat, ſi contemnat, nihil prorſus Deo detrahat, ſed contra ſibi ipſi ſuum optaſſe cenſeatur exitium. Perpetua enim antiquaq; diuinæ miſericordiæ illa eſt obteſta-
Ioan. 12. tio. Qui ſpernit me, & nō accipit verba mea: habet qui iudicet eum. Sermo quem
» locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die. quia ego ex meipſo non ſum lo-
» cutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid lo-
» quar. Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor: ſicut di-
» xit mihi Pater, ſic loquor. Cuius hæc oratio obteſtatioq; eſt, eiuſdem illius verbi
» illa vocatio fuit, Vbi es? Non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem pronun-
» ciata. Qui habet aures audiendi audiat, qui ſe non equum & mulum, ſed ſaltem Adami filium præbere ſuarum partium eſſe intellexerit, vt ſeſe nudum ſenſerit, quamquam Deum, vt par eſt, propter conſcientiam vereatur ac timeat, vocantem non aduerſetur tamen, ſed vel id quod intra ſe ſenſit, patrem ſuum imitatus reſpondeat. Reſpondebit quidem primò animus ipſe conſcientia perculſus propria, niſi impietatis inſolentia deinceps, vt in Caini videbimus execrando exemplo, in peiora dilabatur.

Qui ait, Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui: eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.

XII. *Qui nuper rerum omnium quæ cæli ambiuntur gyro, rex creatus dictusq; fuerat, qui præſente Creatore & probante ſuperiorem ſe ceteris animantibus cognouerat, qui quantum ipſe & ſolus, & cum ſocia femina valeret intellexerat, atq; omnia hæc intrepidus reſponderat; nunc ſe terrore perculſum, nūc conditoris & gubernatoris maieſtatem vereri, & præ verecundia & ſui ipſius pudore latere curan-*

*curantem ſeſe confitetur. Ex huiuſmodi autem proprij mali cognitione multæ ſapientum iſti non diſſimiles profectæ ſententiæ. Quid eſt homo vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere? Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu eius. Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit ſicut aquam iniquitatem. Poteſt quidem Dei vocem homo in paradiſo ſuo audire, ſed antequam audiat nudum ſe agnoſcit, de ſua nuditate ſolicitus laborat, velamen quærit, & in primo errat inuēto, quid ſibi conueniat, ſuisq́; rebus vtile ſit, nec facilè nec rectè expendit. tantum ab illo ante ſapiente, & ſui ſuarum atque totius mundi rerum cognitione prædito abeſt. Iam verò vt quidquid poſt hac deinceps boni vllo pacto ac modo nactus fuerit, diuinæ miſericordiæ referat acceptum, vel ipſi Dei vocātis voci audiendæ ſe præ metu & conſcientia imparem dicit.* vocem tuam audiui. *Interioris hominis hoc reſponſum eſt, diuinam apud ſe vocem cognoſcentis, metuentis tamen ac trementis propter inopiæ ac nuditatis propriæ ſenſum, propter priſtinæ virtutis imminutionem; atque adeò propter inhærentem mortem à vitæ maieſtate alienam, propter admiſſas tenebras diuinæ lucis fugaces. Ex hoc imbecillitatis & infirmitudinis humanæ tantus hominibus cretus eſt metus, vt vel Deum videri, vel adloquentem audiri in letalibus & mortiferis cenſeretur euentis; huiuſq́; ſententiæ cōtrarium exemplum vel miraculo grandi, vel ſingulari adſcriberetur beneficio. Cuius generis illa ſunt: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Et ſtatim intellexit Manue Angelum Domini eſſe, & dixit ad vxorem ſuam, Morte moriemur, quia vidimus Dominum. &, Viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphyrini, & quaſi cælum cùm ſerenum eſt, nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſrael miſit manum ſuam. Videruntq́; Deum, & comederunt & biberunt. &, Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem & magnitudinem ſuam: vocem enim eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo. Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltra vocem Domini Dei noſtri, moriemur. Quid eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei viuētis, qui de medio ignis loquitur ſicut nos audiuimus, & poſſit viuere? Et quidem cùm ita Deo reſpōdebat primus homo nondum vel ſuo vel alieno periculo quidnam corporis mors eſſet, cognouerat; tamen diuinæ vocis pauebat metu propter internam quam iam cognoſcebat mortem;* eò, inquit, quòd nudus eſſem. *Hinc etiam illud ſubiit, homini iam prolapſo vocem diuinam audiri, ſiue vocantem, ſiue increpantem, ſiue monentem, & imperantem, nō tamen conſtanter excipi & perferri propter virtutis antiquæ, imò propter vitæ primæ deſiderium, & propter mortis imperium in peccatore homine regnantis. Vnde & illam Apoſtoli ex veteris Adami perſona & conditione querelam profectam audire eſt: Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Itaque interioris hominis nuditas diuini maieſtatem formidat iudicij, agnitionemq́; ſui ipſius iam deprauatæ & præteriti ſtatus cognitionem ex deſiderio magis quàm ex ſenſu præſenti, atque ex comparatione cum præſenti malo quàm ex vſu bonorum conſequitur. Namque bona illa iam amiſſa admiſſo malo requiruntur. Atque huiuſmodi conditionum mutationem hominum naturæ vnius hominis inobedientia tulit: tantumq́; lucri illa bonum ac*

Iob 15. Gen. 32. Iud. 13. Exod. 24. Deut. 5. Rom. 7.

*ac malum ſciendi fecit cupiditas. Verùm enimuerò inuectæ iam prauitatis humilis & ſimplex cognitio atque confeſſio homini quamuis aliàs iræ filio ad clementiam miſericordiamq́ Dei, vltro quidem præſtantis, non quidem excitandam & vrgendam, quodammodo tamen ſolicitandam non fuit inutilis.*

Cui dixit Dominus: Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?

*Manifeſto Dei oraculo intelleximus, humanæ naturæ præſtantem illam cum ſimplicitate ſapientiam, firmitudinem, virtutem, omniaq́ ornamentorum genera, nullo excepto vel nomine, vel modo conſtanter fuiſſe manſura, niſi pro vita mortem mutare collibuiſſet. Neque enim vel cæli aſtrorumq́ viribus, neque vllis aliis rerum vel efficientiis, vel impedimentis aut aduerſationibus obnoxius antea fuerat homo, dum ſibi, dum terris, dum terrarum ac maris naturis omnibus ex diuino præſcripto præeſſe poterat, dum, quod in ſe habebat, cælum ſuæ ipſius terræ eminere ac temperare valebat, dum denique nuditatem illam ſimplicem, decoram & concinnam nullum fœdaret contaminarétve dedecus; dum oculi illi omni malitiæ antehac clauſi, ac turpitudinis rudes perſeuerarent. Hæc ratio omnis vel vnica Dei quæſtione & redargutione ſignificatur nobis:* Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes? *Nuditatis notitiam atque hanc conſecutas animi perturbationes, pudefactionem, timorem, horrorem, ſuimet velandi, vel potius fallendi, ſtudium, mendoſæq́ artis curam, denique latendi cupiditatem ſuo ipſius crimine, ſuo auſu, ſua inquam inobedientia ſibi parta, ſibiq́ vni, nulli præterea rerum naturæ imputanda Deus homini exprobrat;* niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti? *Quamquam verò Deus, vti res cognouerat cognoſcitq́ omnes, argumento nullo ad euentus demonſtrationem indigeret, tamen hominem iam ex illo ſimplici veritatis cognoſcēdæ ſtatu ad argumentationis anguſtias tranſlatum, ſuo iam cognoſcēdi & ſciendi modo conuictum voluit. Nullus autem iam deinceps aptior eruditionis modus homini poſt naturam turbatam contigit, quàm vt ex euentis & effectis effectorum origines, & propriæ veſtigentur cauſæ; rurſus etiam cauſis cognitis & cōſtitutis qualia expectanda fuerint effecta prænoſcantur. Prior quidem & potior longeq́ illuſtrior fuerat cognoſcendi forma ex cauſarum cognitione ac notitia, ſine vllo experimentorum auxilio, maximè in boni ac mali cognitione, cùm malum non ſine periculo & incōmodo experiri iam liceat, bonum verò prius cognoſci quàm experiri præſtet. Experimentum enim ſua ſponte etiam in bonis rebus vel incertitudinem ac dubitationem, vel vt minimum difficultatem ac morā affert. Atq́ ita natura comparatum videmus, vt quidquid nocendi viribus pollere dicitur, ſi vſurpetur, haud dubiè noceat: quidquid prodeſſe, conferre ac iuuare prædicatur, tamen non ita frequenter, ſaltem non ita celeriter id præſtet. Quamobrem præſtaret, vti diximus, res ante rectè & ſimpliciter quid efficere officeréve poſſent, ſapienter prænoſcere, quàm ex vſu atque euento periculoq́ obſeruare. Illius doctrinæ, hoc eſt, prioris, Deus Adamo ſeſe magiſtrum præbuerat: Iſtius poſterioris ſeſe Adamus repertorem Serpente viam commonſtrante exhibere voluit. Tu tibi iſtam nuditatis tuæ cognoſcendæ formam oſtendiſti, dum ligni, cuius efficacitatem ipſe tibi præcipiens edixeram, efficientiam experiri, quàm docenti & monenti ac iubenti mihi obtemperare mauis. Igitur quod ad boni & mali diſciplinam attinet, doctior quidem iam nunc euaſiſti quàm antea fueras; ſed doctri-*

*nam*

*nam iſtam non ſine tuo magno malo, quod mihi credendo & parendo vitare debueras & potueras, tu tibi comparaſti, aliàs nullo tenendam pacto. Intelligis nimirum, quantum præſtitiſſet, à me id quod quantumq; noſcere fas fuerat, manere doctum, quàm tua ipſius opera & alienis inſtitutis deinceps extare eruditum. Iam verò huiuſmodi humanæ ſcientiæ fructus, prouentus, appẽdices, ac deriuationes quænam, qualiáve fuerint, in ipſo primo diſcipulo ac doctore obſeruare cautio fuerit.* Dixitq; Adam: Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. *Cumprimis illud in humanis moribus antiquum & vetus exemplum, vel monſtrum potius, vnde, & quo de fonte manarit, apparet: nimirum proprij opprobrij culpam in aliam vel rem, vel perſonam, etiam caram, etiam proximam trãsferendi, atque adeò neque cælo cæliq; auctoritati, imò nec Dei numini & maieſtati, ſapientiæ, ſanctitati, & veritati, per audaciam per ſummum nefas parcendi. Nam quid magis in vulgaribus iam diſputationibus hodieq; tritum, & propter conſuetudinem minus vindicatum auditur, quàm querimonia iſta, quibuſdam vel frigida, vel excuſabilis, nobis verò ſacrilega viſa? Cur nam qui peccare poſſent homines à Deo ficti fuerint, à quo impeccabiles, vt iſtorum verbum vſurpemus, confingi poterãt, vti animalia cetera hominibus minora? Quid vulgatum, quid frequentius iactatum & obiectum in peccatorum & ſcelerum reprehenſionibus, quàm carnis excuſatio? quàm ſiderum & aſtrorum accuſatio? quàm temporum incõſtantia? quàm rerum viciſſitudines? quàm denique fortunæ ac fati nomina? illud impiè inductũ, hoc perperàm acceptum? quaſi verò quæ nunc fiunt mala alia ex neceſſitate præterquam hominum vitio & ſcelere fiant; quaſi quæ ſcandala veniunt, ex Deo, vel ex Dei verbo aut iuſſu ortum habeant; eoq; detorqueatur Ieſu Chriſti illud reſponſum, Neceſſe eſt vt ſcãdala veniant. Demùm quaſi eodem quo ſunt homines, quoq; viuunt pacto & ritu, vel non nimis diuerſo creatos à Conditore extitiſſe cõſentaneum fuerit, & non potius rectos, & ſuo in genere perfectos: qui tamen ſeſe multis implicuerint cogitationibus? & quod vitio nõ naturæ integræ, ſed à ſeipſis corruptæ dari debuit, aliis à ſe rebus, atque etiam auctori ipſi ſapientiſſimo & iuſtiſſimo vltra offenſionis crimen communicari nõ putetur nefarium. tantum licentiæ hominum ingeniis cum illa boni & mali cognitione ſumptum, tantum ex patientia, clementia & lenitate diuina in abuſus prolapſum. Sed huius calliditatis inuentor mendax ille Serpens fuerat, inuentionis verò vſurpator, & poſteris etiam ſuis auctor. hic primus deprehenditur homo: Cui, quæ ingenua & vtilis eſſe debuerat, proprij criminis & facinoris confeſſio ad excuſationes in peccatis excuſandis tranſiit. Id quod, cùm falſum vitioſumq; eſſet, tamen non ſimpliciter, ſed multis partibus ac formis informe falſumq; fuit; & cùm non apertè & palàm admitteretur crimen, quod negari tamen nequibat, factum quidem non eſt negatum, verùm culpæ defenſione ſuſcepta vel crimen reiici & eleuari multa argumentatione & oratoriæ artis coloribus tentatum eſt. Atque ex hoc tempore hisq; principiis geminæ humanæ orationis artes, diſſerendi altera, altera verò dicendi, primùm inuentæ. quarum nos formas, rationes, & virtutes, ac vitia oportunè, vti ſperamus, ex ſacra lectione indicaturos, Deo adnuente, pollicemur.*

*Quæcumque non omnino ſpontè & vltrò ſuſcipiuntur acta vel facta, ſed aliena auctoritate aut vi aut gratia, denique cauſa, admittuntur, vel culpam depellere prorſus, vel minuere, vel communicatam partiri cẽſentur: maximè cùm à* XIII.

*magnis*

*magnis vel neceſſariis profecta ſunt auctoribus, quos auerſari difficile, ſequi verò venia dignum putatur. Confitetur quidem homo ſe ex vetitæ arboris fructu comediſſe; confitetur ex conſequenti nuditatem ſibi inde eſſe cognitam, contraq; diuinum iuſſum vtrumque eueniſſe, verùm non omnem in ſe culpam ita agnoſcit, quin aliquid impertiatur vel occaſionis, Deo, à quo, quamquam iuſſus fuerit, cõtinere illius vſurpatione arboris, tamen muliere auctus fuerit ſui parte non cõtemnenda nec repudianda, ſed nec ipſis primæ ſocietatis conſuetudinibus aſpernanda, aut in deſpectus ſuſpicionem inducẽda: tui in periculis faciendis indulgere, caritatis officium videri poterat, aduerſari verò maximè auenti & cupienti, atque arboris illecebris inductæ, præter ſocietatis neceßitudinem & communionem exiſtimaretur. Atque huiuſmodi ratio colorem quidem habere ſibi viſa eſt: quæ tamen, cùm veritate tincta nõ eſſet, ſed falſo & nebuloſo fucata obtentu, diuinæ lucis radio quamprimùm prodita, & verbi ſancti efficaciſsimo ſpiritu diſsipata. Primum enim eo ipſo argumẽto, quo ſuas partes tueri moliebatur, vt falſo & præter rem inducto redargutus cauſa cecidit.* Mulier quam dediſti mihi ſociam. *vt Latinè legitur hoc argumentum quamquam ſine diuiſione indiſtinctum admittatur, nõnihil præferre coloris videri poßit, verùm eadem arte, quam argumentator iſte vſurpare conabatur, ad argumenti explicationem adigitur. Societatis enim inter maiorem & minorem, inter priorem & poſteriorem, nõ æqua prorſus vtrimque ratio, dignitas, commendatio, & exercitatio eſt. Nam qui plus in ſocietatis legibus, inſtitutis & facultatibus nouit & valet, eius primam eſſe in agẽdo auctoritatẽ æquitas & veritas iubet. Omnia quæ cùm ſibi in ſocietate cõſtare vir noſſet, atq; obtinere ſuas ipſe partes deberet, nihil excuſare iure potuit, ſed ſuã inobedientiã accuſare debuit. Nec verò ſolum hoc in excuſatione admiſit vitij, vt culpã, quam ipſe ſubierat, præpoſterè in infirmius ſocietatis caput trãſtulerit; verùm ſocietatis etiam rationẽ & formam perperã interpretatus eſt. Namq; ille feminæ adiutoriũ hac lege acceperat, vt* CHE NEGEDO *ſemper haberet: quod Latinè, vti dicebamus, vt* è regione ipſius, *verti poßit. Ita enim Deus adiutoriũ illud futurũ cõſtituerat. Hoc verò loco Adamus diuinũ inſtitutum nõ ex diuino cõſilio, ſed ex ſuo iam corrupto ſenſu in ſuas parteis detorquendũ interpretatur.* Mulier, quã dediſti GHIMADI. *Longè diuerſæ ſunt voces* CHENEGEDI *&* GHIMADI. *Significat autẽ* GHIMADI fulcimen meũ mecum, *ita vt videatur innuere, feminam in ſocietate primas quodammodo, ſaltem æqualeis, obtinere parteis, idq; ex diuino decreto,* quam dediſti columnam fulcimentum meum mecum ſtabile. *Omnia hæc verbo* GHAMAD *ſignificantur. Quam tu, inquit, conſtitueras* mecum ſtabilem, *nulla ratione ſeparandam, imò ſemper fouendam, tamquam fulcrum, quo ipſe ſemper niterer ac fulcirer; denique participem ex æquo veluti collegam indiuiſum* mecum *inquam. Illa dedit mihi, & comedi: quippe hoc reciprocatio* mecum *poſtulare videtur, vt quod alter agit, alter etiam, qui cum illo eſt, agat. Itaque vt illa mecum meumq; fulcimen data erat, ita mihi quod ſibi placebat, porrexit, ego vt cum illa ſemper eſſem, vt illa ſemper mecum erat,* & comedi. *Vocula* ET *hoc loco illationis vim habet, id eſt, quamobrẽ comedi; quia ſcilicet mihi ea lege à te data erat. Quam quidem interpretationem à vero atque à diuino verbo* CHENEGEDO, *longè diuerſam eſſe nemo non intelligit: & tamen ita à conſtitutione mundi humanum ingenium indulgentia ſui nimium licentioſum diuina conſilia, documenta,*

*menta & præcepta, aliaq́; oracula detorquere, atque interpretando & variando deformare didicit; atque ex huiuſmodi initiis ſeſe in quamplurimos errores coniicit. quale quicquam audere ex diuinæ ſapientiæ præſcripto religio maxima fuerit: Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe; ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inueniaríſque mendax.*

*Nec verò Adamus, qui ſe non ita rem & rationem à Deo accepiſſe meminerat, quamprimùm eſt redargutus, ſed ratio omnis ad integræ cauſæ actionē prolata eſt. id quod diuinæ ſapientiæ & clemētiæ proprium eſt, nihil quod iudicium ſpectet, non maturè & leniter, ſedateq́; agere, & ad plenæ cognitionis ordinem, ſeriem & finem deducere: ita vt cùm rem omnem apprimè cognitam teneat, tamen iudiciorum terminos iis ipſis, qui iudicandi ſunt, nulla exceptione notādos obſeruet. Atque de mutatione & imminutione humani generis poſt illud primum admiſſum vitium diſſerentibus permagni retulerit, hanc Adami excuſationem obſeruare: quæ, tametſi falsò ac mendoſo argumento nixa, tamen perpetuo exemplo à poſteris vſurpata eſt, hodiéque etiam vſurpatur. Et quidem rem ipſam homo expertus cognouit, ſe videlicet iam mulieri, hoc eſt, femineæ & inferiori parti ſui, ita cōiunctum eſſe vt fulciēti columnæ vel epiſtyliū vel tectū coniunctum eſt. Verùm iſtuc ipſum tamen nō Deo auctori, ſed ſibi ipſi imputandum fuerit. Deus enim ita vtrumque condiderat, ita temperauerat, vt vir præeſſet, femina coram viro eſſet: vir verò dum feminæ voluntati vltro obſecūdari voluit, ſeſe ita obnoxium reddidit, vt deinceps poſteà ſi non primas, hoc eſt, digniſſimas, priores tamen parteis femina, deinde verò vir poſteriores obtineat; id eſt, nihil intelligere, nihil diligere poſſit, antequā ab exteriore & inferiore portione cognoſcendarū, expetendarū vel fugiendarū rerū copias imaginesq́; acceperit. Id quod naturæ, nō illius quidem prioris ac rectæ, ſed poſterioris ac deprauatæ iſtius contemplatores, quos philoſophos dicimus, diligenter obſeruatum ſuis formulis docendo tradiderunt.* Nihil, *inquiunt,* eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. *Namque ſenſum illi idem ipſum quod nos exteriorem hominem ſiue inferiorem animæ appellamus portionem. Atque adeò verum exploratumq́; eſt, interiorem hominem obnoxium feminæ poſt illam naturæ turbationem euaſiſſe, vt qui antea rectè & palàm, nullasq́; per imagines alloquebatur Deus, deinde ſeſe ad humilitatem iſtam naturæ humanæ, cui benè ſemper voluit, accommodans, per imagines verba & res quæ ſenſum primum contingant & afficiant, atque ex ſenſu ad animum cogitatione transferuntur, alloquatur & inſtruat. id quod diuinæ benignitatis & caritatis præconium auget; quæ, cùm in altis habitet, humilia reſpicit in cælo & in terra; quod cælum, quamq́; terram in hominis quoque natura agnoſcimus. Atque bonitatis huius exemplum primum in his ipſis actionibus editum ſpectamus. Non enim virum tātummodo viſitatum Deus voluit, ſed & feminæ imbecillius atque adlocutioni diuinæ ſuſtinendæ minus idoneum ingenium: quam, vt ipſe idem finxerat, ita nullo odio, ſed potius magno, quantum res ferebat, proſequebatur amore, & quamquam à ſe verboq́; ſuo alienatam eſſe conſtabat, non tamen perditam, non deſertam, non ſine curæ & viſitationis beneficio, non ſine ſpe veniæ relictam volebat. id quod vel ipſa appellata adloquentis nomina indicant.* Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc feciſti? *Vtrumque dicentis nomen miſericordis ſalutaris, & gubernatoris ac iudicis orationis argumentum & temperamentum illud admirabile dicentis*

 *indicat.*

indicat. namque ita iudicium oratio ſpectabat, vt miſericordiam præſpiceret; quæ & ad interiorem hominem reſtituendum, & ad exteriorem corrigendum, & ad vtrumque demum ſeruandum & amplificandum tendebat. Namque ex vtraque portione totum conſtiterat genus ab eodem vnóque Deo effectum & redintegratum, ab eodemq́ demum inſtaurandum atque etiam amplificandum. Et quamquam mulierem hac in actione conuĕtam & examinatam legamus, in muliere ipſa muliebrem portionem intelligimus, cuius virilem vnà cum ea quæ viri eſſet, redargutam accipimus. Cur hoc feciſti? Turbati ordinis ac violati officij inſimulatur mulier, cuius munus fuerat, non quidem facere, ſed id quod à viro fieret, accipere, obſequi, & exequi. Interrogationis nota Cur, rem ipſam cum cauſa & impulſu coniungit, MAH ZOTH GHASITHAH? quidnam hoc feciſti? quod minimè factum oportuit? quod à te nec tentatum quidem, & tamen factum & peractum fuit facinus, vt comederis, vt viro comedendum dederis. Ex quo docemur id quod & re non experimur, ſed quotidie ſentimus, peracti facinoris conſcientia non interiorem tantùm hominem, verùm etiam exteriorem portionem tentari, terreri, & angi; atque, vt ita loquamur, triſtari. id quod in omni peccato manifeſtum eſt. Nulla enim ex rebus quæ ſenſuum vitio appetuntur, contingit, quamuis maximè cupita, quin vbi obtenta fuerit, mœſtitiam, ſatietatem, tædium, ac denique pœnitentiæ ſupplicium quoddam ſenſibus ipſis non inferat. Quantum nimirum ad horum accuſandam proteruitatem ſatis atque ſuperſit: ita vt, ſi id obtineri poſſet, infectum magis vel ſenſus ipſe vellet, quod appetitio ſuaſerat, quàm factum gaudeat. Atque hanc quidem affectionem ex illius interrogationis diuinæ vi, Quid hoc feciſti? Profectam intelligimus, & agnoſcimus perpetuam.

Quantum verò feminea illa facultas ex illo priori ſtatu ad cognitionem boni ac mali traducta promouerit, quantum in ſcientia compendij fecerit, breui apud miſericordem & gubernatorem Deum confeſſionis reſponſo indicauit. Nam in viro iam intelleximus, nimirum ſimplicem illam & rectam priſtinam cognitionem ad excuſandi ſtultam calliditatem, & mendoſas argumentationes fuiſſe tranſlatam. Feminam verò deceptionis excuſationem prætendiſſe ita accepimus, Serpens decepit me: & comedi. Crimen quidem vtpote deprehenſum, confitetur, deq́ re ipſa nec ambigi vult, nec diſputari: nam quæ ſenſu capiuntur, extra omnem diſputationem ſunt: nec vel viſus, vel auditus, vel alius exterior aut communis etiam ſenſus quidquid ſibi obiectum fuerit, dum verè obiiciatur, negare purè valet, quamquam vel lingua vel alio negare moliatur ſigno, præſertim cùm à Deo rogatur; cuius notitiam, cuius interrogationem impoſſibile eſt falli: maximè quòd manifeſta facti ſigna in ſenſibus hæreant ipſis, quæ nec apud minores iudices inficiari quis queat. Ipſa autem rerum mutatio atque inuerſæ naturæ facies factum prodiderat; quod proditum confeſſio ſecuta eſt, & comedi. Verùm, vti diximus, non factum modò, ſed facti impulſio quoque atque hæc præcipuè in iudicium vocatur. Eadem enim in ſpeciem vel ſimilia vel paria, dum diuerſa auctoritate admittuntur aut committuntur, diuerſo expediuntur iudicio. Et vir quidem, qui maiore antea ſapientia polluerat, dum ſpiritu agebatur ſimplice, illa ſimplicitate amiſſa, ſcientiæ illius nouæ partem adeptus ingenioſum & callidum ſeſe magis oſtendit, vt reſponſo illius exponendo notabamus. quam facultatem carnis ſapientiam Spiritus ſanctus appellat. Femina verò excuſationis

*tionis ſuæ rationem vno deceptionis fulcit nomine, quo tamen culpam effugere minimè poterit. Et verum quidem ſuapte natura eſt, deceptionis exceptionem legitimæ cuiuſdam defenſionis vim ſortiri, pro loci tamen, temporis ac perſonarum modo ac reſpectu. Nam ſi deceptio ab eo profecta fuerit, cui monendi ac ducendi conſtiterat ius, crimen à decepto remotum, in deceptionis recidit auctorem prorſus: ſin verò is, qui deceptum ſe excuſat, deceptoris erga ſe auctoritatem allegare nō poßit, nec effugere crimen, nec declinare iudicium valet. Atqui feminæ actionum omnium auctorem & conſulem proprium virum datum, viro autem Deum Doctorem & auctorem conſtitiſſe nouimus. id quod & vtrique manifeſtum & certum, tamen violatum ac turbatum contaminatumq́; fuit, dum alteri mulieris obſequium, alteri verò non viri conſultatio, ſed Serpentis placuit cōſilium.* Serpens HISIANI. *Deceptam ſe cauſatur, ſed ſeductam fatetur. Atqui ſeductio culpa vacare non poteſt. Neque enim eam, quæ viri obtutum & nutum ſpectare ſemper debuerat, ab alio ſecus virum duci oportuit. Verbum* HISIANI *vtrumq́; ſignificat, decipi ac ſeduci. alterum Latinus interpres in hiſtoria reddidit, alterum Apoſtolus expreßit, Mulier ſeducta eſt in præuaricatione, non vir. Hinc verò nobis quidnam quantúmque mulier efficere & pati poßit, indicatur: poteſt enim virum inducere iam ſibi ex illo peruerſitatis momento deditum: verùm ipſa eadem ſeductioni dolo ac fraudi ſeſe facilem dediſſe, atque ita virum in fraudem pellicere poſſe arguitur. Quodq́; etiam vſuuenire perſæpe videmus, exterior illa minorq́; animi humani portio, quam animalem vocamus, quámque philoſophi ſenſum dicunt, rerum quas ſentit cognoſcitq́;, fallaci ſpecie duci atque errare poteſt. Idq́; ſecundùm huius conditionis vſum, quam, dum animalis eſt homo, tenet: atque adeò maximè vbi à Serpente ſeducitur; Qui tamquam leo rugiens inſidiatus, circuit, quærens quem deuoret. &, vt Apoſtolus alius admonet, ipſe Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. Itaque ſuperior pars, quæ primas in ſapientiæ ſuæ ſimplicitate & perſpicuitate antea habuerat, ad argumentationis facultatem degenerauit; iſtumq́; ſua ſponte ſciendi gradum & ordinem tueri ſolet. Inferior verò, quæ ſentire quidem anteà lōgè quàm poſtea melius, & ſuperioris luce ab errore tutari poterat, ſentire iam deinceps, & ſibi & viro ſuo quid ſentiat indicare valet; ſed non adeò valet vt in errorem non ſæpe incidat, & virum quoque ſuum ſecum decipiat, vtpote iam nihil ſua ſponte ſine ipſius indicio & ſubſidio percipientem. Atque hæc vtriuſque partis conditionum ſumma eſt: quod ad prolapſam mutatamq́; à prima electione hominis naturam attinet. ſecundùm quam philoſophari humanæ ſapientiæ ſtudioſis contigit, ac non rarò inter philoſophandum decipi, labi, & errare accidit, conſentaneo nimirum ipſi rei, de qua agitur, exemplo. Namque de incerto vario & falſo, fallaciq́; rerum genere, incerta & varia exiſtimari ac dici certo certius fuerit. Ideoq́; nulli vmquam humanè atque ex ſapientia carnis ac mundi huius elemētis doctrinam inſtituenti de hominis natura, facultate, vi, veritate, & virtute, deq́; eiuſdem vitio ac peruerſitate ſatis plenè & apertè, ſatiſque dilucidè & conſtanter diſputatum eſt; nec diſputari potuiſſe exiſtimamus. tantum ſeſe homo ipſe ab ortus & ordinis ſui conditione, & legibus atque initiis abripuerat, tamq́; turbata ad ſemet reperiendum reliquerat veſtigia: donec eiuſdem, à quo conditus fuerat, & à quo reficiendus & perficiendus ſuſceptus eſt, Verbi lumine quiſnam fuiſſet, quis eſſet, qualisq́; demùm ſe auctore euaſurus foret, ſacroſanctis literarum monimen-*

Margin notes: חשיאני (beside "Verbum HISIANI"); 1 Pet. 5. (beside "Qui tamquam leo rugiens")

 nimen-

*nimentis declararetur. Id quod vnus ex iis qui planè ſeſe cognitum prædicauit, ſapientiæ & elegantiæ gemmis illuſtrato & ornato carmine confeſſus eſt.*

Pſal. 138. *Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeßionem meam & reſur-*
» *rectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam & fu-*
» *niculum meum inueſtigaſti. Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſer-*
» *mo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua: tu*
» *formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Mirabilis facta eſt ſcientia tua*
» *ex me: confortata eſt, & non potero ad eam. Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à*
» *facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum,*
» *ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Ete-*
» *nim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi, Forſitan*
» *tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tene-*
» *bræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius,*
» *ita & lumen eius. Quia tu poßediſti renes meos, ſuſcepiſti me de vtero matris*
» *meæ. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua, &*
» *anima mea cognoſcet nimis. Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in oc-*
» *culto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt*
» *oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.*

*Tantam adeò vnius hominis varietatem, tamq́ue diſcordem diſcordiam, ac diſcrepantem fluitationem, iam ſedentis, iam reſurgentis, multa & varia cogitãtis, iam ſemitam, iam funiculum tenentis, varias & multiplices ineuntis vias, noua & antiqua miſcentis; nunc in cælum aſcẽdere moliti, nunc verò in infernum deſcendere cogitantis, nõnumquam & pennas ſibi aptantis, & ad extremum vſque mare migrare inſtituentis; quin & noctem & tenebras latendi ſtudio appetentis: ac demùm imperfectionis ſuæ, hoc eſt, ſibi comparatæ, varietate & inconſtantia notati, quiſnam ſenſus, quæ mens, quæ vis, niſi vnius Dei, intus & in cute cognoſcere ac deſcribere potuerit? Ex cuius nos ſcriptis non omnia, ſed quædam, quæ ad hanc, de qua agimus, varietatem oſtẽdendam facere putabimus clariſſima & communia, noſtri ipſorum cognoſcendi cauſa referemus.*

## HOMINIS A DEO PRIMVM CONDITI ſumma deſcriptio: Rurſus verò hominis à ſe perditi, breuis repræſentatio.

### CAPVT VI.

Concordat cum animæ c.xv.

1. ANIMANTVM *omnium, imò cunctarum quæ à Deo conditæ ſunt, rerum vltimum quidem tempore, verùm terreſtrium præſtantiſſimum genus homo editus in imagine & ſecũdùm ſimilitudinem* ELOHIM, *priuato modo, ac ſingulari conſilio factus, vir & mulier, & vterque etiam maſculus & femina, hoc eſt, duplici conſtans portione, ſuperiore & inferiore, in carnem vnam, in vnumq́ue Adami nomen conueniens. Terrarum ac maris conſtitutus princeps, idemq́ue ſui ipſius compos, & ceterarum animãtium imperator, animo & corpore conſtãs, illo in imagine Dei ad æternitatem comparato, hoc natura ſua fragili & per vitæ ſpiraculum in nares immiſſum viuente, quod tamen verbo Dei, in quo vita*

*vita eſt, quamdiu fulciretur, & arboris vitæ ſubſidio perpetuam ducere poſſet vitam. Huius antea cibus fructus varij in terrarum orbe, & in ſingulari deliciarum orbe ſuffecti, conſuetudo cum Deo conditore & gubernatore, cuius gratia felicitas eſt: deinde cum cælestibus ſpiritibus in miniſterium creatis; exercitatio & occupatio ſuauiſſima, nempe amœniſſimi, ac Deo dicati ſibiq́ue in vſum crediti horti cultura ſine vllo labore aut ſumptu præſtanda: recreatio verò diuinarum humanarumq́ue rerum notitia, & inferiorum cunctorum poſſeſſio & præfectura. Quæ omnia & maxima & optima vnius præcepti obedientia & obſeruantia perpetuo conſtarent ex diuinæ voluntatis propoſito, ſapientiæq́ue ſummæ communicatione & gratia. Atque Adami illius,* qui fuit Dei, *hæc breuis delineatio eſt.* Lucæ 3.

*Hominem verò illum propter inobedientiam ex ſuo deturbatum ordine & gradu mors occupauit æterna, & quamquam corpore viuentem, animo tamen mortuum poſſedit, id eſt, à verbo Dei, in quo vita erat, abalienatum. Hanc mortem vitiorum omnium corruptio conſecuta eſt, perinde atque animalis mortui cadauer vermium impuriſſima & varia conſequitur immundicies. Principio enim obedientia à Dei verbo ad mulieris obſequium mutata, rebellionem ſuæ ipſius naturæ, inferioris, inquam, portionis aduerſus ſuperiorem, deinde ceterarum animantum omnium, quam ſortitus erat, mitem ſeruitutem, duram, laborioſam, ac multis partibus incertam & intractabilem ac refractariam, atq́ue adeò terram ipſam antea fœcundam & huberrimam, ſterilem ac negotioſam, nimioq́ue labore domandam reddidit.* Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: BAGHABVRECHA; In tranſgreſſione tua, tranſgreſſioneque tui ipſius. *Sic interpretari verbum* in opere tuo, *nos antiquæ linguæ vſus docuit:* In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. *Atque hoc diuinum oraculum ad deſcriptionem conditionis, in quam traductus homo fuerat, hoc eſt, ad mortis corpus indicandum, potiùs quàm ad nouum iudicium referimus. Neque enim mortuus homo mortem ſuam, quanquam expertus eſſet, tamen planè ac diſtinctè agnoſcere nouerat, niſi à medico vitæq́ue auctore doceretur. Nam quamquam primus ille Adamus, qui viuum ſe antea, qui nudum, nec tamen erubeſcentem fuiſſe meminerat, quantum ab illo primo fuiſſet mutatus, quodam modo ſentiebat; illius tamen poſteritas natura iræ filij, in peccato & morte nati, quantum, quatenus, & quibus morbis laborarent, non planè cognoſcere poterant, vtpote qui nullam veræ & priſtinæ ſanitatis ac vitæ experientiam vſuramq́ue præcepiſſent: vt qui cæcus natus eſt, cæcitatis miſeriam non adeò æſtimat, atque is, cuius integri antea cõſtiterant ſenſus: & qui à matris aluo valetudinarius naſcitur, multarum actionum, quæ ſanis integræ contingunt, quamquam læſus caret vſu, non tamen ita affligitur & mæret, atque is cui integra olim ſanitas liberam conſeruabat facultatem. Quis enim ſcaturientes & importunas frequenteſq́ue malorum cupiditates, quæ ex humani cordis fonte emanant, in omnemq́ue vitæ deriuantur partẽ, ex mortis corpore prodire intelligeret, niſi eius mali à ſummo fuiſſet certior factus medico. Quid ergo dicemus? Lex peccatũ eſt? Abſit. Sed peccatũ non cognoui, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam [peccatum eſſe] niſi lex diceret, Non concupiſces. Sentit quidem homo concupiſcentiam: neque enim non*

Gen. 3.

Rom. 7.

ſentire poteſt: atque ſenſum iſtum omnibus Adami filiis conſtiturum Deus indicauit; Spinas & tribulos germinabit tibi. *tibi ipſi, non aliis. Verùm enimuerò quamuis germinari illas ſibi nouerit; antiquæ tamen valetudinis indolentia ita turbatus euaſit homo, vt cùm riuulos malorum curandi cauſa variis cõſectaretur inuentis ac remediis, tamen fontem, vnde illa promanaret, vel non prorſus agnoſceret, vel nõ adeò impurum exiſtimaret, vt inde corruptelam omnem tanquam ex mortis initiis oriri arbitraretur: & niſi rurſus medentis voce fuiſſet inſtructus, aliis potius omnibus partibus, quàm iſti capiti remedium petẽdum & adhibendum putaret. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factũ eſt mors? Abſit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quòd lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Quod enim operor non intelligo. [hæc ſunt ſpinæ & tribuli] non enim quod volo, hoc ago: ſed quod odi, illud facio. Si autem quod volo, illud facio: conſentio legi quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,* [germinabit tibi *homini interiori*] *& capiiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Diximus aliàs, & nunc etiam repetimus, in vnius primi hominis perſona & actionibus ac paſſionibus totius humani generis hiſtoriam repræſentari: & quidquid Adamo dictum, factum, actúmve fuerit, idem hominibus cunctis pro loci, temporis, ac rerum exemplo cõſtare. Duo enim nobis propoſita Deus voluit eſſe exempla: alterum generationis ac ruinæ in Adamo ſtatutum, alterum regenerationis & ſalutis in Chriſto donatum. Prius autem nunc deſcribentes intuemur: illud verò poſterius ex parte cùm res poſtulauerit, indicare meminerimus. De quo grandis demum in poſterum reſeruatur ſermo.*

Rom. 7.

II. *Intereà verò veterem iſtum, quem deſcribendum ſuſcepimus, Adamum tribus nominibus expediemus, vno virtutum, quibus adhuc poſt publicam illam ruinam præditus manſit: altero vitiorum, quibus ſeſe reddiderat obnoxium auctumq́; prodidit: tertio verò ſtudij & negotij à Deo in ſuam ſalutem imperati.*

III. *Ac virtutes quidem hoc loco dicimus, vnicuique rerum naturæ à Deo conceſſas, inditas, & conſeruatas agendi vel patiendi facultates quæ exercitæ non nouam rebus laudem arrogant, ſed ab auctore conditoreq́; [illegible] ertur. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Nã quòd Sol lucem proferat, dieiq́; præſit; quòd Luna nocti, quòd flumina in mare decurrant, quòd mare nõ creſcat, quòd equus celeritate & vectione, quòd bos viribus ac tractione proſit, quòd bona arbos bono fructu agricolam iuuet; non ambitionis ac nouæ & affectatæ, ſed primæ ac propriæ, atque ex Conditoris iudicio profectæ laudis eſt, cui omnia tamquam auctori accepta referre oportuerit. Quamquam aliàs quæcumque eiuſmodi ſunt, vt qualia præſtare debuerint, præſtent, ad ea quæ à proprio munere degenerauerint, & à ſua cõditione deſciuerint comparata commendationem mereri exiſtimentur, & dignam referant: apud homines quidem bonitatis, apud Deum verò fidei etiam & electionis. quæ tamen omnia in auctoris bonorum omnium laudem & gloriam cedere debeant. Sicut ſcriptum eſt:*

Regi

*Regi autem ſeculorum inuiſibili & immortali ſoli Deo honor & gloria.*

*Atque eas naturas omnes, quæ munus & officium ſuum præſtant, interdum* electas, *nonnunquam* fideles *aliquando* ſeruos probos & bonos *diuina ſcripta vocant: quos tamen vllam ſibi laudem arrogare vetant. Sic Angelos electos in teſtimoniũ appellatos à Paulo audimus: ſic fideles ſeruos eos, quos nec ſegnes, nec otioſos Dominus probauit: ſic homines legis præceptis præſtandis operam nauantes, ſui officij profeſſores tantùm ſeſe fateri Chriſtus iubet. Cùm hæc omnia feceritis [quæ præcepta ſunt vobis] dicite, Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus. De iis ergo animi facultatibus, quæ poſt illam magnorum Dei donorum iacturam in primi peccati tempeſtate factam vel integræ relictæ, vel etiam quodammodo auctæ emerſere, deq́; aliis, quæ, quãquam debilitatæ, tamen ſtudio, cura, & conatu, atque in primis diuino præſidio & ſubſidio ac auxilio corrigi, & in maius promoueri potuerunt, nunc breuiter & ſtrictim per ſumma capita velitabimur, plura poſtea & exactiùs diſtinctiusq́; diſſerturi.* IIII. Lucæ 17.

*Prima omnium virtutum, quibus humana vita hæc, qualis poſt illam cladem agenda conſtitit, inſtruitur, atque ad promiſſæ ſalutis petendum portum dirigitur,* Fides *eſt. (De qua ſalute nunc non agimus, aliàs oportunè tractanda, ſed de homine tantùm ſalutis indigente & expetente.) Eſt autem fides, vt quidem animi facultas dicitur, vis diuinis effatis accipiendis & credendis idonea, ad ídque agendum, ſuasq́; expediendas parteis à Deo tum conceſſa, tum etiam adiuta. Quam homini ineſſe petitis ex naturæ vſu argumẽtis, atque etiam ex ſacra veritate confirmatis ita docebimus. Nemo hominum, qui ſenſus ac mentis fuerint compotes, ſibi vim vſumq́; eſſe inficiatur fidem habendi ei, quem grauem, veracem, atque à falſo mendacioq́; abhorrentem eſſe nouerit. Id quod non ſolùm in priuatis & ſingularibus, verùm in publicis etiam actionibus & iudiciis valet. S. S. E. Teſtis fidelis non mentietur. id eſt, Qui mentiri non ſolet, teſtimonij meretur fidem. Atqui Deum natura veraciſſimum eſſe res ratioq́; euincit: non enim tantùm à luce ſolis tenebræ, quàm à dignitate ſimplicitateq́; Dei falſum ac mendacium diſcrepat. S. S. E. Impoſſibile eſt mentiri Deum. Quare quam naturam graui viro dicenti ac teſtato fidem habere par eſt, eandem diuinis effatis credere poſſe, atque oportere quis neget? Dices, maiora & altiora ſunt ea, quæ Deus effatur, quam quæ quiſpiam hominum vel ſapientiſſimus proferre ac dicere poſſit: ideoq́; humanis humana fides par eſſe poteſt, diuinis verò longè ſe gerit minorem credendis. Atqui ita primò occurram, vndénam? ex ſacris diſciplinis petitum iſtud obiicis? quis nam te Vatum docuit, maxima quæque & quæ etiam fieri non poſſe aliàs ex natura putentur, ſi à Deo dicantur, humanum animum fide accipere & obſeruare non poſſe? dum modo à Deo dicta conſtent: apud quem nullum verbum eſſe impoſſibile, humanus intelligit animus. Deinde verò, non omnia quæ hominibus à Deo enuntiantur, aut promittuntur, eiuſmodi ſunt, vt humanæ fidem excedant naturæ; quæ verò exceſſerint, eadem vt nec fruſtrà dicta excipiantur oportunis fidei adminiculis adiutoriisq́; muniri, & inſinuanda comparare eiuſdem benignitatis fuerit, cuius eſt ſapientiæ & voluntatis dicere. neque vllus de hac re dubitationi locus illud recolenti relinquitur, In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet: erat lux vera, quæ illuminat* OMNEM HOMINEM *venientem in hunc mundum. Iam verò fidei maior vis, capaciorq́; longè ſinus, quàm intellectionis eſt. Ianua quidem anguſta* V. Heb. 6. Ioan. 1.

*&*

*& ſimplex, vnica, & multa aſsiduaq́; cautione cuſtodita eſt; receſſus verò capaciſsimus latiſsimeq́; extenſus. Magno enim ſtudio obſeruandum cauendumq́; eſt, ne quid fidei ianuam, hoc eſt, auditum illum ſacrum ſubeat, quod à diuini ſpiritus eloquio non ſit profectum. cùm verò profectum conſtet, quidquid id fuerit, quamuis maximum, tamen excipi, foueri & conſeruari à fide poteſt, quam gratia, vti diximus, nulli mortalium, qui accipere amet, negata iuuabit. Fides, ait Apoſtolus, per auditum: auditus per verbum Dei. Nam quæ leuiter ac temerè omnia, quæ pro diuinis obiiciuntur, cùm diuina non ſint, admittit: credulitatis potius quàm fidei meretur nomen, neque huius, quam Deus frequentat & fouet, regionis; ſed alterius, hoc eſt, opinionum incola eſt: cuius cordatis hominibus vitandi cautio eſt.* Ephes. 4. *Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Fidem ergo, quam à Deo iuuari ac probari dicimus, ſine cuius munere & officio impoſsibile eſt Deo placere, non ſolùm hominis animo relictã, ſed etiam quodammodo firmatam accepimus. Nam cuius rei copiam & facultatem etiam cum experimento habemus, apertius profectò teſtimonium obtinemus, quàm eiuſdem, quamuis cognitæ, non tamen periculi examine comprobatæ. Antequam homo ad boni ac mali cognitionem ſua ſponte traductus eſſet, illius effati & prædictionis,* In quacunque die comederis ex eo, morte morieris, *notitiam quidem habuit, & fidem concipere debuit: verùm propter inexperientiam tamen arbitrari potuit, vel Dei comminationes non ex præſcripto ſemper euenire, vel aliò per interpretationem referri poſſe, quàm quò ſimpliciter explicatas tendere formido eſſet. Verùm enimuerò vbi ſeſe eadem, qua iuſſum tranſgreſſus eſt, die, eadémque hora comminationis euentu captum ſenſit, nudumq́; ſtatim agnouit, Dei immutabilem in prædictionibus pro legis vſu vel abuſu veritatem non ſolùm ex naturæ diuinæ cõtemplatione cognouit, ſed ex manifeſta experientia agnouit; idq́; proprium ac perpetuum numini, cui nulla viciſsitudo, nulla varietas ineſt, apud ſe firmauit. Quare nulla ad credendum deinde cunctatione detentus eſt, modò diuina auctoritas effatis quamuis maximis & intellectu difficillimis accederet. Neque verò, vti modo diſtinguebamus, eadem aut per humanæ intellectionis, & fidei circa diuina promiſſa ratio & æſtimatio eſt. Namque vt homo ea, quæ ſibi ſunt à Deo promiſſa, donec obtẽta fuerint, intelligat, fieri nequit: vt eadem verò ſibi prædicta & nunciata comparata, ac demùm legitimè ſatagenti donanda credat, adeò poſsibile eſt, vt, niſi crediderit, impoſsibile ſit, vel accipere vel intelligere.* 1 Cor. 2. *S.S.E. Quod oculus non vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.* Eſaiæ 7. *&, Si non credideritis, non permanebitis. Ideo enim homo in prima illa electione non permanſit, quia, qua parte fœmina erat, Serpẽtis potius interpretationi, quàm diuino prædicto fidem habuit. Adde quòd nulla in homine etiam lapſo pugnantia aduerſus fidem hæſiſſe deprehenditur, præter dubitationem de eorum auctoritate, quibus credẽdum ſit. hæc enim vbi conſtiterit, omnis controuerſia tollitur. Nam quæ de credendi argumenti magnitudine difficultas obiicitur, ea, vti iam diximus, & diuini auxilij præſtantia tollitur, & maximo fidei robore ſuſtinetur & vincitur. vſque adeò, vt vel Angeli ſecum luctantis & contendentis diuturnam pugnam humanæ vires adiutæ à Deo fide inſtructæ, intrepidè excipiant, & ad victoriam vſque perferant.*

*Timorem*

*Timorem quoque Dei hominum generi inſediſſe apertis & frequentibus teſtimoniis exemplisq́ cognouimus. Appellamus verò timorem, animi reuerentiam erga Conditorem, gubernatorem ac tutorem ſuum, qualem filiis aduerſus parentes natura indidit. Tanto verò puriorem, efficaciorē & ingenuum magis, quāto & is qui timetur Deus auctoritate ac dignitate & beneficientia humanos parentes excellit. Hunc verò timorem in virtutis genere & laude ponēdum, ſacra doctrina commendat, cui amorem coniunctum ſemper facit, ex bonitatis diuinæ cognitione natum, & beneficentiæ notitia educatum & amplificatum. Atque timor hic, quem laudamus, ne quid contra diuinam voluntatem admittatur vereri & cauere natus eſt. Amor verò, ne quid, quod velit Deus, prætermittatur, vel negligenter ſuſcipiatur, ſatagit. Eſt & alia in homine deprehenſa vis ab hoc timore longè diuerſa, cuius tamen eadem videtur actio & exercitatio: & quidem, quod ad rem attinet, eadem quidem exiſtimatur, verùm ex cauſa longè diſiungitur. Namque ille prior, quem timorem dicimus, in ſuperiore animi parte, iste alter, quem horrorem melius aut formidinem dixerimus, in inferiore, hoc eſt, in animali ac ſeruili parte domicilium ſedemq́ habet. Ille nihil mali propter reuerentiam & amorem admittit, idemq́ ob eaſdem cauſas bonorum ſuſcipit curam; iste nihil quod veram & legitimam boni rationem & laudem mereatur, agit: malum tamen pœnarum & periculi metu in moribus omittere potius quàm vitare notatur: quamquam aliàs & hic publicæ rei atque exempli communis cauſa in hominum conſuetudine neceſſarius expediensq́ iudicetur.* VI.

Fidem, timorem & amorem, *quas virtutes in homine relictas accipimus, oportuna ſemper comitatur* Spes, *quam etiam* Conſtantia *conſequitur, laboribus perferendis, & ſtudiis ſuſcipiendis, atque curis ſuſtinendis, actionibusq́ promouendis idonea. Quas omneis ſiue facultates & virtutes, ſiue arteis appellare maluerimus, in primo homine, vt in communi exemplari, ſitas ſacra docet hiſtoria. atque fidem iam indicauimus: Timorem verò ſibi relictum, & homo confeſſus eſt ipſi, & Deus pro confeſſo & agnito admiſit.* Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eò quòd nudus eſſem. &, quis indicauit tibi quòd nudus eſſes? *Amorem autem diuinæ bonitatis cognitio primùm pepererat, & clementiæ atque expectationis patientiæq́ experimentum, & miſericordiæ notitia ac ſalutis promiſſæ certitudo aluit. his verò acceſſit ſpes, quæ ad impoſitæ correptionis & indictæ expectationis finem conſtantiam firmauit. Conſtantia verò ad exercendam in ſeruitutis muniis vitam vires excitauit. Iam verò primum virtutum harum argumentum & fundamentum, & quaſi materiam indicare, idq́ quàm breuiſſimè expedire, commodum fuerit; nobis poſthac de toto genere, déque vnaquaque generis forma plenius & exactius diſſerturis.* VII.

*Vt ad priorem humani generis electionem tutandam & firmandam, duo ſumma conditionum capita Deus conſtituerat, fidem videlicet & obſeruantiam: ita ad eam, quam denuò inſtituit de homine ſeruando & amplificando, eadem etiam capita fixa, immota, & rata eſſe voluit, fidem inquam & obeditionem. Fidei autem argumentum duplex obſeruatur: alterum Dei naturam; virtutem, & efficacitatem alterum ſpectat. S. S. E. Accedentem ad Deum credere oportet, quòd eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Obeditionis verò ſiue obſequij materies in duas etiam abit parteis; alteram malorum, quæ vitanda, alteram autem bonorum, quæ facienda imperantur. S. S. E. Declina à malo, & fac bonum: &* VIII. Hb. 6. Pſal. 36.

 inha-

» *inhabita in ſeculum ſeculi. Quia Dominus amat iudicium: & non derelinquet*
» *ſanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur. Vtriuſque capitis argumenta in ſententia aduerſus Serpentem pronunciata atque in dicta Adamo correptione ac lege conſtant.* Inimicitias ponam inter te & mulierem: & ſemen tuum, & ſemen illius, & ipſum conteret caput tuum. *Namq; hæc actio tum Deum verum præſentemq́, indicat; cuius illa vox eſt,* ponam, *tum eundem ſui propoſiti conſtanter tenacem, & ſalutis publicæ pontificem promiſſorémque exhibet.* Ipſum conteret caput tuum. *quam orationem vt Adamus auditam & fide accepit, & ſpe conſeruauit; ita ſui generis hominibus cunctis eandem & facultatem audiendi verbum Dei & credendi conſtare declarauit. nec verò minus vlli ex ſuis, quàm ſibi, integrum eſſe oſtendit diuinis monitis ac iuſsis parere: quorum ſumma ratio illo arcano in ſermone conuoluta & colligata exhibebatur,* In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *& hanc quidem rationem nos ex diuino beneficio in huius operis* Anima, *ad noſtram & condiſcipulorum eruditionem vtilitatemq́, explicuimus.*

IX. *Porrò ſpei atque conſtantiæ vim hominibus conſtare idem ipſe Deus ad legis huius, quam citauimus, calcem declarauit,* donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es. *Illud videlicet præter alia ſignificans, non æternos humano generi labores illos fore, ſed vnà cum animalis huius vitæ fine modum quoque habituros. quod quidem oraculum magni myſterij plenum fuerat.*

X. *Voluntatis verò ſiue electionis veritatem etiam poſt primam calamitatem hominum generi iure tributam, eadem, quæ iam citauimus oracula, adſtruunt: fruſtra quidem pronuntianda, niſi & credēdi & obaudiendi facultas eidem naturæ maneret, apud quam & cuius ergo pronunciabantur. Cui & illud adſtipulatur, quod paulo pòſt citatum eſt, conſiliū, iudicium, dictumq́, Dei.* Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malū: nunc ergo ne fortè mittat manum ſuā, & ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. *Namque ex facultate & vſu cognitionis boni & mali, hominem pro animali etiam parte corporis vitam ſibi propagare & conſeruare curaturum Deus ipſe prænoſcens cauit: quippe id Adamo vt Adamo bonum prorſus duceretur.*

XI. *Alias autem facultates homini vireſq́, relictas, verùm fractas valde vel nimium debilitatas obſeruauimus, eaſq́, tam in ſuperiore, quàm in inferiore portione conſtitutas. Nam præterquam quod illa intellectionis clara & perſpicua, ſimplexq́, facultas, quæ communia & ampliſsima quæque rerū omnium, quæ ſub cælo ſunt, & ipſa capiebat, & inferiori parti pro modo & vſu indicabat, obſcurata & imminuta adeò fuerit, vt nihil amplum & commune, niſi femineæ partis indiciis accipere amplius valuerit, & ex aperta & ſimplici comprehenſione ad collectionis neceſsitatem fuerit traducta, atque in vtroque genere multis opinionibus & erroribus obnoxia manſerit; quæ verò vltra cælum ſunt, & ad ſpiritus naturas referuntur, ignorando magis quàm cognoſcendo deinceps tractauerit. S. S. E.* Et audiuit vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo, ad auram poſt meridiem: & abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi: *præter hæc, inquam, omnia in interioris hominis virtute & facultate miſerabile nimium detrimentum humani generis natura tulit, quo ſeſe exteriori homini captiuum ſeruumq́, redditum ſenſit, atq; ad peccati legem ſubeundam vehementer addictū; cuius exercendæ legis ſocium*

antea

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

*antea ſuum, nunc verò æmulum auidiſsimum & ad improbitatem nimium vſque propenſum expertus eſt. S. S. E. Senſus enim & cogitatio humani cordis in* Gen. 8.
*malum prona ſunt ab adoleſcentia ſuą. &, Dominus de cælo proſpexit ſuper filios* Pſal. 13.
*hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerũt,* “
*ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* “ *Itaque in intellectionis facultate magnum accepium damnum, multi laboris & ſtudij neceßitatem relictam; in actionum verò & expeditionum præcipua virtute infirmitudinis nimium propter carnis onus hæſiſſe intelleximus; adeò vt, quæ ante benefacta omnia ſine pugna & pondere expediri potuerant, deinceps poſtea non ſine multo vultus ſudore agi & confici poſſe cognoſcantur: & quæ animus optima cenſet, & voluntas cara habet, ac dulcia alias exiſtimaret, vbi præſtanda aggreditur, grauia difficiliaq́ experiatur, eo quòd inferiori portioni minus placere minusq́ foueri accidat. ſolummodo verò hoc meliori portioni conſtet, quod bonum cognoſcat, quòd amet, quòd efficere conetur, idq́ ex relicta ſibi & conſeruata per Deum facultate agat, quòd verò exequatur & præſtet, propter circumſtans pondus, & carnis impedimentum, non conſtet. S. S. E. Spiritus quidem* Rom. 7.
*promptus eſt, caro autem infirma. &, Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod* “
*nolo malum, illud facio. &, Video aliam legem in membris meis repugnantem* “
*legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* “ *Ita vt quamquam non malè facere poßit inuitus, non tamen benè, rectè, pulchrè, & ſimpliciter ingenueq́, niſi cum labore poßit; & tamen ad eam rem eiuſdem auxilio indigeat, à quo præceptum illud accepit,* In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *Auxilio quidem nemini inuidendo, cui præcepti præſtandi verus & ſincerus conſtiterit animus. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, om-* Pſal. 144.
*nibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & depre-* “
*cationem eorum exaudiet, vt ſaluos faciat eos.* “ *Igitur quod in humanis actionibus apud hanc hominis conditionem ſtatui poteſt, illud in ſumma eſt, Cordis regnum à Serpente occupatum, variis mali nominis ſpiritibus, iiſdemq́ immundis diſtineri, hoc eſt, cogitationibus nequißimis & importunißimus; quibus peruincendis, niſi diuino præſidio inſtructus, par eſſe nequeat. Diuinum autem præſidium recto animi propoſito & precationibus aßiduis præſto fore; ad ſingula quidem actionum & æmulationum certamina inter eam partẽ, quæ ſpiritus, & eam quæ caro & ſanguis vocatur. Namque nomen hoc exteriori homini à conſtitutione mundi adhæſiſſe notatum eſt. Illam denique pugnam, illam ſudoris ciendi occaſionem homini, quamdiu hæc manſerit conditio, aßiduam & frequentem fore, ex illo præſcripto accepimus,* donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es. *Et quidem facultatem vincendi in ſingulis pugnis, eatenus conſeruatam intelligimus, quatenus ad externas actiones ſtudio ac labore coërcendas in malo; in bono verò ſtatuendas pro loco ac tempore oportunum fuerit: ad internas verò quod attinet, reprimendi quidem vim non eſſe abolitam, verùm extirpãdi penitus ac tollendi, priſtinumq́ reponendi ſtatum, rationem, debiti quidem eſſe humani, imperij verò, facultatis ac roboris non eſſe. ſolumq́ illi reſeruatum virtuti, de qua reſponſum illud extiterat,* Et ipſum conteret caput tuum. *Qua de re ſcriptum decantatumq́ illud conſtat, Delicta quis intelligit? ab occultis* Pſal. 18.
*meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint domi-* “
*nati, tunc immaculatus ero, & mundabor à delicto maximo.* “ *Itaque h*[illegible]

natura, vbi ab illa prima ſui electione degenerauit, multas quidem retinuit virtutes, hoc eſt, facultates: verùm eaſdem compluribus permixtas vitiis in quo infirmabatur per carnem. Cuius cordis ſenſus & cogitationes ab adoleſcentia ſua in malum prona eſſe Deus obteſtatus eſt. Huic verò ita iam habenti tria præcipuè tribuũtur, quæ Deus recta & ſibi in obſequium tradita poſtulet. Intellectionem, Voluntatem, & Conatum. Atque horum ſimplicem & rectum vſum, Deo auctori, pro conditionis huius modulo gratum eſſe, & ad promiſſæ ſalutis præpara-
2 Tim. 2. tionem probatum excipi. Si quis emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem
» ſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Iuuenilia deſi-
» deria fuge; ſectare vero iuſtitiam, fidem, caritatem, & pacem cum his qui inuo-
» cant Dominum de corde puro.

XII. Et quidem humani intellectus in hoc ſtatu imbecillitatem nihil ad ſalutem officere iis quibus fidei lumen affulſerit, verè edocti ſumus; imò fidem capacitate & efficacitate ad prudentiam, ad cognitionem, ad facultatum omnium exercitationem omnibus humanis ingeniis & cognitionibus ac diſciplinis antecellere & præſtare accepimus. Atque hoc loco fidem vocamus, Animi ad credendum facultatem diuini verbi vel inditi, vel pronunciati veritate inſtructam, & lu-
Heb. 11. mine illuſtratam, quam ſperandarum ſubſtantiam rerum, & non apparentium argumentum Apoſtolus definit. Hæc enim quæcumque vel prudentiſſimis & ſapientiſſimis hominum capi non poſſe videtur, aut ſtulta & impoſſibilia cumq; rerum natura pugnantia exiſtimantur, vna excipit & conſequitur, & cum fe-
Rom. 4. lici exitus vſu demum aſſequitur. S. S. E. Vt ſecundùm gratiam firma ſit pro-
» miſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ,
» qui pater eſt omnium noſtrûm. ſicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gen-
» tium poſui te ante Deum, cui credidiſti, qui viuificat mortuos: & vocat ea quæ
» non ſunt, tamquam ea quæ ſunt. Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pa-
» ter multarum gentium ſecundùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum ſicut
» ſtellæ cæli, & arena maris. Et non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus
» ſuum emortuum, cùm fere centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ.
» In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia: ſed confortatus eſt fide,
» dans gloriam Deo: pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt & fa-
» cere. Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Non eſt autem ſcriptum tãtùm pro-
» pter ipſum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam, ſed propter nos, quibus reputa-
» bitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum, &c. Neque verò intellectionis vim & vſum tantùm cumulatiſſimè fides præſtat, ſed & duas alias, quas in homine ſitas eſſe diximus, partes, voluntatem & conatum, promouet, & ad maxima quæque ac difficillima ſuperanda & obtinenda vel perferenda animat &
Mar. 9. confirmat. S. S. E. Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Deficiet me
Heb. 11. tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, David, Samuel & Pro-
» phetis: qui per fidem vicerunt regna [hoſtilia] operati ſunt iuſtitiam, [legiti-
» mam] adepti ſunt repromiſſiones [terrenas] obturauerunt ora leonum, extinxe-
» runt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate,
» fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de
» reſurrectione mortuos ſuos. alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptio-
» nem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem, &c.

XIII. Atque de vnoquoque virtutum vitiorumq; genere ſuus ad diſſerendum ſingularis

*gularis & oportunus nobis dabitur locus. Nunc verò quanta qualisq́; in hominum natura deprehendatur ex vtriuſque partis exemplis varietas, quanta opinionum, ſtudiorum & actionum inconſtantia ad noſtram ipſorum eruditionem, prudentiam, & correctionem per ſumma capita adnotare, nō parum retulerit. Illud autem commodè cumprimis præmonendum videtur, quidquid ad commendationem in hominis hiſtoria facere cenſeatur, id ex interiori ac maſcula proficiſci portione, cui rectè agenti diuina ſemper prouidentia fauet. Contrà verò, quidquid falſum, turpe, fœdum aut prauum notabitur, ab illa exterioris portionis in vitium propenſæ peruerſitate, atque adeò à ſeductore, & mendacij malorumq́; doctore promanare. S.S.E. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris* Ioan. 8.
*veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia* "
*non eſt veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia men-* "
*dax eſt, & pater eius.* "

## ANIMALIS HOMINIS PER SINGVLAS parteis deſcriptio.

### CAPVT. VII.

ANIMALEM *hominem eum noſter Auctor vocat, qui tantùm eam conditionem tuetur, quam ab Adamo poſt naturæ calamitatem accepit. S. S. E.* Concordat cum animæ lib. 1. c. 15.
*Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem &* I.
*ſimilitudinem ſuam: vocauitque nomen eius Seth. Quiſquis itaque hanc refert* Gen. 5.
*imaginem homo, Adami filius, idem animalis ſiue terrenus à Spiritu ſancto cognominatur. S. S. E. Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, no-* 1 Cor. 15.
*uiſsimus Adam in ſpiritum viuificantem. Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed* "
*quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus* "
*homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni. &, Animalis homo non* Ibid. 2.
*percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere:* "
*quia ſpiritualiter examinatur. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpi-* Iudæ.
*ritum non habentes.*

*Qualis verò quantusq́; à Deo conditus homo hic, de quo agimus, & quónam* II.
*pacto à conditionis propriæ dignitate abdicatus, præterquam quod iam fusè dictum, Sapientia commemorat. Quoniam Deus creauit hominem inextermina-* Sap. 2.
*bilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, inuidia autem diaboli mors* "
*introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. So-* Eccl. 7.
*lummodo hoc inueni quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis mi-* Act. 17.
*ſcuerit quæſtionibus. Fecit [Deus] ex vno omne genus hominum inhabitare ſu-* "
*per vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora & terminos habitatio-* "
*nis eorum, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum aut inueniant, quamuis non* "
*longè ſit ab vnoquoque noſtrûm. In ipſo enim viuimus, & mouemur & ſumus.* "
*Hunc vt ſublime opus ſuum à Deo foueri & curari canens, gratulatur Vates:* "
*Homines & iumenta ſaluabis Domine: quemadmodum multiplicaſti miſericor-* Pſal. 35.
*diam tuam Deus. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt:* "
*inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* "
*Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quoniam reputas* Pſal. 143.

 eum?

Iob 35. eum? Et non dixit, Vbi eſt Deus qui fecit me, & qui dedit carmina in nocte? Mat. 6. Qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cæli erudiuit nos? Reſpi- » cite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in hor- Ibid. 12. rea: & Pater cæleſtis paſcit illa. Nónne vos magis pluris eſtis illis. &, Quanto » magis melior eſt homo oue [animante mitiſſima & vtiliſſima.] Cuius hominis vltra ceteras animantes præſtantia etiam in præſenti conditione palam cogno- Iacobi 3. ſcitur. Omnis enim natura beſtiarum & volucrum & ſerpentum, & ceterorum » domantur, & domita ſunt à natura humana.

III. Homini cognitionis facultatem datam; hac multa & abſtruſa in terris reper- Iob 28. ta eſſe, præter ſapientiam veram, quæ humanam indagationem fugit. Habet ar- » gentum venarum ſuarum principia: & auro locus eſt in quo conflatur. Ferrum » de terra tollitur: & lapis ſolutus calore in æs vertitur. Tempus poſuit tenebris, » & vniuerſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, & vmbram » mortis. Diuidit torrens à populo peregrinante, eos quos oblitus eſt pes gentis ho- » minis & inuios. Terra de qua oriebatur panis in loco ſuo, igne ſubuerſa eſt. » Locus ſapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum. Semitam ignorauit auis, nec » intuitus eſt eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij inſtitorum, nec per- » tranſiuit per eam leæna. Ad ſilicem extendit manum ſuam, ſubuertit à radici- » bus montes. In petris riuos excidit, & omne pretioſum vidit oculus eius. Pro- » funda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit. » Sapientia verò vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pre- » tium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium.

Nam poſtquam illam ſapientiæ partem, qua præditus erat homo, boni ac mali Eccl. 3. ſcientia commutauit, Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, » & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis: ideo vnus interitus eſt hominis & iumentorum, » & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Simili- » ter ſpirant omnia, nihil habet homo iumento amplius. cuncta ſubiacet vanitati.

IIII. Verùm enimuerò homo in terris non nullius rei cauſa à Deo poſitus eſt; ſed, Act. 17. vt ſuperiùs ex Apoſtolo referebamus, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, & inueniant. Hic & cognitione quærendus & ritè colendus: Namque hoc ho- Eccli. 27. minis opus vt arborum fructus eſt. Si non in timore Domini tenueris te inſtan- » ter, citò ſubuertetur domus tua. Sicut in percuſſura cribri remanebit puluis: ſic » aporia hominis in cognitu illius. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos » tentatio tribulationum. Sicut ruſticatio de ligno oſtendit fructum illius, ſic ver- Mat. 7. bum ex cogitatu cordis hominis. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid » colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos » facit, mala autem arbor malos fructus facit.

V. Ac præter ingenium, quale homini tribuimus, iudicium quoque ſacra arro- 1. Reg. 16. gat diſciplina: nonnumquam tamen difficile ac deceptioni obnoxium. Et dixit » Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum eius, nec altitudinem ſtaturæ eius, » quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt » ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.

VI. Et quidem vt intellectione nec præſtante, nec integra ſicut antea, homo pol- let, maximè verò is ita habet qui diuina nō fuerit imbutus diſciplina: ita etiam neque altera animi portione, quæ ad vitæ artem capiendam & exercendam præ- ſtandamq́ à Conditore conſtituta fuerat, nihil ita eximium habet & probat, vt plenam

*plenam præſtiti officij & peracti muneris mereatur commẽdationem, non ſolùm ad Dei puriſsimum iudicium, ſed ad Angelorum etiam comparationem examinatum. Et dixi: Væ mihi quia tacui: quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Domini exercituum vidi oculis meis. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Et vos, cùm eſſetis mortui in delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecũdùm ſeculum mundi huius, ſecundùm principem poteſtatis aëris huius: ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & ceteri.* Iſaiæ 6. Pſal. 13. Epheſ. 2.

*Quæ in vtriuſque humani animi portionis commendatione digna vidẽtur, oſtendimus: eaq; multis exceptionibus notata vidimus: atque in ſumma retulimus. Iam hominem ex eadem, quam ſequimur, diſciplina diſtinguimus, tribus nominibus ea cauſa appellatum* ADAM, ENOS, IS. *Primum nomen toti impoſitum generi ea ratione, qua animo & corpore primum refert parentem: nec quicquam maius quàm homo præſtat; qualis, inquam, ex terra conditus primus ille parens poſt publicam ruinam relictus eſt, nomen tantum ſuum tutatus. Tales vulgò homines plerique ſeſe exhibẽt.* ENOS *verò ex infirmitudine nomen contraxit, & genus hoc qua miſeriis, curis, laboribus calamitatibusq; expoſitum, qua denique mortale eſt, ſignificat. Quo nomine quamquam vtraque hominis pars, terrena inquam & ſpiritualis, communicat, ius tamen præcipuum corporis natura vendicat: cuius cauſa animo non exiguus aut rarus accedit ærumnæ & miſeriæ labor. In ſacra lingua ille nominari ſolet* IS, *qui vel virtute, vel ſcientia, vel prudentia, vel etiam auctoritate aliqua, ac præcipuè qui potentia, vel ceteris cunctis, vel multis præſtat. Primæ notæ quamplurima exempla ſunt, vt, Adam, cùm in honore eſſet, non intellexit: & comparatus eſt iumentis inſipientibus; & ſimilis factus eſt illis. Quid eſt filius hominis, quoniam viſitas eum? Palpebræ eius interrogant filios hominum. Salua Domine, quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. & omnis quæ ab Eccleſiaſte ſuſcepta & abſoluta eſt de vanitate deq; nihilo diſputatio, hoc nomen & hanc nominis rationem ac ſignificationem ſpectat. Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole? Omnes viæ hominis patent oculis eius: ſpirituum ponderator eſt Dominus.* VII. אדם אנוש איש Pſal. 48. Ibid. 8. Ibid. 10. & 11. Eccleſ. 1. Prou. 16.

*Ad ſecundam ſignificationem plura etiam referuntur. ex quorum numero illa ſunt. Quid eſt* ENOS, *quoniam memor es eius. Exurge Domine, non confortetur* ENOS [*homo*] *iudicentur gentes in conſpectu tuo. Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: Sciant gentes quoniam* ENOS [*homines*] *ſunt. &, Impoſuiſti* ENOS [*homines*] *ſuper capita noſtra. Ecce luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quanto magis* ENOS [*homo*] *putredo, & filius* ADAM *vermis?* VIII. Pſal. 8 & 9. Pſal. 65. Iob 25.

*Tertiæ ſignificationis, qua ſingularis & egregia aliqua ſapientiæ, virtutis, probitatis, aut etiam publici muneris, poteſtatis & auctoritatis prærogatiua quiſpiam hominum eminere adnotatur, frequens exemplorum copia eſt. ex quibus illa: Filij* IS [*hominum*] *vſquequo graui corde? &, Quíque terrigenæ, & filij* IS [*hominis.*] *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, rectus,* IX. Pſal. 2. & 48 Iob 1.

*&*

Iſaiæ 2. *& timens Deum. &, Quis eſt vir vt eſt Iob? Incuruatus eſt homo, & humiliatus eſt vir. Et cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non* ADAM
Ibid. 31. 
» *[hominis] deuorabit eum.*

X. *Quorum nominum conſtantem notitiam ad certam rerum, de quibus in ſacris libris agitur, æſtimationem & rationem cognoſcendam valde conducere arbitramur. Nec verò obiter non indicandum, in bellicis narrationibus, & in legitimis partitionibus nomen* ADAM *rarò admodum,* IS *autem frequentiſſimè vſurpari. In illis propter fortitudinis opinionem; in his verò propter ſingularitatem argumenti & generis etiam ſexum. quamquam ſecunda hæc exempla in*
Num 1. *Latinum nomen* homo *interpres noſter vertat. Tollite ſummam vniuerſæ con-*
» *gregationis filiorum Iſrael per cognationes & domos ſuas, nomina ſingulorum,*
» *quidquid ſexus eſt maſculini à vigeſimo anno & ſuprà, omnium virorum for-*
» *tium ex Iſrael. Hoc perpetuò in hoc argumento appellatur nomen. in legitimis*
Leu. 1. *verò etiam frequens. Homo qui obtulerit hoſtiam Domino de pecoribus. Non rarò etiam alteri ex coniugibus, id eſt, mari,* IS *nomen datur. pro quo Latinus interpres reddit* VIR.

XI. *Sunt & aliæ inter homines diſtinctionum obſeruationes ætatis, ſexus, & conditionis ſiue ordinis: quas omnes ad vnum laudis diuinæ ſtudium appellauit*
Pſal. 148. *Pſaltes, Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ. [verùm*
» *partitio hæc non à natura, ſed ab inſtituto nata, illam alteram natura diſtinxit]*
» *Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini.*

*Et quidem vt corpore & animo conſtat homo, ita vtriuſque partis quæ vires, quæ imbecillitas dicendum. Humanũ corpus, vt animo ſibiq; inſeruiat, vtq; rebus iis vtatur, quæ ad vtriuſque partis vſuram conceſſæ fuere, ſenſibus mem-*
Pſal. 144. *briſq; oportunis à Conditore ſtructum accepimus: Venite adoremus, & procida-*
Ibid. 143. *mus, & ploremus ante Deum, qui fecit nos. Qui plantauit aurem, non audiet?*
Ibid. 118. *qui finxit oculum, non conſiderat? Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt*
Iob 10. *me. Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.*
» *Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus ve-*
» *ſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi:*
Pſal. 138. *& viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Non eſt occultatum os meum à te,*
» *quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum*
» *meum viderunt oculi tui.*

XII. *Poſtquam autem prima illa inobedientiæ euerſio compoſitam concinnámque animi & corporis concordiam turbauit, diutino iudicio decretum eſt, vt corporis partes membraq; omnia ad ſuæ naturæ elementa & ingenium redirent: atq; ita multis & continuis mutationibus detrita, vel ſubita vi frangerentur, vel temporis atq; ætatis manifeſtis calamitatibus & ærumnis debilitata & effæta, conſumptaq; demùm interirent: quem interitum mortis etiam nomine vſus appellauit, id eſt, vitæ huius terrenæ diſſolutionem, tranſlato verbo ab illius primæ & grauiſſimæ mortis, qua animus à vita vera remotus, atque à ſua dignitate deturbatus perierat. Ac de vtriuſque mortis natura nonnihil poſtea dicendum nobis fuerit: nunc verò pro loci anguſtia ſatis erit oſtendiſſe, hanc corporis mortem priori illi animi morti ex diuino decreto, & admirando conſilio fuiſſe additam. Cuius decreti rationem in huius operis Anima indicabamus, formulam autem*
Gen. 3. *nunc repetimus.* Nam puluis es, & in puluerem reuerteris. *Iam verò qui*

*iſtud*

*iſtud euenire neceſſe ſit, ex ipſius naturæ & partium contemplatione declarabi-*
*tur. Luti, pulueris, ac terræ nomina nihil ſua ſponte niſi friuolum fragileq́ ſigni-*
*ficant, aut promittunt; nedum ex huiuſmodi natura conflata caro & ſanguis, cui*
*Adami ſiue hominis nomen eſt inditum. Sic argumentatus Iſaias, Et Aegyptius* Iſaiæ 31.
ADAM VELO EL [*homo & non Deus fortis*] *Quieſcite ergo ab homine, cuius* Ibidem. 2.
*ſpiritus in naribus eius. Non in fortitudine ſua roborabitur vir. Quare ſingu-* 1 Reg. 2.
*lari hominis naturæ nihil niſi imbecillitatem ſacra diſciplina adſcribit. Si ſeptem* Iudic. 16.
*neruiceis funibus, necdum ſiccis & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus* "
*ero vt ceteri homines. Recordatus eſt quia caro ſunt, ſpiritus vadens & non* Pſal. 77.
*rediens. Memorare quæ mea ſubſtantia: Numquid vanè conſtituiſti omnes fi-* Ibidem. 88.
*lios hominum? Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem: eruet animam* "
*ſuam de manu inferi? Nec verò ſatis exceptionis habet mortale eſſe corpus hu-* "
*manum, niſi hunc exitum labores, morbi, debilitationes, & ſenectutis incommo-*
*da præirent. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis mi-* Iob 14.
*ſeriis: qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra: & nūquam* "
*in eodem ſtatu permanet. quin imò conuerſioni ac detrimento addictus, ne auer-* "
*tas hominem in humilitatem. Et dixiſti, conuertimini filij hominum. Mane* Pſal. 89.
*ſicut herba trāſeat; mane floreat & tranſeat; veſpere decidat, induret, & areſcat.* "
*Id autem ex numinis per peccatum offenſione accidiſſe ſic declaratum, Quia de-* Pſal. 102.
*fecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus. Recordatus es, quoniā puluis* "
*ſumus, homo ſicut fœnum dies eius: tanquam flos agri ſic efflorebit, quoniam ſpi-* "
*ritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.* "
*Homo vanitati ſimilis factus eſt dies eius ſicut vmbra prætereūt. Verumtamen* Ibid. 143. &
*vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Verumtamen in imagine pertranſibit ho-* 38.
*mo, ſed & fruſtra cōturbabitur. In hanc conditionem relicti, Hi qui habitant do-* Iob 4.
*mos luteas, qui terrenum habent fundamētum, conſumentur velut à tinea. Ho-* Ibid. 5. &
*mo natus ad laborem, & auis ad volatum. Qui timent pruinam, irruet ſuper eos* 6.
*nix: tempore quo fuerint diſſipati, peribunt: & vt incaluerint ſoluentur de lo-* "
*co ſuo. Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum: ambulabunt in vacuum, &* "
*peribunt.*

*Cùm omnes ex iiſdem elementis conſtent, eodem principio ac fine communi-* XIII.
*caturi. Ecce & me ſicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus* Iob 33.
*ſum. Luto quidem non firmo, non ſenſus experte, verùm doloribus & ærum-* "
*nis peruio. Attamen caro eius, dum viuet, dolebit; & anima illius ſuper ſe-* Ibid. 14.
*metipſo lugebit.*

*Ac præterquam quòd mortalis eſt homo, incertus tamen vitæ ſpatij ſemper* XIIII.
*agit. quod nec lōgum eſt, nec certis ad quietem & laborum intermiſſionem tem-*
*peratum diebus. De manè vſque ad veſperam ſuccidētur: & quia nullus intelli-* Iob 4. &
*git, in æternum peribūt. Breues dies hominis ſunt, & numerus mēſium eius apud* 14.
*te eſt. Conſtituiſti terminos eius, qui præterire nō poterunt. Recede paululum ab* "
*eo vt quieſcat, donec aptata veniat, ſicut mercenarij dies eius. Anni noſtri ſicut* Pſal 85.
*aranea meditabūtur: dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni ſi autem in po-* "
*tentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Dies mei ſicut vm-* Ibid. 101.
*bra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui. Omnes morimur, & quaſi aquæ de-* 2 Reg 14.
*labimur in terram, quæ non reuertuntur. Locutus ſum in lingua mea, Notum* Pſal. 38.
*fac mihi Domine finem meum, & numerum annorum, quis eſt, vt ſciam quid* "

deſit mihi. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos: & ſubſtantia mea tamquam
nihilum ante te. Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Verumta-
Eccleſ. 3. men in imagine pertranſibit homo, ſed & fruſtra conturbabitur. Vnus interitus
eſt hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic
& illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumēto amplius.
Cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta
Eccli. 10. ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Omnis potentatus breuis vita. Languor
prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus: ſic & rex ho-
die eſt, & cras morietur. Cùm enim morietur homo, hereditabit ſerpentes &
beſtias, & vermes.

XV. Et quidem de animi & corporis humani tum viribus, tum vitiis, deq́ huius
breui interitu iam diximus; proximum eſt, de anguſtæ & fluxæ vitæ exercita-
tione quædam dicere: cuius argumenti cauſa alia diſtinctione eſt opus, qua ho-
minum genus in ſapientiæ eius, quæ contingere poteſt, ſtudioſos, & in vulgaria
atque communis ſenſus ferè carentia capita diſiungimus. Illos verò nobiles, hos
quacumque ex gente, quacumque ex familia notatos, viles & ignobiles diuina
cenſura autumat. S. S. E. Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad regnum perpe-
tuum. Si ergo delectamini ſedibus & ſceptris, ô reges populi, diligite ſapientiam,
vt in perpetuum regnetis. Diligite lumen ſapientiæ omnes qui præeſtis populis.
Eccli. 10. Multitudo autem ſapientum ſanitas eſt orbis terrarum, & rex ſapiens ſtabili-
mentum populi eſt. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo. Quoniam ab eo
qui fecit illum, receſſit cor eius. Quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia; qui
tenuerit illam, adimplebitur maledictis: & ſubuertet eum in finem. Propterea
exhonorauit Dominus conuentus malorum, & extruxit eos vſque in finem. Se-
des ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gen-
Eccleſ. 1. tium ſuperbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus. Vidi
cuncta quæ ſub cælo fiunt: & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus. Peruerſi
Eccli. 33. difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Homo ſenſatus credit
legi Dei, & lex illi fidelis. Qui interrogationem manifeſtat, parabit verbum, &
ſic deprecatus audietur, & conſeruabit diſciplinam, & tunc reſpondebit. Præcor-
dia fatui quaſi rota carri: & quaſi axis verſatilis cogitatus illius. Quare dies
diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à ſole. A Domini ſcientia
ſeparati ſunt, facto ſole, & præceptum cuſtodiente. Et immutauit tempora, &
dies feſtos ipſorum, & in illis dies feſtos celebrauerunt ad horam. Ex ipſis exal-
tauit & magnificauit Deus, & ex ipſis poſuit in numerum dierum. Et omnes ho-
mines de ſolo, & de terra, vnde creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ
Domini ſeparauit eos, & immutauit vias eorum.

XVI. Igitur humanam conſuetudinem & vitam in tria capita diuidimus, ex tri-
bus petita, vt ita dicamus, argumentis: ad quæ omnis hominum actio referenda
eſt. Vel enim homini cum Deo & erga Deum incidit negotium, vel cum homine,
vel cum aliis rerum generibus homine minoribus. Vnicuique verò actionum ge-
neri vel boni vel mali nomen adhærere poteſt. Hoc enim homo ipſe, plus quàm
par fuerat, quærendo reperit: vt qui benè tātùm nouerat & egerat, male quoque
Eccli. 33. noſſe & agere vltrò didicerit. Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita:
ſic & contra virum iuſtum peccator. Huc etiam IESV præceptoris parabola de
zizaniis ſpectat. Recta & bona erga Deum conſuetudo pietas dicitur: hæc verò
timore

*timore & cultu præſtatur:* Timorem *vocamus, Veri Dei cogniti reuerentiam*
*tanta maieſtate dignam, à qua* amor *non ſeparatur. Timor Domini eſt ſcien-* Eccli.1.
*tiæ religioſitas. Religioſitas cuſtodiet & iuſtificabit cor, iucunditatem atq; gau-* “
*dium dabit. Timenti Dominum benè erit, & in diebus conſummationis illius* “
*benedicetur.* Cultus *abſolutus, ingenuus & purus animo primum & potiſſi-*
*mum exhibetur. Deus ſpiritus eſt, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate* Ioan.4.
*oportet adorare. Hanc adorationem certa pro tempore exterior profeſſio comitari*
*ſolet. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Ex hoc fonte* Pſal.49.
*ritus, hoſtiæ, & ſacra omnia legitima. Sacrificium laudis honorabit me, & or-*
*dinans iter oſtendam illi ſalutare meum. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus:* Ibid.50.
*cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* “

*Huic affectioni adnexam obſeruamus fidem de ſalute animorum, (ſine qua* XVII.
placere Deo impoſſibile) *de rerum humanarum cura & prouidentia: quam*
*vel muta animalia, vel reliquæ naturæ rerum ſpecies docent. Domini eſt terra &* Pſal.22.
*plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper* “
*maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum. Conſiderate lilia agri,* Matth.6.
*quomodo creſcunt: non laborant, nec nent: Dico autem vobis quoniam nec Salo-* “
*mon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum quod* “
*hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quãto magis vos modicæ* “
*fidei? Rectè illud fidei viuæ viuum exemplar, Leuo manum meam ad Dominum* Gen.14.
*Deum excelſum, poſſeſſorem cæli & terræ, quòd à filo ſubtegminis vſque ad cor-* “
*rigiã caligæ, nõ accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas, Ego ditaui Abram.* “
*Ita pius homo quidquid veri boni, quidquid humani commodi, quocumque modo*
*purè & caſtè citraq; malum dolum nactus fuerit, Deo vnico bonorum auctori,*
*acceptum refert. Dixitq; Iaghacob, Deus patris mei Abraham, & Deus patris* Ibid.32.
*mei Iſaac, Domine, qui dixiſti mihi, Reuertere in terram tuam, & in locum na-* “
*tiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & ve-* “
*ritate tua, quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, &* “
*nunc cum duabus turmis regredior.*

*Pietati humanæ* Impietas *opponitur: quæ vel Deum non cognoſcit (quod* XVIII.
*rariſſimi exempli eſt:) vel nõ vt oportet cognoſcit: vel quamuis cognitum nõ pu-*
*rè timet, nec ritè colit. Reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & in-* Rom.1.
*iuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia quod* “
*notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia* “
*enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, cõſpiciuntur: ſem-* “
*piterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles. quia cùm cog-* “
*nouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed eua-* “
*nuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. dicentes* “
*enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis* “
*Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum,* “
*& ſerpentium.*

*Tria verò deſerendæ pietatis incitamenta illa mali ac boni cognitio homini* XIX.
*creauit: propriæ gloriæ cupiditatem, auaritiam, & libidinem. Venite, faciamus* Gen.10.
*nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum; & celebremus no-* “
*men noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras. Erue me de manu filio-* Pſal.143.
*rum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem: dextera eorum, dextera ini-* “

» quitatis. Quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum
» compoſitæ: circumornatæ vt ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena: eru-
» ctantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſsibus ſuis: boues
» eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eo-
» rum. Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt: Beatus populus, cuius Dominus
Pſal. 13. Deus eius. Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abomi-
» nabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: Non eſt qui faciat bonum, nō eſt vſq; ad vnum.

XX. Atque iſtiuſmodi impietatis collegarum illa ad ſuaſionem peroratio eſt: Nemo
Eccleſ. 9. eſt qui ſemper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam: melior eſt canis viuus
» leone mortuo. Viuentes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil nouerūt
» amplius, nec habent vltrà mercedem: quia obliuioni tradita eſt memoria eorum.
» Amor quoque & odium, & inuidiæ ſimul perierunt, nec habent partem in hoc
» ſeculo, & in opere quod ſub ſole geritur. Vade ergo, & comede in lætitia panem
» tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. Omni tem-
» pore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo nō deficiat. Perfruere
» vita cum vxore quam diligis, cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ, qui tibi dati
» ſunt ſub ſole omni tempore vanitatis tuæ. Hæc eſt enim pars in vita & in labore
» tuo, quo laboras ſub ſole. Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtāter operare:
» quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò
tu properas.

XXI. Atque impius homo, vbi à Deo corripitur, non tam impietatem deteſtatur,
quàm pœnam ſentit ac luget: idem verò ſecundis rebus Deum, quamquam ver-
Oſeæ 7. bis nominet, factis negat. Et nō clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant
» in cubilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me. Et ego
» erudiui eos, & cōfortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam: reuerſi
» ſunt vt eſſent abſque iugo, facti ſunt quaſi arcus doloſus.

XXII. Eadem impietas hominem adeò dementat, vt & in benè ac piè monentes ſæ-
Mat. 10. uire, & in ipſum Deum inſanire faciat. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio
» luporum: Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: tra-
Iudæ. dent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos. Hi carnem qui-
» dem maculant, dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant.
» Cùm Michaël Archangelus, cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi cor-
» pore: non auſus eſt iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, Imperet tibi Dominus.
» Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem natu-
» raliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

XXIII. Hominis aduerſus hominem ratio & conſuetudo, vel bona commendatur, vel
mala deprehenditur & notatur. Bona conſuetudo Latinis officium vocatur:
cuius definitio eſt, BENEFICENTIA HOMINIS IN HOMINEM AD DI-
VINÆ BONITATIS IMITATIONEM. Hæc imitatio voluntatem ſimplicem
& ſtudium conatumq; beneficij in omnibus hominibus ponendi poſtulat, ſine vl-
la priuata ipſius, qui facit, vel commodi, vel gloriæ ab hominibus reportandæ co-
Matth. 5. gitatione aut ſpe. S. S. E. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam
» conſequentur. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. &
» orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: vt ſitis filij Patris veſtri, qui
» in cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iu-
ſtos & iniuſtos.

Norma

*Norma hæc homines ab vnico Deo conditos, ab vno terreno patre ſatos ad fraternam caritatem dirigit, humanitatemq́; communem commendat: eademq́; rationes alias reſpectusq́; beneficentiæ ab hac ingenuitate ad affinitatum & certarum amicitiarum, quæ ex vſu tantùm conflantur, anguſtias redactæ, magis mutarum animantium ſenſum & priuatum ſui ipſius amorem (quæ carnis ſapientia eſt) quam illam Dei ſimilitudinem ſpectat. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? Nónne & ethnici hoc faciũt? Eſtote ergo & vos perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum. Frange eſurienti panem tuum, & egenos & vagos induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuã ne deſpexeris. Ex hoc docemur, beneficium omne humanum alio conſilio aut ſtudio factum vmbram potiùs officij, quàm officium appellandum, & veræ ac ſimplicis humanitatis nomine & præmio indignum eſſe, & quamquam factum ipſum bonum ſacra appellet diſciplina, auctori tamen ſuo bonitatem nõ arrogat. Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius panem, numquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpẽtem porriget ei? Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter qui in cælis eſt dabit bona petentibus ſe? Iſte igitur amor, quo homo caro & ſanguis, eos, quos ſibi vel propinquitatis vel commoditatis propriæ nomine caros habet, naturalis quidem apparet, ſed ad animalem cum brutis naturæ communicationem potiùs, quàm ad illam diuinam animorum ſocietatem, & ad ſimilitudinem Dei accedit. Id quod ex oppoſito arguitur, quandoquidem huius etiam caritatis deſertor quiſquis fuerit, crudelis ac feris etiã habetur immitior. Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Quis verò infideli deterior, niſi ferox crudeliſque bellua dici poteſt?* XXIIII. Mat. 6. Eccleſ. 11. Iſaiæ 58. Mat. 7. 1 Tim. 5.

*Humano officio improbitas opponitur: ea eſt iniuria vel iniquitas hominem quocumque modo lædens: ſiue illa factis, ſiue verbis, ſiue aperta vi, vel occulta admittatur fraude. Nullum enim à natura etiam prolapſa cuiquam hominum in alterum lædendi ius eſt. S.S.E. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requiram animam hominis.* XXV. Gen. 9.

*Et tamen illius humanæ impotentia nequitiæ effectum eſt, vt non modò homines ab hominibus lædantur; ſed etiam nullum maius homini, nullum præſentius, nullum minus euitabile periculum, quàm ab homine ſit: adeò, vt diuinam caſtigationem quàm hominis inſolentiam perferre, ſit longè optabilius. Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum inſolentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos. Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes: & feliciorem vtroque iudicaui qui nondum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebãt. venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam* XXVI. Eccleſ. 4. Pſal. 13.

pacis non cognouerunt [vnde hæc monſtra, aut quo de fonte?] non eſt timor Dei
Pſal. 139. ante oculos eorum. Eripe me Domine ab homine malo, ab homine iniquo eripe
» me. Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die conſtituebant prælia. Acue-
2 Reg. 24. runt linguam ſuam ſicut ſerpentes: venenum aſpidum in labiis eorum. Dixitq́;
» Dauid, Coarctor nimis, ſed melius eſt vt incidam in manus Domini (multæ enim
» miſericordiæ eius ſunt) quàm in manus hominum.

XXVII. Maiore verò diſcrimine & formidine innocentem virum inter homines verſari, quàm inter inuiſibiles mali dæmonis inſidias electus ille ſignificauit
2 Theſſ. 3. Apoſtolus. De cetero fratres, orate pro nobis, vt ſermo Dei currat & clarifi-
» cetur, ſicut & apud vos, & vt liberemur ab importunis & malis hominibus: non
» enim omnium eſt fides. Fidelis autem Dominus, qui confirmabit vos, & cuſto-
Iac. 3. diet à malo [ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.] Linguam nullus hominũ domare poteſt: inquie-
» tum malum, plena veneno mortifero. In ipſa benedicimus Deum & Patrem: &
» in ipſa maledicimus homines qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore
» procedit benedictio & maledictio. Non oportet fratres mei hæc fieri. Numquid
» fons ex eodem foramine manat dulcem & amaram aquam?

XXVIII. Atque vt improborum hominum, eorum præcipuè, qui virtutis ſpecie pluri-
2 Tim. 3. mum nocere ſolent, mores breui complectamur ſumma. Erunt homines ſeipſos
» amantes [inde virus] cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus nõ obedientes,
» ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinẽtes, immites,
» ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores, magis
» quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.
Quænam ſæuior peſtis?

XXIX. Tertia porrò conſuetudinis humanæ pars in aliis rerum generibus, quæ cum naturæ huius dignitate comparari nequeunt, conſumitur. Cuius notæ ſunt iumenta animaliaq́; cetera, plantæ plantarumq́; fructus, ac totius denique terræ cum maris etiam opportunitate copia & facultas; quorum omnium & recta ac probabilis, & iniqua, vitioſa, improbabilis conſuetudo eſſe poteſt. Et rectam quidem vſum ſiue vſurpationem, contrariam verò abuſum vocari accepimus.

XXX. Vſum totius terræ hominibus diſtribuendum inter ſe conceſſum, ita gratula-
Pſal. 115. tur Pſaltes, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Et quidem hoc non ad perpetuitatem illis ceſſiſſe, verùm ad modeſtam vſuram, quæ viuentibus ac morituris, atque breui relicturis commoditatis, quantum ſat ſit, & vſus
Ibid. 113. cum gratiarum actione in vita capiendi. Non mortui laudabunt te Domine,
» neque omnes qui deſcendũt in infernum: ſed nos, qui viuimus, benedicimus Do-
Gen. 9. mino. Benedixitq́; Dominus Noë & filiis eius, & dixit ad eos: Creſcite, & mul-
» tiplicamini, & replete terrã, & terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia
» terræ, & ſuper omnes volucres cæli, cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram:
» omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. Et omne quod mouetur & viuit,
» erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.

XXXI. Atque verbo tradidi, ſua omnia eſſe indicabat Deus, hominibus verò ad vſum conceſſa, non ad diſſipationem ac dilapidationem: vſum verò qualem pe-
2 Par. 29. regrinantibus conſtare ius ratioq́; poſtulet. Domine Deus noſter, omnis hæc co-
» pia quam parauimus vt ædificaretur domus nomini ſancto tuo, de manu tua eſt,
» & tua ſunt omnia. Quis ego, & quis populus meus, vt poſſimus hæc tibi vni-
» uerſa promittere? Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

Pere-

Peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ ſicut omnes patres noſtri. Dies noſtri “
quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora. Eſt autem quæſtus magnus pietas 1 Tim. 6.
cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod “
nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his “
contenti ſumus. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Pſal. 127.
Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Sufficiat Prou. 27.
tibi lac caprarum in cibos tuos, & ad neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancil- “
lis tuis. Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Pſal. 36.

Probato atque per Deum conceſſo rerum vſui abuſus contrarius eſt, ſuperisq́ XXXII.
deteſtatus: Cuius vitij duæ partes, prior in comparandis & congerendis rebus
notatur: Poſterior verò in inſumendis. vtrumque præter modum admiſſum &
malum, & malorum multorum occaſio, & initium atque etiam irritamentum
fomentumq́ eſt. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copula- Iſaiæ 5.
tis vſque ad terminum loci: Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? Nam 1 Tim. 6.
qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, & deſideria mul- “
ta, inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix “
enim omnium malorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes, errauerunt à fi- “
de, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet. Non “
inueniet fraudulentus lucrum. Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus ſapien- Eccl. 2.
tiam & ſcientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam ſu- “
perfluam, vt addat & congreget, & tradat ei qui placuit Deo. Sed & hoc vanitas “
eſt, & caſſa ſolicitudo. A minori vſque ad maiorem omnes ſtudent auaritiæ. Ad- Ierem. 6. Mich. 6.
huc ignis in domo impij, theſauri iniquitatis & menſura minor iræ plena. Nun-
quid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacelli pōdera doloſa? in quibus diuites eius “
repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua “
eorum fraudulenta in ore eorum. Væ qui cōgregat auaritiam malam domui ſuæ, Habac. 2.
vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali. Cogitaſti cōfuſio- “
nem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis “
[direptus] de pariete clamabit, & lignum [raptum] quod inter iuncturas ædifi- “
ciorum eſt, reſpondebit. Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat “
vrbem in iniquitate.

Tantis parta malis, cura maiore metuq́ ſeruantur. Miſera eſt magni cuſto-
dia cenſus. Eſt & aliud malum quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud ho- Eccleſ. 6.
mines: Vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt “
animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat “
ex eo: ſed homo extraneus vorabit illud: hæc vanitas & miſeria magna eſt. No- Mat. 6.
lite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi “
fures effodiunt & furantur. Agite nunc diuites plorate vlulantes in miſeriis Iac. 5.
veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta “
veſtra à tineis comeſta ſunt: aurum & argentum veſtrum æruginauit: & ærugo “
eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. “

Verùm enimuerò cùm ad ſimplicem, commodum, & verum vitæ vſum quid- XXXIII.
uis, modò bene partum, ſit ſatis: (Melius eſt parum cum timore Domini, quàm Prou. 15.
theſauri magni, & inſatiabiles) tamen ad luxum, ad ambitionem, & ad cōten- “
tionem, diuitiarumq́ certamen, otioſæq́ familiæ in vitio, voluptatibus & ſcele-
ribus alendæ commoditatem, cui nihil ſatis eſſe poteſt, res & opes præter modum
compa-

*comparandæ ab homine mortali per ſummum nephas appetitæ quæruntur: quæſitæ, vel iniuſtè & cum ſcelere retinentur, vel profunduntur, & crudeliter interdum atque improbiſſimè conſumuntur.*

Eccl. 10. *Væ tibi terra, cuius rex puer eſt, & cu-*
" *ius principes manè comedunt: Beata terra cuius rex nobilis eſt, & cuius princi-*
Sap. 2. *pes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam. Impij mani-*
" *bus & verbis accerſierunt illam [iniuſtitiam:] & æſtimantes illam amicam, de-*
" *fluxerunt, & ſponſiones poſuerunt ad illā: quoniam digni ſunt qui ſunt ex parte*
" *illius. Dixerunt enim cogitantes apud ſe non rectè, Exiguum, & cum tædio eſt*
" *tempus vitæ noſtræ, & nō eſt refrigerium in fine hominis. & non eſt qui agnitus*
" *ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tamquā non*
" *fuerimus: quoniā fumus flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintillæ ad com-*
" *mouendum cor noſtrum: quia extinctus cinis erit cor noſtrum, & ſpiritus diffun-*
" *detur tamquam mollis aër, & tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis,*
" *& ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis, & à calore illius aggra-*
" *uata: & nomen noſtrum obliuionē accipiet per tempus, & nemo memoriam ha-*
" *bebit operum noſtrorum. Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum. & non eſt*
" *reuerſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur. Venite ergo, &*
" *fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter.*
" *Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis.*
" *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit quod non per-*
" *trāſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrū exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinqua-*
" *mus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc ſors. Opprimamus paupe-*
" *rem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec revereamur canos multi*
" *temporis. Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ. quod enim infirmum eſt, inuti-*
Iac. 4. *le inuenitur. Vnde bella & lites in vobis? Nónne hinc? ex cōcupiſcentiis veſtris*
" *quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & ze-*
" *latis: & non poteſtis adipiſci. litigatis & belligeratis. & nō habetis propter quod*
" *non poſtulatis. Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis: vt in concupiſcen-*
" *tiis veſtris inſumatis. Adulteri, neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt*
" *Dei? Quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtitui-*
" *tur. An putatis quia inaniter Scriptura dicit, Ad inuidiam concupiſcit ſpiri-*
" *tus qui habitat in vobis?*

XXXIIII. *Ita verò creaturam, hoc eſt, iumenta ceteráque animalia, atque reliqua his inferiora omnia ſibi, nō ex modo & vſu tantùm, verùm ex arbitrio libidinéque, vel vſurpare, vel habere, vel tractare, vel etiam negligere, imo & crudeliter perdere citra vllam culpam licere exiſtimat: quod ab humanitate prorſus alienum ſacra docet Sapientia.*

Prou. 12. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas: viſcera*
1 Tim. 6. *autem impiorum crudelia. Tu autem homo Dei hæc [auaritiæ nocumenta] fuge:*
" *ſectare verò iuſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem.*
" *Diuitibus huius ſeculi præcipe, Non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diui-*
" *tiarum, ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) bene*
" *agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare*
" *ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.*

*Omnium quæ de humani generis primùm à Deo electi & facti hiſtoria ad illius vſque præuaricationem diſſeruimus, illa breuis à ſacris foliis repetita ſumma fuerit.*

Eccli. 17. *Deus creauit de terra hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum:*

*illum: & iterum conuertit illum in ipſam, & ſecūdùm ſe veſtiuit illum virtute.* "
*Numerum dierum & tempus dedit illi: & dedit illi poteſtatem eorum quæ ſunt* "
*ſuper terram. Poſuit timorem illius ſuper omnem carnem: & dominatus eſt be-* "
*ſtiarum & volatilium. Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi: conſilium & lin-* "
*guam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi: & diſciplina intellectus* "
*repleuit illos. Creauit illis ſcientiam ſpiritus: ſenſu impleuit cor illorum: & mala* "
*& bona oſtendit illis. Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis ma-* "
*gnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent: & gloriari in mi-* "
*rabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.* "

*Totius verò huiuſmodi felicis ſtatus conuerſionem eadem diuina Sapientia paucis adnotauit verbis. Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad ima-* Sap. 2.
*ginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum: Inuidia autem diaboli mors introiuit in or-* "
*bem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* "

# DE ANIMALI HOMINIS VITA.

## VOLVMEN PRIMVM.

### Notatio prima.

ANIMALI *homini nihil vita carius, nihil æquè pretioſum optabiléque exiſtimari, maximus omnium Præceptor Ieſus indicauit.* I.
*Quid prodeſt* Mat. 16.
*homini ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur: aut* "
*quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Huius verò tanto in pretio* "
*habitæ rei rationem veramq́ cognitionem ex ſacrorum librorum documentis petere cumprimis oportuerit: ne ex ignoratione, aut ex vulgari opinione circa naturam, vſum & cauſam erremus, atque ita viuentes vitæ perdamus fructum. S. S. E. Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur om-* Pſal. 81.
*nia fundamenta terræ. Dicendum autem cumprimis quæ ſit forma totius, quod nomen, quæque nominis ratio, quis auctor, quæ cauſæ. Deinde verò partes diſpiciendæ, ac durationis habenda ratio eſt. Poſtremo loco hominum de vita conferendæ ſententiæ. Principium itaque à definitione ducendum. Eſt igitur Animalis hominis vita* SPIRITVS ET CARNIS CONFLATA SOCIETAS, RESPIRATIONIS PROBÆ FOTA MVNERE. *Primas in vitæ ratione & communione ſpiritui damus; non cuiuis, verùm illi tantùm, cui ſingulare nomen* NÉSEMAH *conuenit, hoc enim, cùm ea quam ſignificat re, vni hominum generi proprium eſſe ſatis planè docuimus, vbi de homine diſputatum eſt. Cuius & auctorem & conciliatorem Deum fuiſſe atque ſemper eſſe indicauimus. Formauit* Gen. 2.
*igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius* NE- "
SEMAH *ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Hanc ipſam* "
*naturam propriè ac ſingulariter* NESEM, *ſiue* NESEMAH *dictam communioribus verbis, ſæpè aliàs* RVAHH, *id eſt, ſpiritum, &* NEPHES *animam, &* HHAIAH *vocatam non inficiamur, verùm eadem vocabula aliis quoque naturis, hoc autem ſingulare vni homini adiunctum obſeruare eſt.* CARNEM *autem hoc loco idem quod animale corpus accipimus, idq́ ſingulari opificio adeò ex limo terræ, ſiue ex* GHAPHAR *fictum & conformatum. Appellamus vero* SO-

CIETATEM, *coniunctionem eam inter* SPIRITVM *(quem &* ANIMVM *libenter nominamus) & carnem ſiue corpus hominis celebratam, non diſsimilem ſocietati & vnioni viri ac feminæ legitimo coniugio in carnem vnam conuentæ, vt iam ex illo documento commõſtrabimus.* Maſculum & feminam creauit eos. *Quam ſocietatem reſpirationis officio ac beneficio foueri Iobus & Iſaias*
Iſaiæ 2. Iob 27. *indicarunt. Quieſcite ab homine cuius ſpiritus in naribus eius. Donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis.* HALITVM *hoc loco præcipuam hominis partem, id eſt,* NESEMAH *interpretamur. namque duas definitionis noſtræ parteis ille ſignificauit Sapiens,* PROBAM *autem reſpirationem, liberam & rectam vocamus, cuius impedimentum aut difficultatem vel mors, vel mor-*
Nomina vitæ. *bus conſequitur.* MVNERIS *nomine continuationem, aſsiduitatem, perpetuitatemq; intelligimus, commune omni animali in terris degenti nomen* IAKVM, *quod Latinè extans dici poſsit, idq; ab interprete noſtro ſubſtantia dictum eſt: animantibus verò ceteris prælatus homo* NESEMAH, *& ſpiritus narium prærogatiuam obtinet. Sic enim ex verbo partitionem iſtam apud Moſem obſerua-*
Gen. 7. *mus. Et mortuum eſt omne* HAIACVM *quod ſuper facies terræ ab homine vſq;*
» *ad quadrupedem, vſque reptile, & vſque volatile cæli, & deleta ſunt deſuper terra. Idem verò ſuperiore verſu distinctius, & obiit omnis caro repens ſuper terram in volatili, in quadrupede, in fera, & in omni* SERETS *mobili mouente ſeſe ſuper terram, & omnis homo. Omnis nimirum cui* NESEMAH *ſpiritus vitæ in naribus eius, ex omnibus qui in ſicca terra, non autem in arca ſuper aquas in ſicca mortui ſunt. Atque auctorem vitæ humanæ Deum eſſe iam ex iis quæ citauimus conſtat.*

II. Cauſæ. *Quæ verò vitæ humanæ cauſæ ſint vel fuerint quærentibus, veræ ex ipſa naturæ conditione petendæ, falſæ autem ex opinione diſtinguendæ fuerint. Initia enim rerum indaganti vitam homini ad diuinæ bonitatis participationem datam facile fuerit cognoſcere, eamq; recta & fideli ac legitima in reliquas ani-*
Gen. 2. *mantes, atque adeò in omnem terram præfectura exercendam conſtitiſſe. Et ait*
» *Deus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit*
» *piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæq; terræ, omniq; reptili*
» *quod mouetur in terra. Hoc pacto ac modo recta illa hominis conſtitutio ac vita omnis proceſſura erat, ſi in ea quâ condita fuerat conditione maneret. Sed poſt primam illam rectitudinem per peccatum deprauatam, vitæ cauſæ iis qui diuinæ electioni obſequi ſtuduerint, eædem proponuntur, quod ad digniſsimum argumentum attinet, hoc eſt pietatis cultus ad obtinenda diuina promiſſa iure institutus & exercitus, iis verò qui carni magis indulgere quàm ſpiritui obtemperare malunt, aliæ æſtimatæ & affectatæ ſunt cauſæ.*

III. *Atque priori & meliori parti quales probentur & expectantur viuendi fi-*
Iſaiæ 38. *nes, ita nobis diuina ſcripta declarant. Quia non infernus confitebitur tibi, ne-*
» *que mors laudabit te: nõ expectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuam.*
» *Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut ego hodie, pater filiis notam faciet ve-*
Pſal. 6. *ritatem tuam. Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem*
» *quis confitebitur tibi. Sed ideò vitam ſufficis hominibus, vt timeant te, & am-*
2 Par. 6. *bulent in viis tuis cunctis diebus quibus viuunt ſuper faciem terræ. Et miſeri-*
Pſal. 22. *cordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Et vt inhabitem in domo*
Pſal. 26. *Domini in longitudinem dierum. Vnam petiȷ̈ à Domino, & hanc requiram: vt*

*inha-*

*inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem* "
*Domini, & viſitem templum eius. Boni enim & pij viri illa prima, illa media* "
*omnis, illa poſtrema atque adeò perpetua vitæ totius actio eſt. In lege Domini* Pſal. 1.
*voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte. His & illud idem Pſaltes* "
*de ſe profeſſus addebat: Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vi-* Ibid. 145.
*ta mea, pſallam Deo meo quamdiu fuero. Et ſapientiſſimus ille vitæ rationum* "
*æſtimator ac ſubductor: Cognoui, inquit, nihil eſſe homini melius niſi lætari &* Eccl 3.
*facere bene in vita ſua. In omni animo tuo accede ad illam [ſapientiam] & in* Ibid. 6.
*omni vita tua cõſerua vias eius. Inueſtiga illam, & manifeſtabitur tibi, & con-* "
*tinens factus ne derelinquas eam. In nouiſſimis enim inuenies requiem in ea, &* "
*conuertetur tibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes eius in protectionem* "
*fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ. Decor enim vi-* Ibid. 13.
*tæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutaris. Quamobrem omni vita tua*
*dilige Deum, & inuoca illum in ſalute tua. Demùm ſi optanda eſt vita, illa vna*
*optionis cauſa probabitur, ſi ad pietatem veram exponatur. Mihi enim viuere* Philip. 1.
*Chriſtus eſt: & mori lucrum. Quod ſi viuere in carne hic mihi fructus operis eſt,* "
*& quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolui &* "
*eſſe cum Chriſto, multò magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium* "
*propter vos. Et hoc confidens, ſcio quia manebo & permanebo omnibus vobis ad* "
*profectum veſtrum, & gaudium fidei: vt gratulatio veſtra abundet in Chriſto* "
*Ieſu in me, per meum aduentum iterum ad vos.* "

*Iis vero quibus animalis conſuetudinis potior pars ducitur, illa vitæ exiſti-* IIII.
*matur & appetitur cauſa, nimirum iis quorum Deus venter eſt, & delectantur*
*cùm malefecerint, ſeſeq; mutuo illis exhortantur monitis. Vade & comede in læ-* Eccleſ. 9.
*titia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.* "
*Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* "
*Perfruere vita cum vxore quam diligis, cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ,* "
*qui dati ſunt tibi ſub ſole omni tempore vanitatis tuæ. hæc eſt enim pars in vita,* "
*& in labore tuo quo laboras ſub ſole. Quodcumque facere poteſt manus tua, in-* "
*ſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud in-* "
*feros, quo tu properas. Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in ore ſuo* Pſal. 48.
*complacebunt. Namque cor ſapientis in dextera eius: & cor ſtulti in ſiniſtra* Eccli. 10.
*illius. Sed in via ſua ſtultus ambulans, cùm ipſe ſtultus ſit: omnes aliter ſen-* "
*tientes ſtultos æſtimat.* "

*Proximum de vitæ duratione ac modo agere. Principio id quod propriè ac* V. Duratio.
*verè atque perpetuum vita eſt, diciq; debet. Solus atque vnicus Deus eſt, cuius*
*durationi nec initium, nec medium, nec finis eſt vllus. Qui viuit in æternum,* Ibid. 18.
*creauit omnia ſimul, Deus ſolus iuſtificabitur, manet inuictus rex in æternum.* "
*Priuſquam montes fierent aut formaretur terra & orbis: à ſeculo & vſque in* Pſal. 89.
*ſeculum tu es Deus. Namque in ipſo vita erat, quidquid verò in Deo erat, idem* Ioan. 1.
*fuit, eſt, & erit, idemq; omne Deus ipſe æternus eſt. Idem verò Deus vitam ho-*
*mini vti iam accepimus, & qualem intelleximus, largitus fuerat. Eandem num-*
*quam defecturam conſeruaturus ligni beneficio & virtute, in quo vita erat.*
*Conceſſa verò illa vitæ perpetuitate quæ ex miſericordia homini contigerat, iu-*
*ſtitia exigente diuina, & vltrice malorum virtute poſtulante ob peccati deme-*
*ritum iuſtè ſublatam didicimus. & quod annorum numero prius non fuerat*

*præſcriptum, ad certa diuinæ voluntatis & prouidentiæ ſecula redactum. Per-
inde enim facile Deo annorum myriades quamplurimas, atque vnam diem,
vnámve horam vitæ homini largiri, verùm vt certo conſtringeretur vita mo-
do iuſtitiæ, vti repetimus, ac ſapientiæ fuit. Quod proponimus non ex ſententia
Pſal.89. dictum, ſed ex Pſaltis folio recitatū. Quoniam mille anni ante oculos tuos tam-
” quam dies heſterna quæ præteriit, & cuſtodia in nocte quæ pro nihilo habetur,
” eorum anni erunt. Quare nulla adeò longa vita homini contingere poßit, quæ
ad æternitatis rationem relata, & cum perpetuitate collata, vel vnius iam præ-
teriti diei rationem ac nomen vſurpet, vel diuinam prouidētiam aliqua ex par-
te moretur. Si qui verò longius vixiſſe cenſeantur, id ex humani, non ex diuini
iudicij mēſura æſtimandū, nedum quod qui diutius durauerint, pluribus labori-
bus addicti rectè putātibus deprehēdentur. Itaq; illa tam varia vitæ mēſura om-
” nis ex arcto iudicio cōſtituta & variata eſt; & vt vt longa contingat, Manè ſicut
” herba tranſeat, manè floreat & tranſeat, veſperè autem decidat, induret, & are-
” ſcat. Vtrumque verò & menſura & varietas vitæ ex eo euenit. Quia defecimus
” in ira tua, & in furore tuo conturbati ſumus. Namque poſuiſti iniquitates no-
” ſtras in conſpectu tuo: ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Hac verò
illuminatione inſtitutum fuit, vt recentis adhuc mundi ætate, & quaſi infantia
hominum vita propagandæ ſobolis cauſa longius produceretur: ita tamen parti-
ta eſſet, vt æui portiones pro modo ac ratione totius cōuenirent, vt in appendice
de ætatibus indicabimus. Et longioris quidem vitæ ſpatia iis indulta adnotan-
tur, quibus ante diluuium extare aut naſci datum, inter quos Methuſalachi an-
Gen.5. ni ceteros ſuperarunt. Et factum eſt omne tempus quod vixit Adam, anni non-
” genti triginta, & mortuus eſt. Et facti ſunt omnes dies Seth, nongentorum duo-
” decim annorum, & mortuus eſt. Factiq; ſunt omnes dies Enos nongenti quinque
” anni, & mortuus eſt. Et facti ſunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, &
” mortuus eſt. Facti ſunt omnes dies Malalael octingēti nonaginta quinque anni,
” & mortuus eſt. Et facti ſunt omnes dies Iared nongenti ſexaginta duo anni, &
” mortuus eſt. Henoch verò anni quibus inter homines verſatus eſt, facti ſunt tre-
” centi ſexaginta quinque: ambulauitq; cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum
” Deus. Et facti ſunt omnes dies Mathuſalæ nongenti ſexaginta nouem anni, &
” mortuus eſt. Facti ſunt omnes dies Lamech ſeptingēti ſeptuaginta ſeptem anni,
” & mortuus eſt. Poſt diluuium verò impleti ſunt omnes dies Noë nongentorum
” quinquaginta annorum, & mortuus eſt. Impletos illi eſſe ait poſt diluuium quos
Dei prouidentia ante diluuium ſtatuerat, neque enim iuſto viro poſterorum ſe-
culorum cenſura quicquam ſubduxit.*

VI. *Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluuium.
Gen.11. Vixitq; Sem poſtquam genuit Arphaxad quingentis annis. Porrò Arphaxad
” vixit trigintaquinque annis, & genuit Sale. Vixitq; Arphaxad poſtquam ge-
” nuit Sale, trecētis tribus annis. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit He-
” ber. Vixitq; Sale poſtquam genuit Heber, quadringētis tribus annis. Vixit autem
” Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. Et vixit Heber poſtquam ge-
” nuit Phaleg, quadringētis triginta annis. Vixit quoque Phaleg triginta annis,
” & genuit Reu. Vixitq; Phaleg poſtquam genuit Reu, ducētis nouem annis. Vixit
” autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. Vixit quoque Reu poſtquam
” genuit Sarug, ducētis ſeptem annis. Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit*

*Nachor.*

*Nachor. Vixitq́ Sarug poſtquam genuit Nachor, ducentis annis. Vixit Nachor* "
*viginti nouem annis, & genuit Thare. Vixitq́ Nachor poſtquam genuit Tha-* "
*re, centum decem & nouem annis. Vixitq́ Thare ſeptuaginta annis, & genuit* "
*Abram, & Nachor, & Aran. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum ſe-* Gen. 25.
*ptuaginta quinque anni. Et deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæq́* "
*ætatis, & plenus dierum. Hoc ſignificãter Moſes adnotabat, vt iam illo ſeculo hoc* "
*vitæ ſpacium mirabile indicaret, cùm plerique alij omnes multo minus viuerẽt.*
*idem etiam ſubiungendi exempli iudicium. Et completi ſunt dies Iſaac centum* Ibid. 35.
*octoginta annorum, conſumptusq́ ætate, mortuus eſt, & appoſitus eſt populo ſuo.* "
*Iam tum quoque ſenex & plenus dierum. Iacob verò ab Aegypti rege rogatus,* Ibidem. 47.
*quot ſunt dies annorum vitæ tuæ? Reſpõdit, Dies peregrinationis vitæ meæ cen-*
*tum triginta annorum ſunt parui & mali: nõ peruenerũt vſque ad dies patrum*
*meorum, quibus peregrinati ſunt, & vixit in terra Gollen decem & ſeptem an-*
*nis. Factiq́ ſunt dies vitæ illius centum quadraginta ſeptem annorum. Anni* Exodi 6.
*autem vitæ Leui fuerũt centum triginta ſeptem. Moyſes centum viginti anno-*
*rum erat quãdo mortuus eſt. Et quod ſingularis beneficij ac miraculi indicio ad-* Deut. 34.
*notatur. Nõ caligauit oculus eius, nec dẽtes illius moti ſunt. Et poſt hæc mortuus*
*eſt Ioſue filius Nun, ſeruus Domini, centum & decem annorum. A Ioſue obitu* Ioſ. 24.
*aduſque Heli ſacerdotium annos legimus fluxiſſe ducentos octoginta nouem: &*
*tamen adeò contracta iam fuerant humanæ vitæ ſpatia, vt Heli nonageſimum-*
*octauum natus annum, iampridem cæcus, & pænè caducus, caſu è ſella extinctus*
*fuerit: ſenex enim erat vir & grandæuus. Atqui de Samuele ad ſexageſimum* 1. Reg. 4.
*annum nõdum accedente, ſcriptum legimus. Factum eſt autem cùm ſenuiſſet Sa-* Ibidem. 8.
*muel: qui poſt biennium apud ſuperos eſſe deſiit. deinceps verò ita hominum æta-*
*tes diuino iudicio cõtractas Vates prædicat. Poſuiſti iniquitates noſtras in con-* Pſal. 89.
*ſpectu tuo: ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Quoniam omnes dies* "
*noſtri defecerũt: & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabũtur:* "
*dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potẽtatibus octo-* "
*ginta anni: & amplius eorum labor & dolor. Potentateis interpretamur viros* "
*quoſdam publicæ rei aut religionis curãdæ cauſa ſingulariter delectos & conſti-*
*tutos, quales antea ij fuerant quos ab Adamo ad Heli vſque recẽſuimus: illorum*
*enim ætatis certam rationem habitam, ſacra hiſtoria indicat. Ceterorum verò*
*nullam vtpote variam & inconſtantem, qualem in vulgi vita obſeruare eſt.*
*Namque hoc ſignificat* genuit filios & filias, *id eſt, prolem numero magis quàm*
*alia re notabilem, cuius quo breuior ætas, eò citius errores deſinũt, diuinæ autem*
*clemẽtiæ hoc adſcribendum cenſet Vates. Quoniam ſuperueniet manſuetudo, &* Ibid.
*corripiemur. Cuius correptionis exempla pauca ſubiicere oportunum. Erat au-* 2 Reg. 19.
*tem Berzellai Galaadites ſenex valde, id eſt, octogenarius, & ipſe præbuit ali-* "
*menta regi cùm eſſet in caſtris: fuit quippe vir diues nimis. Quæ res ad viuen-* "
*dum magnas commoditates habere creditur. Et dixit rex Berzellai, Veni me-* "
*cum, vt requieſcas ſecurus mecum in Ieruſalem. Et ait Berzellai ad regem, Quot* "
*ſunt dies annorum vitæ meæ, vt aſcendam cum rege in Ieruſalem? Octogenarius* "
*ſum hodie: numquid vigent ſenſus mei ad diſcernẽdum ſuaue, aut amarum? aut* "
*delectare poteſt ſeruum tuum cibus aut potus? vel audire poſſum vltrà vocem* "
*cantorum atque cãtatricum? quare ſeruus tuus ſit oneri domino meo regi? Paulu-* "
*lum procedet famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac viciſſitudine, ſed* "

» obſecro vt reuertar ſeruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & ſepeliar iuxta ſe-
3 Reg. 1. pulchrum patris mei, & matris meæ. Et rex Dauid ſenuerat, habebatq́; ætatis
» plurimos dies, cumq́; operiretur veſtibus, nõ calefiebat. Atqui filius triginta an-
2 Reg. 5. norum erat Dauid cùm regnare cepiſſet, & quadraginta annis regnauit. Salo-
mon autem Dauidis filius duodecimum agens annum, Puer adhuc regni habenas
3 Reg. 12. feliciter moderari cæpit. Dies autem quos regnauit Salomon in Ieruſalem ſuper
» omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt. Dormiuitq́; Salomon cum patribus ſuis.
Pſal. 102. Itaque Deus recordatus eſt quoniam puluis ſumus: homo ſicut fænum dies eius:
» tamquam flos agri ſic efflorebit: quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & nõ ſub-
» ſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum. Quid ſi vlteriùs, an aliquantiſper
vitæ anni reſtituti fuerint quæramus? hæc profectò rationum reperimus nomi-
2 Paral. 20. na. Quieuit regnum Ioſaphat, & præbuit illi Deus pacem per circuitum. Re-
gnauit igitur Ioſaphat ſuper Iudam, & erat triginta quinque annorum cùm re-
Ibid. 24. gnare cæpiſſet. Viginti autem & quinque annis regnauit in Ieruſalem. Septem
» annorum erat Ioas cùm regnare cæpiſſet, & quadraginta annis regnauit in Ie-
Ibid. ruſalem. Sed rarum tamen valde illis ætatibus exemplum. Ioiada ſenuit plenus
Ibid. 25. dierum, & mortuus eſt cùm eſſet centum triginta annorum. Vigintiquinque an-
» norum erat Amaſias cùm regnare cæpiſſet, & viginti nouem annis regnauit in
Ibid. 26. Ieruſalem. Huius filius Ozias ſedecim annorum erat cùm regnare cæpiſſet, &
quinquaginta duobus annis regnauit in Ieruſalem. Atque ab iſtorum tempori-
bus regum ad nòſtram vſque tempeſtatem, quamquam omnia voluamus compo-
namusq́; Syrmata, nihil profectò in vitæ cuiuſpiam longitudine egregium repe-
riemus, quod cuipiam vel firmiſſimæ valetudinis, vel viuendi cupidiſſimo in ſpei
exemplum trahi poſſit. Vigilate ergo & orate, quia neſcitis qua hora Dominus
veniet. Illud verò certiſſimum & perſuaſiſſimum hominibus omnibus oportue-
rit ſtatui, humanæ vitæ quanta illa ſiue longior, ſiue breuior futura, ſiue augen-
da, ſiue minuenda ſit, certam & propriam Deo eſſe curam, curationem verò ho-
Ioſ. 14. mini ipſi creditam & commendatam. Quadraginta annorum eram quãdo miſit
» me Moyſes famulus Domini de Cadeſ-barne, vt conſiderarem terram, nũciauiq́;
» ei quod mihi verum videbatur. Fratres autem mei qui aſcenderant mecum, diſ-
» ſoluerunt cor populi: & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum.
» Iurauitq́; Moyſes in die illo, dicens: Terram quam calcauit pes tuus, erit poſſeſſio
» tua, & filiorum tuorum in æternum: quia ſecutus es Dominum Deum meum.
» Cõceſſit ergo Dominus vitam mihi, ſicut pollicitus eſt, vſque in præſentem diem.
» Quadraginta & quinque anni ſunt ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud
» ad Moyſen, quando ambulabat Iſrael per ſolitudinem: hodie octoginta quinque
» annorum ſum ſic valens, vt eo valebam tempore quãdo ad explorandum miſſus
» ſum: illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum,
Pſal. 30. quàm ad gradiẽdum. Et Pſaltes humanæ vitæ tempora, momẽta ac parteis omnes
& oportunitates etiam ætatum vni Deo tribuit, quidquid aliàs quæuis inſidie-
tur moliatúrue humana malitia. In eo dum cõuenirent ſimul aduerſum me: acci-
Ibid. 102. pere animam meam cõciliati ſunt. Ego autem in te ſperaui Domine. Dixi, Deus
» meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ GHTOTHAI. Tempora temporúmque
» oportunitates & maturationes. Nouit Dominus dies immaculatorum: & hære-
» ditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo: & in diebus
» famis ſaturabuntur: quia peccatores, eodem tempore, eodem decernente Deo,
peri-

*peribunt. Et idem : Benedic, inquit, anima mea Domino, qui redimit de interitu “*
*vitam tuam : qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in “*
*bonis deſiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuẽtus tua. Quamobrem ab Ec- “*
*cleſiaſtici libri ſcriptore, Vitæ meæ Dominus & Pater Deus appellatur. Neque*
*humanæ tantùm, ſed animãtum etiam omnium vitæ concedendæ, conſeruandæ,*
*ac finiendæ diuinam prouidentiam proſpicere nouimus. Omnia à te expectant, vt* Pſal. 103.
*des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, om- “*
*nia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabũtur: auferes ſpi- “*
*ritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emittes ſpiritum “*
*tuum & creabuntur: & renouabis faciem terræ. Nónne quinque paſſeres veneũt* Lucæ 12.
*dipondio, & vnus ex illis nõ eſt in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis ve- “*
*ſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis. “*

*Vitæ humanæ modos communiter per certas ætates decretos & ſtatutos paulò*
*ſuperiùs cognouimus. Singulis verò ſuam ſtatutã eſſe ac Deo notam viuendi me-*
*tam, bonis teſtibus commonſtrabimus. Locutus ſum in lingua mea, notum fac mi-* Pſal. 38.
*hi Domine finem meum. Et numerum dierum meorum, quis eſt, vt ſciam quid de- “*
*ſit mihi. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos: & ſubſtantia mea apud te eſt. Mi- “*
*litia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarij dies eius. Breues dies* Iob 7.
*hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius, qui* Iob 14.
*præteriri non poterunt. Denique vita viri in numero dierum. Et ſiue longior,* Eccli. 37.
*ſiue breuior vnicuique vitæ decurſio ſit, duodecim tamen cuiuſuis diei horæ ſunt.*

VII. Curæ Deo eſſe vitam hominum.

*Et certam Deo vitæ omnium ſpatij notitiam curamq́; eſſe certo certius ex fide*
*cognitum. Nonnihil verò ad conſeruationem hominibus curandum eſſe, quam-*
*quam non ad eam rem ex profeſſo, ſed ad Dei, vnde vita pendet, gratiam impe-*
*trandam illis colligimus teſtimoniis. Si autem ambulaueris in viis meis, & cuſto-* 3 Reg. 3.
*dieris mãdata mea ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Quis eſt* Pſal. 33.
*homo qui vult vitam? diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo: “*
*& labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonum: inquire pacem, “*
*& perſequere eam. Namque oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in pre- “*
*ces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra me- “*
*moriam eorum.*

VIII. Curatione humana opus.

*Itaque animorum pietatem & virtutem conſeruandæ vitæ, diuino adſtipu-*
*lantur propoſito, cui etiam temperantia frugalitasq́; ſubſeruit, vel Sapiente illo*
*monente & aſſeuerante. Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effun-* Eccli. 37.
*das ſuper omnem eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appro-*
*pinquabit vſque ad choleram, propter crapulam multi obierunt: qui autem abſ- “*
*tinens eſt, adiiciet vitam.*

IX. Vitæ productio.

*Conſeruari à Deo humanam vitam & pietatis ac temperantiæ ſubſidiis iu-*
*uari, aduerſis verò de cauſis lædi ac turbari iam exploratum. Eãdem etiam pro-*
*pter eiuſmodi vel merita, vel cõmerita aliis produci, aliis verò imminui ac trun-*
*cari interdum & præcipitari, non minus compertum oſtẽdemus. Dixit Dominus* Num. 25.
*ad Moyſen, Phinees filius Eleazari filij Aaron ſacerdotis auertit iram meam à “*
*filiis Iſrael: quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſ- “*
*rael in zelo meo. Idcirco loquere ad eum, Ecce ego do ei pacem fœderis mei, & erit “*
*tam ipſi quàm ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum. Duo pacta hic indi- “*
*cata, & vtrumque certum euaſiſſe adnotatur: alterum, id eſt, poſterius ſacerdotij*

poſteris

poſteris certa ſerie continuandi: alterum verò prius inquam, æui eidem Phineæ ad plura prorogandi ſecula. Id quod à Malachia Vate interpreteq́ accepimus.
Malach. 2. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis. Cuius pacti ita comprobamus exemplum,
Ioſ. 24. Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt, & ſepelierũt eum in Gabaa Phinees filij eius, quæ data eſt ei in monte Ephraim. Heic Phineam, & patri ſuo, & Ioſue ſuperſtitem habemus, longè autem poſteà Biniaminiticæ calamitatis tempeſtate.
Iud. 20. Erat in domo Dei arca fœderis Domini, & Phinees filius Eleazari filij Aaron præpoſitus domus. Nulla verò de huius viri morte mentio fit, & tamen
4 Reg. 20. vitæ ſi numerentur per hæc tempora, vltra trecẽtum colliguntur anni. Ezechiæ
Iſaiæ 38. etiam regi diuinam imploranti clementiam, ita reſponſum: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, & ecce ſanaui te: die tertio aſcendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Et in arcanis quoque oraculis
Ibid. 65. illud promiſſum. Non erit ibi amplius infans dierum & ſenex, qui non impleat dies ſuos. Et de viro pio qui ſeſe diuinæ prouidẽtiæ in tutelã dediderit, ſcriptum:
Pſal. 90. Clamabit ad me, & exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum: Cuſtodi legem atque conſi-
Prou. 3. lium, & erit vita animæ tuæ. Principium Sapientiæ timor Domini: & ſcientia
Ibid. 9. ſanctorum prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi
Ibid. 10. anni vitæ. Namque Timor Domini apponit dies. Contrà verò & anni impio-
Prou. 28. Eccleſ. 1. rum breuiabũtur. & qui odit auaritiam, longi fient dies eius. Timor Domini de-
Eccleſ. 26. lectabit cor: & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum. Mulier fortis oblectat virum ſuum: & annos vitæ illius in pace implebit. Itaque Pietas, religio, continentia & concordia, vitæ Dei beneficio prorogandæ in cauſa ſunt.

X. Contrà verò ad deterendas, minuendas, ac præſcindẽdas vitæ telas, quæ cau-
Pſal. 77. ſam, occaſionem, & iudicium ſollicitent, eiuſmodi ſunt. In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius, & defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. Nimirum tot cẽtena hominum millia, ex quibus nemo ſexageſimum ſuperauit annum. Et de vno illo vncto queri-
Pſal. 88. Pſal. 101. monia: Minoraſti dies temporis eius. Vnde & ille deprecatus: Ne reuoces me in
Pſal. 108. dimidio dierum meorum. Et alibi imprecatus: Fiant dies eius pauci. Et ille alius ab impietate & à mœſtitia deterrens: Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in ſanctitate eius, & triſtitiam longè expelle à te.
Eccl. 30. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Zelus & iracundia minuunt dies: & ante tempus ſenectam adducet cogitatus.

Hæc de humana vita, deq́ illius vſu & fine verè ac ſeuerè diſputanda nobis diuinæ ſuggerunt diſciplinæ.

XI. Supereſt hominum de eadem ſententias diſcutere, diſcutiendas enim arbitramur nõ miſcendas, vt enim non iidẽ omnibus vitæ vſus, ita nec iudicium idem: quia vnius eiuſdem alio atque alio modo habentis, alius atque alius de vita & ſenſus, & ſermo eſt. Lætitia, voluptate, & ſecundarum ex animi ſententia re-
Eccli. 5. rum, gaudio perfuſi, voces illæ, illiſq́ ſimiles audiuntur. Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo quo laborauit ipſe ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus, & hæc eſt pars illius. Et omni homini cui dedit Deus diuitias atque ſubſtantiam, poteſtatemq́ ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo; hoc eſt donum Dei. Hoc maximum Dei beneficium illi putant, & qui ſapientiores videntur,

dentur, gratulatione proſequuntur. vt illi, Benedictus Dominus, diuites facti Zachar. 5.
ſumus. Radix huic ſpinæ in corde diuitiarum admiratione inſano. Non enim ſa- Eccleſ. 5.
tis prudenter recordabitur dierum vitæ ſuæ, eò quòd Deus occupet delitiis cor
eius. Quas ipſe votorum ſummam poſuerat, vt Sapiens hic quem modò recitantem citauimus, adnotauerat. Quia anima eius in vita ipſius benedicetur. Iccirco Pſal. 48.
cõfitebitur tibi cùm benefeceris ei. Ita lætiſſimus quiſque canit, ita etiam canendo aliis quoque ſentire & agere cõſulit. Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem. Eccleſ. 11. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. Lætare ergo iuuenis in adoleſcẽtia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuẽtutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum. Quæ permiſſio εἰρωνικῶς à Sapiente pronunciata eſt. Illud verò ab Apoſtolo verè & ſeriò exceptum. Quotidie morior per veſtram gloriam 1 Cor. 15.
fratres, quam habeo in Christo Ieſu Domino noſtro. Si (ſecundùm hominem) ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Nolite ſeduci, Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Euigilate iuſti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent.

XII. Sed iſtorum carminibus ac ludis in vitæ theatro exploſis, quid alij quibus mæſtior, imò & melior mens: lamententur tametſi ſiniſtris tibiis modi fiant auſcultemus. Namque, Cor ſapientum vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia. Eccleſ. 7. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas, venitq́; in 1 Reg. 19.
Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertũ, viam vnius diei. Cumq́; veniſſet & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum quàm patres mei. Poſt hæc aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo, & Iob 3.
locutus eſt, Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine. Obſcurent eum tenebræ & vmbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat: nõ computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna: maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare leuiathan. Obtenebrentur ſtellæ caligine eius: expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ. Quia non cõcluſit oſtia ventris qui portauit me: nec abſtulit mala ab oculis meis. Quare non in vulua mortuus ſum? egreſſus ex vtero non ſtatim perij? Quare exceptus genibus? cur lactatus huberibus? Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem.

XIII. Et idem, Quare miſero data eſt lux, & vita his qui in amaritudine animæ ſunt? Qui expectant mortem, & non venit: quaſi effodientes theſaurum. Gaudentq́; vehementer cùm inuenerint ſepulchrum. Viro cuius abſcondita eſt via, & circumdedit eum Deus tenebris. Antequam comedam ſuſpiro: & tamquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus. Quin & fortiſſimus ille Vates: Væ mihi mater mea, quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra? Non fœnerau, nec fœnerauit mihi quiſquam, omnes maledicunt mihi. Iſtorum omnium denique communis vox. Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium. Melior eſt mors,

» quàm vita amara: & requies æterna, quàm languor perſeuerans.

XIIII. Illorum quidem ludi, iſtorum auditæ querimoniæ perturbati animi ſenſus fidem infirmant, auditorumq́ inficiunt aures, & mētem variè morantur. Quare audiendi illi poſtremi & potiſſimi, quos nec lætitia corruptos, nec mœror deiectos
Eccli.6. excipit. audiendi inquam lotis nouo ac meraco vino auribus. Quid habet am-
Sap.7. plius ſapiens à ſtulto, & quid pauper, niſi vt pergat illuc vbi eſt vita? Vnus eſt
» introitus omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. Propter hoc optaui, & datus eſt
» mihi ſenſus: & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui illam re-
» gnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Super ſalutem
» & ſpeciem dilexi illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerūt autem
» mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.
Optimum hunc vitæ vſum & præſtantiſſimum in ea fructum ex tanto experti teſtimonio & ducere, & expetere, & poſcere, atque omni ſtudio quærere conſul-
1 Pet.2. tiſſimum, & illud perpetuò meminiſſe, & recolere. Chariſſimi obſecro vos tam-
» quam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant
2 Cor.5. aduerſus animam. Illud etiam aſſiduè canere: Audentes igitur ſemper, & ſcien-
» tes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. (per fidem enim
» ambulamus, & non per ſpeciem) Audemus autem, & bonam voluntatem habe-
» mus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Et ideo conten-
» dimus, ſiue abſentes, ſiue præſentes, placere illi. Omnes enim nos manifeſtari
» oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout
» geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Et quod in vita hac mortali optimum conſilium, optimum etiam ſtudium. Scientes, timorem Domini hominibus ſuademus. Domini timorem conſilij veritate, ſtudij conſtantia conatuſq́ ſedulitate & concipi,
Eccli.37. & conſeruari autumamus. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, &
» ante omnem actum conſilium ſtabile. Verbum nequam immutabit cor, ex quo
» partes quatuor oriuntur, bonum & malum: vita & mors: & dominatrix illo-
» rum eſt aſſidua lingua.

# DE ÆTATE, EIVSQVE PARTIBVS.

## VOLVMEN SECVNDVM.

RERVM naturæq́ ratio & ordo exigit, vt de vitæ humanæ partibus, quæ Latinè ætas dicuntur, diſtinctè quædam diſſeramus ad omnem hiſtoriæ & contemplationis in hoc genere exemplum, vt remur, vtilia. Ac primum quidem germanam verbi ſignificationem, & admiſſam quoque vſurpationem indicare expedierit. Neque enim ſemper idem in ſermonibus conſtanter obſeruatur vſus. Propriè namque ætas qualibet ex quatuor partibus, in quas vita diuiditur, dici ſolet, ſed vſus obtinuit, vt omne cuiuſuis hominis vitæ ſpacium ætas dicatur, & in hac ſignificatione non ab interprete noſtro tantùm, ſed ab antiquioribus & claſſicis Latinis auctoribus vſurpetur. Qua in ſignificatione ætatis definitio huiuſmodi fuerit. ANNORVM, MENSIVM AC DIERVM VITÆ VNIVSCVIVSQVE NVMERVS. Siquidem nomina hæc omnia in hoc genere citata,
Eccli.26. obſeruare eſt. Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illorum du-
Iob 36. plex. & de Dei æterna vita ſcriptum: Numerus annorum eius inæſtimabilis, ſed

*hæc rarior ad ſignificandam vitam formula, frequentior eſt illa: Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt. Quid enim ad eum pertinet de domo ſua poſt ſe, et ſi numerus menſium eius dimidietur? Notum fac mihi Domine finem meum: & numerum dierum meorum quis eſt. Vt ſciam quid deſit mihi: & vt viderem quid eſſet vtile filiis hominum. Quo facto opus eſt ſub ſole numero dierũ vitæ ſuæ. Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum peregrinationis ſuæ & tempore, quod velut vmbra præterit? Numerus dierum hominum vt multum centum anni, quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt: & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui. Quamquam verò ad hominis cuiuſque vitæ vſuram, dierũ ac menſium ſingularis nonnihil faciat ratio, ad hiſtoriæ tamen integritatem non admodum referre huiuſmodi exquiſita adnotatio videtur, quamobrem vel nulla vel rariſſima mentio dierum vel menſium in annalibus reperitur antiquis, in quibus vel dimidiatus poſtremus vitæ annus maiori etiam numero, tamquam integer adſcribitur: id etiam quod ex eodem ſuperfuerat anno, ſucceſſoris nonnumquam tempori nõ ex ratione & parte, ſed ex toto adnumeratur, vt in annalibus hiſtoriis, quæ regum rectè ſubducta temporũ ratione cuiuis obſeruare in promtu fuerit. Igitur hanc in ſignificationem ætatis nomen nõ raro venire, altero ac tertio etiam docebimus exemplo. Rex autẽ Dauid ſenuerat, habebatq́; ætatis plurimos dies. Viceſimum & primum annũ ætatis habebat Sedecias cùm regnare cœpiſſet. Animus gaudens ætatem floridam facit. Verùm hoc, vti repetimus, latiùs tracto nomine admittimus. quoad vitæ portiones diuidendas magis preſſe vſos auctores obſeruauimus. Quæ portiones, quamquam plures, hoc eſt, quatuor cõſtitutæ, & omnibus gentibus ac ſeculis inuariata ratione conceptæ fuerint, nomini tamen ipſi* ÆTAS *non eſt admiſſus in hac ſignificatione numerus. Namque ætates niſi in mundi ac temporum partitione nominari apud linguæ peritos ſcriptores non recordor.*

Iob 14. Pſal. 38. Eccli. 2. & 7. Eccli. 18. 3 Reg. 1.

*Dicitur itaq́; ætas* VNAQVAEQVE EX QVATVOR HVMANAE VITAE PORTIONIBVS. *Atque ita legimus. Mulier ſi quippiam vouerit, & ſe conſtrinxerit iuramẽto, quæ eſt in domo patris ſui, in ætate adhuc puellari. Dixitq́; Gedeon Iether primogenito ſuo, Surge, & interfice eos. Qui nõ eduxit gladium, timebat enim, quia adhuc puer erat. Dixeruntq́; Zebec & Salmana: Tu ſurge & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur eſt hominis. Et pars magna domus tuæ morietur cùm ad virilem ætatem venerit. Et erant ambo ſenes prouectæ ætatis. Et de iuuene cæco cuius adhuc vterque parens manebat, dictum legimus. Ipſum interrogate, ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. Harum portionum nomina ita ex ſacra lectione diſtinguimus.* PVERITIA, IVVENTVS, VIRILIS AETAS, SENECTA. *quæ & ſæpe* SENECTVS *dicitur. Exempla illa: Curua illos à pueritia eorum. Et delicta iuuentutis meæ. Et morietur, cùm ad ætatem virilem peruenerit. Et multiplicabuntur in ſenecta vberi. Et ſicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua. Namque* SENIVM, *quod raro in ſacra Latina lectione reperitur, æui magis affectionem atque infirmitudinem, quàm tempus ſignificat. Vſque in ſenectam & ſenium ne derelinquas me. Actum de toto ac partibus communiter, de his iam partito etiam tempore ac loco dicendum.*

Num. 3. Iudic. 8. 1 Reg. 2. Gen. 18. Eccleſ. 7. Pſal. 24. 1 Reg. 2. Pſal. 91. Deut. 33. Pſal. 70.

# PVERITIA.

II. *Nomen* NAGHAR, *pro quo Latini interpretes nonnumquam* INFANS, *frequentiſſimè verò* PVER *reddunt, & recens natis & vbera ſugētibus, & ad certum tempus creſcentibus tributum obſeruatur. Certa tamen diſtinctionis adnotatione. Nam quia adhuc teneri valde imbecilliq́; ſunt,* NAGHAR KATON *vocantur, id eſt, puer paruulus. vt apud Iſaiam: Et puer paruulus minabit eos. Atque hoc vocabulum & vnum alterum* IELED, *quod ex verbo natus, ſiue genitus, vel gnatus dici poſſit. Interpres noſter vertere ſolet in* INFANS & PVER, *ex quo fit vt infantiam à pueritia, non aliò quàm teneritudine diuidamus. Eſto itaque pueritiæ tempus à primùm nato homine ad iuuentam vſque. Namque Moſem in ciſtula ad flumen expoſitum* NAGHAR *vocatum nouimus. Samuelem quoque iam ſancto dicatum loco, & Heli ſacerdoti familiariter miniſtrantem,* NAGHAR *dictum audire eſt. Et quidem ex figura vſuq́; ſermonis idem nomen ad omnes domeſticos miniſtros, etiam prouectæ & confirmatæ ætatis traducitur. cuius exempli fuerint, Ioſue Moſis puer, & tres viri iam grandes illi, Sidrach, Miſach & Ghabdenago. ita etiam Hiſpanicè præſertim Luſitanico ſermone grandiores etiam miniſtri* mozzos, *id eſt iuuenes: minores etiam diminutiuo nomine* mozzuelos *audiunt. Itaque huius ætatis quicunque eſt,* NAGHAR *ætas verò ipſa* NOGHAR *ſingulariter, frequentiùs verò pluraliter* NAGHAROTH, *ſiue* NEGHAROTH *vocatur. Nominis verò etymologia à* NAGHAR *verbo ducitur, quod excutere, diſcutere, & ſecernere interpretamur. Eſt enim illius ætatis minus multo & animi & corporis robur, & perpetua ac ferè propria cùm valetudinis, tum ingenij inconſtantia, metus, auiditas, gaudium, dolor, mæſtitia, fames, ſaturitas, ira, amicitia, puritas, impuritas, omnia temere ſubîta in horasq́; mutata. vnde quamquam eiuſdem naturæ ſit homo puer, & iuuenis, ac vir; tamen ita ſorte & conditione pueritia à prouectiore ætate differt, vt ſtupa à tenaciore lini parte excuſſa ac ſciuncta. Ex qua ſimilitudine idem ferè puero & ſtupæ nomen impoſitum coniicimus* NAGHAR. *quare vel nomen ipſum naturæ, ingenij, ac morum notationem præfert. Illud etiam quidquid eſt, quod ab arboribus primùm parturientibus editur, ex quo hiante ac diducto flores emergunt, hoc nomine indicare poſſumus, quod facilè & colorem & figuram & vim exuit, ac deponit: floccum Latini aut pappos vocāt. Et ferè his imaginibus quænam & qualis pueritiæ ratio ſit, cognoſcere liceat. Maſculino itaque nomine puer* NAGHAR, *puella verò* NAGHARAH *dicitur. Aetas autem quæ ab infantia cœpta, ad iuuentam vſque variatis moribus tenditur, plerumque multitudinis numero vocatur* NEGHVRIM.

Puer paruulus. Iſaiæ 11. Infans. Gnatus. Exodi 2. Dan. 4.

III. *Puerorum igitur, quod ad cōmune ingenium facit, nulli proprij & ſingulares animaduertuntur mores, præter frequentem cibi appetentiam ex plurimo innato calore profectam, ſine diſtinctione tamen, vel delectu epularum: vtpote qui naturæ tātùm impulſu ducti dum eſuriunt, quiduis quod famem depellere poſſit libenter arripiunt, panem præſertim, quod homini nutrimentū Deus præcipuum & optimum proſpexit. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Secus eſt cùm parentum vel educatorum vitio aut exemplo aliter imbuti fuerint, alias verò plerique omnes latrantem ſtomachum ſatis bene vel ſolo pane leniunt. Effuſum eſt in terra iecur meum, cùm deficeret paruulus & lactens in plateis ciuitatis. Matribus*

Gen. 3. Ier. Thren.

*tribus ſuis dixerũt, Vbi eſt triticum & vinum. Paruuli petierunt panem, & non* “
*erat qui frangeret eis. &, Mitte puerum mecum, vt proficiſcamur, & poſ[ſimus]* Gen. 43.
*viuere: ne moriamur nos, & paruuli noſtri. Nolite timere, ego paſcam vos, &* Ibid.
*paruulos veſtros. At qui frequentiore alimento pueros quam adultiores indigere vel illud prouerbialiter vſurpatum arguit.* LEPIHATAPH, *ad os paruuli,* לפיהטף
*id eſt, vt pueris etiam abundè ſit ſatis. Atque vt hoc in corporis curatione cunctis fere commune: ita in animi occupatione nihil egregium, aut laude vel culpa propriè dignum, nec in moribus aut ſtudiis certum illi ineſt ætati rudi, prorſus omnis vitæ artis & iudicij adhuc impoti, & propter naturæ calentis impetum inquietæ, & propter imprudentiam temerariæ. Si quid verò actionis communiter eſt, id omne vel ludus eſt, vel per ludum fit. Atque ita (quod ludorum propriè eſt) in horas mutatur ac repetitur, rurſuſq; repudiatur. Siue illæ nugæ meræ ſint, ſiue ad virilium actionum imitationem efficta, & non minus in nugis cenſendæ. Creuit igitur puer & ablactatus eſt: fecitq; Abraham grande conuiuium in* Gen. 21.
*die ablactationis eius. Cumq; vidiſſet Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem* “
*cum Iſaac filio. Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus & puellis ludenti-* Zach 8.
*bus in plateis eius. Et cui ergo ſimiles dicam homines generationis huius, & cui* Lucæ 7.
*ſimiles ſunt? Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem,* “
*& dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis; lamentauimus, & non* “
*ploraſtis. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum. Hoc vno tamen adultio-* Pſal. 61.
*ribus etiam potiores, & planè imitandi: quod interim dum natiuæ mala nequitiæ in illis non efferueſcunt, breuiſſima etiam in infenſos ira calent, faciléque ad reconciliationem vltrò veniunt contumeliæ & offenſionis immemores, beneficos magis ac diutius amant, quàm nocentes oderint: atque ad obediendum parentibus ac magiſtris natura molliores atque habiliores ſeſe præbent: quo reſpiciens diuinus ac ſummus præceptor prædicere docẽdo ſolet. Aduocans Ieſus paruulum,* “
*ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, &* “
*efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo* “
*humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum. Puerilem hanc* “
*ſimplicitatem & modeſtiam, quã Latinus interpres humilitatem plerumque vocat, ex contrariarum affectionum remotione cognoſcendam rex Vates deſcribit: Domine non eſt exaltatum cor meum, nec elati ſunt oculi mei. Nec ambulaui in* Pſal. 130.
*magnis, & in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui* “
*animam meam. Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* “
*Hic puerorum ſimplicitas, modeſtia, docilitas, facilitas, & obedientia ex verborum cõtentione pinguntur; ruditas verò, imperitia & credulitas à D. Paulo indicantur. Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, co-* 1 Cor. 13.
*gitabã vt paruulus. Quando autem factus ſum vir: euacuaui quæ erãt paruuli.* “
*De ruditate verò & imprudẽtia puerili illud quoque ab eodẽ Apoſtolo allegatũ.*
*Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim* “
*eſt. Perfectorũ autem eſt ſolidus cibus eorũ, qui pro cõſuetudine exercitatos habẽt* “
*ſenſus ad diſcretionẽ boni ac mali. De modeſtia autem ac ſimplicitate & innocẽtia* “
*atq; ea, quam modò notauimus, ruditate, vnico verſu eidẽ peroratũ. Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote: ſenſibus autẽ perfecti eſtote. Atque hæc, quam ex vera diſciplina retulimus, natiua & communis puerorum conditio ac pars eſt, quæ niſi recto cultu, ac ſeria parentum vel magiſtrorum in-*

ſtitutione corrigatur & formetur, ad prauitatem plerumque indies flectitur propter innatum & propagatum ex prima illa deprauatione malum, ac imitandæ turpitudinis communem & pronam docilitatem. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Illud quidem non inficiamur alios ex pueris propter carnis & membrorum variam facultatem, quæ in animum quoque ab illa mundi conſtitutione valet, aliis dociliores & faciliores euadere. Namque hoc vel vnicum Iaghacobi & Eſau vincit exemplum. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti ſunt. Qui primus egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: vocatumq́ eſt nomen eius Eſau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: icirco appellauit eum Iaghacob. Sexagenarius erat Iſaac quando nati ſunt ei paruuli. Quibus adultis, factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iaghacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis. Verùm enimuerò diſcrimen hoc externa ſtudia, & corporis, vt ita loquamur, artes & exercitationes diuidit potiùs quàm internas animi, quæ pietatem propriè ſpectant, & verè humanæ dici poſſunt, imò ac debent: quibus addiſcendis nemo homo ineptus, nemo puer, qui modò communi ſenſu non careat, indocilis deprehenditur, præſertim cùm iis magna breuitas, magna perſpicuitas, vt iam oſtendimus, adiuncta ſit: & quod maximum omnium eſt, cum diuinæ opis, voluntatis ac prouidentiæ beneficium admittentibus, omnibus præſto ſit. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cuius imaginem ſol iſte mundanus refert, cuius lumen nulli niſi cæco vel nato, vel facto deeſt, atque his etiam ipſis caloris fomento adeſt, fauet, & rectè vſis prodeſt. Neque enim eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Id quod ex diuini ac veri iuſtitiæ ſolis voce, vocatione, & profeßione aſtruere in promptu fuerit. Cui offerebant paruulos [plures, & naturæ conſtitutione nimirum varios,] vt tangeret illos. Diſcipuli autem comminabantur offerentibus (vtinam non & hodie.) Quos cùm videret Ieſus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim eſt regnum Dei. Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens ſuper eos manus, benedicebat eos. Quid de ſolis huius benignitate, & ſui communicatione apertius? Quod ſi vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cæleſtis?

Gen. 8. — Ibid. 25. — Ioan. 1. — Mar. 10. — Lucæ 11.

Quòd verò non omnes Pueri, vti oportet ac decet, ab ineunte ætate formentur, temporum conſuetudinis ac morum corruptela, & præcipuè parentum vel improbitas, vel minimum, indulgentia, aut negligentia in cauſa eſt: nec tantùm liberorum vitio ac proteruiæ, quantum educantium culpæ & conniuentiæ adſcribendum, quibus vel immodicus amor, vel ſua voluptas imponit, vel deſidia obſtat. Sexagenarius erat Iſaac quando nati ſunt ei paruuli. Igitur quãdo adulti & ſenior multo, & cæcus, & negligentior, imò & indulgentior. Namque Iſaac amabat Eſau, eo quòd de venationibus illius veſceretur. Et Rebecca diligebat Iaghacob: atque domi ſe continentem, pietatis veræ rationes docebat: quas vterque quidem à puero audierat, ſiquidem vterque arcanam benedictionem paternam cupiuit. Verùm alter, vt melius doctus, & attentius informatus, expetiuit, & proſecutus eſt: alter verò, vt ſua externa ſtudia exequi, exercere nimio plus permiſſus, minus, vti res exitusq́ declarauerunt, curauit. & iam vendidit, iam

*repetere conatus eſt, & magno cum animi dolore, verùm ſerò atque importuno amiſit. Vide quid vera & ſeuera inſtitutio aut indulgentia erga pueros poſſit, & faciat? Cuius non rationem hîc omnem explicare, verùm ſemina pauca, eaq; delecta ſpargere propoſitum eſt. quæ ſi rectè excipiantur, & bono terræ concoquantur ſucco, non dubium eſt quin cœleſti calore fota, adulta & producta, ad bonam & copioſam proficiant & maturentur frugem. Felici ergo omine, hoc eſt, propitio numine, quæ lecta ac pura ad manum habemus, lectorum & auditorum vtinam vndequaque probandæ cōmittimus glebæ.*

*Non omnes idem vitæ ſtudium ac negocium tractare neceſſe eſt, verùm omnes animorum ſaluti proſpicere, conſulere, & ſtudere oportet, ſiquidem hæc ſola & vnica mortalibus viuendi cauſa eſt. Quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Quare regnum Dei & iuſtitia eius primum & præcipuè quærenda, iiſq; artibus petenda ſunt, quæ ab illius præmij principe ac pontifice ſummo & liberaliſſimo Deo commēdatas, probatas, atque etiam monſtratas nouimus, id eſt, fide & religione vno pietatis nomine coniunctis, cuius elementis ac rudimentis pueros imbuere primæ & potiſſimæ parentum curæ eſſe oportere declarauit Deus. Num celare potero Abraham* Gen. 18.
*quæ geſturus ſum, cùm futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium & iuſtitiam, vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum. Quorum qui participes eſſe voluerint, velle autem omnes debent, & mentem, & propoſitum, & ſtudium exemplumq; omne Abrahami, imitari ac perſequi iubentur. Nam qui fideles fuerint, benedicentur cum fideli Abraham. Et quidem puerilis ætas ipſa ſibi nec ſapere, nec valet conſulere, verùm quamdiu tenera, mollis, & vda eſt, ſeſe in ſapientiæ rudimentis fingendam, formandam, habilemq; præſtat: imò etiam vltrò, ſi rectè admittatur, præbet. Namque humanus animus occulto quodam monitore & inſtigatore (Deo credo) cognoſcendi facultatem ſibi eſſe agnoſcit, adeoq; propriam, vt ſuſpicari videatur copiam ſibi, hoc eſt, naturæ ſuæ aliquādo conſtitiſſe, & aliqua nimirum fraude ſubductam, quam ideo quamprimùm valere incipit, mira auiditate appetit ac repetit, id quod philoſophantium nonnullis cauſas dedit ad opinandum animos ante corpora fuiſſe, & ſapuiſſe, corporibuſq; primùm ſubitis, oblitos paulatim recordari: multaq; huiuſmodi figmenta non ex nihilo nata, ſed ex natiua in pueris cognoſcendi auiditate, & nouas res viſendi alacritate ac lætitia quæ niſi propria naturæ eſſet, non ita omnibus vbique foret communis. Vera autem huiuſmodi cupiditatis cauſa eſt, quòd natura cognitionis ac ſapientiæ compos facta fuerit à principio cuiuſquam, quam ob caſſum caruerit, tamen capax euaſerit ac manſerit. Hinc verò ſedulitatem, inſtantiam, importunitatem & aſſiduitatem illam rogandi ac percontandi pueros omnes ſolicitantem & exercētem ebullire, hinc audiendi promptitudinem, excipiendi facilitatem, & retinendi vim deduci ac perſeuerare. Verùm quidnam ſibi cognitu dignum, & quatenus quemadmodumq; cognoſci oporteat & expediat, propter iudicij acerbitatem minimum cōſtare, & ab iis peti qui magni habeantur auctores, quales parentes, magiſtri & neceſſarij ſunt, horum verò munus & officium eſſe, quam veriſſima & honeſtiſſima reſpōdere, tradere, & pro ætatis vſu explicare, ac domeſticis moribus & exemplis monſtrare, alias*

falſa

*falſa, vana, praua, turpia, vt minimum iocoſa, laſciua, & nugarum omnia gene-
ra, quibus humana magis afficitur caro, arrepturis & pertenturis. quamobrem*
Exodi 13. *illud in diuina lege parentibus imperatum, & inculcatum ſæpius. Cumq́ interr-
» rogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid eſt hoc? Reſpondebis ei, In manu forti*
Deut. 6. *eduxit nos Dominus de terra Aegypti de domo ſeruitutis. Cùm interrogauerit
» te filius tuus cras, dicens: Quid ſibi volunt teſtimonia hæc & ceremoniæ atque
» iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noſter nobis? Dices ei, Serui eramus Pha-
» raonis in Aegypto, & eduxit nos Dominus de Aegypto in manu forti: fecitq́
» ſigna atque prodigia magna & peſſima in Aegypto cõtra Pharaonem, & omnem
» domum illius in conſpectu noſtro, & eduxit nos inde, vt introductis daret ter-
» ram ſuper quam iurauit patribus noſtris. Præcepitq́ nobis Dominus vt* FACIA-
» MVS *omnia legitima hæc, &* TIMEAMVS DOMINVM *Deum noſtrum, vt be-
» ne ſit nobis cunctis diebus vitæ noſtræ ſicut eſt hodie. Eritq́ noſtri miſericors, ſi
» cuſtodierimus & fecerimus omnia præcepta eius coram Domino Deo noſtro. Et*
Iosue 4. *quando interrogauerint vos filij veſtri cras, dicentes: Quid ſibi volunt iſti la-
» pides? Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini,
» cùm tranſiret eum: Iccirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorũ Iſrael
» vſque in æternum. Et quidem pueris interrogandi præceptum non legimus im-
poſitum, vtpote iam ab ipſa natura imperatum & inſitum: at verò parentibus
& maioribus horum docendi filios edictum datum, atque identidem repetitum*
Deut, 4. *conſtat. Ne obliuiſcaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de
» corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos, diem in quo
» ſtetiſti coram Domino Deo tuo in Horeb: quando Dominus locutus eſt mihi, di-
» cens, Congrega ad me populum, vt audiant ſermones meos, & diſcant timere me*
Deut. 6. *in omni tempore quo viuunt in terra, doceantq́ filios ſuos. &, Audi Iſrael, Do-
» minus Deus noſter Deus vnus eſt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde
» tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntq́ verba hæc quæ ego
» præcipio tibi hodie in corde tuo:* ET NARRABIS *ea filiis tuis, & meditaberis
» ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens. Atque
adeò ex naturæ officio paternam inſtituendi filij curam certam eſſe debere Deus
aſſeuerat, vt ſimilem ipſe ſibi erga homines inſtruendos ad amoris argumentum*
Deut. 8. *adſcribat. Vt recogites in corde tuo, quia ſicut erudit filium ſuum homo, ſic Do-
» minus Deus tuus erudiuit te, vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules
» in viis eius, & timeas eum. Atque ita laudandis in ſeculis actum ita per bonos
patres, ac liberis benè ſemper conſulentes factitatum declarat, fidémque facit
Vates illo in Pſalmo, qui ob eam rem* INTELLECTVS ASSAPH *Latinè inſcri-*
Psal. 77. *bitur. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem veſtram in verba
» oris mei. Aperiam in parabolis os meum: loquar propoſitiones ab initio.
» Quanta audiuimus & cognouimus ea: & patres noſtri narrauerunt nobis.
» Non ſunt occultata à filiis eorum, in generatione altera. Narrantes laudes Do-
» mini, & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit. Et ſuſcitauit teſtimonium in
» Iacob: & legem poſuit in Iſrael. Quanta mandauit patribus noſtris nota facere
» ea filiis ſuis: vt cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur, & exurgent, &
» narrabunt filiis ſuis. Certam itaque, conſtantem & perpetuam de liberis inſti-
tuendis legem parentibus eſſe Deus voluit, & Vates viriq́ boni laudantes com-
mendauere. Init utionis autem argumentum ſummum & potiſſimum, imò*

*vn icum*

*vnicum declaratum repetimus. Narrantes laudes Domini & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit. Cauſam autem & vſum eueſtigio indicatum, & nos indicamus. Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Non ideò præcipuè vt eloquantur, vt recitent, vt verbis ſermonibusq́; iactent, vt quæſtus compēdij, aut gloriæ cauſa profiteantur, ſed magis ac maximè vt virtute ac totius vitæ officio & moribus, & re præſtēt. Ne fiant ſicut patres eorum, generatio praua & exaſperans. Generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli. Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Hæc itaque puerilis ætatis habilitas ac docilitas, hæc parentum curæ, lex & conditio: atque hoc inſtitutionis argumentum eſt, modum autem & rationem cum non omnibus æqualia eſſe conditionum varietas ferat; tamen tantùm communia omnibus & paria quantum ad vitæ piè degendæ vſum ſingulis ordinibus, imò & capitibus eſſe ſatis poſsit, illud perſuaſis, vt animalis vitæ in terris ſiue ſpirabilis aëris libera & opportuna copia vſuram, ita ſine vera inſtitutionis facultate humanæ vitæ verum commodum & ſalubrem vſum contingere & conſtare non poſſe, quare parentum non tam propria fuerit cura vt filij ſint & viuant, (cùm hoc ſoli Deo præſtare integrum) quàm vt verè humanè, id eſt, piè viuere iam inde à teneris inſtituantur, ac diſcant. quam facultatem & copiam idem qui inſtituit & præcepit, & commendauit, idem qui rationem docuit, & ſe dextrum ac fauentem, atque etiam præeuntem pollicitus opportunè præbet Deus, cùm ipſis communicatam voluit, Ponite corda veſtra in omnia verba quæ ego teſtificor vobis hodie,* Deut. 32.
*vt mandetis ea filiis veſtris cuſtodire & facere: & implere vniuerſa quæ ſcripta ſunt legis huius: quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, ſed vt ſinguli in eis viuerent. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant vni-* Deut. 5.
*uerſa mādata mea in omni tempore, vt benè ſit eis, & filiis eorū in ſempiternū?*

*Iam verò vt breuem hunc puerilis ætatis enauigaturi ſinum ſtrictioribus velis, atque vnica velitatione vtemur, tribus tantùm remigiis exercendis negotium abſoluemus totum, puerúmque noſtrum in breui nauigatione inſtructum, ita dabimus comparatum, vt ſi amplius mare nauigare vel ratio vel ſors impulerit: tamen breuis hæc ars plurimum iuuet & promoueat, tantum abeſt vt vmquam fallat.*

*Puerilis eruditio tribus tantùm expedietur membris, vno, quod morum normam: altero, quòd animi informationem: tertiò, quod ad laboris leuamen reſpiciat. Namque his partibus tamquam fundamentis rectè & opportunè iactis, ac probè conſidentibus quidquid ſuperſtructum fuerit, Deo fauente, promouente, & conſeruante firmabitur, & ad diuinæ ciuitatis partes haud dubiè apponetur feliciter.*

*Duobus primùm elementis pueri à tenerrimis etiam annis imbuendi; metu, non hominum, non monſtrorum, aut laruarum, vel earum ineptiarum, quibus per ſtultas nutrices terreri ſolēt. quæ cùm nihil ſint prorſus, merum tamen, imò miſerum in modum homines ab infantia vſque timidos, pauidos, & ignauos reddunt argumento magnæ in illa ætate facilitatis & mollitudinis, ad bonarum aut malarum opinionum & affectionum initia combibenda. Et quidem teneritudo illa propter imbecillitatem ad metum, ad pauores & horrores prona,*

*in vnicum Dei timorem inducenda & impellenda: qui profectò timor quem puerum corripuerit & impleuerit, fortiſsimum tandem virum nemini ſe præterea niſi ſolius Dei timentem, & ad omnia forti animo ac diligente virtute promptũ præſtabit.*
Eccli. 7. & 8 *Quia qui timet Deum nihil negligit. Ego cognoui quòd eſt bonum*
» *timentibus Deum qui verentur faciem eius. Semen hominum honorabitur hoc,*
Ibidem. 10. *quod timet Deum. Et qui timent Dominum erunt in oculis illius. Timor Do-*
» *mini odit malum. Timor Domini apponit dies, & anni impiorum breuiabun-*
Prou. 8. *tur. In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit ſpes. Denique, Ti-*
Ibid. 10 & 14. *mor Domini fons vitæ, vt declines à ruina mortis. Quare vnico timore Dei imbuendi infantes, & inſtruendi pueri, atque illius intimato nomine ab omni, non ſolum facto, verùm opprobrio quoque turpi deterrendi & auertendi, interim verò modeſtè & humanè à parentibus caſtigandi: ita tamen vt non tam ex corripientium ira, quàm ex Dei timore & inſtituto caſtigationem ſe accipere intelligant.*
Prou. 23. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum vir-*
» *ga, non morietur. Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno libera-*
Ibid. 13. *bis. Igitur, Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit.*

*Huius quoque membri pars altera hominum reuerentia eſt, quæ pueris naturæ liberalitate induta proba inſtitutione tenaciſsimè hæret, & cum ætate creſcit, negligentia verò aut turpibus exemplis facilè exuitur, ſemel autem depoſita diſſoluitur, & numquam poſtea reſtituenda perit. Cùm verò infantum cognitio omnis ſenſum præcipuè occupet, promptius & facilius homines quos videt, quàm Deum, quem non videt, excipit, ac ſuſpicit. Docendus ergo infans, Deum omnibus hominibus, etiam regibus maximis, immo & Angelis maximo interuallo meliorem, potentiorem, ſanctiorem, atque omni nomine præſtantiorem eſſe: deinde verò ſingulis hominibus honorem ac reuerentiam præſtare iubendus, ac ſenioribus præſertim, quos ad exemplum ipſis conſeruatos Deus voluerit, atque iis maximè qui ſacra ac publica gerunt munera, vt regibus, principibus, & magiſtratibus, vtpote malorum & improborum vindicibus, bonorum in vita aſſertoribus & cuſtodibus: tum præterea illis, quibus ſancta tractanda & agenda, ac pietatis documenta cum ceteris communicanda ſint tradita. atque hoc pacto ſacerdotum, doctorum, præceptorum, ac ſacrorum miniſtrorum ordines, quos omnes huic ætati mirabiles ac ſuſpiciendos indicari, tradi & perſuaderi, & ad pudorē & verecundiam, & ad omnem vitæ partem præſtiterit.*
Leuit. 19. *Coram cano ca-*
Eccl. 8. *pite conſurge, & honora perſonam ſenis: & time Dominum Deum tuum. Ego*
» *ſum Dominus. Ne ſpernas hominem in ſenectute ſua, etenim ex nobis ſeneſcunt.*
Prou. 16. *Corona dignitatis ſenectus, quæ in viis iuſtitiæ reperitur.*
Deut. 26. *Procacitatis autem nomine damnatam & infamem gentem quæ non deferat ſeni diuina notat lex.*
Eccleſ. 7. *In tota anima tua time Deum, & ſacerdotes eius ſanctifica. Honora Deum ex*
» *tota anima tua: & honorifica ſacerdotes. Denique membri huius vtilitas illa*
» *eſt, Ante verecundiam præibit gratia: & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.*

*Primum inſtitutionis puerilis caput, quod ad morum viam ianua eſt, timore Dei & hominum reuerentia formauimus, breue quidem ac rude, ſed rudibus adhuc vitæ tironibus ad initia commodum. Huic proximum ac tempore ſecundum informationem animi adiungimus. Nam timoris Dei, & pudoris ac reue-*

rentiæ

rentiæ initiatio ab ipſis fere incunabulis, ſaltem ex quo puer certo ſignat humum pede, oportunitatis initium ducit. Verùm animi informatio, quæ primam in memoria ſtationem figit, quo tempore puer meminiſſe ac recordari occipit, commodè inchoatur, qui ſiue legere docendus eſt, quod cunctis commodiſſimum, & multis gentibus in communi vſu eſt, ſiue literas numquam vel à limine ſalutet: tamen doctrinæ ſacræ, cuius præceptis & inſtitutis ad omnem vitæ partem indiget (aliàs vix hominis dignus nomine) vel ad plenum inſtruendus, vel breuis compendij ſumma fingendus, & informandus: nec audire tantùm & cognoſcere quodammodo iubendus, verum cogendus ediſcere. Namque illi ætati ſua ſponte audita quæcumque ebibenti, & quæ hauſta fuerint, diutiſſimè retinenti: longè facilior & felicior & mens ad excipiendum, & memoria ad conſeruandum contigit, modò non ea propinentur, quæ prorſus obſcura incognitáque maneant, qualia ſunt quæ, vt Iſaias notat: In loquela labij & lingua altera. Pueri Iſaiæ 28. magno, & nihil proficiente labore, multo cum faſtidio haurire coguntur, quamprimùm euomenda, vel ſi reſederint, minimum adiutura. Quo quidem in argumento libenter illud ſancti ac linguarum peritiſſimi Apoſtoli, aliorum ædificationem reſpicientis, dictum ad pueri rudis adhuc omnium, & à me fingendi, & imbuendi inſtructionem vſurpabo. Volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt 1 Cor. 14. alios inſtruam: quàm decem millia verborum in lingua. Cum quo equidem Apoſtolo, quamquam nulla prorſus virtute componendus, tamen diuini beneficij conſcius & memor, Gratias ago Deo meo quòd multorum linguis loquor. Quod verò vt capiantur, ac mente conſeruentur, pueris ediſcenda arbitremur: Si commodè id poſſit, plenum Chriſtianæ doctrinæ argumentum pluribus verſibus explicatum, idq́ pedibus ac numeris conſtructum, quo orationis genere memoria & ediſcendo minus laborat, & retinendo plus poteſt. Sin verò tantùm ediſcere vel ingenij tarditas impedit, vel alia externa vetat cauſa, ſumma ſaltem totius pietatis capita, oratione aut numeris aſtricta, aut libera breuibus dictatis capere, ac rogatus promptè reddere iubeatur, vtrouis vel modo vel modulo id fieri poſſit, impeditiores quidem illud audire & præſtare oportuerit: Fili, à iuuẽtute tua excipe doctrinam: & vſque ad canos inuenies ſapientiam. Quaſi is qui arat & qui ſeminat accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius; in opere enim ipſius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius. Quàm aſpera eſt nimium ſapientia in doctis hominibus, & non permanebit in illa excors. Hæc ſatis ad pueros, quos aut incuria patrum improba, vel matris facit indulgentia pigros.

Impeditioribus doctrinæ ſumma proponẽda.

Eccli. 6.

Qui verò & melius & prudentius educati, nullis legitimis retinentur vinculis, illud à nobis hîc citatum ſeriò moniti, cognoſcere, probare, & agere diſcuntur. Audi fili, & accipe conſilium intellectus, & ne abiicias conſilium meum. Iniice pedem tuũ in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subiice humerum tuũ, & porta illã, [Sapientiam notitiamq́ diuinæ legis] & ne acedieris vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illam: in omni virtute tua conſerua vias eius. Inueſtiga illam, & manifeſtabitur tibi: & continens factus ne derelinquas eam, in nouiſſimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem: & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ. Decor enim vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutaris. Stola gloriæ indues eam, & coronam gratulationis

Expeditioribus ſapiẽtia colenda. Ibid.

,, *tionis ſuperpones tibi. Fili ſi attenderis mihi, diſces: & ſi accommodaueris animum tuum, ſapiens eris: ſi inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam: & ſi dilexeris audire, ſapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentum ſta: & ſapientiæ illorum ex corde coniungere,* VT OMNEM NARRATIONEM DEI *poſſis audire: & prouerbia laudis non effugiant te. Et ſi videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. Cogitatum tuum habe in* PRAECEPTIS DEI, *& in mandatis illius maximè aſſiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.*

Lætitiæ ſtudium in pueris. *Reliquum eſt tertium puerilium rudimentorum caput ſua ſponte gratum, vtpote iucundum, & ex ætatis habilitate commendabile. Nam pueri natura vt humanarum curarum ignari ac rudes: ita contrà lætitiæ auidiſſimi: adeò, vt nonniſi ex præſenti doloris ſenſu mæſtitiam admittant, qua, vbi dolere deſinunt, reiecta, nec præteritorum memores malorum, nec futurorum præſagientes, aut ſoliciti, gaudium ac lætitiam quamprimùm vel leuiſſimis argumentis & cauſis recuperent.* Laudibus diuinis aſtruendum. *Puerorum autem lætum vel exaltans, vel ſedatum cor nullus ludus melius & frequentius indicat, vel magis decet quàm cantus. hoc præſertim in luſibus, hoc in via, hoc in opere quoque occupatuli, hoc, etiam ſedentes per otium delectantur, &* Grandiorũ imitatrix hæc ætas. *grandiorum ac virorum carmina & modos mira celeritate ac facilitate imitati referunt, ſaltationes quoque non æmulātur tantùm & exprimunt, ſed artis etiamnum rudes, tamen venuſtate vincūt, atque omnia hæc cùm ſua ſponte propter ingenij infantiam inuenire neſciant, ex præſentis conſuetudine temporis, & grandiorum vel certa diſciplina, vel communi exemplo arripiunt, ac breui facilíque meditatione obtinent, & in ſuis theatris, hoc eſt, domibus, plateis, compitis ac foris quocumque in triuio, vel ſoli, vel pauci, vel frequentes agunt. Nullum verò magis certum, nullum magis obuium ac promptum communium in vrbibus, oppidis, ac pagis morum, & conſuetudinum indicium, quàm puerorum ludi, atque in his cantiunculæ præſertim quæ grandiorum plerumque in vitæ fabula actorum exiguis illis in perſonulis repræſentant imaginem.* Carminum & modorũ ſpecies conſuetudinis communis indicium. *Sed (heu ſeculi opprobrium, ac temporum pudor dicam, an impudentia?) cùm nihil facilius & citius teneræ ætati quàm alienum exemplum hæreat (vtpote vdo adhuc & molli luto) nihil referatur & exprimatur libentius propter ſpectatum plauſum & riſum, fœdiſſima ac turpiſſima quæque dicta ac geſta, non monſtrata modò, ſed ſtudioſè à grandioribus, atque vtinam non à domeſticis, tradita deprehenduntur. Cùm ex diuinæ diſciplinæ iure maxima in omni turpitudinis & vitij genere puero debeatur reuerentia, vt illa cumprimis cura à parentibus adhibenda, illa danda ſit opera, vt pueri quamuis indoctum, tamen vbicumque fuerint, purum honeſtúmque canant: nihil verò æquè honeſtum, nihil Chriſtianis cum liberis, tum parentibus, tum etiam auditoribus & ſpectatoribus æquè dignum, nihil demùm perinde gratum, iucundum, & ad laborum leuamen, mæſtitiæ ſolamen, & vitæ porrò inſtruendæ commoditatem aptum, vtile, & ita commodum, atque carmina & cantus in quibus Dei celebrantur laudes, beneficia, donáque diuina, & piorum ſanctorúmque virorum facta & exempla memorantur.*

*Ex hoc inſtituto illa monita, illa præcepta frequentiſſimè audiuntur quidem,* Pſal. 112. *hominum tamen culpa rarò nunc vſurpantur. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.* Ibid. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſtì laudem pro-*

pter

*pter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem. Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini: quoniam exaltatum eſt nomen eius ſolius.* Pſal. 148. *Hunc ſacrum canendi morem & vſum maiorum ſcelere pueris ſublatum accuſat apud Vatem Deus. Mulieres populi mei eieciſtis de domo deliciarum ſuarum: à paruulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum.* Mich. 2. *Et quidem inter inimicos, turbatis etiam temporibus & impiorum infantibus luctu & fletu oppreſſis. Abſconsè ſacrificabant iuſti pueri bonorum, & iuſtitiæ legem in concordia carminum poſuerunt argumentum illud, Similiter & bona & mala recepturos iuſtos, patri omnium decantantes laudes.* Sap. 18. *Itaque ſenioribus hæc infantum habenda ratio ætate etiam & arte minoribus non aliud proferendum, pueris non aliud referendum exemplum, niſi vt, Omnis ſpiritus laudet Dominum.*

*Quicumque hos ab infantia mores, atque hos luſus inierit puer, is profectò, ſi priuatam vel etiam ruſticam acturus vitam fuerit, quemadmodum purè atque innocenter viuat, ſatis notitiæ perceptum obtinebit, idémque qua laborum duritiem minus læſus ferat, optimi ſolaminis certam ſibi comparabit artem, vt nec ditioris, aut ſplendidioris cuiuſpiam rebus & vſibus inuideat, nec paternæ domui, nec parentibus minori decori, aut minori ſit lætitiæ.* Inſtitutionis probæ vſus felix. Et am priuatis.

*Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius.* Pſal. 127.
*Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.* "
*Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* "
*Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* "
*Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.* "

*Sin verò ad publica munia, & rerum in bello ac pace agendarum ſtudia animum is appulerit, iiſdem etiam elementis inſtructum, ad maiora diſcenda & peragenda facile promotum experietur. Namque mortales homines duabus his conditionibus ſacra diſpertitur doctrina, alteróſque* BENE-ADAM, *alteros* BENE-IS *vocat. Vtroſque verò Dei, & ſui ipſorum cognitione primùm initiatos eſſe vult.* Et ad publica vtile: undamentum. בני אדם בני איש Hominum conditio duplex.

*Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem.* Pſal. 77.
*Quiq; terrigenæ & filij hominum [magnatum] ſimul in vnum diues & pauper.* "
*Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.*

*Ad quas verò artes atque ſtudia vnuſquiſque à natura impellatur, aut rapiatur potius, ætas hæc, certiſſimum dabit indicium, nudato per ſimplicitatem ingenio, ac ſæpiſſimè etiam per luſum ſui præbente ſpecimen. Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius.* Ingenij in pueris indicium. Prou. 20.

*Hæc verò vel promoueri, vel contraria corrigi, nullo modo commodius aut certius poſſunt, quàm aſſidua diuinæ doctrinæ meditatione: ad quam à teneris vſque vnguiculis aſſuefaciendum puerum iubet, & præſens hortatur Deus.* Exercendi à teneris. *Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. Docete filios veſtros, vt illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque ſurrexeris.* Deut. 11.

*Hactenus puerilis ætas nobis nec durè ac rigidè, nec molliter, ſed humanè excepta atque habita, & ad teneræ plantæ modum culta eſt, cuius terminus ad iuuentæ initium deducitur, non tam annorum numero, quàm agendi facultate præfigendus, cùm Salomon vix duodecimum ſuperans annum, ſenibus etiam* admi-

*admirandi regis exemplum ſe præbuerit celeberrimum. Verùm de ætatum ſpatiis in operis huius veſtibus plura.*

## IVVENTA.

III. PROXIMA *nobis ſeſe tractandam iuuenta exhibet, non quidem habitu difficilis, vbi à teneris annis iis quas edocti ſumus artibus, manſueſcere iuſſa fuerit, aliàs verò nec exiguæ curæ, nec leuis negotij, aut negligentis cuſtodiæ egens. Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum: vt mitiges ei à diebus malis. Ac primum quidem nomen, deinde definitionem, tum ætatis vſum, atque è diuerſò abuſum; poſtremò, quid in his inſtitutio velit, ac poßit, exponenda nobis proponimus.*

### BEHHVRIM.

IIII. IVVENTAE *nomen multitudinis numero plerumque vocatum, non vnum ſimplex ac ſibi perpetuò conſtans, & omnibus commune huius ætatis exemplum indicat. Significat verò idem quod Latinè lecta, ſiue electa: vel electui idonea: eò quòd antehac vel ad minores artes, vel ad maiora munera nullum ſatis aptum caput: hac verò ætate nullum ad aliquid agendum vel faciendum modò delectus adſit, non ſit optabile. Hoc nomen à Salomone vſurpatum obſeruatur. Memento Creatoris tui in diebus* BEHHVRECHA *iuuentutis tuæ, ſiue, iuuentarum tuarum. Eſt autem iuuentas* HVMANI ÆVI FLOS, *id eſt, elegantißima & pulcherrima totius vitæ pars, quod ad membrorum corporis decorem & ſpeciem attinet. id quod à ſapientißimo gentium mutuati ſu-*
Iob 14. *mus. Homo natus de muliere breui viuens tempore, qui quaſi flos egreditur.*
Ibidem 55. *Quam imaginem aliàs auctor idem perſequitur. Lædetur quaſi vinea in pri-*
» *mo flore botrus eius: & quaſi oliua proiiciens florem ſuum. Et quidem nullo vel prolixo ſermone ætatis huius breuitas declarari ac denunciari apertiùs, & ma-*
Iſaiæ 4. *gis propriè potuit. id quod Iſaias ſignificauit. Omnis caro fœnum, & omnis glo-*
» *ria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Quare hanc vitæ portionem non duratione tantùm, ſed multo etiam magis vſu celerem & feſtinam intelligimus, quæ antequam plenè agnoſcatur, flacceſcit.*

*Atqui iuuentas niſi aliter ex ratione inſtitutionéque habuerit, ad otium in luſibus, cantibus atque iocis, & ſtultis amoribus, vel, ſi durioris ingenij fue-*
Ierem. 5. *rit, in venatione ferendum ſponte inclinat. Senes defecerunt de portis, iuuenes*
Eccli. 11. *de choro pſallentium. Atque ad hoc ſeſe ipſi mutuò adhortari ſolent. Lætare*
» *ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis*
» *tuæ: & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum. & Salomon:*
Prou. 7. *De feneſtra, inquit, domus meæ per cancellos proſpexi, & video paruulos, con-*
» *ſidero vecordem iuuenem, qui tranſit per plateas iuxta angulum, & prope viam*
» *domus illius graditur in obſcuro, adueſperaſcente die, in noctis tenebris, & ca-*
» *ligine. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas*
» *animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere*
» *pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians. Ap-*
» *prehenſumque deoſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victi-*
» *mas pro ſalute deuoui, hodie reddidi vota mea. Idcirco egreſſa ſum in occurſum*
*tuum;*

*tuum. deſiderans te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum meum, ſtraui “
tapetibus pictis ex AEgypto. Aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cinna- “
momo. Veni inebriemur huberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec il- “
luceſcat dies. Non eſt enim vir in domo ſua, abiit via longiſſima. Sacculum pe- “
cuniæ ſecum tulit: in die plenæ lunæ reuerſurus eſt in domum ſuam. Irretiuit “
eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam ſe- “
quitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans “
quòd ad vincula ſtultus trahatur. Qui ab hac mollitudine & ſtultitia abhor- “
rent, nec litteris aut aliis artibus horas operámque dant, venationis tenentur
ſtudio, laudandi quidem præ iſtis, verùm durioribus moribus, & ab humanita-
te magis alienos, minúſque pios ſe præbent, quorum exemplum. Eſau vir gna- Gen.25.
rus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir ſimplex habitabat in taber- “
naculis. Iſaac amabat Eſau, eò quòd de venationibus illius veſceretur: & Re- “
becca diligebat Iaacob. Coxit autem Iaghacob pulmentum: ad quem cùm ve- “
niſſet Eſau de agro laſſus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò laſſus “
ſum. Quam ob cauſam vocatum eſt nomen eius Edom. Cui dixit Iaghacob: “
Vende mihi primogenita tua. Ille reſpondit: En morior, quid mihi proderunt “
primogenita? Ait Iaghacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Eſau, & vendidit “
primogenita. Et ſic accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit, “
PARVIPENDENS quòd primogenita vendidiſſet. Talis plerumq; iuuenum ſi- “
ne deliberatæ inſtitutionis diſciplina ætas & natura eſſe ſolet.*

*Verumtamen ſi tempeſtiuè ad vtiles traducatur artes, nulla commodior, op-
portunior nulla eſt, ad belli præſertim exercitia & labores, & ad prœliorum ac
pugnæ intrepidas conſertiones, propter membrorum robur, & animi alacrita-
tem, ac periculorum contemptionem, & gloriæ laudíſque cupiditatem & æmu-
lationem. Non quòd ea ad gerendum & gubernandum bellum, ſed ad manum
cum hoſte conſerendam prompta, audax, ac præſtans, ideóque eligenda ſit. Id
quod probè tenens Abrahamus, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecen- Gen.14.
tos decem & octo: & perſecutus eſt hoſtes vſque Dan. Et diuiſis ſociis, irruit “
ſuper eos nocte: percuſſítque eos, & perſecutus eſt eos vſque Hoba & Phœni- “
cem, quæ eſt ad læuam Damaſci. Reduxítque omnem ſubſtantiam, & Lot fra- “
trem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoque & populum. Namque vt Sa- “
piens ait: Exultatio iuuenum fortitudo eorum: dignitas verò ſenum canities. Prou.20.
Ita fit, vt conſulentibus his & imperantibus, illis verò obſequutis & audenti-
bus res bello gerendæ, ſecundos habeant exitus. Quo etiam conſilio, Congrega- 2 Par.25.
uit Amaſias Iudam, & conſtituit eos per familias, tribunóſque & centurio- “
nes in vniuerſo Iuda, & Beniamin: & recenſuit à viginti annis ſurſum, in- “
uenítque triginta millia iuuenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent “
haſtam & clypeum. Ita quamquam ſine maturioris ætatis conſilio & imperio, “
nec iniri rectè, neque confici bellum poſſit, ſine iuuentutis copia; tamen tentari
non debet: vt neque caput, quamquam rectè excogitatum quicquam ſine ma-
nibus efficere valet. Id quod Ieroſolymitani homines teſtare ac commonſtràre
planè poſſunt. Adduxit enim ſuper eos Dominus regem Chaldæorum, & in- Pſal.77.
terfecit iuuenes eorum gladio in domo ſanctuarij ſui: & iuuenes eorum comedit “
ignis. Ita fractum animi robur, & membrorum eneruatas vires, ex oraculo mi-
natus Iſaias, denunciauit: Deficient pueri, & laborabunt: & iuuenes in infir- Iſaiæ 40.*

*mitate*

Iſaiæ 31. *mitate cadent. Idémque de Aſſyriis ferè prædictum. Et cadet Aſſur in gla-*
„ *dio non viri: & gladius non hominis vorabit eum. Et fugiet non à facie gladij,*
Ierem 38. *& iuuenes eius vectigales erunt. Et Ieremias, Vaſtata eſt Moab, & ciuitates*
„ *illius ſuccenderunt, & electi iuuenes eius deſcenderunt in occiſionem, ait Rex,*
„ *Dominus exercituum nomen eius. Et quod ſummæ calamitatis nomine ex Ie-*
Thren. 1. *roſolymorum perſona idem lamentatur. Audite obſecro vniuerſi populi, &*
„ *videte dolorem meum: virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.*
1 Mach. 2. *Cui & illud perſimile. Vaſa gloriæ eius captiua abducta ſunt: trucidati ſunt*
„ *ſenes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum.*

*Neque verò non omnes iuuenes ad publicas res, domi etiam adminiſtran-das ineptos eſſe Deus voluit: qui quoſdam interdum in maturis adhuc annis grauiori etiam ætati præferendos decreuit. Nam præter Ioſephum, cui totum Aegyptiacæ regiæ conſilium, quamquam aliàs ſapientiæ ac prudentiæ gloria tumens: tamen regni gubernationis notitiam ac dexteritatem conceſſit cum re-*
Pſal. 104. *ge. Qui conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſio-*
„ *nis ſuæ. Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. Præter Salomonem, quem ſapienter poſtulantem & optantem incom-parabili ſapientia auxit, Ieremiam Vatem tantis, ac tam multis inſtruxit ſa-pientiæ, prudentiæ, ac fortitudinis, & patientiæ virtutibus, vt inimicis & æmulis inuictiſſimo victoris animi ſtupendum, & hoſtibus mirabile ac vene-*
Ierem. 1. *rabile ſtatuerit exemplum. Noli dicere, puer ego ſum: quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis: & vniuerſa quæcumque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego ſum, vt eruam te, dicit Dominus. Et miſit ma-num ſuam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Et Daniel iuue-nis admodum damnatæ falſi criminis Suſannæ pudorem ac vitam prudenti ad-uerſum ſenes actione, ac diſſertatione defendens ac diiudicans aſſeruit. Rara, in-quies, iſta exempla & interuallis ſpectata longiſſimis: excipio, non quidem ob numinis inuidiam rara, ſed ob temporum & hominum peruerſa, & à recta ele-ctione abalienata ſtudia. Quotus enim quiſque eſt, vel parentum qui filiis, vel iuuenum, qui vnicum ſibi ſapientiæ donum votorum in vita ſummam ſta-*
Iac. 1. *tuat, idque vnicum poſcat? Quiſnam ab illo excluſus monitu? Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. Et quidnam aliud niſi falſa opinio, & corrupti mores pulcherrima diuinæ liberalitatis ornamenta iuuentuti contin-*
„ *gere & hærere vetat? Viuit profectò viuit, viuit & vult, & poteſt, in æter-*
„ *númque poterit, & præſtabit idem qui dixit: Suſcitaui de filiis veſtris in Pro-*
Amos 2. *phetas, & de iuuenibus veſtris Nazareos. Numquid non ita eſt filij Iſrael? di-cit Dominus. Cur verò ſimile beneficium quotidianis exemplis non conſtet, ma-nifeſtas idem cauſas exprobrat. Et propinabitis Nazareis vinum, & Prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis. Viuit & valet idem qui pollicitus quon-*
Ioel. 2. *dam opportunè, etiam promiſſa illa præſtitit. Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij*

*veſtri*

*veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Atqui nouiſſimi illi dies fluxere quidem, ſed nondum effluxere: verùm enimuerò quod fortiſſimus accuſat Vates. Peccata veſtra prohibuerunt à vobis bonum.* Act. 2. Ierem. 5.

*Dictum quæ & quanta commoda de ſe iuuentus ſperare concedat: rurſus qualia incommoda metuere admoneat, dicendum. Prima iuuenis hominis inconſulti animi temeritas, & iudicij præceps eſt ſententia, idq́ plerumque cenſendum vbi nec religio, nec recta præierit inſtitutio, (nam de homine animali nunc agimus, qui peruerſæ naturæ impetu ſæpe ac ſæpius fertur) cuius vitij inſigniter miſerabile exemplum ſeſe in hanc vitæ ſcenam prodit ſapientiſſimi patris ſtultiſſimus filius atque hæres Ierobaghamus. Qui dereliquit conſilium ſenum quod dederant ei, & adhibuit adoleſcentes qui nutriti fuerant cum eo, & aſſiſtebant illi, dixítque ad eos, Quod mihi datis conſilium, vt reſpondeam populo huic? qui dixerunt mihi: Leuius fac iugum quod impoſuit pater tuus ſuper nos? & dixerunt ei iuuenes qui nutriti fuerant cum eo, Sic loquere populo huic, qui locuti ſunt ad te, dicentes: Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, tu releua nos: Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. Et nunc pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugum veſtrum. Pater meus cecîdit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus. Venit ergo Ieroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia, ſicut locutus fuerat rex, dicens: Reuertimini ad me die tertia. Reſpondítque rex populo dura, derelicto conſilio ſeniorum, quod ei dederant, & locutus eſt eis ſecundùm conſilium iuuenum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro: pater meus cecîdit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus. & non acquieuit rex populo. Exitus ergo quis fuit? O imprudentia! O temeritas! Videns populus quòd noluiſſet eos audire rex, Reſpondit ei, dicens: Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Iſai? Vade in tabernacula tua Iſrael, nunc vide domum tuam Dauid. Et abiit Iſrael in tabernacula ſua. Super filios autem Iſrael, quicumque habitabant in ciuitatibus Iuda regnauit Ieroboam. Miſit autem rex Roboam Aduram, qui erat ſuper tributa: & lapidauit eum omnis Iſrael, & mortuus eſt. Porrò rex Roboam feſtinus aſcendit currum, & fugit in Ieruſalem. Receſſítque Iſrael à domo Dauid vſque in præſentem diem. Eandem ætatem prudentiæ & conſilij iactabundam (quæ nimium inconſulta imprudentia eſt) atque ſenioris imperitiæ contemptricem, ſubitáque ferocem ira ita depictam contemplari licet, Quid noſti quod ignoremus? quid intelligis quod neſciamus? Et ſenes, & antiqui ſunt in nobis multo vetuſtiores, quàm patres tui. En alteram, Igitur Eliu expectauit Iob loquentem: eò quòd ſeniores eſſent qui loquebantur.*
Incommoda. 3 Reg. 12. Iob 15. Ibid. 32.

*Cùm autem vidiſſet quòd tres reſpondere non potuiſſent, iratus eſt vehementer.*
*Reſpondénſque Eliu filius Barachel Buzites dixit:*
*Iunior ſum tempore, vos autem antiquiores: iccirco dimiſſo capite veritus ſum vobis indicare meam ſententiam.*
*Sperabam enim quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam. Sed vt video, Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*
*Non ſunt longæui ſapientes: nec ſenes intelligunt iudicium.*
*Ideo dicam, Audite me, oſtendam vobis ego meam ſapientiam.*

 Et

» *Et paulò pòſt hæc rurſus poſt exprobratam ſenioribus ineptiam. Quoniam*
» *igitur expectaui, & non ſunt locuti, ſteterunt, nec vltra reſponderunt.*
» *Reſpondebo & ego partem meam, & oſtendam ſcientiam meam.*
» *Plenus ſum enim ſermonibus: & coarctat me ſpiritus vteri mei.*
» *En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrum-*
» *pit. Loquar, & reſpirabo paululum: aperiam labia mea, & reſpondebo.*
» *Non accipiam perſonam viri: & Deum homini non æquabo.*

*Iam qui vltra animi impotentiam ac diſciplinæ impatientiam, libertatem, & vitiorum ac turpitudinis fomenta, hoc eſt, auri argentiq́ facultatem nacti fuerint, quales fiant, viuo, & omnibus in terris frequẽti exemplo ſummus Magiſter* Lucæ 15. *oſtendit. Homo quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis patri,*
» *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtan-*
» *tiam. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregre*
» *profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſsipauit ſubſtantiam ſuam vi-*
» *uendo luxurioſè. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in*
» *regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius.*
» *Et miſit illum in vineam ſuam vt paſceret porcos. En quo deuenire ſolet laſciua ætas in diuite domo nutrita, & nullius bonæ artis compos. Ac de iis quæ humana iuuenta, nullo adhibito cultu, ſua ſponte afferat commoda & incommoda ſatis indicatum. Reſtat indicandum quantum ea electione ac diſciplina vel promoueri, vel corrigi poſsit & ſoleat. Cultum autem, ſiue diſciplinam dicimus,* DIVINORVM PRAECEPTORVM ET PROMISSORVM ATQVE PRAEDICTORVM NOTITIAM ET OBSERVANTIAM. *Notitiam ab obſeruantia non diſſociamus, quandoquidem vtrauis abſque altera cultum non paret, vt nec ad vitis arborúmque culturam ſufficit refectionis, & paſtinationis cognitio: niſi etiam exercitium tempeſtiuè adhibeatur. cognitionis verò & obſeruantiæ materiam diuina præcepta & inſtituta ponimus, quæ ſola & ad cognoſcendum optima, & ad religionem inſerendam efficaciſsima,* Pſal. 148. *ſanctus rex, magnúſque Vates prædicauit. In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? In cuſtodiendo ſermones tuos. Namque aliàs diſciplina deſtitutam ado-* Iob 20. *leſcentiam vitiis impleri teſtatur Iobus.*

*Quare huius argumenti ac præceptionis ratio ita rectè inibitur, vt vel quam à puero homo edidicerat, diuinam legem intelligat, intellectámque obſeruet: vel ſi non edidicerat, tamen vt neceſſaria diſcat, vel breui compendio, vel multo etiam labore: ſin minus id poterit, ab iis qui obtinent, quærat & roget, vt vel res cum verbis, vel res ipſas tantum capiat ac teneat: deinde, vt ab otio ac deſidia ad bonarum artium, vel ad honeſti laboris ſtudia & exercitia animum atque operam transferat: perſuaſus videlicet vitæ omnis rationem ſibi in diuino iudicio reddendam, vel præmium maximum, vel ſupplicium expectare grauiſsimum. Quam ad rem ſelectiſsimos quoſque ex antiquis & laudatis iuuenes in exemplum ſibi ſtatuere docendus, quales celeberrimi illi Sidrach, Miſach, & Ghabdenago, qui virtutis & pietatis obſeruandæ & colendæ cauſa, etiam exules, etiam apud hoſtes, etiam tyrannis alia decernentibus & imperantibus, non modò voluptatibus delitiiſque nuncium remiſerunt, ſed vitæ etiam nullam habendam duxere rationem. Horum illa in vtramque partem delibera-* Dan. 1. *tæ orationis inculcandæ, altera quidem. Tenta nos, obſecro, ſeruos tuos diebus decem,*

decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum & con-
templare vultus noſtros, & vultus puerorum qui veſcuntur cibo regio, & ſicut
videris, facies cum ſeruis tuis. Qui Eunuchus, audito ſermone huiuſcemodi,
tentauit eos diebus decem. Poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum
meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris qui veſcebantur cibo regio. Hu-
iuſmodi autem exemplo inſtructus iuuenis, corporis etiam vires & ſpeciem
continentia & frugalitate longè meliùs & commodiùs, quàm delitioſo victu
firmari & ſeruari. Altera verò eorumdem iuuenum oratio, priori etiam acrior
ac ſeuera magis ad potentiſſimum tyrannum mortem fornaces & flammas in ſu-
perſtitioſo imperio parere velint, minatum illa fuit. Non oportet nos de hac re Ibid. 3.
reſpondere tibi. Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de ca-
mino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare. Quòd ſi noluerit, no-
tum tibi ſit, rex, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream quam erexiſti
non adoramus. Tales iuuenes adoleſcens noſter ſibi ante oculos, tum ſecundis &
mollibus, tum duris ac trepidis in rebus perpetuo proponat, & Ieremiam & Za-
chariam in ſermonum & actionum conſuetudinem aduocet, præſentes profectò
habiturus, non eos tantummodo, ſed eorum etiam inſtructores Angelos cæle-
ſtéſque ſpiritus teſtimonium, imò pignus potius prædictionibus noſtris adden-
dum præſto fuerit. Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur: & An- Zach 2.
gelus alius egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum: Curre, loquere ad
puerum iſtum. Sibi etiam illud præceptum noſter putet iuuenis, Tu vigila, in 2 Tim. 4.
omnibus labora, opus fac tibi creditum, miniſterium tuum imple. Sobrius eſto. Tit. 2.
De ſe dictum exiſtimet, Iuuenes hortare vt ſobrij ſint. Se vnum à ſapiente ap-
pellatum cogitet. Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos in- Eccleſ. 6.
uenies ſapientiam. Quaſi is qui arat, & qui ſeminat, accede ad eam, & ſuſti-
ne bonos fructus illius. In opere enim ipſius exiguum laborabis, & citò edes de
generationibus illius. Quàm aſpera eſt nimium ſapientia indoctis hominibus,
& non permanebit in illa excors. Quaſi lapidis virtus probatio erit in illis, &
non demorabuntur proiicere illam. Sapientia enim doctrinæ ſecundum nomen
eſt eius, & non eſt multis manifeſta. Quibus autem cognita eſt, permanet vſ-
que ad conſpectum Dei. Audi, fili, & accipe conſilium intellectus, & ne abii-
cias conſilium meum. Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur Eccl 9.
in virtute tua, & confundaris. Ne reſpicias mulierem multiuolam: ne fortè
incidas in laqueos illius. Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam: ne
fortè pereas in efficacia illius. Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris
in decore illius. Ne des fornicariis animam tuam in vllo: ne perdas te, & hæ-
reditatem tuam. Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis
illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias mulierem alie-
nam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi
ignis exardeſcit. Quæ bona, commoda, vtilia, ſed præcipuè honeſta, in iuuen- Eccli. 25.
tute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua inuenies? De modeſtia au-
tem iuuenum, & reuerentia aduerſum maiores & grandiores. Coram capite Leu. 19.
cano conſurge, & honora perſonam ſenis, & time Dominum Deum tuum. Au- Eccli. 32.
di tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Adoleſcens loquere in tua
cauſa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. In multis
eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens. In medio magnatorum ne

» *præſumas: & vbi ſunt ſenes non multum loquaris. Ante grandinem præibit*
» *coruſcatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi*
» *bona gratia. Et hora ſurgendi non te trices: præcurre autem prior in domum*
» *tuam, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis*
» *& verbo ſuperbo. Et ſuper his omnibus benedicito Dominum qui fecit te, &*
Eccleſ. 11. *inebriantem te ab omnibus bonis ſuis. Et ſcito quòd pro omnibus tuis adducet*
» *te Deus in iudicium. Aufer iram à corde tuo: & amoue malitiam à carne tua.*
Eccli. 32. *Adoleſcentia enim & voluptas vana ſunt. Qui timet Dominum, excipiet do-*
» *ctrinam eius: & qui vigilauerint ad illum, inuenient benedictionem. Quid*
» *verò acturum? Vigilare oportet? Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui*
» *inſidioſè agit, ſcandalizabitur ab ea. Qui timent Dominum, inuenient iudi-*
» *cium iuſtum, & iuſtitias quaſi lumen accendent.*

## VIRILIS AETAS.

V. IVVENTAM *virilis conſecutæ & perficientis ætatis, quamquam nomen in antiqua lingua non repererimus, tamen definitionem ex etymo ſubſtantiui nominis & virum ſignificantis petimus. Eſt autem ætas hæc* TOTIVS VITAE VALIDISSIMA ET EFFICACISSIMA PORTIO. *Nam viro nomen* IS, *cuius partes diſcretæ, & in eas quas inire poſſunt formas, coniunctæ eſſe: ſiue eſſentiam & ignem, ſiue igneam vim ſignificant. Vt enim ignis ſingulari præter ceteros rerum ſpiritus, mobilitate, agilitate, & efficacitate præſtat: ita vir ad operum actiones omnes pueris, iuuenibus ac ſenibus anteit, & firmitudine etiam valet, id quod altera indicat elementorum copula, poſte-*
אש איש *rior* IES. *Itaque nomen ipſum virtutem, fidem efficientiam, & conſtantiam*
יש *promittit. Sæpiſſimè autem nomen hoc ad maritum ſignificandum vſurpatur. Idémque in præſtantia & fortitudine hominis cuiuſdam ad ſuum munus peragendum admodum frequens.*

VI. *De viris autem diſſerenti primum, quas illa ætas artes, quos mores poſtulet, à contrariis etiam notandis, inſpiciendum: quibus rebus cùm priuatè tum publicè agendis idonea ſit, ex ordine dicendum.*

*Ac primam quidem ſapientiæ, perpetuámque viro curam eſſe Deus vult, quam ad omne vitæ partem vtilem & opportunam, plurimarúmque commoditatum genitricem, ſacra docent ſcripta, & vſus manifeſtè monſtrat. Sapientiæ verò ex diuinis ſermonibus ac præceptis comparatæ, facultatem intelligimus: cuius non omnibus æqualem aut parem imperare poſſimus modum: ſed ex propriæ vniuſcuiuſque artis ratione, officio, atque vſu æſtimandum committimus, Ioannis Baptiſtæ inſiſtentes veſtigiis, qui ſingulis hominum artibus & conditionibus conſultus ſuos præcipiebat, parteis quaſdam verò omnibus communes*
Lucæ 3. *indicabat. Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti: & qui habet eſcas,*
» *ſimiliter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt*
» *ad illum, Magiſter, quid faciemus? At ille dixit ad eos, Nihil amplius quàm*
» *quod conſtitutum eſt vobis, faciatis. Interrogabant eum & milites, dicentes:*
» *Quid faciemus & nos? Et ait illis, Neminem concutiatis, neque calumniam*
» *faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Ita nulla in vita munia ſunt, quibus propria regula ad quam dirigantur, non ſit in diuinis tabulis præſcripta.*

*Illa*

*Illa autem omnibus communis, neminémque excipiens virum. Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris. Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi. In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & miniſtros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes, & propurga te cum brachiis. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi primitiarum & purgationis: & de negligentia tua purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino, & initia ſanctorum: & pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propiciatio & benedictio tua. Gratia datus in conſpectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiam. Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat viſitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Beatus vir qui in ſapientia morabitur: & qui in iuſtitia ſua meditabitur: & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde ſuo, & in abſconditis ſuis intelligens: vadens poſt illam quaſi inueſtigator, & in viis illius conſiſtens: qui reſpicit per feneſtras illius, & in ianuis illius audiens: qui requieſcit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum, ſtatuet caſulam ſuam ad manum illius, & requieſcent in caſula ſua illius bona per æuum: ſtatuet filios ſuos ſub tegmine illius, & ſub ramis eius morabitur: protegetur ſub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requieſcet.* Eccli. 7. Ibid. 14.

VII. *Hanc etiam eandem ætatem cum virtutum ceterarum, quæ verè humano homine dignæ, tum ſiquid maximè fidei perpetua fides, atque harum omnium comes decet modeſtia. His verò quæcumque aduerſantur vitia, prorſus dedecorant, id quod præceptis ac teſtimoniis docemur manifeſtis. Viri mendaces non erunt illius ſapientiæ memores: & viri veraces inuenientur in illa, & ſucceſſum habebunt vſque ad inſpectionem Dei. Qui multis vtitur verbis, lædet animam ſuam. Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus: laſciuus autem & imprudens non ſeruabunt tempus. Sapiens in verbis ſe ipſum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur. Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam, vir autem ſapiens vix tacitè ridebit. Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, dediſti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis.* Eccli. 15. Ibid. 20. Ibid. 21. Prou. 6.

VIII. *Hanc autem fidem, ſine qua virum dici ritè poſſe negandum, nec iuramento egentem, nec teſtibus fultam, ſed ſua ſponte conſtantem, & vltrò præſtantem eſſe oportet: non enim exceptum legimus, aut de teſtibus, vel iureiurando in dictis promiſſis vt cautum, ſed nudè pronunciatum. Si ſpoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui. Sit ergo ſermo veſter, eſt eſt, non non. Nam quid quid vltrà eſt, à malo eſt. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo: & nominibus ſanctorum non admiſcearis; quoniam non eris immunis ab iis. Sicut enim ſeruus interrogatus aſſidue à liuore non minuitur: ſic omnis iurans & nominans in toto, à peccato non purgabitur. Vir multum iurans implebitur ini-* Fides iuramento non eget. Math. 5. Eccli. 23.

» quitate, & non diſcedet à domo illius plaga: & ſi fruſtrauerit, delictum illius
» ſuper ipſum erit: & ſi diſsimulauerit, delinquet dupliciter: & ſi in vacuum
» iurauerit, non iuſtificabitur, replebitur enim retributione domus illius. Qui
Eccli 37. ſophiſticè loquitur, odibilis eſt, in omni re defraudabitur: Non eſt enim illi data
» à Domino gratia, omni enim ſapientia defraudatus eſt. Eſt ſapiens animæ ſuæ
» ſapiens, & fructus ſenſus illius laudabilis.

IX. Vultus & cultus temperamētum. Eccli. 27. Ceterum in ſermonis, geſtus, habitus, atque cultus modeſtia, quæ virilis decoris non vltima laus eſt, vel totos libros monendo implere poſſemus; ſed modeſti quæ facile teneantur, afferimus: Sicut ruſticatio de ligno oſtendit fructum illius, ſic verbum ex cogitatu cordis hominis. Ante ſermonem non laudes virum, hæc enim tentatio eſt hominum.

Ibid. 37. Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia, & cum muliere de iis quæ æmulatur: cum timido de bello, & cum negotiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro liuido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhoneſto de honeſtate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de conſummatione anni, cum ſeruo pigro de multa operatione. non attendas his in omni conſilio. Sed cum viro ſancto aſsiduus eſto, quemcumque cognoueris obſeruantem timorem Dei, cuius anima eſt ſecundùm animam tuam: quicumque titubauerit in tenebris, non condolebit tibi. Et cor boni conſilÿ ſtatue tecum: non eſt enim tibi aliud plurꝰ illo. Cultum, vultum, habitum, geſtúmque temperantia in-

Ibid. 19. ſtructum, ita accipe. Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominꝰ enunciant de illo.

X. Ea verò quæ ad corporis vſum & cultum faciunt, nec cupidè & auarè paranda, nec ſegniter negligenda, ſed bonis artibus & operis eatenus quærenda, & comparanda, vt quantum ſatis pro tempore fuerit, habeas: nec ob vitium culpámve tuam mendicare cogaris: nec etiam (quod turpis genus eſt ſeruitÿ)

Eccli. 40. aliena quadra viuere optes. Vir reſpiciens in menſam alienam, non eſt vita eius in cogitatione victus. alit enim animam ſuam cibis alienis. (Sed otium & cibus alienus quid boni faciunt?) Vir autem diſciplinatus & eruditus cuſtodiet ſe. In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in ventre eius ignis ardebit.

XI. Quamobrem quæ ad vitam hanc animalem oportuna fuerint iuſtè paranda, in hiſque figendus modus, inquantum ſitis atque fames, & frigora poſcunt. Nihil enim parſimonia locupletius, nihil temperantia tutius & conſtantius, habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſumus. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nihil auferemus. Igitur, Vita ſufficientis

Eccli. 40. operarÿ condulcabitur: & in ea inuenies theſaurum. Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non

Ibid. 31. ſenties dolorem. Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito: ſomnus ſanitatis in homine parco: dormiet vſque in manè, & anima illius cum ipſo dele-

Iſaiæ 5. ctabitur. Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia in conuiuiis veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Femineam veſtem non indecoram viris modò, verùm etiam deteſtabilem, ac legibus vetitam

*vetitam cenſere eſt. Non induetur mulier veſte virili, nec vir vtetur veſte fe-* Deut. 22.
*minea: abominabilis enim apud Deum eſt qui facit hæc. Communem, mode-* "
*ſtam, atque honeſtam viuendi rationem, quam conſtantem ratio ipſa ac res po-*
*ſtulat, priuatorum operum electio curáque in hac ætate conſequitur. Huius enim*
*æui eſt vel vxorem ducere, vel cælibem optare vitam. Huius vitem pangere,*
*arborem ſerere, domum ſtruere, & vitandi otij ac ſibi prouidendi, ac ſufficien-*
*di cauſa exercitationi & operæ delectum perſequi genus. Namq; hoc ætatis tem-*
*pus, præcepta, monita & exempla quæ ſubiiciemus, præcipuè ſpectant.*

*Quis eſt homo qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Quis eſt* Operum oportunitas
*homo qui plantauit vineam, & nondum eam fecit eſſe communem? Quis eſt ho-* Deut. 20.
*mo, qui deſpondit vxorem, & non accepit eam?*

*Namque omnibus his ad vitam rebus certæ & commodæ oportunitatis tem-* XII.
*pus natura, ratione, & vſu conſtare ſapientia declarat. Omnia tempus habent,* Eccli. 3.
*& ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Tempus plantandi, & tempus auel-* "
*lendi quod plantatum eſt. Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi. Tempus* "
*amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Eſau vir gnarus venandi,* Gen. 25.
*& homo agricola, & Iacob vir ſimplex habitabat in tabernaculis. Pecori alen-* "
*do, & rei familiari operam nauans. & Ioſeph de familiari occupatione & ar-*
*te ad fratres: Cùm vocauerit vos Pharao, & dixerit, Quod eſt opus veſtrum?* Gen. 46.
*Reſpondebitis, Viri paſtores ſumus ſerui tui vſque in præſens ab infantia no-* "
*ſtra, & nos, & patres noſtri. Iam verò ad communis vitæ ſocietatem quid ætas* "
*hæc conferre poßit, cognoſcere expediet. Duplex autem hominum generi ex*
*communi coniunctione & ſocietate commodum, tutelæ vnum, ſecuritatis alte-* Communia commoda.
*rum: tutela periculis & iniuriis, quæ deforis accidunt, propulſandis: ſecuritas*
*verò purè colenda & conſeruanda præſtatur, vtriuſque partis ſua certa munia,*
*nomina, officia & exercitia: quibus virilis ætas apprimè idonea cenſetur.*

*Namque ad belli artes & operas quæ communem tutelam aſpiciunt, viros* Militiæ.
*cumprimis aptos accepimus, vtpote iudicij compotes, diſciplinæ tradendæ &*
*accipiendæ capaces: atque virtute ad laborem operámque conſtantes. Dixítque*
*Moyſes ad Ioſue, Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalech. Et Moyſes*
*congregatis ad ſe Leuitis, verba faciens, ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael:* Exodi 17.
*Ponat vir gladium ſuper fæmur ſuum, & ite & redite de porta vſque ad por-* Ibid. 32.
*tam per medium caſtrorum, & occidat vir fratrem, & amicum, & proximum* "
*ſuum. & alibi idem Moſes: Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui* Num. 31.
*poßint vltionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de ſingulis tri-* "
*bubus eligantur ex Iſrael, qui mittantur ad bellum. Dederunt millenos de* "
*ſingulis tribubus, id eſt, duodecim millia expeditorum ad pugnam. Rurſus* "
*idem duabus ac dimidiæ tribubus ad conditionem admißis. Si facitis quod pro-* Ibid. 32.
*mittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam. Omnis vir bellator arma-* "
*tus Iordanem tranſeat, donec ſubuertat Dominus inimicos ſuos, & ſubiiciatur* "
*ei omnis terra. & apud Ioſue conſultum: Non aſcendat omnis populus: ſed duo* Ioſue 7.
*vel tria millia virorum pergant, & deleant ciuitatem. Quare omnis populus* "
*fruſtra vexabitur contra hoſtes paucißimos. & Gedeoni præcipiens Deus, ait:* Iudic. 7.
*Multus eſt tecum populus, nec tradetur Madian in manu eius: ne glorietur* "
*contra me Iſrael, & dicat: Meis viribus liberatus ſum. Loquere ad populum,* "
*& cunctis audientibus prædica. Qui formidoloſus & timidus eſt, reuertatur.* "

*Receſſe-*

» Receſſerúntque de Monte Galaad, & reuerſi ſunt ex populo viginti millia vi-
» ro[illegible]m, & tantùm decem millia remanſerunt, &c. Ad duellum verò ſingula-
1 Reg. 17. rémque pugnam: Egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſtinorum, nomine Go-
» liath, de Geth. Altitudinis ſex cubitorum & palmi, & caſſis ærea ſuper caput
» eius, & lorica hamata induebatur, &c. Dauid paucis quidem numero viris,
Ibidem 25. tamen & inimicorum inſidiis obſiſtebat, & hoſtium proterebat res. Tunc ait
» Dauid pueris ſuis: Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo, & accincti ſunt ſin-
» guli gladiis ſuis, accinctuſq́ eſt & Dauid enſe ſuo: & ſecuti ſunt Dauid quaſi
» quadringenti viri, porrò ducenti remanſerunt ad ſarcinas.

XIII. Quædam etiam breuia, ad tempúſque demandanda munia maturæ magis,
Exploratio. in itinerib. operib. apti. quàm acerbæ ætati committenda, cuiuſmodi exploratorum ac viæ indicum iti-
nerísque ductorum, aut etiam ponderis tollendi compotum. Locutus eſt Domi-
Num. 13. nus ad Moyſen, dicens: Mitte viros qui conſiderent terram Chanaam, quam
» daturus ſum filiis Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus ex principibus fecit Moy-
» ſes quod Dominus imperauerat de deſerto Pharan, mittens principes viros. Et
Ioſ. 2. Ioſue filius Nun miſit de Setim duos viros exploratores in abſcondito, & dixit
Ibid. 3. eis: Ite, & explorate terram vrbémque Iericho. Idem quoque aliàs: Parate
» duodecim viros de tribubus Iſrael, ſingulos per ſingulas tribus. Vocauitq́ Ioſue
» duodecim viros quos elegerat de filiis Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus. Et
» ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei veſtri ad Iordanis medium, & portate
» inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris, iuxta numerum filiorum Iſ-
» raël, vt ſit ſignum inter vos.

Pacis artibus oportuna ætas hæc. In vrbibus. Alterius in communi ſocietate partis curam, quæ magiſtratuum ſortes om-
nes reſpicit, viris plerumque demandatum ire, & præceptis edocti, & frequen-
tibus commoniti ſumus exemplis. Nec verò nullam norma hæc exceptionem ad-
mittit, ſed raram tamen, & quam vel certa Dei voluntas ex oraculo: vel aliàs
Gen. 41. ſpectata & cognita virtus induxerit. Nunc ergo prouideat rex virum ſapien-
» tem & induſtrium, & præficiat eum terræ Aegypti: qui conſtituat præpoſitos
» per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilita-
» tis, qui iam nunc futuri ſint, congreget in horrea, & omne frumentum ſub Pha-
» raonis poteſtate condatur, ſeruetúrque in vrbibus, & præparetur futuræ ſe-
Annonæ etiã cauſa. ptem annorum fami, quæ oppreſſura eſt Aegyptum, & non conſumetur terra
inopia. Placuit Pharaoni conſilium, & cunctis miniſtris eius: locutúſque eſt ad
» eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? Dixit
» ergo ad Ioſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid ſapien-
» tiorem & conſimilem tui inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui
» oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni ſolio te præcedam.
Gen. 47. Idem Aegyptius rex Ioſepho: Terra Aegypti in conſpectu tuo eſt, in optimo lo-
» co fac eos habitare [fratres tuos] & trade eis terram Geſſen. Quod ſi noſti in eis
Paſtionis. eſſe viros induſtrios, conſtitue illos magiſtros pecorum meorum.

XIIII. Nec verò ambiguum ad iſtud ætatis virorum delectus ad iudiciorum & con-
ſiliorum ſanctiones eſſe differendum, niſi aliter manifeſta vel ſors, vel ratio
Exodi 15. pro tempore imperet. Prouide de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum,
» in quibus ſit veritas, qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, cen-
» turiones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempo-
re. Sed & publica opera quæcumque multitudinis commoditati & vſui inſti-
tuentur,

*tuentur, quinam conſultius ſuſcipere, promptius aggredi, maturius expedire atque perficere, quàm viri poßint? Fecit ergo Beſelael & Oliab, & omnis vir ſapiens, quibus dedit Dominus ſapientiam & intellectum, vt ſcirent fabrè operari, quæ in vſus ſanctuarij neceſſaria ſunt, & quæ præcepit Dominus. Cúmque vocaſſet eos Moyſes, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus ſapientiam, & qui ſponte ſua obtulerunt ſe ad faciendum opus, tradidit eis vniuerſa donaria filiorum Iſrael.* Redemptores publici.

*Idem Deus cui integrum ſemper, ætatem omnem ad vaticinandi & gubernandi munus comparare & inſtruere, tamen ad hæc ipſa munera & officia viros deligere, ſuis imperat miniſtris, verùm hos tamen prouectiori ætate, & quorum iam ſancta apud populum auctoritas. Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint ac magiſtri: & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu qua erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris.* Vaticinationi oportuni. Num. 11.

XV. *Hæc, quæ modò percurrimus viri opera, hæ ſunt eſſéque poſſunt ac debent artes, quibus duo ſubiungimus communiter etiam ac ſingillatim agenda, alterum iuuenilium errorum per pœnitentiam ac deprecationem procurandam expiationem, & reliquæ commendationem vitæ: alterum verò erga ſeniores obſeruantiam à qua nullam ætatem exceptam, diuina voluit lex. Prioris curæ exemplum illud. Scribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Deus docuiſti me à iuuentute mea, & vſque nunc pronunciabo mirabilia tua: & vſque in ſenectam & ſenium Deus ne derelinquas me. Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis: & time Dominum Deum tuum, ego ſum Dominus. Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius. Et ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua.* Iob 13. Pſal. 27. Ibidem. 70. Leu 19.

## DE SENECTA.

XVI. SVPEREST *poſtrema vitæ portio, quam Senectam dicimus, huius nomen* ZEKVNIM *frequentius multitudinis numero auditum rarum, ſingulare* ZOREN *&* IIKNAH, *moleſtiarum & querimoniæ indicat materiam. propter amiſſarum vel imminutarum virium conſequens deſiderium, & perpetuas incommodorum moleſtias non vno modo ſemper, ſed magis ac magis indies infeſtas. Nihil enim aliud quàm continens putatur morbus ætas hæc. Eſt autem verbum* ZAKAN, *pro quo ſeneſcere Latini reddunt. vnde & nomina ducuntur, vt ex etymo coniectare licet, compoſitum* ז *indicatiuo elemento, &* KAN, *ſiue* KVN, *ſiue* KANAN, *quod queri, lamentarique interpretamur: ita* ZEKVNIM, *apud nos* HOC LAMENTA, *conſonabit. id eſt, quidquid æui hoc eſt, lamentis adaictum putandum, cùm ob vires & robur corporis imminutum: tum verò maximè ob amißi in ſuperiore vita temporis deſiderium. quod, ſi remearet, vtilius fortaſſe impenderetur.*

*Aliud etiam huic ætati nomen, ídque venerabile* SEBAH, *à* SVB, *quod conuerti & caneſcere ſignificat. vnde etiam canities Latinè dicta: cuius oppoſitum* BVS, *pudere nobis dictum, quo illa ætas & benè pudens, ac pudica ſit, à vitiis ſemota eſſe debeat, & pudorem etiam ſe minoribus ac reuerentiam incutere. ita vt quanto fortitudine minor, tanto honeſtate ſit præſtantior.*

*Ac de infirmitudine quidem corporis qua ſenecta indies laborat, ſatis pro loco dixiſſe in ſuperioribus videmur, dum vitæ breuitatem indicabamus. illud autem hîc addendum, nouis coniugiis nihil minus idoneum eſſe, nihil ineptum magis, dummodo vel diuini conſilij fides, vel honeſta & conueniens, alia non excipiat ratio. Baculo magis & quiete ac molliori tractatione, quàm* Gen. 18. *labore vllo ſenum accipienda membra. Namque in miraculis numerantur ho-* Lucæ 1. Zachar. 8. *mines, quibus in ſenecta filij contigerint, vt Abrahamo & Zachariæ ſacerdoti. Adhuc habitabunt ſenes & anus in plateis Ieruſalem, & viri baculus in manu eius, præ multitudine dierum. Inter alios morbos podagram pati ſolet ſenectus, ditiorum præſertim. Reliqua autem omnium ſermonum Aſa, & vniuerſæ fortitudinis eius, & cuncta quæ fecit, & ciuitates quas ſtruxit, nónne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum Iuda? Verumtamen in tempore ſenectutis ſuæ doluit pedes. Illud verò huic ætati præter ceteras conuenit, nimirum reliquæ vitæ certiſſima breuitas, vtpote quæ ſuis finienda terminis, vlterius progrediendi ſpe decipi non poſſit. Qua ſpe qui ante hac præceſſere anni,* Heb. 8. *teneri vtcumque ſolent, & non raro, imò frequentius fruſtrari. Nam quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.*

XVII. Senum affectus. *Communes ſenum mores, Amor erga liberos præcipuè quos poſtremum genuerint, ſed in nepotes quoque ingens caritas, tamquam vitæ ſuæ fructus, & ſobolis propagandæ ſpem. vnde bonis precibus ad felicitatem illud etiam voueri* Pſal. 127. *ſolet: Vt videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael. Legimus etiam: Iſ-* Gen. 37. *rael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios, eò quòd in ſenectute genuiſſet* 2 Reg. 18. *eum. Et præcepit rex Dauid Ioab & Abiſai, & Ethai, dicens: Seruate mihi* ,, *puerum Abſalom. Et omnis populus audiebat regem præcipientem cunctis prin-* ,, *cipibus, pro Abſalom. Corona ſenum filij filiorum. Senes cùm ab aliis muniis* Loca & celebritates. Plateæ & portæ. *& operis vacent, in plateis conuenire, & colloqui conſueuere, vel in vrbium portis, cum iudicibus & magiſtratibus conferre, idq́ quietis plerumque temporibus, ipſáque confabulatio & conſultatio tranquillitatem loci ac temporis indicat. Contrà verò, ſenum taciturnitas & ſilentium magnam publicæ rei ca-* Iob 29. *lamitatem arguit. Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea pa-* ,, *rabant cathedram mihi? Videbant me iuuenes, & abſcondebantur: & ſenes aſ-* ,, *ſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori* ,, *ſuo. Vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat.* ,, *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi. Contrà verò illud in deteſtationis partem, ſi cuius hominis in platearum con-* Ibid. 18. *ſeſſibus nulla per ſenes mentio fiat. Memoria illius pereat de terra, & non ce-* Prou. 31. *lebretur nomen eius in plateis. Nobilis in portis vir eius, cùm ſederit cum ſenatoribus terræ.*

XVIII. & ſapientum domus. Senum conuentus. *Solent & apud Vates, aut aliàs ſapientia inſignes viros ſeniorum iniri colloquia. Ita dum Samariæ rex iratus ac minabundus, Heliſæum Vatem peteret, Heliſæus ſedebat in domo ſua, & ſenes ſedebant cum eo. Præmiſit itaque vi-*

*rum,*

*rum, & antequam veniret nuncius ille, dixit ad ſenes, &cet. Verùm enimuero quamquam ſibi ipſi præcipuè grauis & multis partibus incommoda ſenecta ſit, tamen publicis rebus ac priuatis magnum non ſolùm commodum, ſed ornamentum quoque ætas illa præſtat: ídque multis nominibus. Primùm enim præteritarum rerum vſu doctis ſenibus, & pro teſtimonio dicentibus, fides habetur, & ad rerum cognoſcenda exempla auctoritas tribuitur. Audite hoc ſenes: auribus percipite omnes habitatores terræ: ſi factum eſt hoc in diebus veſtris, aut in diebus patrum veſtrorum. Interroga patrem tuum, & annunciabit: Maiores tuos, & dicent tibi. Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum, neque ſemen eius quærens panem. In templi ædificiis ſingularem & inſignem locum ad Auſtrum notatum legimus. In qua parte erat ſeniorum concilium. Namque illud magnum Concilium à Moſe vſque inſtitutum, antiquioribus totum conſtabat viris, vt aliàs oſtendemus. Præterea autem ceteri ſenes, natuq; grandiores dum ſecundæ fluerent ciuitatis res. Seniores in plateis ſedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & iuuenes inducbant ſe gloriam & ſtolas belli.*

A ſenectute commoda publica. Memoria. Teſtimoniũ Exempla. Ioël. 1. Deut. 32. Pſal. 36. 1 Paral. 26. 1 Mach. 14. Conſilia. Concilia. Iudicia.

XIX.

*Atque vt multa in ſummam referantur ad publicam vtilitatem nomina, ad conſilia ritè petenda, & prudenter danda, ad legationes apud reges, amicos, atque apud hoſtes etiam obeundas, ad victoriæ & felicitatis gratulationes, auctoritatis decoríſque plurimum illi tribuendum ætati. Super ſenes intellexi, quia teſtimonia tua exquiſiui. Humanæ quidem prudentiæ exemplum in ſenibus conſtituit vates hic: quod tamen diuinorum teſtimoniorum cognitione & facultate ſuperari fatetur. Sed non poſt multum temporis miſit rex ſenem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos vt ſe transferrent à patriis Dei legibus. Ad ſupplicationem & gratulationes vocari ſenes audiuimus. Et congregati ſunt ad regem omnes ſenes Iuda & Ieruſalem. Aſcendítque rex in templum Domini, &c. Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum: & exaltent eum in Eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum.*

Legationes. Pſal. 118. Supplicationes. Prudentia. 2. Mach. 6. 4 Reg. 23.

*Quidquid verò huiuſmodi laudum ad diuinum decernatur cultum, ſine ſeniorum frequentia fieri non decuerit. Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini.* Pſal. 148.

*In quam verò rerum partem incubuerint ſenes, in eandem quoque rerum auctoritatem, atque adeò populi fauorem inclinare intellexerat Saul, cùm Samuelem rogabat his verbis: Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael.*

Auctoritas publica. 1. Reg. 15. Populi fauor.

XX.

*In ſenili grauitate & auctoritate multum ponderis eſſe ad iuuenum compeſcendam inſolentiam & leuitatem, ídque vbi non contingit, corruptiſſimæ iuuentutis certiſſimum eſſe argumentum, duplici exemplo manifeſtum eſt: altero Loti Sodomæ viris: altero ſenis, alterius Gabaitis iuuenibus turpiſſima, & immania diſſuadentis facinora: Nolite, fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meum, & ceſſate ab hac ſtultitia. Denique omni ex parte grauis, vtilis, ac decens, & diuino iure, veneratione, & obſeruatione dignam ſenectutem ſacra commendant oracula. Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientum, & in prouerbiis eorum conuerſare: ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus, & ſeruire magnatis ſine querela.*

Iuuenum frenum. Eccl. 8.

*querela. Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ,, ſuis. Quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſsitatis da bis re- ,, ſponſum. In manu artificum opera laudabuntur: & principes populi in ſapien-* Iudic. 25. *tia ſermonis ſui. In ſenſu verò ſeniorum verbum. Quàm ſpecioſum canitiei ,, iudicium, & presbyteris cognoſcere conſilium? Quàm ſpecioſa veteranis ſapien- ,, tia, & glorioſus intellectus, & conſilium. Corona ſenum multa peritia, & gloria ,, illorum timor Dei. In medio magnatorum non præſumas: & vbi ſunt ſenes non multum loquaris.*

XXI Senectutis mores probi *His & aliis laudum & commendationum ornamentis defectam viribus ætatem ſolari, atque regibus, populis, & mortalibus cunctis ſuſpiciendam tradere Deus voluit: quam eandem pro commendatione dignam ſeſe modeſtia, ſobrietate, comitate atque facilitate, & probando ad vitæ metam pietatis exemplo præſtare decuerit, & oportuerit: qualem Abrahamum, qualem Iſaacum, & Iacobum: quales antiqui temporis multos celeberrimos ſenes, qualémque illum inter antiquorum poſtremos ſeſe præſtitiſſe memoriæ proditum legimus,* 2 Mach. 6. *qui ſuaſus vetitas ſanctis legibus carnes manducaſſe ſimulare, ſicut rex impe- ,, rauerat, vt hoc facto à morte liberaretur, & propter veterem viri amicitiam, ,, hanc in eo faciebant humanitatem. At ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ,, ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero opti- ,, mæ conuerſationis actus, & ſecundùm ſanctæ & à Deo conditæ legis conſtitu- ,, ta, reſpondit citò, dicens: præmitti ſe velle in infernum. Non enim ætati no- ,, ſtræ dignum eſt, inquit, fingere: vt multi adoleſcentes, arbitrantes Eleaza- ,, rum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum: & ipſi propter ,, meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipian- ,, tur, & per hoc maculam atque execrationem meæ ſenectuti conquiram. Nam ,, etſi in præſenti tempore ſupplicüs hominum eripiar, ſed manum Omnipoten-* Exempla, imò Exemplaria. *tis nec viuus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo: Adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo, ac fortiter pro grauiſsimis & ſanctiſsimis legibus honeſta morte perfungar.*

*Secundùm ſeculorum verò fines optimos ac ſanctiſsimos vtriuſque ſexus ſenes, fidei, ſpei, charitatis, atque omnis pietatis antiſtites libris legendis ſacris* Senilis conſuetudinis norma. *reperiemus Zachariam, Elizabeth, Simeonem, Annam Vatem, & alios. Fuerit verò optima & breuis ad ſenectam piè exigendam norma illa, ab optimis quo-* Tit. 2. *que ſenibus monſtrata ac tradita. Tu autem loquere quæ decent ſanam doctri- ,, nam. Senes, vt ſobrÿ ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in pa- ,, tientia. Anus ſimiliter, in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ,, ſeruientes: bene docentes, vt prudentiam doceant adoleſcentulas, vt viros ſuos ,, ament, filios ſuos diligant, prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes,* 1 Pet. 5. *benignas, ſubditas viris ſuis, vt non blaſphemetur verbum Dei. Seniores er- ,, go qui in vobis ſunt obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſsionum: qui & eius ,, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator: paſcite qui in vobis eſt gre- ,, gem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis ,, lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Quod quidem non ad ſenes tantùm, quibus publica ſuſcepta eſt cura, ſed ad omnes quibus honeſtè ſenectutis nomen conueniat.*

*Omnibus*

*Omnibus enim vitia, omniáque vel priuatè turpia, vel publicè noxia, aut aliàs minus vtilis exempli fuerint, quale illud, ſiniſtra dignum fama quod nitidiſsimis Salomonis rebus maculam fixit & rugam. Cúmque iam eſſet ſenex,* 3 Reg. 11.
*deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos: nec erat cor* "
*eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius. Tres ſpecies* Eccli. 25.
*odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum. Pauperem ſuperbum, &* "
*diuitem mendacem: & ſenem fatuum & inſenſatum. Et illud extremæ nequi-* "
*tiæ apud Danielem exemplum. Et conſtituti ſunt duo ſenes iudices in illo anno,* Dan. 13.
*de quibus loquutus eſt Dominus, Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſe-* "
*nioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* "

*Quæ verò de virorum ætatibus ad virtutis inſtitutionem, & ad vitij deteſtationem expoſuimus, ea omnia non minus feminas tangunt, quarum animus à virtute non magis & à pietate, quàm viri excluſus eſt: quamquam quædam ſexus illius priuata actionum genera, quæ ſuis locis oportunè indicanda vouemus. Ceterùm autem.* (Sexuum cōmunia.)
*Non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus neque* Galat. 3.
*liber: non eſt maſculus neque femina: Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto* "
*Ieſu: Cui honor & gloria in ſecula ſeculorum.* "

# DE MORTE PRIMA diſputatio.

## VOLVMEN TERTIVM.

(Concordat cum animæ cap. 14. & 15) I.

*AD ea omnia quæ mutuò opponuntur, & aduerſis frontibus pugnant, exactè cognoſcenda nulla commodior cenſeri ſolet ratio, quàm quæ ita initur, vt ex illuſtrioris partis notitia oppoſiti natura & conditio dignoſcatur. Appellamus autem pugnantia quæcumque vni atque eidem ineſſe adeſſéve poſſunt, numquam tamen ſimul coniuncta inueniuntur. Cuius exempli bonum & malum, verum & falſum, honeſtum ac turpe, rectum & curuum, lux atque tenebræ. Non nimium verò ad noſtrum inſtitutum refert minutius etiam partiri oppoſitorum genera in ea quæ rebus ac naturis certis, & ea quæ re & priuatione ſiue defectu opponuntur: modò omnia ita diſsideant, vt numquam ſimul eſſe & manere, ſeq; inuicem tollerare poſsint. In huiuſmodi conditionem vitæ & mortis nomina ac naturæ deſcendunt: quorum nominum, quia non ſimplex ſignificatio eſt, prius, quàm de rebus ipſis agamus, ſeſe diſtinguendam præbet. Inuenimus enim in ſacris ſermonibus mortis nomen quadruplici diſcrimine indicatum. Quorum primum ad animum refertur humanum, & antiquitatem appellationis ſibi præcipuè arrogat.* (Mors prima.) *Secundum verò animantum omnium corpora ſpectat.* (Mors.) *Tertium, ad ſingularis cuiuſdam & efficaciſsimæ mortis rationem & cognitionem, qua prima illa animi mors victa ac ſublata eſt, & altera etiam, hoc eſt, corporis mors abſumitur.* (Mors victrix) *Quartum autem ſecundæ quoque mortis definitionem vendicat.* (Mors ſecunda.) *Eandem quoque nominis diſtincti ſeriem de vnoquoque genere diſſerendo tenebimus.*

HVMANVM *animum in Dei imagine, & ſicut ſimilitudo Dei creatum*

*& effectum, nobis, vti iam accepimus, diuina doctrina tradit: huic animo domum ac ſingulare propriúmque templum, corpus, inquam, conſtructum ac poſitum: ipſum vero animum ſapientiæ, gratiæ, ac prouidentiæ diuinæ, tamquam templum aliud dicatum ac ſacratum edocti ſumus. Conſecrationis autem cauſa diuini verbi præſentia, obſeruatio & cuſtodia fuerat: quod, quamdiu retineretur, tam diu illa templi ſanctitas & maieſtas incõtaminata fulgénſq; maneret.*

Ioan. 1. *S. S. E. Omnia per ipſum facta ſunt. Atqui integritatem illam, & ſanctitudinem hominis pro illo ſtatu,* vitam *vocamus, eandémque* τὰ πάντα, *id eſt,* omnia *dici interpretamur: quam in animo hominis ob repulſum Dei verbum, violatam ac diſsipatam, quæ conditio eueſtigio ſecuta eſt, ea* Mors prima *& ſimpliciter* Mors *&* Nihil, *ac nonnumquam* Tenebræ, *interdum* Vmbra

Ibidem. mortis, *aliquando* Prudentia carnis *à ſacris auctoribus vocatur. Omnia per*

Iſaiæ 9. *ipſum facta ſunt, & ſine ipſo, Verbo, factum eſt nihil, quod factum eſt. Populus,*

» *qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vm-*

Ezech. 13. *bræ mortis lux orta eſt eis. Expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mor-*

Rom. 8. *tis, & in caliginem. Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus,*

» *vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt*

» *ſubiecta: neque enim poteſt. qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.*

Ioan. 5. *Quare mortis huius definitio illa erit,* ALIENATIO HVMANI ANIMI A DEO. *Amen, amen dico vobis, Si quis ſermonem meum ſeruauerit,*

Prou. 8. *mortem non videbit in æternum. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem; eadem Sapientia declarat.*

*Atque hanc mortem cum ſuo nomine primam ceterarum in mundum inuectam, antéque cauendi & vitandi cauſa homini prædictam à Deo, & inimicam*

Gen. 2. *declaratam, nihilominus eodem nolente, ac deteſtato & irato admiſſam. De li-*

» *gno ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis, mor-*

Ezech. 18. 33 *te morieris. Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus. Si me dicente ad im-*

» *pium, Impie morte morieris, non fueris locutus vt ſe cuſtodiat impius à via*

» *ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu tua*

Eccli. 14. *requiram. Memor eſto, quoniam mors non tardat & teſtamentum inferorum,*

» *quia demonſtratum eſt tibi: Teſtamentum enim huic mundo,* MORTE MO-

Sap. 1. RIERIS. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum: Crea-*

» *uit enim vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non eſt*

» *in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra: Iuſtitia*

» *enim perpetua eſt, & immortalis.*

III. *Quod ſi inuentorem, &, vt ſic loquamur, ſollicitatorem quæramus mortis,*

Ibid. 2. *nullum alium, præter Diabolum, vſquam reperiemus. Quoniam Deus creauit*

» *hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum: in-*

» *uidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

IIII. *Hominem verò ipſum ſuæ ſibi mortis auctorem & fabrum fuiſſe, ita didi-*

Sap. 1. *cimus. Impij autem manibus & verbis accerſierunt illam, & æſtimantes illam*

1 Cor. 15. *amicam, defluxerunt; & ſponſiones poſuerunt ad illam. Quoniam quidem per*

Rom. 5. *hominem mors. Vnius delicto mors regnauit per vnum. Complura etiam teſtimonia hominem ſibi ipſi peccati auctorem arguunt, audientem nimirum & ob-*

Prou. 2. *ſecutum femineæ ſui portioni. Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ*

» *mollit ſermones ſuos, & relinquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita*

eſt

eſt. Inclinata eſt enim ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ ipſius. Viæ Prou.7.
inferi domus eius, penetrantes interiora mortis. Clementia præparat vitam, "
& ſectatio malorum mortem. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit Eccli.15.
illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua. Si volueris man- "
data ſeruare, conſeruabunt te: & in perpetuum fidem placitam facere. Ap- "
poſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante ho- "
minem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi: quo- "
niam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſ- "
ſione. Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit omnem operam homi- "
nis. Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi: non enim "
concupiſcit multitudinem infidelium & inutilium. Ita hominem ipſum ſibi "
mortem aſciuiſſe conſtat.

V. Quo verò pacto, quo negotio aſcita & admiſſa fuerit mors, vt quærere proximum eſt, ita in promptu fuerit indicare. Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: ita in omnes homines mors pertranſiuit, in quo omnes peccauerunt. Stipendia enim peccati mors. Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt. Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat. Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum: Peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem. In ſemita iuſtitiæ vita. Iter autem deuium ducit ad mortem. Eſt via quæ videtur homini recta, nouiſſima autem eius ducunt ad mortem. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum: Impij autem manibus & verbis accerſierunt illam: & æſtimantes illam amicam, defluxerunt, & ſponſiones poſuerunt ad illam, quoniam digni ſunt qui ſunt ex parte illius. Malorum amatores digni ſunt morte. Homo per malitiam occidit animam ſuam: & cùm exierit ſpiritus, non reuertetur: nec reuocabit animam, quæ recepta eſt. Neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius, cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam. Seculi autem triſtitia mortem operatur.

(Peccatum. Rom.5. Ibid.6. 1 Cor.15. Iac.1. Prou.12. Sap.1. Ibid.15. & 16. Rom.6. 2 Cor.7.)

VI. Atque mors quidem animi diuini ſpiritus vitam non admittit, nec ſecum ſociam habere potuit: quia cum eo, quod ſummè verum eſt, id quod ſummè nihil dicitur, eſſe manereque non valet. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Carnis autem, ſiue carnis & ſanguinis nomine natura hominum dicitur, propter primam tranſgreſſionem corrupta, labefactata, ac damnata, & in nomen filiorum iræ traducta, à ſapientiaq́; diuinæ arcanis cognoſcendis nimium vſque remota. Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut fœnum fructificans in arbore viridi: alia generantur, alia deiiciuntur, ſic generatio carnis & ſanguinis alia finitur, alia naſcitur. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur ibit cum illo. Quid lucidius ſole? aut quid nequiùs quàm quod excogitauit caro & ſanguis? Et hoc arguetur. Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam: in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe, dum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri: Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Non eſt pax vniuerſæ

(Gen.6. Eccli.14. Ibid.17. Ibid.28. Iſaiæ 40. Ierem.12.)

» uerſæ carni. Seminauerunt triticum, & ſpinas meſſuerunt: hæreditatem acce-
Mat. 16. perunt, & non eis proderit. Confundemini à fructibus veſtris propter iram
Mat. 16. furoris Domini. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Beatus es
» Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi [diuinum myſterium.]
Ioan. 8. Scio vnde venio, & quò vado; vos autem neſcitis vnde venio, aut quo vado:
Ephes. 2. Vos ſecundùm carnem iudicatis. In quibus [delictis] nos aliquando conuerſati
» ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitatio-
Rom. 7. num, & eramus natura filij iræ ſicut & ceteri. Cùm enim eſſemus in carne,
» paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt
Ibid. 8. fructificarent morti. Qui ſecundùm carnem ambulant, quæ carnis ſunt, ſa-
» piunt. Nam prudentia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta:
1 Cor. 15. neque enim poteſt: qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Hoc au-
» tem dico, fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, ne-
Galat. 5. que corruptio incorruptelam poſſidebit. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiri-
» tum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non
» quæcumque vultis, illa faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.
» Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impu-
» dicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmu-
» lationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſ-
» ſationes, & his ſimilia. quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia
» agunt, regnum Dei non conſequentur.

VII. Huiuſmodi verò corrupta caro, atque à primo illo ſuæ rectitudinis gradu
pulſa, ſtatúque deiecta, à ſacris auctoribus appellari ſolet mors, eadémque
mortis corpus, & cor lapideum, & cor incircunciſum, & impurum, &
prauum, atque etiam peccatum inhabitans, captiuitas, tenebræ, Bel-
iiaghal, compluribúſque aliis nominibus, quibus peruerſitas iſta & veræ vitæ
carentia, ac mortis hæreditas notatur magis, quàm plenè deſcribitur. Dicitur
quoque lex, & corpus peccati, quòd illi primo in corde hominis innato &
hærenti innumera peccata velut membra addantur, ex quibus corpus ipſum
peccati conflatur, quæ vel ipſa mors eſt, vel mortis regnantis regia aula &
Rom. 5. ſedes. Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non pec-
» cauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Video
» aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem
» me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me libera-
Psal. 77. bit de corpore mortis huius? Cor autem illorum non erat rectum cum eo, nec fi-
Ibidem 94. deles habiti ſunt in teſtamento eius. & dixi ſemper hi errant corde. Coagula-
Psal. 118. tum eſt ſicut lac cor eorum. Abominabile Domino cor prauum. Omne caput
Prou. 11. languidum, & omne cor mærens. Audite duro corde, qui longè eſtis à iuſtitia.
Isaiæ 1. & non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam ſed abierunt in voluptati-
Isaiæ 46. bus, & in prauitate cordis ſui mali: Reliquerunt legem meam, quam dedi eis;
Ierem. 7. & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea. &, Abierunt poſt
Ierem. 9. prauitatem cordis ſui. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet
Ibid. 17. illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. &, Filij dura facie, & in-
Ezech. 2. domabili corde ſunt. Namque ſimplex & ingenuum hominis cor tenerum, re-
ctum, purum & carneum ex conditoris manu extiterat, quod admiſſo ſcelere
Ezech. 11. durum ac lapideum euaſiſſe teſtatur Deus. Et auferam cor lapideum de carne
eorum.

eorum. Eo quòd induxistis filios alienos, incircumciſos corde, & incircumciſos Ezech. 44.
carne, vt ſint in ſanctuario meo. Adhuc cæcatum habetis cor veſtrum? Ocu- Mar. 8.
los habentes, non videtis? & aures habentes, non auditis? Dura ceruice & in- Act. 7.
circumciſis cordibus & auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Hæc de hu- “
mano corde ſimpliciter dicta tam vulgares homines, quàm eos qui ſeſe à vulgò
remotos putant, tangunt: hos verò & illud magis premit: Quia cùm cognouiſ- Rom. 1.
ſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanue- “
runt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim “
ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Sicut gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, Epheſ. 4.
tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, “
quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum. Quòd ſi zelum amarum habe- Iacobi 3.
tis, & contentiones in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduer- “
ſus veritatem: non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, “
animalis, diabolica: Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne “
opus prauum. A minimo ad maximum omnes auaritiam ſequuntur: à Pro- Ierem. 8.
pheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt mendacium. Quia omnes adulteri “
ſunt & cœtus præuaricatorum. Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum men- “
dacij, & non veritatis: confortati ſunt in terra, quia de malo ad malum egreſſi “
ſunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Non ſcripſi vobis quaſi igno- 1 Ioan. 2.
rantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam, & quoniam omne mendacium ex “
veritate non eſt.

VIII. Deformem huius mortis faciem qui ad cognoſcendum deſcribere ſtudeat, plurimorum monſtrorum, quorum illa figuras monſtroſè quoque refert, & naturas cognoſcat, & horribiles formas prius contempletur oportet; quod nec ſine horrore aggredi, nec ſine magna turbatione expedire poſſit. Delicta quis intel- Pſal. 18.
ligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Satis “
vno verbo dixiſſe, mortem animi abalienationem eſſe à Deo, nec ſolum mortuo
corpori hominis, ſed viuenti etiam imperare. Nam quæ in delitiis eſt, viuens 1 Tim. 5.
mortua eſt. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Video Rom. 7.
aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem “
me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Et ferè quæ apud ſacros Vates quàm “
ſæpiſſimè de publica captiuitate repetuntur, miſerrimam huius mortis conditionem indicant. De pœnis verò ac ſuppliciis æternis huius mortis comitibus, (quorum pars viuentes etiam in carne homines vexat, pars verò in poſterum reſeruata manet, alio loco agendum.

IX. Atque huius mortis cladem omnibus hominibus ex Adamo naturali procreatione prognatis ex diuinæ ſententiæ lege communem eſſe, ipſorum qui patiuntur, confeſſione conſtat, atque Spiritus ſancti teſtimoniis declaratur. (Neque verò hîc de Deiparæ Virginis prærogatiua quicquam ſubductum volumus.)
Sequere me (monet Chriſtus) Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Caritas Mat. 8.
Chriſti vrget nos æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt: er- 2 Cor. 5.
go omnes mortui ſunt. & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Eramus natura Epheſ. 2.
filij iræ ſicut & ceteri. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter ni- “
miam caritatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conui- “
uificauit, &c. Et vos cùm mortui eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, Col. 2.
conuiuificauit cum illo: delens quod aduerſus nos erat, chirographum decretis, “

Iſaiæ 28. [*peccatum*] *quod erat contrarium nobis. Propter hoc audite verbum Domini*
,, *viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum qui eſt in Ieruſalem* [*pace*
,, *conſpicua*] *Dixiſtis enim, Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno feci-*
Rom.5. *mus pactum. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per*
,, *peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes pecca-*
Ibid.7. *uerunt. Cùm enim eſſemus in carne, paßiones peccatorum, quæ per legem erant,*
1 Cor 15. *operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. In Adam omnes mo-*
Eccli 26. *riuntur. Donec reddat hominibus ſecundùm actus ſuos, & ſecundùm opera Adæ,*
Eccli.4. *& ſecundùm præſumptionem illius. Namque occupatio magna creata eſt om-*
,, *nibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre*
,, *matris eorum vſque ad diem ſepulturæ in matrem omnium: Cogitationes eo-*
,, *rum & timores cordium, adinuentio expectationis, & dies finitionis: reſiden-*
,, *tes ſuper ſedem glorioſam vſque ad humiliatum in terra & cinere. Ab eo qui*
,, *vtitur Iacyntho, & portat coronam, vſque ad eum qui operitur lino crudo: fu-*
,, *ror, zelus, tumultus, fluctuatio & timor mortis, iracundia perſeuerans & con-*
,, *tentio, & in tempore refectionis in cubili ſomnus immutat ſcientiam eius. At-*
Gal.3. *qui Scriptura omnia ſub peccato concludens, omnia morti damnata arguit: Sti-*
,, *pendium enim peccati mors.*

X. *Sed cui maximo malo nemo mortalium ſiue mortuorum potius hominum,*
Remedium. *imò nec Angelorum, quibus maior virtus eſt, medicinam facere poſſet, Deus,*
*qui diues eſt in miſericordia, ſeſe, vti iam aliàs indicauimus, facturum recepit,*
*Inimicitias ponam inter te & mulierem. Ponam ait, quas nulla alia natura*
Iſaiæ 25. *ponere poterat. Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum, & auferet Do-*
,, *minus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa*
,, *terra: quia Dominus locutus eſt. Et dicet in die illa, Ecce Deus noſter iſte,*
,, *expectabimus eum, & ſaluabit nos: iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exulta-*
Lucæ 1. *bimus & lætabimur in ſalutari eius. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in*
,, *quibus viſitauit nos Oriens ex alto, illuminare iis qui in tenebris, & in vmbra*
Ioan.8. *mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Amen, amen dico vo-*
,, *bis, Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.*

Remedij auctor. *Eum verò huius admirandi beneficij miniſtrum fore pollicitus eſt Deus, per quem omnia prius facta fuerant, hoc eſt, Verbum ſuum efficaciſsimum; atque ex conſequenti ſe ipſum. Id quod occulto myſterio inuolutum ad Sapientiæ ſuæ aſſertionem, & ſerpentinæ aſtutiæ perturbationem prædixit. Namque vbi dixiſſet,* Inimicitias ponam: *deinde ſubiunxit,* & ipſum [*ſemen mulieris*] conteret caput tuum. *Verùm tantam calliditatem, tantam vim, nulla natura, nulla ſapientia, niſi planè diuina frangere poterat: tenebras nulla niſi lucis, mortem nulla niſi vitæ natura vincere & pellere. Oportuit itaque negotium tantum ab eo & per eum fieri, cui vtriuſque verbi* Ponam, *&* Conteret, *perſona & ratio conueniret. Atqui* Ponam, *Dei perſonam,* Conteret, *mulieris indicabat ſemen. Quare eundem fore Deum, idem eſſe Verbum quod illa pronunciauit, idem mulieris fore ſemen, reſponſum eſt. Ita vt vni eidémque conuenirent huiuſmodi verba,* Sum, *&* Eſt, *&* Sumus, *&* Facio, *&* Facit, vnum *&* duo.
Ioan.1. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: In ipſo vita*
,, *erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non*
Ibid.3. *comprehenderunt. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad*

mensuram

*menſuram dat Deus ſpiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam: ſed ira Dei manet ſuper eum. Pater meus vſque modò* Ioan. 5.
*operatur, & ego operor. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemet ipſo, & poteſtatem dedit etiam ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt [Mulieris promiſſum ſemen.] Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem:* Ibid. 6.
*Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Oues meæ vocem meam audiunt,* Ibid. 10.
*& ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea: Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus eſt; & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum ſumus. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum:* Ibid. 14.
*quomodo tu dicis, Oſtende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor: Pater enim in me manens, ipſe facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioqui propter opera ipſa credite. Ita inter Deum Deíque Verbum celebris huiuſmodi ac frequens orationis varietas, & perſonarum in verbis communicatio,* ille, ego; ego, ille; nos, ego; ſum, ſumus, eſt. *quod ex illo, vti indicabamus, reſponſo cœptum fuit.* Ponam, & ipſum conteret. *Nam & qui poſiturus, & qui contriturus dicitur, vnum ſunt. Ego ſum reſurrectio & vita: qui* Ioan. 11.
*credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Et præcepit nobis prædicare populo & teſtificari,* Act. 10.
*quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Paulus ſeruus* IESV *Chriſti, vocatus Apoſtolus,* Rom. 1.
*ſegregatus in euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis, de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis* Ephes. 5.
*ex reſurrectione mortuorum* IESV *Chriſti. Propter quod dicit, Surge qui dor-* Apoc. 1.
*mis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Qui eſt teſtis fidelis, pri-* 1 Cor. 15.
*mogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur, vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus. Qui eſt in dextera Dei deglutiens mortem, vt vitæ* 1 Pet. 3.
*æternæ heredes efficeremur. Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eo-* Apoc. 21.
*rum [hominum], & mors vltrà non erit: neque luctus neque clamor, neque dolor erit vltrà, quæ prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno, Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſsima ſunt & vera. Et dixit mihi: Factum eſt. Ego ſum α, & ω, principium & finis.*

*Huius autem diuini beneficij rationem & formam qualem definiri & expectari, ac tandem cognoſci conueniret: admirandis arcaníſq; imaginibus ac verbis antiqui ſignificatam, quatenus illa ætas ferebat, acceperunt: qui verò teſtes & compotes obtinuerunt, poſteà multo magis mirabili verborum ſignificatione commendauere, conformitatem & conformationem* appellantes diuinam. *De*

*qua nunc vnum aut alterum producere teſtimonium, pro loci huius opportunitate ſat fuerit. plura autem aliàs & exactius citabimus, cùm ad proprium expediendi negotij tempus deuentum fuerit.*

Philip. 3. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam* IESV *Chriſti Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide, ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paßionum illius,* CONFIGVRATVS *morti eius, ſi quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.*

2 Tim. 1. *Secundùm propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto* IESV *ante tempora ſecularia, manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti; qui deſtruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem.*

Heb. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paßionem conſummare.*

Heb. 10. *Vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.*

OMNEM *verò negotij huius virtutem, auctoritatem, & efficientiam vni Deo ſacra oracula tribuunt: quæ verò homini ad eam rem agenda præcipiunt, pro beneficij quidem amplitudine leuia & exigua, verùm quæ ex parte ſua non negligere, non omittere, non doloſè aut ſegniter curare conueniat, quòd vel ita voluiſſe Deum ſatis ſupérque fuerit, nedum quod beneficij dignitatem æſtimationémque deceant, & humanam quoque facultatem præcipientis & poſtulantis, ac promittentis Dei ope inſtructam ad tantum donum obtinendum præparent, & adornent: Ea verò ſunt* fides, petitio, & obſequium. *De quibus ſigillatim oportunè diſſeremus. Nam quæ Deus hominibus in ſalutem pollicitus eſt, ea & maxima, & pretioſiſsima, optatiſsimáque haberi, & vt talia ſtudioſiſsimè poſci oportuerit.*

Eccli. 15. *Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ quæ à ſeculo ſunt: quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium. Exaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus ſum. Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomen tuum aßiduè, & collaudabo illud in confeßione, & exaudita eſt oratio mea, & liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo.*

Iac. 1. *Siquis autem veſtrûm indiget ſapientia,* [Sanctorum] *poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: Poſtulet autem in fide nihil hæſitans; qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.*

*Atque de prima morte, quæ ad ſacrorum librorum de eadem diſtinguendam cognoſcendamq́ue rationem hæc pro argumento diſputata ſufficiant.*

# DE MORTE CORPORIS diſputatio.

## VOLVMEN QVARTVM.

HVMANARVM *in terris rerum poſtremam lineam ex ſacra diſciplina de ſcripturis multa nobis ex ordine diſſerenda occurrunt: quæ, ſi perſequi iuberemur, quamuis grande, non caperet volumen; lectorisq́; eadem excederent patientiam, eius præſertim, cui otium in iucundioribus ſermonibus ponere optatius, quamquam nec vtilius plerumque, nec tutius: Melius eſt enim ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit. Ac principio quidem de corporeæ mortis origine & antiquitate, de auctore, de occaſione dicendum; deinde verò illius cognoſcenda natura; poſteà leges, conditiones, atque exitus & euenta, ac demum vtilitas, num qua ſit illius inueſtiganda, & quæ poſt hæc expectari conueniat animaduertenda.* I. Eccl. 7.

II. *Decretam in homines, atque latam demum & ob peccatum exercitam diuini iudicij ſententiam; In quacumque die comederis morte morieris, non præciſè ac deſtinatè corpus, verùm animum tenuiſſe, proprio capite diſputatum declarauimus: & tamen diuina intercedente miſericordia, mortem illam demum abolitam iri intelleximus. Verùm enimuerò quemadmodum iuſtitiæ ſatisfieret, nondum hactenus animaduertimus. Duo enim homini in vitium atque in mortem prolapſo aduerſarij extiterant: ex quibus vnus diuina iuſtitia erat; quæ ſententiam altiſſimo conſilio ac optimo iure latam conſtare ac perſtare & exerceri poſcebat: Alter verò Lucifer, iam mundi huius princeps effectus; qui ſuum ſibi ius ex eadem ſententia propter ſuam ſapientiam partum præſtari poſtulabat: Id quod æterna mors erat; cuius decretum certo ac firmato chirographo ipſe ſibi traditum allegabat. Quidquid autem bonitas, miſericordia & benignitas Dei conſtituiſſet, id nec iuri ſuo, nec diuinæ iuſtitiæ auctoritati & ſanctitati derogare oportere, defendebat. Sed ſupremæ ſapientiæ conſilio ratio formáque inuenta eſt; qua vtraque diuina virtus, miſericordia & iuſtitia citra vllum diſſidium ſuas perageret præſtarétque parteis; quibus communis aduerſarij calliditas eluſa & victa, nihil demum, quod iure exciperet, ac pro ſe facere doceret, habere poſſet. Atque hæc corporeæ mortis origo fuit: qua ſimul caſtigando in partem homini conſultum, & ſanando etiam atque liberando proſpectum fuit. Alterum quidem & homini ipſi, & aduerſario apertum & expoſitum; alterum verò vſque ad peragendi negotij tempora prorſus celatum & ignotum: auditum quidem & intimatum, verùm nullo modo perceptum; interim tamen artibus ac fraudibus quamplurimis imprudenter ac fruſtrà impugnatum: id quod agendum diuino reſponſo ſignificatum fuerat, Super pectus tuum gradieris.* 1.

III. *Atqui hominem, animo æternæ mortis damnato, corporis vitam perpetuam viuere & perdurare, diuina iuſtitia non patiebatur, id eſt, inimicum & inuiſum Deo genus idémque ingratiſſimum, tamen rebus à Conditore ac principe ſummo creatis & conceſſis perpetuò vti ac frui: quibus ſeſe ipſum reddiderat indigniſſimum.*

*Sed nec diuina etiam bonitas ſuarum partium iudicabat, pati hominem in tanta animi miſeria quàm diutiſsimè agere & verſari, nouis indies & aſsiduis peccatis & flagitiis magis atque magis impiè & ſceleratè, atque ideò miſerius infeliciusq; acturum, maiorem propterea numinis diuini offenſionem & grauiorem ſibi damnationem molitum. Nam quamdiu illa maſculi ac feminæ malè iam turbata ac ſecum diſsidens maneret ſocietas, tamdiu vtriuſque portionis diſſenſio ac pugna & potioris oppreſsio, deteriorisq; temeritas & inſolentia, ac frequens victoria, & ſuperior plerumque conditio maneret. Quare rationem conſtitui oportuit, quemadmodum & melioris partis laboribus atque ærumnis, & deterioris magisq; inſolentis audaciæ ac temeritati ſuperbiæq; finis imponeretur: pœna etiam irrogaretur aliqua, non quidem quantam demerita poſtulabant, ſed quantulam diuina clementia ad correptionem & caſtigationem ſat eſſe duxerat, non quidem amplius prorogandam aut augendam, ſi fides, ſi ſpes, ſi pœnitentia, patientia, & ceteræ, quæ reliquæ fuerant, conſtare adeſſéque poterant homini virtutes, ad finem vſque correctionis adeſſent: aliàs verò ſuus iuſtitiæ relinquebatur locus ad grauius ac perpetuum de nequiſsimo capite ſumendum ſupplicium. Atque illa ad eas res omnes idonea viſa decretáque ratio fuit, vt animi & corporis coniunctio ac ſocietas aliquando dirimeretur; qua dirempta ac diſiecta, & meliori portioni à prioribus aſsiduiſque laboribus requies, & inferiori ac improbæ inſoleſcendi figeretur modus: interim etiam aduerſarij calliditas & malitia nihil iuri ſuo detractum reclamans, imò magis magiſque auctum exiſtimans, diuinæ voluntati non ſolùm cederet, ſed etiam eluſus ac deceptus obſecundaret, & ſeſe ſuóſque omnes miniſtros tandem ſuis laqueis capiendos, ſuis artibus vincendos, ſuóque gladio iugulandos, atque in victoris Verbi poteſtatem traditos, in triumphum ducendos, & merito proditionis atque*
*» ſcelerum afficiendos ſupplicio exhiberet. S. S. E. Conuertetur dolor eius in ca-*
*» put eius, atque in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Idem etiam arcanæ illius & incomprehenſibilis ſapientiæ conſilium fuit; quæ homini per ſe condito, ſalutem & vitam eadem ratione, quæ ad caſtigationem inicebatur, conferre: ac ſimili quidem nomine, quo ſumma allata fuerat miſeria, diuerſa tamen efficientia, felicitatem ſummam comparare inſtituit, ſéque eius conficiendi negotij procuratorem præbuit: Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, auctorem ſalutis eorum conſummare. Ita adeò vna eademres pluribus de cauſis hominum ſpectantibus bonum, & ad ſolius Dei gloriam pertinentibus, à miſericordia diuina impetrata, à iuſtitia decreta, à ſapientia & virtute ſuſcepta fuit: quæ, quamquam omni non humanæ modò, ſed angelicæ quoque menti & cognitioni, nō modò difficilis, verùm impoſsibilis cenſeretur factu; tamen in illa Sapientiæ luce nihil difficultatis, obſcuritatis habuit nihil, quominus maturata & confecta expediretur, & in lucem prodiret. Satis enim fuerat à Sapientia fuiſſe ſuſceptam, vt ſapienter confectam & editam oportunum demùm tempus declararet. Igitur corporis humani mortem poſt admiſſam homini æternam mortem ex diuino iudicio ac beneficio inductam, non proximè à mundi conſtitutione reapſe editam & ſpectatam, ex ſacra doctrina accepimus. Eiuſdem autem decretæ & conſtitutæ propria & ſingulariter denunciata lex illa fuit,* PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS. *Nam poſt ſalutis æternæ promiſſum factum, & exercendæ fidei cauſa homini declaratum, poſt*

*indictum*

*indictum cum terra propria certamen, & pœnitentiæ atque obſequij negotium demandatum, finis etiam modúſque laborum ac pugnæ ad conſolationem & exhortationem præſcriptus, & ad voluntatis diuinæ erga ſe reuerentiam & gratulationem declaratus eſt, Donec reuertaris in terram de qua ſumptus es. Namque ſingulari prouidentiæ ac beneficientiæ acceptum referri oportuit, quòd pugna, vexatio, atque ſeruitus illa animo hominis apud carnem ferenda, non eſſet æterna, imò nec nimium diuturna futura; maximæ etiam clementiæ tribui, quòd quas pœnas totus homo deberet, ea hominis lueret pars, id eſt, caro & ſanguis, cui minor in natura dignitas, maior in criminibus improbitas conſtaret; cuíque à malo aliquando vel inuitæ deſinere in boni ratione & vſu cenſendum eſſet: præſertim cùm & ipſi iſti parti non indiceretur abſoluta perditio & abolitio, ſed à reſtitutionis & melioris aliquando conditionis expectandæ ſignificatione non alienum decretum.* pului ses, *non quiuis inutilis & vilis puluis, verùm ille, de quo iam diſſeruimus,* GHAPHAR *reſtituendo operi & vitæ recipiendæ idoneus, nec eandem ideo naturam & aptitudinem amiſſurus,* in GHAPHAR reuerteris. *Id quod auditum & carni ipſi ſolamen, & animo templi atque conſortij proprij amatori ſpem & conſolationem afferre potuit. ideóque etiam illis nominibus & verbis annunciatum fuit. In ipſo verò decreti verbo myſterium quoque latet, futuro videlicet tempore, id eſt, non præfinito, nec ad vnum tantum coarctato exemplum, ſed & præterea, quibus adiungitur, nomina, ſuam adhuc vim & vlterius pertenturam ſeruantes. Huiuſmodi enim futuri in ſacra lingua vis. Ita in primæuis exemplaribus* THASVB *cum antecedenti legitur* GHAPHAR, *& abſolutè quoque legendum conſtat. Ita Latinè verbum ipſum explicationis cauſa prudenter repetendum eſſe primæui verbi ſignificatio docet.* SVB *ſignificat* iterum, TH *ſecundæ perſonæ ſignum & imperatiui vicem ſæpe gerens indicat verbum ipſum repetendum,* & in puluerem reuerteris. reuerteris, *inquam; poſtquam in puluerem fueris reuerſus,* iterum reuerteris. *Quippe inſtaurationem huiuſmodi præſtandam diuinus in ſe recepit ſpiritus. S. S. E. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sit gloria Domini in ſeculum ſeculi: lætabitur Dominus in operibus ſuis. Ita homini primo ſuæ linguæ peritiſſimo in ipſo corporeæ mortis decreto & reſponſo reſurrecturæ carnis ſpes facta fuit: quam in omni hominum genere hæſiſſe, atque manſiſſe (quamquam diaboli fraude & mundana ſapientia interturbatam) tamen innatum, & nulli homini non commune deſiderium docet. Atqui vel ex humana diſciplina conuenit nulli naturæ appetitionem vllam fruſtra ineſſe. Nam quod ex naturæ decretis impoſſibile effectu fuerit, numquam cupitum conſtiterit. quare nec piſcis in ſicco viuere optat, quod fieri poſſe naturæ legibus negatum. Hominem verò neminem aut eſſe, aut fuiſſe arbitramur, cui vel æternitas vitæ huius vel reſtitutio, in mentem & in votum non aliquando venit. S. S. E. Memorare quæ mea ſubſtantia: numquid enim vanè conſtituiſti omnes filios hominum? Quis eſt homo qui non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi? Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine? Ex quarum miſericordiarum antiquiſſimarum numero illa vna fuit promiſſa,* NEPHES, *hoc eſt animam, qua caro viuit, mouetur, & agitur, non humana facultate, ſed planè diuina bonitate de manu inferi erutum iri. Itaque eodem oraculo corporis mors*

*iis,*

[Margin: אזעפר תשוב — Pſal. 103. — Pſal. 88. — reſtauratio (handwritten)]

iis, de quibus diximus cauſis, atque aliis Deo notis humanæ naturæ omni decreta ac denunciata, & reſurrectionis ſpes inſinuata: De qua ſapientiſsimus ille gentium philoſophus: Scio enim quòd redemptor meus viuit; & in nouiſsimo

Iob 19. »» die de terra reſurrecturus ſum; & rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea »» videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi ſunt, & non »» alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

V. Mortis corporis definitio. Pſal. 103. Iob 10.

Iam verò hæc, de qua agimus, mors, quídnam ſit, breui & aperta definitione cognoſcendum. DISSOLVTIO CARNIS ET SPIRITVS: quam definitionem Spiritu ſancto doctore didicimus. Auferes ſpiritũ eorum, & deficient. Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo. Sic diſſolutionem circumlocutus eſt Iob. Et doctiſsimus ille Ieſu Chriſti à Deo doctus

2 Cor. 5. diſcipulus, idemq́ gentium doctor. Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus no»» ſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum »» non manufactam æternam in cælis. Et ſenior ille Apoſtolorum primus, & ho-

2 Pet. 1. minum piſcator præſtantiſsimus. Iuſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc »» tabernaculo ſuſcitare vos in commonitione, certus quòd velox eſt depoſitio ta»» bernaculi mei ſecundùm quod & Dominus noſter IESVS Chriſtus ſignificauit mihi.

VI. Hanc verò diſſolutionem quæ incommoda præcedant, quæ etiam conſequantur euenta deſcribere etiam & cognoſcere operæpretium, & ad medicorum prognoſtica fuerit oportunum. Quæ præcedunt, illa cum ſuis incommodis indicantur ſigna, membrorum nimirum corporis turbatio & impedimenta atque læſio-

Eccleſ. 12. nes ceſſationesq́ animalium ac vitalium partium. Antequam tenebreſcant ſol »» & lumen, & luna, & ſtellæ, & reuertatur nubes poſt pluuiam [viſus oculorum »» imminutus] Quando commouebuntur cuſtodes domus, [brachiorum vis, robur, »» ac dexteritas] & nutabunt viri fortiſsimi, [crurum firmitudo] & otioſæ erunt »» molentes in minuto numero, [dentes] & tenebreſcent videntes per foramina: »» [oculorum viſus abſolutus defectus] & claudent hoſtia in platea, [cibi appeten»» tia] in humiditate vocis molentis, [ventris ἀτροφία] & conſurgent ad vocem »» volucris, [vigilia immodica] & obſurdeſcent omnes filiæ carminis. [aurium ob»» turatio auditionisq́ defectio] Excelſa quoque timebunt & formidabunt in via, »» [conſcientiæ horrores ac metus] florebit amygdalus, [ſpumæ ex ore, ex naribus, »» ex oculis profectæ, ſalſi ſudores circa caput erumpentes] impinguabitur locuſta, »» [feruor in pectore, & gutture cicadæ ſtrepitum referens.] & diſsipabitur cap»» paris: [libidinis nequitia]. Omnia quæ vel paulatim ac lentè, vel quam celerrimè ac feſtinè animæ & corporis diſſolutionem præeunt. Illa verò conſequuntur,

4 Reg. 4. ſenſuum omnium actionumq́ vitæ priuatio & abolitio. Gieſi autem præceſſerat »» ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri; & non erat vox neque ſenſus.

Pſal. 6. Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebi-

Pſal. 29. tur tibi? Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Quia

Iſaiæ 38. non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Viuens, viuens ipſe con»» fitebitur tibi, ſicut & ego hodie, ait Ezechias. Poſtrema verò omnium eſt corruptio, quæ propriam carnis ac ſanguinis inſolentiam caſtigans vlciſcitur: ea eſt mutatio à forma naturaq́ illa molli ac tenera, & in antiquum puluerem poſtrema conuerſio: quam omnes & carnis & criminis Adami participes ex diuini iudicij

descriptio ... mortis (handwritten marginal note, partly illegible)

*iudicij ſententia ſubire neceſſe eſt. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus: Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam. Namque primùm Rumpetur funiculus argenteus, [medulla dorſi] & recurret vitta aurea, [nerui ac tendones] & conteretur hydria ſupra fontem [caput ſuper ventriculum] & confringetur rota ſupra ciſternam [vertebræ colli] Et reuertetur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Gen. 3. Pſal. 145. Eccleſ. 12.

*Mortis autem huius inſtitutorem Deum iudicem, gubernatorem, eumdemq; miſericordem ſacræ diſciplinæ tradunt. ita ex vtriuſque efficacitatis auctoritate humani boni cauſa inſtitutam nouimus, Et dixit Dominus Deus* IEHVEH ELOHIM. VI.

*Eandem verò quoniam non, vt ceterarum animantium, (quibus iiſdem numero redintegrari & redire nec promiſſum eſt, nec datum) ſine reſurrectionis ſpe hominibus iniunctam diximus, mitioribus & vero propioribus nominibus à ſanctis viris appellatam obſeruare eſt, videlicet: Somni, dormitionis, quietis, cubitionis. Ex quo dormiſti, non aſcendit qui ſuccidat nos. Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et iterum diſcipulis* IESVS, *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado vt à ſomno excitem eum. Dixerunt ergo diſcipuli eius, Domine, ſi dormit, ſaluus erit. Dixerat autem* IESVS *de morte eius; illi autem putauerunt quia de dormitione ſomni diceret. Et Stephanus, poſitis genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. & cùm hoc dixiſset, obdormiuit. Piis ergo hominum, quæ mors aliis dicitur, & horribilis videtur, ſomnus verè eſt.* Iſaiæ 14. Matth. 9. Ioan. 11. Act. 7.

*Primam corporis morti indicendæ occaſionem humanus error peperit; muliebris, inquam, audacia à reſpectu & conſultatione viri ſui per nefas & contra diuinam legem deſciſcens. A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.* VII. Occaſio. Eccli. 25.

*Nec verò vnum tantùm ſubeundæ mortis genus, ſed duplex in commune, in formis autem vtrumque multiplex. Alterum genus naturale ſiue ſpontaneum, alterum violentum dictum. Naturale, morbo vel debilitatione; violẽtum, vel propria, vel externa infertur vi. vtrumque quidem breui partitione diſtinxit imperatorum ille innocentiſſimus omnium. Viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit vt moriatur; aut deſcendens in prælium, perierit; propitius ſit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in chriſtum Domini.* VIII. Partitio. 1 Reg. 24.

*Ex naturalis mortis genere leniſſima mors ea habetur, quæ ſenibus accidit: ea quæ propriè pacifica ſolutio dicitur, citra dolorem, citra angorem, aut animi tumultum vllum. Cuius frequentia in ſacris monumentis exempla leguntur. Tu autem ibis ad patres tuos in pace ſepultus in ſenectute bona. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ centum ſeptuaginta quinque anni: & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæq; ætatis & plenus dierum, congregatusq; eſt ad populum ſuum. Et completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum, conſumptusq; ætate mortuus eſt: & appoſitus eſt populo ſuo ſenex & plenus dierum. Iacobus quoque finitis mandatis, quibus filios inſtruebat, Collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit, & appoſitus eſt ad populum ſuum. Et Moſes etiam ſeruus Domini* IX. Gen. 15. Gen. 25. Gen. 50. Deut. 34.

*mortuus eſt ſuper montem Nebo, in vertice Phaſga, contra Iericho iubente Domino: & ſepeliuit eum Angelus in valle terræ Moab contra Phogor. Et dormi-*
4 Reg 10. *„ uit Iehu cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Samaria. Et Simeon ſenex iuſtus: Nunc dimittis (inquit) ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. Ab huiuſmodi quieto ſenectutis exitu quorundam improborum ſenum vio-*
3 Reg. 2. *lentior mors excipitur. Tu quoque noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ „ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael Abner filio Ner, & Amaſæ filio „ Iether: quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace, & poſuit cruorem prælij „ in baltheo ſuo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento ſuo quod erat in pe- „ dibus eius. Facies ergo iuxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pa- „ cificè ad inferos. Habes quoque apud te Semei filium Gera filij Iemini de Bathu- „ rim, qui maledixit mihi maledictione peſſima, quando ibam ad caſtra: ſed quia „ deſcendit mihi in occurſum cùm tranſirem Iordanem, & iuraui per Dominum, „ dicens: Non te interficiam gladio: tu noli pati eum eſſe innoxium. Vir ſapiens „ es, vt ſcias quæ facies ei, deducéſque canos eius cum ſanguine ad inferos. Dor- „ miuit igitur Dauid cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid.*

X *Præter hanc ſolutionis, quæ ſenibus plerumque contingit, formam, debilitatis ac morborum quamplurima nomina & genera ſunt; quorum cognitio ad medicinam magis quàm ad hoc argumentum attinet. Exemplorum verò diſtributio*
Pſal. 67. *diuino permiſſa eſt iudicio. S. S. E. Et Domini Domini exitus mortis.*

Gen. 38. *Violenta mors ſiue nex homini vel à iudice Deo repente immittitur. Fuit „ Her primogenitus Iudæ nequam in conſpectu Domini: & ab eo occiſus eſt. Onam „ quoque filium Iudæ percuſſit Dominus, eo quòd rem deteſtabilem faceret. Nonnumquam per imprudentem hominem, tamen ex diuino iudicio, alij cuipiam ho-*
Deut. 19. *mini vita eripitur. Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, qui ab heri & nu- „ diuſtertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobatur, ſed abiiſſe cum eo „ ſimpliciter in ſyluam ad ligna cædenda, & in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit „ manum, ferrumq́; lapſum de manubrio amicum eius percuſſerit & occiderit, hic*
Exod. 21. *ad vnam ſupradictarum vrbium confugiet & viuet. Qui autem non eſt inſi- „ diatus: ſed* DEVS ILLVM TRADIDIT IN MANVS EIVS*: conſtituam tibi „ locum in quem fugere debeat. Ceterum & ab homine per odium atque iram & ab aliis animantibus per impetum & vulnera atque ab inanimatis etiam naturis, vt ſole, igne, aqua, lapidis, muri aut ligni caſu, vel eliſione varium ac multiplex vitæ creatur periculum, nec humanæ prudentiæ ſemper vitabile. Hoc bel-*
1 Reg 4. *lorum ſtrages, hoc quamplurima alia exempla declarant. Heli erat nonaginta „ & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat. & dixit „ nuncius ad Heli, Ego ſum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui „ ille ait, Quid actum eſt, fili mi? Reſpondens autem ille qui nunciabat, Fugit, in- „ quit, Iſrael coram Philiſthiim, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper & „ duo filij tui mortui ſunt Ophni & Phinees: & arca Dei capta eſt. Cumq́; ille no- „ minaſſet arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus „ mortuus eſt. & paulò inferiùs, Nurus autem eius vxor Phinees, prægnans erat, „ vicinaq́; partui, & audito nuncio quòd capta eſſet arca Dei, & mortuus eſſet ſo- „ cer ſuus, & vir ſuus, incuruauit ſe, & peperit: irruerant enim in eam dolores „ ſubiti. In ipſo autem momento mortis eius dixerunt ei qui ſtabant iuxta eam, „ Ne timeas: quia filium peperiſti. Quæ non reſpondit eis, neque animaduertit.*

*Vno eodemq́ tragœdiæ actu triplex violentæ mortis perſona in mundi theatrum*
*prodiit, bello, caſu, partu formata. A feris quoque non ſemel occiſos accepimus*
*homines; idq́ aliquando ex diuino iudicio. Cumq́ comediſſet & bibiſſet, ſtrauit* 3 Reg.13.
*aſinum ſuum* [Propheta, quem reduxerat prophetes alter.] *Qui cùm abiſſet, in-* "
*uenit eum leo in via, & occidit: & erat cadauer eius proiectum in itinere: aſinus* "
*autē ſtabat iuxta illud, & leo ſtabat iuxta cadauer. Aſcendit autē Heliſæus inde* 4 Reg. 2.
*Bethel: cumq́ aſcēderet per viam, pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate, & illude-* "
*bant ei, dicētes: Aſcende calue, aſcēde calue: qui cùm reſpexiſſet, vidit eos, & ma-* "
*ledixit eis in nomine Domini: egreſſiq́ ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerūt ex* "
*eis quadraginta duos pueros. Benadab Syriæ rex aqua ab Hazaele miniſtro con-* Ibidem. 8.
*ſperſus expirauit. Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatē, & de-* Sap.16.
*ducis ad portas mortis & reducis: homo autē occidit quidē per malitiā animam* "
*ſuam, & cùm exierit ſpiritus, non reuertetur, nec reuocabit animam quæ recepta* "
*eſt. ſed tuam manum effugere impoſſibile eſt. Negantes enim te noſſe impij, per* "
*fortitudinem brachij tui flagellati ſunt: nouis aquis, grandinibus, & pluuiis per-* "
*ſecutionem paſſi, & per ignem conſummati.* "

*Eos qui in mari occiduntur pugnando, duplici morte, atq́ ideo grauius perire* XI.
*indicat Vates. Interficient, & detrahent te, & morieris interitu occiſorum in* Ezech.28.
*corde maris.*

*Quo breuius autem extinguitur homo, eò leuiùs tolerat (vt ſapientes docue-*
*re) tormentum. Ducunt in bonis dies ſuos: & in puncto ad inferna deſcendunt.* Iob 21.

*Cunctis verò Adamo prognatis communis mortis ſententiam ſubeundam fo-* Communis mors.
*re, diuino iudicio indictum, nulliq́ ætati, nulli parcendum ordini, illis aliiſque*
*quamplurimis teſtimoniis, prædictionibus, & obteſtationibus conſtiterit. Statu-* Heb.9.
*tum eſt hominibus ſemel mori. Omnes moriuntur, & quaſi aquæ dilabimur in* 2 Reg.14.
*terram, quæ non reuertuntur. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, &* Iſaiæ 5.
*aperuit os ſuum abſque vllo termino; & deſcendent fortes eius, & populus eius,* "
*& ſublimes glorioſiq́ eius ad eum. Qui confidunt in virtute ſua, & in multitu-* Pſal.48.
*dine diuitiarum ſuarum gloriantur. Frater non redimit, redimet homo, nō dabit* "
*Deo placationem ſuam. Et pretium redemptionis ſuæ laborabit in æternum, &* "
*viuet adhuc in finem. Non videbit interitum, cùm viderit ſapientes morientes,* Prou.27.
*ſimul inſipiens & ſtultus peribunt. Infernus & perditio numquam implentur.* "
*& antiquiſſimus Sapiens: Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſce-* Iob 3.
*rem, cum regibus & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines: Aut cum* "
*principibus qui poſſident aurum, & replent domos ſuas argento: Aut ſicut abor-* "
*tiuum abſconditum non ſubſiſterem, vel qui cōcepti non viderunt lucem. Ibi im-* "
*pij ceſſauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt feſſi robore. Et quondam victi pa* "
*riter ſine moleſtia, non audierunt vocem exactoris. Paruus & magnus ibi ſunt,* "
*& ſeruus liber à domino ſuo. Audi humanæ vitæ examinatorem: Et dixi in* Eccl 2.
*corde meo, Si vnus & ſtulti & meus occaſus erit, quid mihi prodeſt, quòd maio-* "
*rem ſapientiæ dedi operam? Locutuſq́ cum mente mea, animaduerti quòd hoc* "
*quoque eſſet vanitas. Non enim erit memoria ſapientis ſimiliter vt ſtulti in per-* "
*petuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: moritur doctus ſi-* "
*militer & indoctus. Nulli verò ætati certum eſſe vitæ ſpacium aut mortis effu-* "
*gium, quis non videat? Tu igitur ſurge & vade in domum tuam; & in ipſo in-* 3 Reg.14.
*troitu pedum tuorum in vrbem, morietur puer, & planget eum omnis Iſrael, &* "

Ezech.32. ſepeliet. Sed neque conditioni vlli (præter ea quæ Iobus commemorabat) Fili ho-
» minis, cane lugubre ſuper multitudinem Aegypti: & detrahe eam ipſam, & filias
» gentium robuſtarum ad terram vltimam cum his qui deſcendunt in lacum. Quo
» pulchrior es? deſcende, & dormi cum incircumciſis. In medio interfectorum gla-
Iob 30. dio cadent: Gladius datus eſt, attraxerunt eam, & omnes populos eius. Scio quia
Heb.11. morti trades me, vbi conſtituta eſt domus omni viuenti. Et plures ſacerdotes fa-
cti ſunt, iccirco quòd morte prohiberentur manere.

XII. Duos tantùm inter antiquos extra communia exempla ponendos, diuina ex-
cipit hiſtoria: Hanochum vnum, quem à Deo ſublatum nõ apparuiſſe accepimus.
Hunc tamen ſuum quoque inter mortales viuendi finem habuiſſe, ita ſignifica-
» uit Moſes. Et facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni;
» & ambulauit cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. Idemq́; paulo antè
dictus poſtquam genuit Mathuſalam vixiſſe trecentis annis. Vnde apparuit ſub-
latus, & in reſurrectionis teſtimoniũ exemplumq́; omni poſteritati apud Deum
Heb 11. ſeruatus. Fide Henoch tranſlatus eſt ne videret mortem: & non inueniebatur,
Eccli.44. quia tranſtulit illum Deus: ante tranſlationis enim tempus teſtimonium habuit
placuiſſe Deo. Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, vt det gẽtibus
pœnitentiam. Nemo natus eſt in terra qualis Henoch, nam ipſe receptus eſt à ter-
ra. Alterum verò teſtem poſterioribus, hoc eſt, legis, ætatibus Heliam conſtitu-
Ibidem 48. tum legimus. Qui receptus eſt in turbine ignis in curru equorum igneorũ. Qui
» inſcriptus es in indiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor
» patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.

XIII. Sed quonam tempore, quo pacto hominem inuaſura ſit mors, nullis mortalibus
natura indicauit, quamquam breuis vitæ ſæpius admonitis. Nonnullis enim ad
ſenectam vſque differtur; alius in ipſa vitæ acerbitate, quibus aliàs tardior ven-
tura fuerat, ob impietatem tamen præceps incidit; nonnullis maturior accidit,
Pſal.67. non ex voto aut ſententia, ſed ex diuinæ prouidẽtiæ cenſura. Et Domini Domini
Iob 36. exitus mortis. Indicabit eis opera eorum, & ſcelera eorum, quia violenti fuerũt.
» Reuelabit quoque aurem eorum, vt corripiat; & loquetur, vt reuertãtur ab ini-
» quitate. Si audierint & obſeruauerint, complebunt dies ſuos in bono, & annos
» ſuos in gloria. Si autem non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur
» ſtultitia Simulatores & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt cùm vin-
» cti fuerint. Morietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum inter effemi-
Ibid.21. natos. Quoties lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio, &
» dolores diuidet furoris ſui? Erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla
» quam turbo diſpergit. Deus ſeruabit filiis illius dolorem patris: & cùm reddide-
» rit, tunc ſciet. Videbunt oculi eius interfectionem ſuam, & de furore omnipoten-
» tis bibet. Quid enim ad eum pertinet de domo ſua poſt ſe? & ſi numerus mẽſium
» eius dimidietur? Numquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam, qui excelſos iudi-
» cat? Iſte moritur robuſtus & ſanus, diues & felix. Viſcera eius plena ſunt adipe,
» & medullis oſſa eius irrigantur: Alius verò moritur in amaritudine animæ ſuæ
» abſque vllis opibus: & tamen ſimul in puluere dormient, & vermes operient
Pſal.54. eos. Viri ſanguinũ & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Ne impiè agas multum,
Eccleſ.7. & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. Si ergo non vigilaueris, ve-
niam ad te tamquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.

XIIII. Cõſequétia. Quæ mortem conſequuntur euenta, alia quidem caput ipſum mortui hominis
attin-

*attingunt, alia verò eos, quos in vita caros habuit. Hæc prius breuiter, illa poſterius indicamus. Propinquos & amicos dolor luctusq́ primùm: &, ſi fideles conſtantesq́ fuiſſe contigerit, perpetuum deinceps deſiderium occupat. Fratres veſtri, & omnis domus Iſrael plangant incendium, quod Dominus ſuſcitauit.* Leuit. 10. *Samuel autem mortuus eſt, & planxit eum omnis domus Iſrael.* 1. Reg. 28. *Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua, ſcidit: omnesq́ viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, eò quòd corruiſſet gladio.* 2 Reg. 1. *Dixit autem Dauid ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo, Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner: Porrò rex Dauid ſequebatur feretrum: Cumq́ ſepelirent Abner in Hebron, leuauit rex Dauid vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner, fleuit autem & omnis populus.* Ibid. 3. *Huiuſmodi namque tempus plangendi eſſe ſapientiſſimus ille indicauerat. Supra mortuum plora, defecit enim lux eius.* Eccl. 3. *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requieuit: luctus mortui ſeptem dies.* Eccli. 22. *Hæc dicit Dominus, Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis ex deſiderio, quia non ſunt.* Ierem. 31.

XV. *Mortui verò hominis corpori ac membris quæ eueniunt, illa, eiuſmodiq́ alia ſunt, tabes, corruptio, vermes, ac tãdem puluis ille, ex quo primum conſtitiſſe datum. Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc ſeptẽ diebus fuerit immundus: aſpergetur ex hac aqua [ibidem præſcripta] die tertio & ſeptimo, & ſic mundabitur. Si die tertio aſperſus non fuerit, ſeptimo non poterit emundari. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aſperſus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Iſrael.* Num. 19. *Et ſepelient eos domus Iſrael, vt mundent terram ſeptem diebus.* Ezech. 39. *& ſapientiſſimus gentium, Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & ſicut veſtimentum quod comeditur à tinea.* Iob 13. *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtraui lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es: mater mea & ſoror mea, vermibus.* Ibid. 17. *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem?* Pſal. 29. *Diues & pauper ſimul in puluere dormient, & vermes operient eos.* Iob 21. *Rex hodie eſt, & cras morietur. Cùm enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes & beſtias, & vermes.* Eccli. 10. *Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* Iob 20. *Hoc ſcio à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, Quòd laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit: Quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: Vbi eſt? Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna. Oculus, qui eum viderat, non videbit: neque vltrà intuebitur eum locus ſuus. Filij eius atterentur egeſtate, & manus illius reddent ei dolorem ſuum. Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. Deficiet (enim) omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.* Ibid. 34. *Quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad commouendum cor noſtrum: quia extinctus cinis erit corpus noſtrum.* Sap. 2. *Hic humanæ ſuperbiæ & inſolentiæ fructus, & impuræ carnis corruptiq́ ſanguinis exitus.*

XVI. *Nunc verò de ſpiritu pauca, aliàs autem oportunius plura dicenda. Ac primò quidem quæ ſit humanæ ſapientiæ vel ſtultitiæ potius de humanæ vitæ exitu*

 *ſenten-*

*ſententia referre: deinde verò eandem veris diuini ſpiritûs documentis explo-*
Eccleſ.9. *dere conueniet. Hoc eſt peſſimum inter omnia quæ ſub ſole fiunt, quia eadem cun-*
» *ctis eueniunt. vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & cõtemptu*
» *in vita ſua, & poſt hæc ad inferos deducentur. Quorum hæc cogitatio atq; oratio*
» *eſt. Nemo eſt qui ſemper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam: melior eſt canis*
» *viuus leone mortuo. Viuentes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil*
» *nouerunt amplius, nec habent vltrà mercedem: quia obliuioni tradita eſt me-*
» *moria eorum. Amor quoque & odium, & inuidia ſimul perierunt, nec habent*
» *partem in hoc ſeculo, & in opere quod ſub ſole geritur. Vade ergo, & comede in*
» *lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera*
» *tua. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non defi-*
» *ciat. Perfruere vita cum vxore quam diligis, cunctis diebus vitæ inſtabilitatis*
» *tuæ, qui dati ſunt tibi ſub ſole omni tempore vanitatis tuæ. hæc eſt enim pars in*
» *vita, & in labore tuo quo laboras ſub ſole. Quodcunque facere poteſt manus tua,*
» *inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud*
*inferos, quò tu properas. Hæc illi ſuo ſenſu, moribusq; ſuis; de quibus ſcriptum eſt;*
Pſal.48. *Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in ore ſuo complacebunt.*

*Verùm ſententiæ hæ huiuſmodiq; omnes à mendacij parente primo, tenebra-*
*rumq; architecto profectæ maximum, vt ſapiens ille aiebat, malum inter omnia*
*quæ ſub ſole fiunt, pariunt & nutriunt: quale cauendum & auertendum veritas*
Baruch. 1. *monet. Peccauimus ante Dominum Deum noſtrum, & non credidimus, diffiden-*
» *tes in eum: & non fuimus ſubiectibiles illi, & nõ audiuimus vocem Domini Dei*
» *noſtri, vt ambularemus in mandatis eius, quæ dedit nobis. Atqui ille cùm pœnas,*
*imò cùm pœnitentiam humano generi indicebat, non abolitionem comminatus*
*dicitur, ſed reuerſionem, imò conuerſionẽ etiam atq. redintegrationem, vt paulo*
*antè explicabamus, eamq; mutationem non in toto homine futuram, ſed in eam*
*partem, quæ de terra fuerat effictа. Donec reuertaris in terram de qua aſſumptus*
*es. Spiritum verò non ex terra factum, ſed virtute ſua à Deo inſpiratum in ima-*
*gine & ad ſimilitudinem ſuam, quamquam illic non nominauerit, ipſe reuertẽdi*
*verbo complexus eſt. Namque reuerti eò dicitur aliquid vnde antea venerat. Ve-*
*niſſe verò à Deo ſpiritum, iam clarè oſtenſum fuit: quare & poſt ſeparationem*
*ad idem reuerſurum principium à quo projectum nouimus, & à ſapiẽtiſſimo re-*
Eccl.12. *rum æſtimatore didicimus. Et reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, &*
» *ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Et qui dedit quod ſuum eſt, nõ perdere,*
Lucæ 12. *ſed repetere volet. Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam, dictum eſt etiam*
Sap. 15. *imprudentis conſilij homini. Et ille figulus, qui paulo antè de terra factus fue-*
» *rat, & poſt puſillum reducit ſe, vnde acceptus eſt, repetitus animæ debitum, quam*
Ibid.4. *habebat. Iuſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Quid autem vel*
Luc.16. *apertius vel clarius illo ſupremi magiſtri teſtimonio? Factum eſt autem vt more-*
» *retur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt au-*
» *tem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos, cùm eſſet in*
» *tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius. Hæc nunc de ſepa-*
*ratione & migratione ſpiritus obiter de morte differentibus corporis, aliàs nobis*
*pluribus ac ſingulari argumento repetenda. An verò à corpore ſolutus ſpiritus*
Leu.20. *redire ad hanc animantum regionem ſine ſuo corpore poſſit, nulli dubium eorum*
Deut.18. *qui legem à Deo latam nouerint, de ſagis arcendis, quarum magico ſuſurro mor-*

tuorum

*tuorum cientur animæ: inter quas aliquando magni illius Vatis animam ſolici-
tatã & excitam atque conuentã legimus. Dixitq́ Saul ſeruis ſuis, Quærite mihi* 1 Reg. 28.
*mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam. Et di-
xerunt ſerui eius ad eum, Eſt mulier habens pythonem in Endor. Mutauit ergo
habitum ſuum, veſtitusq́ eſt alius veſtimentis, & abiit ipſe, & duo viri cum eo,
venerũtq́ ad mulierem nocte, & ait illi, Diuina mihi in pythone, & ſuſcita mihi
quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum, Ecce tu noſti quanta fecerit Saul, & quo-
modo eraſerit magos & ariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ, vt oc-
cidar? Et iurauit ei Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus quia nõ eueniet tibi
quicquam mali propter hanc rem. Dixitq́ ei mulier, Quem ſuſcitabo tibi? Qui
ait, Samuelem mihi ſuſcita. Cùm autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamauit
voce magna & dixit ad Saul, Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul. Dixitq́
ei rex, Noli timere: quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul, Deos vidi aſcendentes
de terra. Dixitq́ ei, Qualis eſt forma eius? Quæ ait, Vir ſenex aſcendit, & ipſe
amictus eſt pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel eſſet, & inclinauit ſe ſuper fa-
ciem ſuam in terra, & adorauit. Dixit autem Samuel ad Saul, Quare inquietaſti
me vt ſuſcitarer? Et ait Saul, Coarctor nimis: ſiquidem Philiſthiim pugnant ad-
uerſum me, & Deus receßit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophe-
tarum, neque per ſomnia: vocaui ergo te, vt oſtenderes mihi quid faciam. Et ait
Samuel, Quid interrogas me, cùm Dominus diſceſſerit à te, & trãſierit ad æmu-
lum tuum? Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet
regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid: quia non obediſti
voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalec: iccirco quod pateris, fecit
tibi Dominus hodie. Et dabit Dominus etiam Iſrael tecũ in manus Philiſthiim:
Cras autem tu & filij tui mecum eritis: ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in
manus Philiſthiim. Quid igitur in hac quæſtione reſponderi verè poßit, hoc no-
bis exemplum ſatis declarauit: quod num frequens, rarúmve ſit, alterius fuerit
loci diſputare.*

*Illud verò præterea, quæ iam de mortis cauſis declarauimus, hoc loco diſpicere* XVII.
*commodum arbitramur, ſit ne alia etiam ex morte vtilitas, aliúdve compẽdium* Cui bono.
*hominibus, contrà etiam diſpendium, & quibúſnã vtrumuis accedat. Et quidem
iis, quibus diuina correptio patienter ac prudenter excipitur, ac ſubitur, vel ex eo
vtilis & oportuna putanda fuerit, quod laborum ac perpetuæ in vita militiæ
modum finemq́ figat. In labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. In ſudore* Gen. 3.
*vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terrã, de qua ſumptus es. Cumq́* 4 Reg. 19.
*veniſſet Elias, & ſederet ſuper vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt morere-
tur, & ait: Sufficit mihi Domine, Tolle animam meam: neque enim melior ſum* Iſaiæ 57.
*quàm patres mei. Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo, & viri miſe-
ricordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus eſt
iuſtus. Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua. Ob
hanc etiam rem pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorũ eius. In malitia ſua* Pſal. 115.
*expelletur impius, ſperat autem iuſtus in morte ſua. & Iobus, Quare, inquit, ex-* Iob 3.
*ceptus genibus? cur lactatus uberibus? Num enim dormiens ſilerem, & ſomno
meo requieſcerem: ibi impij ceſſauerunt à tumultu, & ibi requierunt feſſi robore,
& quondam victi pariter ſine moleſtia, non audierunt vocem exactoris. Quare* Ibid.
*miſero data eſt lux, & vita iis qui in amaritudine animæ ſunt? Qui expectant*
*mortem,*

» *mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudent vehemẽter cùm in-*
Eccli.4. *uenerint ſepulchrum. Et humanarum ærumnarum ſubductor ille, Verti me ad*
» *alia, & vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lacrymas innocentium, & ne-*
» *minem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio de-*
» *ſtitutos. Et laudaui magis mortuos quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudi-*
Ibid.41. *caui, qui nondum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt. O mors, bonum eſt*
» *iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, &*
» *cui de omnibus cura eſt, & incredibili, qui perdidit ſapientiam.*

XVIII. Cui malo. *Et quidem, quamquã iis, quibus vita hæc ſummum bonum exiſtimatur, ideoq́; gratiſſima eſt, dura atque horrenda putetur: tamen, quia peccandi finem affert, oportuna & vtilis iure cenſenda: quippe malorum quodcumque minimum, idem & potiſſimum. Illud etiam non exiguum commodum, quod iis qui improborum*
Eccli.41. *inſolentia opprimuntur, à miſeriis vel requies, vel contingit reſpiratio. O mors*
» *quàm amara eſt memoria tua homini pacẽ habenti in ſubſtantiis ſuis, viro quie-*
Prou.14. *to, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. In*
» *malitia ſua expelletur impius: [è vita, interrupto malorũ ſtudio] ſperat autem*
Iſaiæ 14. *iuſtus in morte ſua. Et erit in illa die, cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo*
» *& à cõcuſſione tua, & à ſeruitute tua qua ante ſeruiſti, ſumes parabolam iſtam*
» *contra regem Babylonis, & dices: Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum?*
» *Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem popu-*
» *los in indignatione, plaga inſanabili; ſubiicientem in furore gentes, perſequen-*
» *tem crudeliter. Conquieuit & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt & exultauit: abietes*
» *quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: Ex quo dormiſti non aſcendit qui*
Pſal.9. *ſuccidat nos. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gẽtes quæ obliuiſcun-*
» *tur Deum. Quoniam non in finem obliuio erit pauperum, patientia pauperum*
» *non peribit in finem.*

XIX. Mors an differatur. *Et corporis quidem mortem ex cauſa Deo vitæ auctore differri poſſe non ambigimus; mortalium autem nemini vlla arte vitari effugive poſſe aut cõdonari, nuſquam accepimus, præter eos quos beneficij aut muneris cuiuſpiam ſingularis*
4 Reg.20. *prouidentia rariſſimos in omni ætate ſeruatos nouimus. Et factus eſt ſermo Do-*
» *mini ad Iſaiam dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei, Hæc dicit Do-*
» *minus Deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lacrymam tuam;*
» *& ecce ſanaui te. Die tertio aſcendes templum Domini, & addam diebus tuis*
Eccli.48. *quindecim annos. In diebus ipſius [Iſaiæ] retro rediit, & addidit regi vitam.*
*Conſtitutam verò ac decretam per Deum vitæ ac mortis conditionem hominibus*
An effugiatur. *eluai aut inuerti, aut alio effugio deuerti nõ poſſe multis obſeruare eſt exemplis.*
Ierem.38. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, Si profectus exieris ad principes*
» *regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non ſuccendetur igni: & ſaluus*
» *eris tu, & domus tua. Sin autem non exieris ad principes Babylonis, tradetur ci-*
» *uitas hæc in manus Chaldæorum, & ſuccendent eam igne: & tu non effugies de*
Pſal.48. *manu eorum. &, quod iam recitatum eſt, Frater non redimit, redimet homo: non*
Pſal.88. *dabit Deo placationem ſuam, & pretium redẽptionis animæ. Quis eſt homo qui*
» *viuet, & non videbit mortem: eruet animam ſuam de manu inferi?*

*Verùm enimuerò quamquam effugere mortem homini mortali non cõtingat, in tempore tamen & cum modo ac ratione deprecari fas antiqui iudicarunt, ita quidem ſi id ex pietatis ac diuinæ gloriæ atq́; publicæ hominum vtilitatis re ſit.*

Ita

*Ita Ezechiam deprecatum accepimus; ita delectum ac dilectum Deo regem canentem audimus: Clamaui ad te Domine, tota die expandi manus meas. Nūquid* Pſal. 87.
*mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabūt, & confitebuntur tibi? Numquid* "
*narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra* "
*obliuionis? & ; Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine,* Ibidem. 6.
*quoniam conturbata ſunt oſſa mea.*

*Iiſdem autem cauſis pro alterius ſalute & vitæ prorogatione vota publicè ac priuatè ſuſcipiuntur: quæ nō rarò impetraſſe viſa, niſi aliàs vel diuina iuſtitia, vel perſonarum vſus aut demeritum interceſſerit. Quare & conſultum: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes* Iacobi 5.
*eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum* "
*Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Et centurionis cuiuſdam ſeruus* "
*malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretioſus. Et cùm audiſſet de Ieſu, miſit* Luc. 7.
*ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius. At* "
*illi cùm veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſolicitè, dicentes ei: Quia dignus eſt* "
*vt hoc illi præſtes; diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit* "
*nobis. IESVS autem ibat cum illis. Et Paulus Epaphroditum Philippenſibus ac* "
*ſibi diuino beneficio reſtitutum gratulatus ait: Mæſtus erat propterea quòd au-* Phil. 2.
*dieratis illum infirmatum. Nam infirmatus eſt vſque ad mortem: Sed Deus mi-* "
*ſertus eſt eius; non ſolùm autem eius, verùm etiam & mei, ne triſtitiam ſuper tri-* "
*ſtitiam haberem. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino.* "

XX. Breuitas vitæ recolēda.

*Vtiliſſimam autem mortalibus omnibus & oportunam ſemper mortis recordationem ad humanæ ſtultitiæ inſolentiam compeſcendam, ſacra oracula docent: modò ſapienter atque piè id fiat; & non, vt ſtultorum ſentit vulgus, Manducemus* 1 Cor. 15.
*& bibamus, cras enim moriemur. Nolite ſeduci: Corrumpūt enim bonos mo-* "
*res colloquia mala. Euigilate iuſtè, & nolite peccare: ignorātiam enim Dei qui-* "
*dam habent. Quibus huiuſmodi recordatio calcar ad ſcelus addit. Verùm piis illa commendatior. Dixiſti, Conuertimini filij hominum: quoniam mille anni ante* Pſal. 89.
*oculos tuos tamquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte, quæ pro* "
*nihilo habentur, eorum anni erunt. Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, &* "
*tranſeat, veſpere autem decidat, induret, & areſcat. Quia defecimus in ira tua,* "
*& in furore tuo turbati ſumus. Poſuiſti iniquitatem noſtram in conſpectu tuo:* "
*ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Quoniam omnes dies noſtri defe-* "
*cerunt, & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: dies an-* "
*norum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta* "
*anni, & amplius eorum labor & dolor. Quoniam ſuperuenit manſuetudo, &* "
*corripiemur. Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa* Eccleſ. 7.
*enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit.* "
*Cor ſapientum vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia. In omnibus operibus* Eccli. 7.
*tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Et cuncta quæ fiunt* Eccleſ. 12.
*adducet Deus in iudicium pro omni abſcondito, ſiue bonum ſiue malum ſit.* "

XXI. Mortui Deo viuunt.

*Eos, qui in hac mortalium viuentum terra eſſe deſiere, & mortui dicuntur, tamen Deo non deſiiſſe exiſtimandos & ratio & ſapientia docet. Namque nihil omnino ſingularitati atque omnipotentiæ Dei deeſſe poteſt: nulla mors cum vita eſt. Deum autem vitam æternam eſſe conſtat: quare & omnium, qui vixerint,*

 vitam,

vitam, quamquam in terris deſideratam, apud æternam illam non minus reperi-
Eccleſ. 1. ri intelligimus, quàm fluminum prælapſas aquas apud Oceanum. Omnia enim
,, flumina in mare tendunt, & mare non redundat: & ad locum, vnde exeunt flu-
3 Reg. 11. mina, reuertuntur vt iterum fluant. Hinc illa atque illis affinia documenta. Ve-
,, rumtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij
,, tui ſcindam illud: nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo,
4 Reg. 8. propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi. Noluit autem Dominus
,, diſperdere Iudam propter Dauid ſeruum ſuum, ſicut promiſerat ei, vt daret illi
Ezech. 14. lucernam & filiis eius cunctis diebus. Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius,
Lucæ 20. Noë, Daniel, & Iob, ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. &, Quia verò
,, reſurgant mortui & Moſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum Deum
,, Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iaacob. Deus autem non eſt mortuorum, ſed
,, viuorum: omnes enim viuunt ei. Reſpondentes autem quidam ſcribarum dixe-
,, runt ei, Magiſter bene dixiſti.

XXII. Vt multos ex grauiſſimis morbis ac mortis diſcriminibus ereptos, & ex portis
mortis vitæ ac ſanitati reſtitutos in ſacris hiſtoriis & actis reperire & allegare
eſt: ita etiam nonnullos poſt mortem ad huius mortalis vitæ vſuram etiam anti-
quis temporibus reſtitutos accepimus: & ex cōſequenti intelligimus, diuinæ vir-
tutis id opus eſſe, neque cum ſpiritus & corporis humani natura ita pugnare, vt
nullo modo fieri poſſit: cùm perinde integrum ſit Dei virtuti, ſpiritum non ita
pridem profectum ad ſuum corpus nondum in pulueres redactum reuocare, &
Iob 19. corporis puluerem in priſtinam reformare carnem: vt ille credens canebat, Et
,, rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum:
3 Reg. 17. quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Factum
,, eſt autē poſt hæc, ægrotauit filius mulieris matris familias, & erat languor for-
,, tiſſimus, ita vt non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam, Quid mihi &
,, tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interfi-
,, ceres filium meum? Et ait ad eam Elias, Da mihi filium tuū. Tulitq́ eum de ſinu
,, eius, & portauit in cœnaculum vbi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum ſuum.
,, Et clamauit ad Dominum, & dixit, Domine Deus meus, etiámne viduam apud
,, quam ego vtcumque ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius? Et expandit
,, ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, &
,, ait, Domine Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius. Et
,, exaudiuit Dominus vocē Eliæ: & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit.
,, Tulitq́ Elias puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domū, & tra-
,, didit matri ſuæ, & ait illi, En viuit filius tuus. Huiuſmodi autem mortuorum
reſtitutionem non ſine cauſa fieri exiſtimandum, ſed ad veritatis diuinæ veræq́
pietatis ac doctrinæ faciendam firmandamq́ fidem: quod & mulier iſta agnoſcēs
,, prædicauit. Et ait mulier ad Eliam, Nunc ſcio quoniam vir Dei es tu, & verbum
,, Domini in ore tuo verū eſt. Id verò nulla naturæ virtute aut humana arte con-
Pſal. 48. ſtare poſſe vates ait, Frater non redimit, redimet homo. Vnde intelligimus ſolius
Dei eſſe hoc opus. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.
Sed quamquam Dei donum beneficiumq́ ſit, fidei tamen precem ſolicitationemq́
exigit: cuius ad maxima quæque impetrāda, multa & prompta apud Deum gra-
tia eſt: ſic enim & Heliſei Vatis prece & opera Sunamitidi hoſpitæ puerum quo-
que reſtitutum legimus: cuius mulieris magnam probatamq́ fidem, vbi longiore
narra-

*narratione Spiritus ſanctus indicauit, ſic demùm victricem declarauit. Cumq́ue* 4 Reg. 4.
*veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: & acceſſit Giezi, vt*
*amoueret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine*
*eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Quæ dixit illi, Numquid*
*petiui filium à domino meo? numquid non dixi tibi, Ne illudas me? Et ait ille ad*
*Giezi, Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si*
*occurrerit tibi homo, non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpon-*
*deas illi: & pones baculum meum ſuper faciem pueri. Porrò mater pueri ait, Vi-*
*uit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & ſecutus eſt*
*eam. Giezi autem præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri,*
*& non erat vox, neque ſenſus: reuerſusq́ue eſt in occurſum eius, & nunciauit ei,*
*dicens: Non ſurrexit puer. Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum, & ecce puer mor-*
*tuus iacebat in lectulo eius: ingreſſusq́ue clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum,*
*& orauit ad Dominum. Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitq́ue os ſuum*
*ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius: &*
*incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. At ille reuerſus deambula-*
*bat in domo ſemel huc atque illuc: & aſcendit, & incubuit ſuper eum: & oſcitauit*
*puer ſepties, aperuitq́ue oculos. Et ille vocauit Giezi, & dixit ei, Voca Sunamiti-*
*dem hanc. Quæ vocata, ingreſſa eſt ad eum. Qui ait, Tolle filium tuum. Venit il-*
*la, & corruit ad pedes eius, & adorauit ſuper terram: tulitq́ue filium ſuũ, & egreſ-*
*ſa eſt, & Eliſeus reuerſus eſt in Galgala. Atque puer ille vitalis redditus æta-*
*tem vixiſſe commemoratur. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei,* 4 Reg. 8.
*dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliſeus. Cumq́ue ille narraret regi*
*quomodo mortuum ſuſcitaſſet, apparuit mulier cuius viuificauerat filium, cla-*
*mans ad regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. Dixitq́ue Giezi, Domine mi rex,*
*hæc eſt mulier, & hic eſt filius eius quem ſuſcitauit Eliſeus. Et interrogauit rex*
*mulierem: quæ narrauit ei. Tantum ad maxima beneficia exoranda viua homi-*
*num fides valet: qua curante, acceperũt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.* Heb. 11.
*Quin & propheticæ virtutis & auctoritatis teſtimoniũ Eliſei Vatis iam vita*
*functi, atque adeò ſepulti contactis oſſibus alterius hominis cadauer reuixiſſe*
*nouimus. Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proie-* 4 Reg. 13.
*cerunt cadauer in ſepulchro Eliſæi: quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit ho-*
*mo, & ſtetit ſupra pedes ſuos. In vita ſua fecit monſtra Eliſeus, & mortuũ pro-* Eccli. 48.
*phetauit corpus eius. Chriſtiani quoque Euangelij veritatem quamplurima te-*
*ſtata ſigna accepimus, inter alia verò plures recens mortuos, atq; Lazarum iam*
*tabi ac putredini proximum, vitæ redditos. Euntes prædicate, dicentes, quia ap-* Mat. 10.
*propinquauit regnum cælorum: Infirmos curate, mortuos ſuſcitate. Et conuoca-* Lucæ 7.
*uit duos de diſcipulis ſuis Ioannes, & miſit ad Ieſum, dicens: Tu es qui venturus*
*es, an aliũ expectamus? In ipſa autẽ hora multos curauit à languoribus & plagis*
*& ſpiritibus malis: & cæcis multis donauit viſum. Et reſpõdens dixit illis: Eun-*
*tes renũciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis, quia cæci vidẽt, claudi ambulãt, le-*
*proſi mũdantur, ſurdi audiũt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Quæ*
*verò huius diuinæ in Euangelio virtutis exempla & ſigna illuſtria extiterint,*
*apud Euangeliſtas & in Apoſtolorũ actis recẽſere cuiuis in promptu fuerit. Nam*
*de iis qui poſt Ieſum Chriſtum quamprimùm mortuum extitere, & iis qui cum*
*ipſo è mortuis extante ſurrexere, alia in aliumq́ue locum referenda ratio eſt.*

XXIII. *Porrò quæ humano corpori vita iam defuncto accedere externa poſſunt, pro vario gentium ritu, vel pro temporum atque locorum alia atque alia ſorte quocumque modo & quocumque in genere ſint, obſtare non valent quo minus corruptio interſit, & quod* GHAPHAR *fuerat, in antiquũ redigatur* GHAPHAR. *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Sunt autem ea huiuſmodi: vel relinquitur corpus integrum, & ita terra obruitur: vel in ſpecu conditur; vel aliàs in aëre ſuſpẽſum putreſcit; vel aquis immergitur; aut rogo impoſitum ardet. Id per quoſcumque ex viuentibus curetur, naturæ quidem parum, pietatis autem huma-*
1 Reg. 31. *maniq; officij non parum referre exiſtimandum. Facta autem die altera venerunt Philiſthiim vt expoliarent interfectos; & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Gelboe, & cum armis. Et miſerunt in terram Philiſthinorum per circuitum, vt annunciaretur in templo idolorum, & in populis. Et poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth, corpus verò eius ſuſpenderunt in muro Beth-ſan. Quod cùm audiſſent habitatores Iabes Galaad quæcumque fecerant Philiſthiim in Saul, ſurrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauer filiorum eius de muro Beth-ſan, veneruntq; Iabes Galaad, & combuſſerunt ea igni, tuleruntq; oſſa eorum, & ſepe-*
3 Reg. 2. *lierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus. Dormiuit igitur Dauid*
Ibid. 14. *cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid. Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli. Complura etiam mortuorum corpora alij ſepeliunt mortui.*
Matth 7. *Cetera ad ſepulturæ & funerum locum reſeruamus.*

XXIIII. *Mortuorum hominum conditio & ſtatus terra infima ſiue inferior & nouiſ-*
Ezech. 26. *ſima; viuentium verò terra hæc, in qua viui homines degunt, dicitur. Cùm dedero te vrbem deſolatam, ſicut ciuitates quæ non habitantur: & adduxero ſuper te Abyſſum, & operuerint te aquæ multæ: & detraxero te cum his qui deſcendũt in lacum ad populum ſempiternum: & collocauero te in terra nouiſſima, ſicut ſolitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, vt non habiteris. Porrò cùm dedero gloriam in terra viuentium, in nihilum redigam te, & non eris, & requiſita non inuenieris. Illam maximus gentium philoſophus huiuſmodi deſcri-*
Iob 10. *bebat verbis. Antequam vadam ad terram vmbroſam & opertam mortis caligine: Terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitans. Hanc verò alteram idem de ſapientia locutus, ita in-*
Ibid. 28. *dicabat: Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium.*
Pſal. 141. *& Pſaltes, Clamaui ad te Domine, dixi, Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.*

## DE MORTIS MORTE breuis velitatio.

TERTIÆ *cuiuſdum mortis imaginem ſacræ doctrinæ monumentis euoluendis reperire eſt: cuius arcanum* ſeculis & generationibus celatum, *tandẽ ſanctis ſuis aperuit idem ipſe Deus, qui conſecrauerat. Huius nos mentionẽ nunc faciemus; explicationẽ verò ad nouæ ætatis, id eſt, renouati mundi ſeculum referendã cenſemus, cumq; ſatis primæ mortis cognita fuerint incõmoda, de efficacis huius mortis virtute diſſerẽdi commodũ ſeſe offeret, vt vouemus, tẽpus.*

Dominus

*Dominus voluit conterere eum in infirmitate: ſi poſuerit pro peccato animam* Iſaiæ 53.
*ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* "
*Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtifi-* "
*cabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideò* "
*diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mor-* "
*tem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: ipſe peccata multorum tulit,* "
*& pro trangreſſoribus rogauit. Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per* Rom. 5.
*mortem Filÿ eius. Namq; promiſſum quondam, De manu mortis liberabo eos, de* Oſeæ 13.
*morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, & morſus tuus, ô inferne, conſolatio* "
*abſcondita eſt ab oculis meis. An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in* Rom. 6.
*Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo* "
*per baptiſmum in mortem. Qui ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens,* Philip. 2.
*in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſe-* "
*metipſum, factus obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis.* "

## SECVNDAE MORTIS MENTIO.

HORRENDVM *illud ſupereſt & maximè miſerum genus, cui ſecundæ mortis titulum adſcriptum legimus. Id verò quid ſit, quibúſnam, & quemadmodum accidat, nec nobis nunc indicare vacat, nec lectori capere oportunum fuerit, quoad à primæ mortis morte ac ſepulcro lætum gratulabundumq; reuerti conceſſum erit. Interim tamen hanc etiam mortem in rerum numero cenſitam, eandemq; cum horrore, deteſtatione, ac deprecatione commemorandam, doceri ex-*
*pedierit. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & da-* 1 Ioan. 5.
*bitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: Non pro illo di-* "
*co vt roget quis: Omnis iniquitas peccatum eſt, [Et hæc eſt mors prima] Et eſt* "
*peccatũ ad mortem. Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis: Qui* Apoc. 2.
*vicerit, non lædetur à morte ſecunda. Beatus & ſanctus qui habet partem in re-* Ibidem.
*ſurrectione prima, in his mors ſecũda non habet poteſtatem. Et infernus & mors* "
*miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda, & qui non inuentus eſt in li-* "
*bro vitæ [Verbo Dei, in quo vita erat, ſcriptus] miſſus eſt in ſtagnum ignis. Qui* Ibid.
*vicerit poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Timidis autem &* "
*incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolo-* "
*latris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſul-* "
*phure: quod eſt mors ſecunda. Amen, amen dico vobis, Si quis ſermonem meum* Ioan. 8.
*ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.*

FINIS.

---

### APPROBATIO.

Hæc inſignis & elaboratiſſima Naturæ Hiſtoria, auctore Reuerendo Domino Benedicto Aria Montano, celeberrimo & doctiſſimo, quod S. Rom. Eccleſiæ relig. vel Regiæ Maieſtati contrarium eſt, continet nihil: & propter eius vtilitatem, doctrinam, & dignitatem vtiliſſima eſt vt & imprimatur, & ab omnibus doctis legatur. Datum Antuerp. 1595. Non. Martij.

*Henricus Sebertus Dunghæus S.T. Doct. Can. Antuerp. lib. Cenſor.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD IOANNEM MORETVM.

cIↃ. IↃCI.




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SEVILLA ·

196

83